MANUALE IURIS CANONICI

IN USUM SCHOLARUM

EDIDIT

DOMINICUS M. PRÜMMER O. PR.
PROFESSOR IN UNIVERSITATE FRIBURGI HELVETIORUM

„Scire leges: non hoc est verba earum tenere sed vim ac potestatem.“
(l. 17. Dig. de leg. I, 3.)

EDITIO QUARTA ET QUINTA
AUCTA ET SECUNDUM RECENTISSIMAS
DECISIONES ROMANAS RECOGNITA

FRIBURGI BRISGOVIAE MCMXXVII
HERDER & CO., TYPOGRAPHI EDITORES PONTIFICII

Iussu Rev.[mi] P. Fr. Bonaventurae Paredes Mag. Gen. Ord. Praed. nos infrascripti attente perlegimus «Manuale iuris canonici» ab Adm. Rev. P. Fr. Dominico Prümmer O. P., S. Theologiae Magistro ac Iuris Canonici Doctore concinnatum, cumque in eo solidam ubique doctrinam dilucide propositam invenerimus, magnae fore utilitatis sacerdotibus, religiosis et studentibus iudicamus, si typis denuo mandatur.

Friburgi Helvetiorum, die 7 Aug. 1927.

P. Fr. CHRISTOPHORUS BERUTTI O. P.
S. Theol. Lect. et Iur. Can. Doct.

P. Fr. ANDREAS GIGON O. P.
S. Theol. Lect.

Imprimi permittimus

Romae, die 24 Aug. 1927

Fr. BONAVENTURA PAREDES O. P.
Mag. Gen.

Imprimatur

Friburgi Brisgoviae, die 6 Septembris 1927

d. m.

Rösch

Typis Herderianis, Friburgi Brisgoviae.

Quartae et quintae editionis praefatio.

In hac nova editione maximam operam iterum navavi, ut *vigentem hodie disciplinam iuris canonici quam accuratissime exponerem* utque cum dicendi et perspicuitatem et brevitatem conservarem, tum ampliorem doctrinam exhiberem. Litteratura canonica his annis post editum Codicem excrevit in molem grandem. Quam quidem litteraturam diligenti oculo considerans perlegi quam plurimos libros, qui de particularibus materiis, e. gr. de parocho et vicariis paroecialibus, de institutis religiosis, de matrimonio, de iudiciis et poenis etc. nuper editi sunt. Ea, quae ibi longe lateque exposita sunt, contraxi hic brevissime quidem sed satis complete. Qua ratione amplam doctrinam breviter constrictam trado, ita ut diligens lector (clericus sive religiosus sive saecularis) in hoc Manuali multo plura inveniat, quam primo aspectu apparet. Cura vero speciali recognovi rerum indicem alphabeticum, ut, quae quisque quaerit, facile invenire possit. Non est cur expressius adnotem, omnino omnia quae a Curia Romana recentissime decreta sunt, me attulisse magna cum industria.

Faxit Deus, ut haec nova Manualis editio tali modo aucta et recognita lectoribus aeque placeat atque eae, quae praecesserunt, et quae plus quam 9000 exemplarium divulgatae sunt.

Scribebam Friburgi Helvetiorum die 3 Septembris 1927.

Auctor.

Index partium.

SECTIO II.

De clericis in specie.

PARS II.

De religiosis.

PARS III.

De laicis.

LIBER III.

De rebus.

PARS I.

De sacramentis.

PARS II.

De locis et temporibus sacris.

SECTIO I.

De locis sacris.

SECTIO II.

De temporibus sacris.

PARS III.

De cultu divino.

PARS IV.

De magisterio ecclesiastico.

PARS V.

De beneficiis aliisque institutis ecclesiasticis non collegialibus.

PARS VI.

De bonis Ecclesiae temporalibus.

LIBER IV.

De processibus.

PARS I.

De iudiciis.

SECTIO I.

De iudiciis in genere.

SECTIO II.

De peculiaribus normis in certis quibusdam iudiciis servandis.

PARS II.

De causis beatificationis servorum Dei et canonizationis beatorum.

PARS III.

De modo procedendi in nonnullis expediendis negotiis vel sanctionibus poenalibus.

LIBER V.

De delictis et poenis.

PARS I.

De delictis.

PARS II.

De poenis.

SECTIO I.

De poenis in genere.

SECTIO II.

De poenis in specie.

PARS III.

De poenis in singula delicta.

BREVIS CATALOGUS AUCTORUM
QUI DE IURE ECCLESIASTICO SCRIPSERUNT.

Praenotamen. Quamvis hic catalogus neque valeat neque velit afferre omnes auctores (praesertim iuniores), qui de iure canonico scripserunt, tamen magnae utilitatis erit pro studentibus, qui facile invenire possunt saltem principaliores scriptores de iure canonico eorumque opera, quique hoc modo quasi in nuce habent historiam litterariam iuris canonici. — Saepe accidit, ut unus idemque auctor non tantum de iure canonico, sed etiam de aliis disciplinis scripserit; eius opera non canonistica hic non enumerantur.

A.

Abbas antiquus, decretalista saec. XIII, ex Gallia oriundus; scripsit: *Lectura sive apparatus ad Decretales Gregorii IX* inter 1261 et 1275, et praeterea: *Lectura in Constit. Innocentii IV* et *Distinctiones.* Vocatur Abbas antiquus, ut distinguatur ab Abbate iuniore. Eius autem nomen particulare nescitur.

Abbas Siculus vocatur etiam „iunior" vel Panormitanus vel Nicolaus de Tudeschis O. S. B., Sicilianus (1386—1445); archiep. Panormitanus et postea card. Pseudopapae Felicis V. Vir maxime eruditus in iure canonico. Vocatus est „lucerna iuris clarissima". Notissimus ex *Lectura in Decretales, Lectura in Sextum, Lectura in Clementinas.* Scripsit etiam *Consilia, Quaestiones* et *Repetitiones; Tractatus super Conc. basileense.* Eius opera collecta prodierunt 9 vol. Venetiis 1617. Non obstante eius errore circa superioritatem Concilii super Papam, eius opera iuridica prae ceteris excellunt.

Abbo († a. 1004), abbas monast. Floriacensis, collectionem 52 capitula continentem iuris eccl. edidit.

Aichner, S. († 1912), Germanus, archiepisc. tit. Theodosiopolis, antea episc. Brixinensis. Edidit *Compendium iuris ecclesiastici,* opus concinne et solide scriptum et pluries editum.

Alanus, Anglicus (circa 1208), professor Bononiae, collectionem fecit Decretalium Innocentii III aliorumque Paparum. Hanc collectionem constantem ex 290 cap. (et 56 cap.) ignotus auctor cum collectione Gilberti Angli coadunavit et glossavit. Non est typis expressa. Valde probabiliter iste Alanus cum Gilberto aliisque scholaribus et magistris Bononiae ordinem Praedicatorum intravit sub B. Reginaldo vel S. Dominico. Cf. Schulte I 85 et 189; Quétif et Échard, Scriptores Ord. Praed. I 24.

Albenga, Iacobus (Ioannes) de († 1274), episc. Faventinus. Docuit Bononiae; unicus fuit glossator quintae ex sic dictis quinque compilationibus antiquis. Cf. Schulte, Geschichte der Quellen I 205.

Albertus Beneventanus (postea Gregorius VIII, † 1187). Fecit glossam Decreti. Cf. Migne, P. l. 202, 1537—1564.

Albizzi, Franc., Italus (1593—1684), cardinalis. Scripsit inter alia: *De iurisdictione, quam habent cardinales in ecclesiis suorum titulorum, De inconstantia in iure admittenda vel non.* Cf. Kirchenlexikon I 442.

Alciati, Andreas (1492—1550), celeberrimus magister Bononiensis. Scripsit inter alia plura opera: *Commentaria in aliquot iuris can. rubricas et capitula, Iudiciarii processus compendium* etc. Vocatur a Schulte III 448: „Begründer der wissenschaftlichen Jurisprudenz der Neuzeit".

Alexander III vide Bandinelli.

Algerus, prius scholasticus Leodiensis, postea monachus monast. Cluniacensis († circa 1130). Scripsit ordine quodam systematico secundum analogum modum postea a Gratiano servatum *Liber de misericordia et iustitia* (opus iuris systematicum de disciplina ecclesiastica, in quo ostendit, quibus in casibus misericordia servanda et quando potius iustitia exercenda) et alia opera a Gratiano usitata. Cf. Migne, P. l. 180, 727—972.

Allègre, G., Gallus. Praeter *Compendium de impedimentis matrimonii* scripsit opus gravioris momenti, cui titulus *Le Code civil commenté* (4 vol., Par. 1888), quo singulos articulos iuris gallici sub ratione theologica et iuridica expositos habes.

Alphonsus de Liguori, S., Eccl. Doctor, fundator Congr. SS. Redemptoris (1696—1787). Inter eius opera moralia ius canonicum largam partem obtinet, e. gr. de irregularitatibus, censuris, privilegiis etc.

Alteserra (Hauteserre), Anton. (c. 1602—1682), prof. in universitate Tolosana. Praeter comment. in Decretales Innocentii III et in Clementinas scripsit opus cuius titulus: *Ecclesiasticae iurisdictionis vindiciae adversus Caroli Fevreti et aliorum tractatus de abusu* (Par. 1703) et plures dissertationes iuridicas. Cf. Kirchenlexikon I 638. — Eius frater Franciscus quoque scripsit de iure can., sed est minoris momenti.

Amalarius, diaconus Metensis, amplificavit *Regulam Chrodogangi.* Hoc opus ut norma pro clero monarchiae Francorum praescriptum fuit in diaeta Aquisgranensi 817. Quantum ad Eucharistiam, nonnulla erronea docuit.

Amort, Eusebius, Bavarus (1692—1775), canonicus regularis Lateranensis; vir multis disciplinis peritus. Scripsit: *Elementa iuris can. veteris et moderni* (Ulmae 1757) aliaque plura opera, quae non parum laudantur a S. Alphonso de Lig. et Benedicto XIV. Immerito male loquitur de illo Schulte III 174 sqq.

Anania (Anagni), Ioannes de († 1457), vir magnae scientiae et sanctae vitae, moriens voluit vota sollemnia profiteri Ord. Servorum B. M. V. Conscripsit bonum commentarium super quinto libro Decretalium, super Sexto, de iubilaeo aliaque opera iuridica. Fuit discipulus Petri de Ancharano.

Ancharano, Petrus de, ex Etruria oriundus (c. 1330—1416). Magnus fuit canonista et iurisconsultus suo tempore, dictus „ancora iuris". Praeter Consilia et iuris Responsa in gravissimis controversiis data scripsit quoque: *Comment. in Decretales, Lectura super Sexto, Lectura super Clementinis,* commentarium in regulas iuris etc.

André, Michael, vicarius generalis Corisopitensis. Edidit *Dictionnaire de droit canonique,* pluries impressum atque additionibus auctum a Condis et Wagner (4 vol., Par. 1894). Alia quoque opera iuridica confecit.

Andreae, Ioan., Italus (c. 1270—1348). Celeberrimus canonista laicus, „fons et tuba iuris", „rabbi doctorum" salutatus, qui composuit *Glossam ordinariam in Sextum et in Clementinas.* Alia opera eius sunt: *Novella in Sextum et Additiones ad apparatum Sexti, Novella in Decretales Gregorii IX, Additiones ad Speculum iudiciale Guil. Durantis,* quod ultimum opus Schulte (II 205) putat esse optimum inter omnia opera Ioannis Andreae. In fine vitae suae ingressus est Ordinem Praedicatorum. Cf. Quétif et Échard I 627.

Angelis, Philippus de († 1881), Romanus canonista. Scripsit: *Praelectiones iuris can. ad methodum Decretalium Gregorii IX exactae* (9 vol.). Morte praeventus non potuit totum opus perficere.

Angelus a SS. Corde, O. Carm. Disc.; *Manuale iuris communis regularium et specialis Carmelitarum Discalceatorum* (2 vol., Gandae 1899).

Angilramnus († 791), episc. Metensis. Non est dubium, quin compilatio canonum, quae sub titulo: *Capitula Angilramni,* nota est, non ab Angilramno sit composita. Editionem criticam horum Capitulorum confecit Hinschius 1863.

Annibale, Ios. **de,** Italus († 1892), card., episc. Carystensis. Scripsit optimum commentarium *Reatinum* in Bullam „Apost. Sedis" iussu card. Mauri O. Pr. Eius praeclarum opus: *Summula Theologiae moralis* (3 vol.) quamplurima continet de iure canonico et pluries editum est usque ad hos ultimos annos.

Ansegisus, S. († 833), abbas Fontanellensis. Capitularia quaedam Caroli Magni, Ludovici Pii, Lotharii primus in unum corpus redegit, cui collectioni tres subiunxit appendices; opus, quod multum adhibebatur in Conciliis comitiisque in Gallia, Germania, Italia; solet citari: *Collectio Capitularium Ansegisi* (Migne, P. l. 97, 489 sqq.). Iste Ansegisus non est confundendus cum Ansegiso, archiep. Senonensi. Cf. Kirchenlexikon I 886.

Anselmus, episc. Lucensis († 1086); composuit *Collectionem canonum tredecim libris distinctam,* quae tamen nondum (saltem integre) est typis divulgata. Haec collectio non est confundenda cum alia, quae vocatur *Anselmo dedicata* et quae ducentis fere annis ante in Italia confecta est ab auctore ignoto.

Antonelli, Ioan. Car., Velitrensis († 1694), episc. Ferentinus. Scripsit tam aperte quam concise opera: *Tractatus de regimine ecclesiae episcopalis* etc. (Velitris 1650), *De iuribus et oneribus clericorum* (Romae 1699), *Tractatus de loco legali* (Venet. 1744), *Tractatus novissimus de tempore legali* (ib. 1753).

Antoninus, S., O. Pr. (1389—1459), archiep. Florentinus, sanctitate, scientia, dexteritate consiliandi aeque celeber. Scripsit complura opera valde nota. Ad ius canonicum pertinent complures tractatus in eius *Summa theologiae moralis,* e. gr. de beneficiis, de censuris etc. Idem opus prodiit sub titulo: *Iuris pontificii et caesarei Summa* (Venetiis 1582). Cf. Quétif et Échard, Scriptores Ord. Praed. I 818.

Appeltern, Pater Victor **ab,** O. Cap.: *Compendium praelectionum iuris regularis* (Tornaci 1903), opus valde concinne elaboratum.

Augustine, Ch., O. S. B., scripsit *A Commentary on the new Code of Canon Law* (8 vol. in 8°, St. Louis 1919 sqq.), opus solidum et utile praecipue pro America septentrionali.

Augustinus, Antonius, natus 1517 Caesaraugustae, Auditor Rotae factus 1544 Romae, 1555 episc. in Italia inferiore (Alife), 1561 episc. Ilerdensis (Lerida), demum (1576) archiep. Tarraconensis, qualis e vita excessit 1586. Maxime fovebat historiam iuris canonici. Edidit opus: *Emendationum et opinionum iuris civilis libri 4* (Venetiis 1543); opus etiam praeclarius: *De emendatione Gratiani dialogorum libri 2,* cui, editione Decreti nova iussu Gregorii XIII prodiente posthoc, inde apposuit *Additiones;* prodiit post mortem eius Tarrac. 1587. Opera eius edita sunt 8 vol. Lucae 1765—1774. Cf. Hurter, Nomenclator III 351.

Augustinus Triumphus (aliquando *Ioannes Anconitanus vocatus)* O. S. A. (1243—1328), de iure canonico scripsit: *De potestate Praelatorum, De potestate Collegii mortuo Papa, Summa de potestate ecclesiastica* aliaque opera. Cf. Kirchenlexikon I 1692.

Azpilcueta, Martín de (*Navarrus* vulgo vocatus), Hispanus (1493—1586), canonicus regularis. Suo tempore notissimus; diu vixit Romae ut Poenitentiarius. Inter alia praeclara opera scripsit: *Consilia et Responsa, Comment. in ius canonicum.* Opera eius omnia prodierunt 5 vol. Lugduni 1594 et 1595.

B.

Bachofen, A., O. S. B.; scripsit opera: *Compendium iuris regularium* (Neo-Eboraci 1903). *Summa iuris eccl. publici* (Romae 1910).

Baldus de Ubaldis, Italus (c. 1319, iuxta alios 1327—1400); maximus suo tempore iuris can. Doctor. Opera eius (edita Venetiis 1572) magnae erant auctori-

tatis, praecipue: *Lectura super l. 1 2 3 Decretalium, Additiones ad Speculum iudiciale Durantis,* duo tractatus *De schismate in defensionem electionis Urbani VI.*

Ballerini, Hieronymus (1702—1781), frater Petri Ballerini, quocum laboravit.

Ballerini, Petrus, Veronae (1698—1769). Fecit optimam editionem operum S. Leonis M., cui praeclaram addidit appendicem: *De antiquis tum editis tum ineditis collectionibus et collectoribus canonum ad Gratianum usque tractatus in quattuor partes distributus* (Venet. 1757). Item scripsit adversus Febronium *De vi ac ratione primatus Rom. Pont. et de ipsorum infallibilitate in definiendis controversiis fidei* (Veronae 1766), *De potestate eccles. Summorum Pont. et Conciliorum generalium* (ib. 1768).

Baluzius, Stephanus, Gallus (1630—1718); vir incredibilis laboris et sollertiae, recepit tonsuram clericalem et possedit plura beneficia ecclesiastica. Plurima opera scripsit vel edidit; de iure autem canonico: *Notas ad Gratiani Decretum; Capitularia regum Francorum; Reginonis abb. Prumiensis libri duo de ecclesiastica disciplina* etc.

Bandinelli, Rolandus, postea (1159) Papa Alexander III. Edidit *Stroma* sive *Summa quaedam vel compendium Decreti Gratiani* c. 1147 (noviter edita 1874 cura Thaner). Potius ad theologiam quam ad ius pertinent *Sententiae* huius auctoris. Hoc opus primo edidit et optimis notis illustravit A Gietl a. 1891. Alia opera huius eruditissimi viri inveniuntur apud Migne, P. l. t. 200. Utrum sit idem ac magister Bandinus, non constat. Cf. Schulte I 118.

Barbatia, Andreas de († 1479), celeber canonista, homo doctus sed singularis. Praeter alia scripsit: *Additiones ad Nicolai de Tudeschis Commentaria super Decretalibus.*

Barbosa, Augustinus, ex Lusitania oriundus (1589—1649). Vir eruditus ingensque memoria, canonicis disciplinis incubuit Romae. Anno ante mortem factus episc. Ugentinus. Opera eius mirabilia sunt propter cognitionem quaestionum iuris can. atque auctoritatem quam habuit latissimam. Scripsit inter plura alia: *Iuris eccl. universi libri 3* (Lugd. 1634 et 1645), *Collectanea eorum Doctorum, qui in suis operibus Conc. tridentini loca referentes illorum materiam incidenter tractarunt* (Lugd. 1642). Hoc ultimum opus, prodiens sub titulo: *Remissiones Doctorum super varia loca Conc. trid.* (Olyssip. 1618), condemnatum fuit. Sub novo autem titulo hodie non invenitur in Indice. Opera eius omnia apparuerunt Lugduni 1698—1716 in 20 vol. in fol.

Bargilliat, Michael, Gallus. Fecit *Praelectiones iuris canonici* iam in ed. 34 nunc exsistentes; *Droits et devoirs des curés et des vicaires* (Paris 1919).

Barthel, Ioan. Casp., Germanus (1697—1771). Prosperi Lambertini discipulus; scripsit plura de iure can., e. gr.: *De pallio, De concordatis Germaniae* etc. Liberiores sententias non semel tuetur.

Bartholi, Ioan., natus Venetiis 1695; gradum in utroque iure adeptus est, archiep. Nazianzenus, qualis mortuus est 1776. Rogatu Rom. Pont. Benedicti XIV edidit *Institutiones iuris canonici.*

Bartholomaeus Brixiensis a. 1245 correxit *Glossam ordinariam* Decreti ab Ioanne Teutonico factam, quae inde in Decreti editionibus communiter imprimitur. Alia opera iuridica ab aliis auctoribus confecta de novo edidit (cf. Kirchenlexikon I 2055), e. gr. *Casus Decretorum* a Benincasa Senensi compilatos. Cf. Schulte I 171.

Basilius, S., scripsit tres epistulas canonicas ad Amphilochium datas ad melius ordinandam formam canonicam poenitentiae. Cf. Migne, P. gr. 32, 663 715 794.

Bastien, O. S. B., scripsit: *Directoire canonique à l'usage des Congrégations à voeux simples.* Quod quidem opus recognitum et in linguam germanicam translatum edidit Elfner O. S. B.

Baysio, Guido **de,** mortuus est 1313 Avenione apud Curiam Rom. Pont.; archidiaconus Bononiae ibique cum laude docuit ius canonicum. Fuit auctor subdivisionis distinctionum 1ae et 2ae partis Decreti et quaestionum 3ae partis in „partes". Scripsit Apparatum ad Decretum, cui titulus *Rosarium* et *Apparatus sive Commentarius in Sextum.*

Bazianus (Bassianus), Bononiensis († 1197); notissimus, quod primus fuerit „Doctor utriusque iuris". Scripsit Apparatum in Decretum. Cf. Schulte I 154.

Becker, Iulius **de,** prof. Lovaniensis; scripsit *De sponsalibus et matrimonio praelect. canon.* (ed. 2 aucta et emendata).

Begnudelli Basso, Franc. Anton., Tridentinus, obiit Frisingae 1713. Publicavit: *Bibliotheca iuris canonico-civilis practica* etc. (Frising. 1712), opus utile pro praxi.

Bellamera, Aegidius, episc. in locis pluribus; obiit c. 1392. Collegit decisiones Rotae ab a. 1374 usque ad a. 1377. Edidit: *Praelectiones in Decretalium libros* et in Clementinas; item tractatus de permutatione beneficiorum ecclesiasticorum.

Bene vide Delbene.

Benedictus XIV., Summus Pontifex, antea Prosper Lambertini vocatus (1675 ad 1758); forsan principatum obtinet inter omnes Summos Pontifices, quantum ad scientiam iuris canonici. Eius opera omnia saepius edita sunt, e. gr. Prati 1852, 28 vol. in 4°, et inter illa adhuc saepius editum est opus vere classicum: *De synodo dioecesana.* Fr. Schulte III 507 vocat hunc librum „das wichtigste neuere wissenschaftliche Buch, das für das kanonische Recht besteht".

Benedictus Levita, auctor incertus collectionis capitularium, quae de universa disciplina eccl. versatur, divisae in 3 libros cum 4 appendicibus. Attamen multo maior pars capitularium est ficta ab ipso auctore, ut hodie constat (cf. q. 39).

Beneventanus vide Collivacinus.

Berardi, Carolus Sebast., ex Unelia († 1768); prof. iuris can. in universitate Taurinensi. Scripsit: *Commentaria in ius eccles. universale* (Aug. Taurin. 1766 et saepius), *Institutiones iuris eccles.* (ib. 1769). Notissimus ex *Gratiani canones genuini ab apocryphis discreti etc.* (ib. 1752—1757 et saepius), opus valde criticum sicut et alia opera et laude haud indignum; aliquando tamen auctor est hypercriticus et caute legendus.

Beringer, Franc., S. J. (1838—1909), edidit opus notissimum et optimum: *Die Ablässe, ihr Wesen und Gebrauch* (ed. 15 Paderb. 1921).

Bernardus Compostellanus vel **Antiquus,** *Bononiae* (c. 1208). Auctor collectionis Decretalium, quae Bononiae nomen adepta est *Romana Compilatio.*

Bernardus Papiensis vide Papiensis.

Bernardus Parmensis de Botone vide Botone.

Beroius, August., Bononiensis (1474—1554). Celeber canonista, fuit laicus et matrimonio iunctus. Adeptus lauream utriusque iuris docuit in universitate Bononiensi per 50 annos. Inter eius discipulos recensentur duo, qui postea Rom. Pontifices facti sunt, scil. Pius IV et Gregorius XIII. Scripsit: *Lecturae seu Commentaria in libros Decretalium* (Lugd. 1550 et saepius), et edidit *Quaestiones, Responsa* et *Consilia.*

Beusch, Guil., S. J., Germanus († 1743). Publicavit opus canonico-legale, cui titulus: *De pactis et contractibus in genere* (Ingolstad. 1736); etiam *Prodromus iuris controversi* (ib. 1773). Cf. Migne, Cursus theol. t. XVI.

Biederlack, Ios., S. J., Germanus, praeter alia concinne scripsit *De iure regularium,* quod opus recognitum denuo edidit Max. Führich S. J. sub titulo *de religiosis* (Oeniponte 1919).

Binder, Matthaeus Ios., Germanus (1822—1893); episc. S. Hippolyti (St. Pölten). Scripsit: *Praktisches Handbuch des katholischen Eherechtes. Für Seelsorger im Kaisertum Österreich* (S. Hipp. 1862; ed. 4 Frib. Brisg. 1894), *Additamenta ad enchiridion iuris eccl. cum appendice, leges dioecesanas circa administrationem bonorum eccl. et beneficialium continente* (Viennae 1861).

Biner, Ios., S. J. († 1766), composuit: *Apparatus eruditionis ad iurisprudentiam, praesertim ecclesiasticam* (13 vol. in 4°, Augustae Vindel. et Friburgi 1754 ad 1766), opus eruditione plenum.

Binterim, Antonius Ios., O. S. F., Düsseldorpii natus 1779, † 1855; christianus archaeologista. Opera eius passim tractant de quaestionibus iuris canonici.

Bisiniano, Simon, scripsit *Summam Decreti* circa a. 1175.

Bizzarri, card.: *Collectanea in usum Secretariae S. Congr. Ep. et Reg.* (ed. 2, Romae 1885), opus ante novum Codicem valde utile pro iure Regularium.

Blat, Alb., O. Pr., Hispanus, scripsit solidum *Commentarium textus Codicis iuris canonici* in lib. I, II, III, V (Romae 1919 sqq.).

Blesensis, Petrus, compilavit *Speculum iuris canonici* circa 1180, prima vice editum Berolini 1837 a Theoph. Reimaro. Non est confundendus cum eius avunculo eiusdem nominis. Cf. Hurter, Nomenclator II 169.

Blondel, David (1591—1655), minister protestanticus. Notus est propter eius librum: *Pseudo-Isidorus et Turrianus vapulantes* (Genev. 1628, in 4°), in quo contra Turrianum probavit falsificationes Pseudo-Isidori, quod tamen iam longe ante illum aperte enuntiabant auctores catholici, e. gr. Turrecremata.

Böckhn, Placidus, O. S. B. (1690—1752), scripsit: *Commentarius in ius canonicum univ. sive in quinque libros Decretalium Greg. IX* (Salisburgi 1735 et pluries), opus solidum et clarum; 3 vol. in fol.

Boehmer, Iustus Henning (1674—1749), Protestans. Procuravit bonam editionem *Corporis iuris can.* (Magdeb. 1747). Multa alia opera edidit, e. gr.: *Ius. ecclesiast. protestantium* (5 vol. in 4°, Halae 1714—1737). Habuit quattuor filios, qui etiam plura de iure can. scripserunt. Cf. Schulte III 92 sqq.

Bohic, Henr. **de,** Gallus (natus 1310); prof. utriusque iuris in universitate Parisiensi. Scripsit: *Distinctiones in libros quinque Decretalium* (1348).

Bonal, A., Societatis S. Sulpitii presbyter. Praeter *Institutiones theol.* etiam composuit *Institutiones canon.* ad usum Seminariorum (iam in ed. 4 iuxta novissima Decreta exarata, 2 vol.), opus simplex et clarum.

Bonifatius VIII (antea vocatus Benedictus Caietanus; † 1303), insignis evasit in iure canonico et plurimas epistulas et Bullas edidit (inter quas celeberrima est Bulla *Unam Sanctam*); adiuvantibus tribus doctis viris edidit etiam *librum sextum Decretalium.*

Bonizo, episc. Sutrinus et postea Placentinus; publicavit collectionem canonum in 10 libros divisam (c. 1089).

Bordoni, Franc., III. Ord. reg. S. Franc. Generalis († 1671). Plura scripsit opera de iure regularium, e. gr.: *Tractatus de professione regulari* (Mediolani 1635). Opera omnia iuridico-regularia et moralia, 6 vol. in fol., Lugduni 1665.

Botone, Bernardus **de,** Parmensis († 1266); canonista celeberrimus; docuit Bononiae. Canonicus fuit cathedralis Bonon. et postea capellanus Papae. Fecit glossam ordinariam in Decretales Gregorii IX. Scripsit etiam: *Casus longi* et *Summa de titulis Decretalium.*

Boudinhon, Aug., Gallus, complura scripsit valde solide in periodico *Canoniste contemporain* et nonnulla alia.

Bouix, Dominicus (natus in Bagnères-de-Bigorre 1808); in Societatem Iesu intravit, sed post 17 annos egressus est. Tunc operam dedit disciplinis canonicis. Intrepidus fuit inimicus Gallicanismi. Adfuit Concilio vaticano. Publicavit plures tractatus, scil. *De principiis iuris canonici, De concilio provinciali, De capitulis, De iure liturgico, De iudiciis eccl., De iure regularium, De parocho, De episcopo, De Curia Rom., De Papa.* Sub titulo *Institutiones iuris canonici* omnes isti tractatus 2 editione publicati sunt.

Brabandère, de, episc. Brugensis († 1895); scripsit opus multum usitatum et clarum: *Iuris canonico-civilis compendium.*

Brancati, Franc., card. († 1675). Scripsit opus pluries editum et valde bonum: *De privilegiis cardinalium.* — Iste Brancati non est confundendus cum Laurentio Brancati (vocatur etiam De Laura) O. F. M. († 1693), qui praeter alia opera scripsit: *Epitome canonum,* quae saepius edita fuit.

Brandys, Max., O. F. M., Germanus, scripsit clare et concinne: *Kirchl. Rechtsbuch für d. religiösen Laiengenossenschaften* (ed. 2 Paderb. 1920).

Bucceroni, Ianuarius, S. J., prof. in romana universitate Gregoriana († 1918). Scripsit: *De censuris in genere et in specie, De Constitutione „Apostolicae Sedis" secundum omnes decisiones SS. RR. Congregationum* (ed. 5 Romae 1899).

Burchardus, episc. Wormatiensis (c. 1012). Aliis adiuvantibus paravit magnum *Collectarium canonum* in 20 libros divisum ad usum cleri curati et ordinandorum (Migne, P. l. 140).

Burgt, van de, canonicus Ultraiectensis; scripsit clare et concinne de matrimonio (Sylvae Ducis 1859); opus postea plures editiones habuit, quarum ultimam 1908) procuravit C. M. Schaepman.

Butrio, Antonius de (1338—1408), celeberrimus canonista, doctor utriusque iuris et prof. Bononiae. Vir apprime eruditus et pius maxime aestimatus est a Gregorio XII aliisque. Scripsit: *Comment. in quinque libros Decretalium, Comment. in Sextum,* cui addi possunt *Repetitiones, Tractatus, Consilia.*

C.

Cabassutius, Ioan., Oratorii presbyter, Gallus (1604—1685); vir maximae eruditionis et pietatis. Celeber ex opere utili: *Theoria et praxis iuris can.* etc., saepissime edito.

Cadena y Eleta, Ios., Hispanus, archiepiscopus Burgensis, edidit *Tratado teórico de procedimientos eclesiásticos en materia civil y criminal* (Madriti 1894) aliaque opera bene nota in Hispania.

Caietanus vide Vio.

Calderinus, Ioan., Italus († 1365), filius adoptivus Ioannis Andreae. Vocatur „Doctor decretorum famosissimus"; scriptor practicus. Inter alia conscripsit *Repertorium iuris, Consilia, Tabula auctoritatum et sentent. bibliae,* tractatus *Super materia interdicti ecclesiastici, Repetitiones in ius can.,* tractatus novus *De haereticis* et *Super Clementinis.*

Camillis, de († c. 1870), prof. iuris can. Romae; edidit *Institutiones iuris can.* Romae 1869, iam in ed. 9.

Campegius, Thomas, Italus (1481—1564), doctor utriusque iuris; adfuit Concilio tridentino. Notissimus ex opere *De auctoritate S. Conciliorum* (Venet. 1561). Etiam scripsit: *De auctoritate et potestate Rom. Pont. in Ecclesia Dei* (ib. 1555), *De residentia pastorum, De pluralitate beneficiorum, De reservatione benefic., De pensionibus, De unionibus Ecclesiarum, De coadiutore episcopi, An pontifex possit incurrere labem simoniae.* — Praeter istum Campegium dantur adhuc alii eiusdem nominis, scil. Laurentius, frater Thomae, Alexander nepos, Camillus, O. Pr., qui omnes quaedam opera canonistica ediderunt. Cf. Hurter, Nomenclator III 126.

Canisius, Henricus (1548—1610), vir singulari virtute atque doctrina praeditus, doctor utriusque iuris. Satis celebre opus est eius *Summa iuris can.* in 4 libros Institutionum contracta. Alia opera sunt: *Praelectiones academicae, Comment. in librum tertium Decretalium, De immunitate eccles.,* posthuma dissertatio *De sponsalibus et matrimonio.* Scripsit quoque plura opera de historia ecclesiastica. Non est confundendus cum S. Petro Canisio S. J., cuius fuit ex fratre nepos.

Cappello, Felix, S. J., scripsit complura opera solidae doctrinae, e. gr. *Institutiones iuris publici ecclesiastici* (1907 sq.), *De Curia Romana sede plena et sede vacante* (1911 sq.), *De canonica dioeceseos visitatione, De relatione dioecesana et de visitatione SS. Liminum* (1913), *De censuris et poenis iuxta novum Codicem* (ed. 2 1925), *De sacramentis* (3 vol., 1926).

Carranza, Barthol., O. Pr., archiep. Toletanus († 1576). Edidit opus valde utile et saepissime editum: *Summa Conciliorum et Pontificum a Petro usque ad Paulum III;* item scripsit de residentia praelatorum. Cf. Quétif et Échard, Scriptores Ord. Praed. II 236 sqq.

Castellini, Lucas, O. Pr. († 1631); theologus celeber nec minus in iure canonico praestans, fuit per longum tempus procurator generalis sui Ordinis et ab Urbano VIII creatus est episcopus Caracensis in Calabria. De iure canonico scripsit: *De electione et confirmatione canonica praelatorum* (1 vol. in fol., Romae 1625). Cf. Quétif et Echard l. c. II 471.

Cavagnis, Felix, card. (1841—1906). Concinnavit: *Institutiones iuris publici ecclesiastici, quas in scholis Pont. Sem. Rom. tradidit* (iam ed. 4, 3 vol.), et *Elementa iuris publici eccl.*, opera stilo plano exarata.

Chappuis, Ioan., Gallus, licentiatus iuris in universitate Parisiensi. Adornavit duas collectiones Extravagantium „Ioannis XXII" scil. et „communes", quas in sua famosa editione Corporis iuris can. primus inseruit (a. 1500).

Chokier, Erasmus, Belga (1569—1625); scripsit *Tractatus de iurisdictione Ordinarii in exemptos* etc. (2 vol. in 4°, Colon. 1620), opus valde bonum. — Eius frater Ioannes (de Surlet, 1571—1656) etiam plura scripsit de iure can., e. gr.: *De beneficiorum permutationibus* (pluries editum et valde concinne elaboratum), *Commentaria in regulas Cancellariae Apost.* (etiam pluries editum et bonum).

Circa vide Papiensis.

Clemens V († 1314) novam collectionem Decretalium procuravit, quam Ioannes XXII 1317 publicavit et sanxit tamquam legem ecclesiasticam.

Clemens VIII († 1605) fecit quidem sic dictum librum septimum Decretalium compilari, sed approbationem authenticam denegavit.

Clericatus, Ioan. († 1717), Italus, plura scripsit pro praxi ecclesiastica, inter quae eminet opus: *Decisiones sacramentales theologicae, canonicae et legales* (9 vol., Venetiis 1727).

Collivacinus, Petrus, Beneventanus, fecit iussu Innocentii III tertiam ex sic dictis quinque antiquis compilationibus.

Concha vide Fernandez-Concha.

Coninck, Aegidius, S. J., Belga (1571—1633); ad ius can. spectat eius liber *De sacramentis et censuris.*

Contius (Le Conte), Anton., Gallus (1517—1586); prof. iuris civilis. Laboravit in emendando Decreto Gratiani (Par. 1556) et praesertim in notandis falsis Decretalibus. Decretales quoque Gregorii IX aliasque collectiones de novo emendatas publicavit Antwerpiae 1569.

Coriolanus, O. Cap., Italus († 1625), edidit librum *De casibus reservatis.*

Corvinus, Arnoldus, de Beldern († 1680), scripsit de iure can. plura manualia valde clara et pluries edita. Cf. Schulte III 147.

Coustant, Petrus, O. S. B. († 1721), bene meruit de historia iuris can. per opus excellens (sed eheu non completum): *Epistolae Rom. Pontificum et eae, quae ad eos scriptae sunt a S. Clemente I usque ad Innocentium III* (vol. I, Par. 1721).

Covarruvias, Didacus **de,** Toletanus (1512—1577); episc. Civitatensis; adfuit ultimae sessioni Concilii trid. Opera eius includunt: *Epitome de sponsalibus et matrimoniis* (1545), *Variarum ex pontificio, regio et caesareo iure resolutionum libri 4* (Lugd. 1594), *Liber quaestionum practicarum* (ib. 1594) et alios tractatus exegeticos. Opera eius magni aestimabantur.

Craisson, D., Gallus († 1881), notissimus auctor in Gallia. Edidit opera practica et solida: *Manuale totius iuris can.* (Par. 1863; 4 vol., Par. 1894), *Elementa iuris can. ad usum Galliae seminariorum* (Pictavii 1866), *De la Sépulture ecclésiastique d'après les saints canons et la loi civile en France,* et alia plura gallice scripta.

Cremonensis vide Sicardus.

Cresconius, episc. in Africa (c. 690) composuit collectionem, cui titulus *Concordia canonum,* cuius prima pars quandoque est ab editoribus appellata *Breviarium.* Migne, P. l. 88, 817—942.

Creusen vide Vermeersch.

Cucchus, Marc. Ant., prof. iuris in universitate Ticinensi. Primus ordine systematico *Iuris can. institutiones* composuit opere duplici, alterum „minores", alterum „maiores" vocans (Lugd. 1564 et 1574). Probabiliter etiam edidit: *Pandectarum iuris can. pentateuchus* (Patavii 1597).

Cuiacius (Cujas), Iac. († 1590), celeberrimus in iure civili. Scripsit de iure can. pauca, e. gr.: *Recitationes ad Decretalium Gregorii IX libros 2 3 4* (Francof. 1594).

D.

Damasus, „Boemus", magister iuris can. Bononiae; inter 1210 et 1215 *Summam Decretalium* edidit potius quam scripsit. Primus ipse collegit ex fontibus iuris can. 125 „Brocarda" sive regulas canonicas. Praeter *278 Quaestiones* mentione quoque digna est eius *Summa de ordine iudiciario* (ed. Wunderlich, Gottingae 1841). Cf. Schulte I 194 sqq.

Decius, Philippus, Mediolanensis (1453 ad c. 1535). Scripsit: *Commentum super rubrica de iudiciis* (Pisis 1494), (700) *Consilia* (Papiae 1512—1531), *Commentaria in Decretalia* (Lugd. 1531). Suo tempore vir praeclarissimus et spectatissimus propter miram docendi artem et disputandi. Scripta eius parvi aestimantur. Cf. Hurter, Nomenclator II 1337, et Schulte II 362.

Delbene, *Thom., Theatinus, Italus (1623—1673).* Insignis moralista, scripsit etiam de iure can.: *De immunitate et iurisdictione eccles.* (Lugd. 1650), *De officio s. Inquisitionis circa haeresim* (Lugduni 1666) et *Tractatus de iuramento.*

Delvaux (Vallensis), Andr., Belga († 1636), prof. iuris Lovanii. Publicavit: *Paratitla s. summaria et methodus explicandi Decretales D. Gregorii IX* (Lov. 1628), *De beneficiis libri 4* (Mechl. 1646).

Demochares (de Mouchy), Ant., Gallus († 1574), prof. theol. in universitate Parisiensi. Fecit novam *Editionem Decreti Gratiani* emendatam et correctam.

Deusdedit, card. Gregorii VII (c. 1086), ex archivis rom. compilavit collectionem in 4 libros divisam: de primatu S. Petri et Rom. Pont., de clero Rom., de bonis eccles. et patrimonio S. Petri, de immunitate ecclesiae tractantem. Novam et bonam editionem procuravit Glanvel (Paderb. 1904).

Devoti, Ioan., Romanus (1744—1820), archiep. Carthaginiensis. Celeberrimus canonista atque in historia eccles. plane eruditus. Opera illius etiam ad hunc usque diem valent maxime. Praeter eius *Institutionum canonicarum libri 4* (Romae 1785), opus famosissimum et saepissime editum, reliquit etiam *Ius canonicum universum et privatum,* vol. 3 (ib. 1803) et deinde pluries editum.

Dicastillo, I., S. J., Hispanus (1585—1653). Ex iure can. scripsit: *De censuris;* item *De iure et iustitia.*

Dionysius Carthusianus (1402—1471). Innumera fere reliquit opuscula (187). Ad ius can. pertinent: *De auctoritate Summi Pontificis* (est minoris momenti neque rectam doctrinam semper tuetur). *De plurium beneficiorum usurpatione* (duodecies editum).

Dionysius Exiguus, Scytha (c. 555) et monachus. Graecarum Synodorum canones in latinum vertit et correxit; Collectionem Decretalium Rom. Pont. a Siricio (384) usque ad Anastasium II (408) incl. composuit, et tertiam fecit collectionem canonum graecorum cum versione latina, cuius exstat solum praefatio. Denique primam et secundam collectionem suam in unam redegit (cf. q. 38).

Donatus, Hyacinthus, O. Pr., Italus (1661); vir consultissimus casuum conscientiae concionatorque insignis. Opus eius magnum fuit: *Rerum Regularium praxis resolutoria* (4 vol., Coloniae 1675), de omnibus materiis, quae ad religiosos pertinent, tractans.

Donoso, Iustus, episcopus de La Serena in Chile († 1868), *Instituciones de derecho canónico,* ed. 3 1909 procurata a canonico Carl. Silva Cotapos. Opus lucidum et utilissimum pro America latina.

Doviatius (Doujat), Ioan. (natus Tolosae 1609, † 1688); prof. iuris can. Parisiis; vir eruditissimus atque virtute conspicuus. Edidit: *Praenotionum canonic. libri 5* (Par. 1687, in 4°), *Historica iuris pontificii synopsis* (ib. 1670).

Castellini, Lucas, O. Pr. († 1631); theologus celeber nec minus in iure canonico praestans, fuit per longum tempus procurator generalis sui Ordinis et ab Urbano VIII creatus est episcopus Caracensis in Calabria. De iure canonico scripsit: *De electione et confirmatione canonica praelatorum* (1 vol. in fol., Romae 1625). Cf. Quétif et Échard l. c. II 471.

Cavagnis, Felix, card. (1841—1906). Concinnavit: *Institutiones iuris publici ecclesiastici, quas in scholis Pont. Sem. Rom. tradidit* (iam ed. 4, 3 vol.), et *Elementa iuris publici eccl.*, opera stilo plano exarata.

Chappuis, Ioan., Gallus, licentiatus iuris in universitate Parisiensi. Adornavit duas collectiones Extravagantium „Ioannis XXII" scil. et „communes", quas in sua famosa editione Corporis iuris can. primus inseruit (a. 1500).

Chokier, Erasmus, Belga (1569—1625); scripsit *Tractatus de iurisdictione Ordinarii in exemptos* etc. (2 vol. in 4°, Colon. 1620), opus valde bonum. — Eius frater Ioannes (de Surlet, 1571—1656) etiam plura scripsit de iure can., e. gr.: *De beneficiorum permutationibus* (pluries editum et valde concinne elaboratum), *Commentaria in regulas Cancellariae Apost.* (etiam pluries editum et bonum).

Circa vide Papiensis.

Clemens V († 1314) novam collectionem Decretalium procuravit, quam Ioannes XXII 1317 publicavit et sanxit tamquam legem ecclesiasticam.

Clemens VIII († 1605) fecit quidem sic dictum librum septimum Decretalium compilari, sed approbationem authenticam denegavit.

Clericatus, Ioan. († 1717), Italus, plura scripsit pro praxi ecclesiastica, inter quae eminet opus: *Decisiones sacramentales theologicae, canonicae et legales* (9 vol., Venetiis 1727).

Collivacinus, Petrus, Beneventanus, fecit iussu Innocentii III tertiam ex sic dictis quinque antiquis compilationibus.

Concha vide Fernandez-Concha.

Coninck, Aegidius, S. J., Belga (1571—1633); ad ius can. spectat eius liber *De sacramentis et censuris.*

Contius (Le Conte), Anton., Gallus (1517—1586); prof. iuris civilis. Laboravit in emendando Decreto Gratiani (Par. 1556) et praesertim in notandis falsis Decretalibus. Decretales quoque Gregorii IX aliasque collectiones de novo emendatas publicavit Antwerpiae 1569.

Coriolanus, O. Cap., Italus († 1625), edidit librum *De casibus reservatis.*

Corvinus, Arnoldus, de Beldern († 1680), scripsit de iure can. plura manualia valde clara et pluries edita. Cf. Schulte III 147.

Coustant, Petrus, O. S. B. († 1721), bene meruit de historia iuris can. per opus excellens (sed eheu non completum): *Epistolae Rom. Pontificum et eae, quae ad eos scriptae sunt a S. Clemente I usque ad Innocentium III* (vol. I, Par. 1721).

Covarruvias, Didacus de, Toletanus (1512—1577); episc. Civitatensis; adfuit ultimae sessioni Concilii trid. Opera eius includunt: *Epitome de sponsalibus et matrimoniis* (1545), *Variarum ex pontificio, regio et caesareo iure resolutionum libri 4* (Lugd. 1594), *Liber quaestionum practicarum* (ib. 1594) et alios tractatus exegeticos. Opera eius magni aestimabantur.

Craisson, D., Gallus († 1881), notissimus auctor in Gallia. Edidit opera practica et solida: *Manuale totius iuris can.* (Par. 1863; 4 vol., Par. 1894), *Elementa iuris can. ad usum Galliae seminariorum* (Pictavii 1866), *De la Sépulture ecclésiastique d'après les saints canons et la loi civile en France*, et alia plura gallice scripta.

Cremonensis vide Sicardus.

Cresconius, episc. in Africa (c. 690) composuit collectionem, cui titulus *Concordia canonum*, cuius prima pars quandoque est ab editoribus appellata *Breviarium*. Migne, P. l. 88, 817—942.

Creusen vide Vermeersch.

Cucchus, Marc. Ant., prof. iuris in universitate Ticinensi. Primus ordine systematico *Iuris can. institutiones* composuit opere duplici, alterum „minores", alterum „maiores" vocans (Lugd. 1564 et 1574). Probabiliter etiam edidit: *Pandectarum iuris can. pentateuchus* (Patavii 1597).

Cuiacius (Cujas), Iac. († 1590), celeberrimus in iure civili. Scripsit de iure can. pauca, e. gr.: *Recitationes ad Decretalium Gregorii IX libros 2 3 4* (Francof. 1594).

D.

Damasus, „Boemus", magister iuris can. Bononiae; inter 1210 et 1215 *Summam Decretalium* edidit potius quam scripsit. Primus ipse collegit ex fontibus iuris can. 125 „Brocarda" sive regulas canonicas. Praeter *278 Quaestiones* mentione quoque digna est eius *Summa de ordine iudiciario* (ed. Wunderlich, Gottingae 1841). Cf. Schulte I 194 sqq.

Decius, Philippus, Mediolanensis (1453 ad c. 1535). Scripsit: *Commentum super rubrica de iudiciis* (Pisis 1494), (700) *Consilia* (Papiae 1512—1531), *Commentaria in Decretalia* (Lugd. 1531). Suo tempore vir praeclarissimus et spectatissimus propter miram docendi artem et disputandi. Scripta eius parvi aestimantur. Cf. Hurter, Nomenclator II 1337, et Schulte II 362.

Delbene, *Thom., Theatinus, Italus (1623—1673).* Insignis moralista, scripsit etiam de iure can.: *De immunitate et iurisdictione eccles.* (Lugd. 1650), *De officio s. Inquisitionis circa haeresim* (Lugduni 1666) et *Tractatus de iuramento.*

Delvaux (Vallensis), Andr., Belga († 1636), prof. iuris Lovanii. Publicavit: *Paratitla s. summaria et methodus explicandi Decretales D. Gregorii IX* (Lov. 1628), *De beneficiis libri 4* (Mechl. 1646).

Demochares (de Mouchy), Ant., Gallus († 1574), prof. theol. in universitate Parisiensi. Fecit novam *Editionem Decreti Gratiani* emendatam et correctam.

Deusdedit, card. Gregorii VII (c. 1086), ex archivis rom. compilavit collectionem in 4 libros divisam: de primatu S. Petri et Rom. Pont., de clero Rom., de bonis eccles. et patrimonio S. Petri, de immunitate ecclesiae tractantem. Novam et bonam editionem procuravit Glanvel (Paderb. 1904).

Devoti, Ioan., Romanus (1744—1820), archiep. Carthaginiensis. Celeberrimus canonista atque in historia eccles. plane eruditus. Opera illius etiam ad hunc usque diem valent maxime. Praeter eius *Institutionum canonicarum libri 4* (Romae 1785), opus famosissimum et saepissime editum, reliquit etiam *Ius canonicum universum et privatum*, vol. 3 (ib. 1803) et deinde pluries editum.

Dicastillo, I., S. J., Hispanus (1585—1653). Ex iure can. scripsit: *De censuris;* item *De iure et iustitia.*

Dionysius Carthusianus (1402—1471). Innumera fere reliquit opuscula (187). Ad ius can. pertinent: *De auctoritate Summi Pontificis* (est minoris momenti neque rectam doctrinam semper tuetur). *De plurium beneficiorum usurpatione* (duodecies editum).

Dionysius Exiguus, Scytha (c. 555) et monachus. Graecarum Synodorum canones in latinum vertit et correxit; Collectionem Decretalium Rom. Pont. a Siricio (384) usque ad Anastasium II (408) incl. composuit, et tertiam fecit collectionem canonum graecorum cum versione latina, cuius exstat solum praefatio. Denique primam et secundam collectionem suam in unam redegit (cf. q. 38).

Donatus, Hyacinthus, O. Pr., Italus (1661); vir consultissimus casuum conscientiae concionatorque insignis. Opus eius magnum fuit: *Rerum Regularium praxis resolutoria* (4 vol., Coloniae 1675), de omnibus materiis, quae ad religiosos pertinent, tractans.

Donoso, Iustus, episcopus de La Serena in Chile († 1868), *Instituciones de derecho canónico*, ed. 3 1909 procurata a canonico Carl. Silva Cotapos. Opus lucidum et utilissimum pro America latina.

Doviatius (Doujat), Ioan. (natus Tolosae 1609, † 1688); prof. iuris can. Parisiis; vir eruditissimus atque virtute conspicuus. Edidit: *Praenotionum canonic. libri 5* (Par. 1687, in 4°), *Historica iuris pontificii synopsis* (ib. 1670).

Specimen iuris can. apud Gallos usu recepti (ib. 1671), *Notae ad Institutiones P. Lancelotti* (ib. 1684), *Histoire du droit canonique* (ib. 1675) aliaque plura.

Duballet, canonicus, scripsit: *Cours complet de droit canonique et de jurisprudence canonique-civile* (15 vol. in 8⁰, Par. 1896 sqq.), opus sat notum in Gallia.

Dupin, Andr., Gallus (1783—1865). Duo eius opera: *Manuel du droit public ecclésiastique français* (Par. 1844) et *Libertés de l'église Gallicane* (ib. 1824), cum sint principiis Gallicanismi infecta, in Indicem sunt relata.

Durandus de S. Porciano, Guilelmus, O. Pr., magister S. Palatii et episc. Meldensis († 1334); vocatus „Doctor resolutissimus" propter vim, quacum sententias suas, aliquando singulares et sibi peculiares, ursit. Theologus maximi ingenii, sed infeliciter principiis Divi Thomae minime haesit. Praeter opera theologiae scripsit: *De iurisdictione eccles. et de legibus.*

Durantis, Guilelmus, Gallus (c. 1238—1296), episc. Mimatensis; probabiliter fuit versus finem suae vitae sodalis O. Pr. (cf. Quétif et Échard I 480). Notissimum est eius *Speculum iudiciale*, ob quem librum appellatur „Speculator". Scripsit quoque: *Rationale divin. officiorum* ad liturgicam magis pertinens, *Speculum legatorum, Breviarium glossarum et textuum iuris canonici* aliaque opera iuridica. Guilelmum Durantis minime fuisse Ordinis Praedicatorum asserit, sed non probat Denifle (Chart. Univ. Paris. II 112, not. 26).

Duval, Andr., Gallus (1564—1658). Acerrimus impugnator Gallicanorum, Simonis Vigorii (contra quem scripsit: *De suprema Rom. Pont. in Ecclesia potestate*, Par. 1613, et *Tractatus de Summi Pontificis auctoritate*, ib. 1622) et Edm. Richerii (contra quem: *Libelli de eccles. et politica potestate, elenchus pro suprema Rom. Pont. in Eccl. potestate*, ib. 1612).

E.

Eichmann, Ed., Germanus, complura scripsit erudite et solide, e. gr. *Kirche und Staat* (Paderb. 1912 sqq.). *Das Strafrecht und Prozeßrecht* des Codex iur. can. (Paderb. 1919 et 1921). *Lehrbuch d. kath. Kirchenrechtes* (ed. 2, Paderb. 1926). Eo auspice eduntur: *Quellensammlung zur kirchl. Rechtsgeschichte und zum Kirchenrecht.*

Elinga, Franc. (Ianssens), O. Pr. († 1705), prior provincialis. Scripsit complura de auctoritate et infallibilitate Summi Pontificis (Brugis 1689—1701). Cum additionibus etiam de novo edidit *Summam Conciliorum* a Carranza collectam (Lovanii 1668).

Engel, Ludov., O. S. B., ex Austria inferiore oriundus († 1674); vir maximi ingenii atque virtutis religiosae, doctor utriusque iuris. Opus principale fuit *Manuale parochorum* (Salisburgi 1661), suo tempore magnae utilitatis posteaque saepissime editum. Illius sunt quoque *Collegium universi iuris can.* (ib. 1671; opus valde laudatum), *Forum competens* (ib. 1663), *Privilegia monasteriorum* (ib. 1664).

Epo, Boetius, ex Frisia oriundus (1529—1599), doctor utriusque iuris, in universitate Duacensi prof. iuris. Reliquit *Antiquitatum ecclesiast. syntagma* (Duaci 1578), *Heroicarum et ecclesiasticarum quaestionum libri 6* (ib. 1588).

Ernst, Anselmus Franc. († 1755), scripsit 43 dissertationes de variis quaestionibus iuridicis, inter quas: *De iure domuum religiosarum* (Moguntiae 1724) et *De iure praelatorum saecularium et regularium* (ib. 1732).

Espen, Zegerus Bernh. van, Belga (1646—1728), prof. iuris can. in collegio Hadriani VI Lovanii. Scripsit magna eruditione plura opera iuridica, inter quae eminet eius *Ius ecclesiasticum universum* (Lovanii 1700 et saepius); sed Iansenismo fuit addictus et Summo Pontifici infensus. Eius opera omnia pluries in Indicem librorum prohibitorum relata sunt a S. Officio (ultimo 1734).

F.

Fagnanus, Prosper, Italus (1587 [1598?]—1678). Praeclarissimus canonista, sed rigidarum sententiarum assecla; anno aetatis 44 lumina amisit, sed nihilominus adhuc per 28 annos maxime laboravit in Rom. Congregationum negotiis, et iussu Alexandri VII dictavit *Ius canon. seu commentaria absolutissima in Decretalium libros* (Romae 1661, Colon. 1681 et saepius), opus doctum et practicum et adhuc magnae utilitatis.

Fahrner, Ign., vicarius generalis Argentoratensis, scripsit: *Geschichte des Unauflöslichkeitsprinzips u. d. vollkommenen Scheidung der Ehe* (Frib. Brisg. 1903), opus valde bonum sed nondum perfectum, item nonnullos alios tractatus.

Fanfani, Lud., O. Pr., Italus. Scripsit: *De indulgentiis, De iure religiosorum ad normam Codicis iur. can.*, opera concinne exarata.

Faventinus, Ioan., episc. Faventinus († 1190); scripsit principalem Summam Decreti et Glossam.

Febronius vide Hontheim.

Feije, Henr. Ioan. († 1894), optimus canonista. Notissimum est opus eius: *De impedimentis et dispensationibus matrimonii* (ed. 4, Lovanii 1893); plures alias dissertationes de iure can. scripsit.

Fermosini, Nic. Rodríguez, Hispanus († 1669), episc. Asturicensis. Scripsit tractatus permultos de quaestionibus iuris canonici, civilis atque criminalis. Omnia eius opera prodierunt Lugd. 1656—1670, sed in meliorem ordinem digesta Colon. Allobrogum 1741, 14 vol. in fol. Bene, sed nimis diffuse tractat praesertim de iudiciis ecclesiasticis. Cf. Hurter, Nomenclator II 245.

Fernández-Concha, Raphael, notus ex opere: *Derecho público ecles.* (Santiago de Chile 1872).

Ferrari, Aloys., praepositus generalis Clericorum Regul. S. Pauli (Barnabitarum); scripsit: *De statu relig. comment. ad usum praesertim Cleric. Reg. S. Pauli* (ed. 2, Romae 1899).

Ferrari, Ios. († 1874), prof. iuris can. Genuae. Edidit: *Summa institutionum canonicarum* (Genuae 1847), opus concinnum et practicum, iam in ed. 6 emendatum iuxta nova decreta; exposuit: *Theoria et praxis regiminis dioecesani, praesertim sede vacante* (Par. 1876).

Ferraris, Lucius, O. F. M., Italus († c. 1670). Concinnavit: *Prompta Bibliotheca canonica, iuridica, moralis, theologica necnon ascetica, polemica, rubricistica, historica*, opus notissimum et saepius prelo commissum.

Ferreres, Ioannes, S. J., Hispanus, auctor optime meritus cum de Theologia morali et pastorali tum de iure canonico. Clare atque erudite scripsit complura opera de iure canonico, e. gr. *Institutiones canonicae* (2 vol., Barcinonae 1918); idem opus auctum translatum est in idioma hispanicum; *Las Religiosas según la disciplina vigente; La Curia Romana según la novísima disciplina etc.*

Feßler, Ios., Tirolensis (1813—1872), prof. historiae eccles. et iuris can., episc. auxiliaris Brixinensis, deinde episc. S. Hippolyti (St. Pölten). Fuit institutus a Piò IX secretarius Conc. Vaticani. Praeter celebrem librum *Institutiones Patrologiae* (2 vol., Oeniponte 1851), opus classicum de SS. Patribus, edidit etiam plures alios lingua germanica scriptos, scil.: *Über die Provinzialkonzilien und Diözesansynoden* (Oenip. 1849), *Der Kirchenbann und seine Folgen* (Vienna 1860), *Das letzte und nächste allgemeine Konzil* (Frib. Brisg. 1869), *Sammlung vermischter Schriften über Kirchenrecht* (ib. 1869), etiam *Das kirchliche Bücherverbot* (Viennae 1859), *Die wahre und die falsche Unfehlbarkeit der Päpste, zur Abwehr gegen Dr. Schulte* (ib. 1871), *Das Vatikanische Konzil, dessen äußere Bedeutung und innerer Verlauf* (ib. 1871), et *Der kanonische Prozeß* (ib. 1860), opus maioris momenti.

Flamesburiensis, Robertus, scripsit ineunte saeculo XIII suum *Poenitentiale.* Cf. Schulte I 209.

Fleury, Claudius († 1723): *Institutiones iuris can.*, in Indicem sunt relatae.

Fliscus, Sinibaldus (Innocentius IV). Ut homo privatus publicavit (c. 1245) *Apparatus (Commentaria) in 5 libros Decretalium Gregorii IX,* opus valde bonum et pluries typis impressum (e. gr. Lugduni 1525, Venetiis 1570). Scitu digna est eius sententia de dispensabilitate votorum sollemnium et explicatio in c. 6 X 3, 35.

Fontana, Vinc., O. Pr., († 1676): *Constitutiones, declarationes et ordinationes Capitulorum Generalium S. Ord. Fr. Praed.* (Romae 1862, iterum editae).

Fourrier, Paul, Gallus, valde erudite scripsit de diversis antiquis collectionibus iuris.

Franciscus de Pavinis, Italus († c. 1484). Ius can. docuit Patavii, ubi canonicatum est adeptus. Scripsit *Explicationes in regulas Cancellariae Apost.* et *Tractatus de visitatione episcoporum, De officio et potestate Capituli sede vacante, De decimis* et *De caritativo subsidio.* Sed praeclarus est, quod decisiones Rotae collegerit.

Fredoli (de Frédol) vel „Stadellus", Berengarius († 1323), episc. Biterrensis, cardinalis. Scripsit: *Elucidarium summae Hostiensis* (Basileae 1573), *Inventarium (seu Repertorium) ad Speculum Durantis* (Romae 1474). Illius ope et scriptis usus est Bonifatius VIII ad componendum librum sextum Decretalium.

Freisen, Ios., prof. Paderbornae. Scripsit opus valde eruditum: *Geschichte des kanonischen Eherechts* (1888 et 1893), etiam alia opera praesertim ad historiam iuris pertinentia edidit.

Frey, Franc. Andr., Bavarus (1763—1829). Acerrimus impugnator principiorum Iosephinismi et Wessenbergii, contra quae plura opera protulit, e. gr.: *Kritischer Kommentar über das Kirchenrecht* (3 vol., 1812—1820).

Fuente, Vinc. **de la,** vide Salazar.

Fulgentius Ferrandus, Africanus († c. 546), Carthagin. Ecclesiae diaconus. Fecit collectionem canonum sub titulo *Breviatio canonum.*

Fuscarariis, Aegidius **de,** Italus († 1289); fuit primus laicus, qui docuit ius can. Bononiae. Scripsit: *De ordine iudiciario, Lectura in Decretales, Quaestiones et Consilia.*

G.

Galante, A., *Fontes iuris canonici selecti* (Oeniponte 1906).

Galensis (Wallensis, iuxta alios Volaterranus), Ioan.; de eius vita nihil certi est notum. Fecit compilationem Decretalium (inter a. 1210 et 1215), quae dicta est compilatio secunda.

Gallandi, Andreas, Oratorii presbyter († 1779). Edidit: *De vetustis canonum collectionibus dissertationum sylloge* (Venetiis 1778, fol.), opus valde utile.

Gambarus, Petrus Andr., Italus (1480—1528); episc. electus Faventinus. Mentione digna sunt tria opera: *Comment. in Extravag. Iulii II de electione simoniaca Rom. Pont.* (Romae 1528), *Tractatus de beneficiorum permutatione* et *De officiis et auctoritate legati a latere* (Venetiis 1585).

García, Nic. Abulensis († c. 1613), canonicus et prof. iuris canonici. Scripsit doctissimum tractatum *De beneficiis ecclesiast.* (Caesaraugustae 1609).

Gasparri, Petrus, card.; scripsit: *Tractatus canonici de matrimonio* (2 vol., ed. 3, Par. 1904), *Tract. de S. Ordinatione* (2 vol., ib. 1894), *Tract. canonicus de SS. Eucharistia* (2 vol., ib. 1897), opera valde bona et solida.

Gatticus, Ioan. Bapt., canonicus regularis Lateran. († 1754). Edidit opus valde bonum: *De oratoriis domesticis et usu altaris portatilis* (ed. 2 aucta prodiit cura Assemani 1770 in fol.).

Geminiano, Dominicus **de,** S., vicarius episc. Mutinensis, adfuit Pisanae Synodo 1409, Bononiae prof. iuris et auditor Camerae Romae. Fecit *Comment. in libros Decretalium, Comment. in Sextum* aliosque commentarios.

Gennari, Casimirus, card., Italus, scripsit: *Consultazioni morali, canoniche, liturgiche* (2 vol., Romae 1902), *Sulla privazione del beneficio ecclesiastico* (1 vol.), opera valde utilia pro praxi.

Gerbert, Martinus, Abbas, O. S. B., Germanus (1720—1793). Celeber bibliothecarius et magnus fautor studiorum. Scripsit libros permultos de theologia dogmatica, morali, ascetica, mystica, exegetica, symbolica et de aliis materiis. Notissimus autem est propter scripta de historia et sacra musica. In iure canonico inter alia publicavit: *Principia theol. canonicae quoad exteriorem Ecclesiae formam et gubernationem* (Mon. S. Blasii 1758), *De communione potestatis eccles. inter summos Ecclesiae principes, Pontifices et episcopos* (ib. 1760), *De legitima potestate ecclesiastica de iure circa sacra et profana* (ib. 1761).

Gerlach, Herm., Germanus († 1886), canonicus Limburgensis, scripsit: *Lehrbuch des kathol. Kirchenrechts* (ed. 4 Paderb. 1885), opus valde utile, nitide scriptum.

Gibalinus, Iosephus, S. J., Gallus (1592—1671); vir tam doctus quam pius et zelo animarum praeclarus. Scripsit complures libros de iure can., ex quibus mentione sunt digni: *Scientia canonica et hieropolitica* (Lugd. 1670), *Disquisitiones canonicae de clausura regularium* (ib. 1648), *De irregularitate can. sacrorum ordinum* etc. (ib. 1652), *Disquisitiones can. et theol. de s. iurisdictione in ferendis poenis et censuris eccl.* (ib. 1655) etc.

Gibert, Ioan. Petrus, Gallus (1660—1736); vir insignis cum pietate tum eruditione; doctor utriusque iuris, prof. iur. can. Parisiis. Praecipuum illius opus fuit *Corpus iuris can. per regulas naturali ordine digestas.* Scripsit gallice librum suo tempore celebrem: *Institutions ecclésiastiques* (Par. 1720) et plures alios minoris momenti.

Gilbertus, natione Anglus, confecit collectionem Decretalium complurium Paparum usque ad Innocentium III ineunte saeculo XIII. Probabiliter Bononiae in Ordinem Praedicatorum intravit (cf. supra Alanus).

Giobbio, Adolphus, scripsit de Concordatis in Gallia (1 vol. in 8⁰), *Lezioni di diplomazia ecclesiast.* (4 vol. in 8⁰, 1896).

Giovine, Petrus, episc., Italus, scripsit: *Consultationes can. de dispensationibus matrimonii* (2 vol. in 8⁰, 1866).

Giraldi, clericus regularis Scholarum Piarum († 1775), aliquos tractatus Barbosae sicuti etiam C. A. Thesauri Tractatum de poenis ecclesiasticis de novo edidit cum additamentis. Notum autem et utile est praesertim eius opus: *Expositio iuris pontif.* (2 vol. in fol., Romae 1769; nova ed., 4 vol. in fol., ib. 1829).

Goffredus de Trano, Italus († 1245), card.; docuit cum laude ius can. Bononiae. Scripsit Glossas in Decretales Gregorii IX et *Summam super rubricis Decretalium* (Basileae 1487), opus, quod saepe editum est.

Göller, Aemilius, Germanus, complura opera eruditionis plena edidit praesertim ad historiam iuris pertinentia, e. gr. *Die päpstl. Pönitentiarie von ihrem Ursprung bis zu ihrer Umgestaltung unter Pius V.* (1907/1908). Scripsit quoque *Das Eherecht im neuen kirchl. Gesetzbuch* (1918).

Gómez, Ludovicus, Hispanus († 1553), episc. Sarnensis, auditor Rotae Romanae; Patavii ius can. docuit. Fecit *Collectionem decisionum Rotae* (Paris. 1546) scripsitque *Comment. in (13) Regulas Cancellariae Apost.* (ib. 1545), *De reservationibus papalibus et legatorum* (Romae 1539).

González, Emmanuel Téllez, vide Téllez.

Grandclaude, Eugenius, Gallus († 1883). Edidit *Ius canonicum iuxta ordinem Decretalium recentioribus Sedis Apost. decretis et rectae rationi in omnibus consonum* (3 vol. in 8⁰, Par. 1882).

Gratia Aretinus, Italus (saec. XIII). Fecit glossam in secundam compilationem; probabiliter auctor est cuiusdam libri *De iudiciorum ordine.* Cf. Schulte I 197.

Gratianus, card. († 1197); scripsit glossas in Decretum olim multum usitatas. Cf. Schulte I 146.

Gratianus, O. S. B. vel Camaldulensis, Italus; Bononiae magister theologiae. Fecit ipse pro iure can. idem fere, quod Petrus Lombardus, „Magister Sententiarum" (iuxta aliquos scriptores: eius frater), pro theologia scholastica, Eusebius pro historia ecclesiastica et S. Hieronymus pro S. Scripturae disciplina

fecerunt, ita ut communiter habeatur „Pater iuris canonici". Vix aliquid de eius vita constat. Probabiliter prodiit Decretum 1150. Mortuus est ante 1179. Magnum illius opus inscriptum est *Concordia discordantium canonum*, sed iam diu vocatur *Decretum* Gratiani. Origines suas hausit ex collectionibus praeexsistentibus secundum methodum ab Algero adhibitam. Etsi maximae auctoritatis, attamen ut opus hominis privati numquam factus est codex legalis.

Gregorius, card., c. 1110 produxit collectionem, cui titulus *Polycarpus*, in 8 libros divisam secundum ordinem systematicum.

Gregorius Tolosanus (Pierre Grégoire, 1540—1597) scripsit: *Iuris can. seu pontificii partitiones* etc. (Lugd. 1594), *Paratitla iuris can.*, *De beneficiis eccle-siast.* aliaque plura opera minoris momenti. Cf. Kirchenlexikon V 1178.

Grueber, Rup., canonicus regularis; scripsit: *De privilegiis religiosorum*, opus posthumum cum additionibus Eusebii Amort. (Aug. Vindel. 1748), opus solidum et clarum.

H.

Hallaeus (Halley), Petrus, Gallus (1611—1689). Docuit litteras humaniores cum maximo plausu posteaque ius canonicum. Reliquit opus nitidum et eruditum: *Institutiones canonicae* (Par. 1685), dissertationem *De censuris eccles.* (ib. 1659) aliaque opera parva.

Hallier, Franc., Gallus (1595—1659), episc. Cabellicensis; magnus Iansenistarum inimicus. Notissimus ex opere: *De sacris electionibus et ordinationibus ex antiquo et novo Ecclesiae iure* (Par. 1636). Ex illo etiam prodierunt: *De hierarchia ecclesiast. libri 4* (ib. 1646) et *Collectio ordinationum universi cleri gallicani circa regulares conditarum*, opus, quod edidit Gerbais (ib. 1665, in 4º).

Haring, I., Austriacus, prof. in Univ. Graecensi, scripsit: *Grundzüge des kath. Kirchenrechtes* (ed. 3 1924), opus solidum, aliaque complura ad ius can. pertinentia.

Heimbucher, Max., Germanus, scripsit: *Die Orden und Kongregationen der kath. Kirche* (ed. 2, 3 vol., Paderb. 1907 sq.), opus valde utile pro historia diversorum Ordinum et Congregationum religiosarum.

Heiner, Franc., Germanus, prof. iuris can. Friburgi Brisgoviae, auditor Rotae Romanae; † 1919. Scripsit germanice: *Die kirchlichen Zensuren* (Paderb. 1884), *Grundriß des kath. Eherechts* (ib. 1889), *Kath. Kirchenrecht* (2 vol., ib. 1895), complura alia de iure canonico.

Helyot, Petrus (Hippolytus), Gallus († 1716); scripsit bonum opus: *Histoire des ordres monastiques religieux et militaires* etc. Opus fuit continuatum a Bullot et Philipon (8 vol., Par. 1838).

Henricus de Segusio († 1271), card. et episc. Ostiensis. Celeberrimus canonista, utriusque iuris doctor. Elucubravit: *Lectura in Decretales Gregorii IX* (Argentinae 1512), *Summa super titulis Decretalium* (Romae 1470, opus optimum et saepe editum), *Lectura in Decretales Innocentii IV.* Vocabatur „pater canonum", „monarcha iuris", „fons iuris" et „utriusque iuris doctor" et ordinarie citatur: Hostiensis.

Hergenröther, Iosephus, Bavarus, ex Wirceburgo (1824—1890), cardinalis. Vir in historia eccles. et theologia doctissimus et iuris can. etiam peritus, erat quoque tenacissimae memoriae, magni ingenii, pietatis singularis. Praecipuum eius opus, quod ad ius can. spectat, est *Katholische Kirche und christlicher Staat* etc. (Friburgi Brisg. 1872).

Hergenröther, Philippus (frater Ios. card. Hergenröther, † 1890), concinnavit: *Lehrbuch des kath. Kirchenrechts* (Frib. Brisg. 1888), *Die Apellationen nach dem Dekretalenrechte* (Eystett. 1875), *Der Gehorsam gegen die weltliche Obrigkeit* etc. (ib. 1877), *Die Sonntagsheiligung* etc. (Wirceb. 1878).

Hilling, Nic., Germanus, complura valde erudite scripsit, praesertim ad historiam iuris pertinentia. Eo auspice editur periodicum: *Archiv für kath. Kirchenrecht.*

Hinschius, Paulus (1835—1898), prof. Berolini; protestanticae religionis, inter modernos doctores protestanticos iuris canonici facile princeps. Ingenti labore et eruditione scripsit: *Das Kirchenrecht der Katholiken und Protestanten in Deutschland* (6 vol., Berol. 1869—1897). De novo edidit Decretales Pseudo-Isidori (Lips. 1863). Plura alia scripsit de iure canonico.

Hollweck, Iosephus, prof. Eystett, scripsit: *Die kirchlichen Strafgesetze* (Mogunt. 1899), *Das kirchliche Bücherverbot* (1897) aliaque opera valde solida et erudita.

Holste, Lucas, Hamburgensis († 1661); ad religionem catholicam conversus multa scripsit. Ad ius can. pertinet opus, cui titulus: *Codex regularum monasticarum et canonicarum, collectus olim a S. Benedicto Anianensi.* Hunc librum valde utilem Brockie iterum edidit et auxit Augustae Vindel. 1759, 6 vol. in fol.

Hontheim, Ioan. Nic. (1701—1790), episc. suffraganeus Trevirensis. Scripsit sub nomine Iustini Febronii: *De statu Ecclesiae et legitima potestate Romani Pontificis liber singularis* etc. (1763). Iste liber pluries editus et correctus est, sed etiam pluries strenue refutatus et in Indicem redactus est. Auctor retractationem misit Romam 15 nov. 1778.

Hugguccio, Pisanus († 1210), episc. Ferrariensis. Principalis glossator Decreti. Publicavit: *Summa in Decretum*, copiosum commentarium, sed numquam finitum.

I.

Iacobatius, Dominicus, Romanus († 1528); advocatus consistorialis et auditor Rotae; episc. Lucerinensis, card. et vicarius Leonis X. Vir optimi ingenii et acerrimi iudicii. Celeberrimus ex opere comprehensivo et classico *De concilio* (Romae 1538).

Iansen, Ios., Obl. M. I., scripsit: *Ordensrecht* (ed. 2 Paderb. 1920). Est opus breve quidem, sed accurate et concinne exaratum.

Ianssens, Franc., O. Pr., vide Elinga.

Iasinski, Camillus, O. Pr. († 1644), scripsit: *Directorium electionum praelatorum ac aliorum officiorum in Ord. Praed. peragendorum* (Cracoviae et Brixiae 1654), *Summarium ordinationum Capitulorum generalium Ord. Praed. a capitulo 1220 usque ad capitulum 1647 celebratorum* (eodem loco et anno).

Imola vide Ioannes ab Imola.

Ioannes Anconitanus vide Augustinus Triumphus.

Ioannes Andreae vide Andreae.

Ioannes de Deo, ex Lusitania oriundus († 1253); prof. iuris can. Bononiae. Plurima scripta reliquit, sed pauca sunt typis impressa, inter quae enumerantur: *Liber pastoralis, Liber dispensationum, Summa super certis casibus Decretalium, Liber iudicum, Notabilia, Liber distinctionum, Comment. super novellis decretalibus* (i. e. Innocentii IV), *Liber quaestionum, Cavillationes, Continuationes* etc., *Complementum Huguccionis.*

Ioannes Faventinus vide Faventinus.

Ioannes Hispanus c. 1186 dicitur Summam fecisse, in qua recentiorum decretalium rationem habuit.

Ioannes Ieiunator († 595), episc. Constantinopolitanus; vir maximae pietatis, qui edidit librum *Poenitentiale.*

Ioannes ab Imola († 1436), Bononiae doctor utriusque iuris. Eius scripta sunt: *Tractatus de appellationibus, Comment.* (incompletus) *in Decretales Gregorii IX, Comment. in Sextum* et *in Clementinas, Consilia* et *Repetitiones.*

Ioannes Scholasticus († 577). Adornavit collectionem canonum apostolicorum et multorum conciliorum titulo *Syntagma canonum* inscriptam (cf. q. 37).

Ioannes Teutonicus (Semeca vel Hemeke), Germanus. Notissimus ex celebri opere *Apparatus in Decretum*, qui paulatim ut Glossa ordinaria fuit receptus. — Plures scriptores sub nomine Ioannis Teutonici inveniuntur saeculo XIII, unde de illorum vita exsistit magna incertitudo et confusio. Duos ex illis ad Ordinem Praedicatorum pertinuisse certum est. Num autem etiam iste Ioannes Semeca

fuerit Dominicanus, valde dubium est. Cf. Quétif et Échard, Scriptores Ord. Praed. I 523, et Schulte II 173.

Ioannes de Turrecremata O. Pr. vide Turrecremata.

Isidorus vel potius **Pseudo-Isidorus.** Auctor ignotus cuiusdam celebris collectionis, sed spuriae, ut hodie constat. Se vocat „Isidorus Mercator" sive „Peccator". Collectio ista originem duxit in Gallia c. 853 et tamquam authentica habebatur, usquedum Ioan. Torquemada O. Pr. († 1468) et Nic. Cusanus († 1464) imposturam detexerunt.

Ivo, S., Gallus (c. 1040—1116), episc. Carnutensis. Sub Lanfranco studuit cum S. Anselmo in celebri monasterio Beccensi. Praeclarissimus canonista, magnae eruditionis ac pietatis. Lucerna occidentalis orbis, inquit Baronius, decus, ornamentum ac fulgor gallicanae ecclesiae. Praecipua illius opera: *Panormia* in 8 partes distributa, collectio canonum maximae auctoritatis ante Decretum Gratiani; *Decretum Ivonis,* opus uberius, in 17 partes distributum; 292 *Epistolae,* 24 *Sermones,* quorum mentione speciali dignus est ille *De convenientia veteris et novi sacrificii.* Cf. Fournier, Les collections canoniques attribuées à Yves de Chartres.

K.

Knecht, Aug., Germanus; scripsit praeter opera ad historiam iuris pertinentia *Die neuen eherechtl. Dekrete Ne temere und Provida, Grundriß des Eherechts* (Frib. Brisg. 1918)

Kober, Franc. Quirinus, prof. Tubingensis († 1897); scripsit: *Kirchenbann* (ed. 2, 1863), *Suspension* (1862), *Deposition und Degradation* (1867), opera utilia et bona.

König, Robertus, O. S. B., Austriacus († 1713), doctor utriusque iuris, rector universitatis Salisburgensis. Praeclarus ex opere concinno et solido: *Principia iuris can. ad 5 libros Decretalium redacta* (Salisb. 1691 ad 1697).

Krimer, Ferdinandus, S. J. (1703), scripsit: *Quaestiones canon. in 5 libros Decretalium* (Augustae Vindel. 1706), opus nimis prolixum, sed satis clarum.

Kugler, Ioan., S. J., Bohemus († 1721); scripsit: *Tractatus theologico-canonici de matrimonio* etc. (Norimbergae 1713).

Kutschker, Ioan. Rud., Germanus († 1881), archiep. Vindobonensis et cardinalis. Germanice scripsit: *Das Eherecht der kath. Kirche nach seiner Theorie und Praxis* (5 vol., Vindob. 1856), *Die gemischten Ehen von dem katholisch-kirchlichen Standpunkt aus betrachtet* (ib. 1838, ed. 3 ib. 1842).

L.

Labbé, Phil., S. J. († 1667), celeberrimus propter suam collectionem Conciliorum, quae finita fuit a Gabr. Cossartio.

Laborans, Italus († c. 1189), card.; voluit Decretum Gratiani in meliorem ordinem redigere. Eius opus vocatur *Codex compilationis.* Partim editum est cum disquisitione Theineri a Migne, P. l. 204, 870 sqq.

Lainez, Iacobus, praepositus generalis secundus S. J. (1565). Ab illo sunt *Disputationes Tridentinae,* inter quas eminet prolixa disputatio *De origine iurisdictionis episcoporum.*

Lambertini, Prosper, vide Benedictus XIV.

Lämmer, Hugo, scripsit: *Institutionen des kath. Kirchenrechts* (Frib. Brisg. 1886, ed. 2 ib. 1892), *Zur Kodifikation des kanonischen Rechts* (ib. 1899).

Lampert, Ulr., Helvetius, vir laicus; complura scripsit solide et erudite, praesertim ad ius eccl. Helvetiae spectantia, e. gr. *Die kirchl. Stiftungen, Anstalten und Körperschaften nach schweizerischem Recht* (1912).

Lancelottus, Ioan. Paulus, Perusinus (1522—1590). Celeberrimus canonista, iuris prof. Perusiae. *Institutiones iuris can.* ad modum Iustiniani institutionum scripsit hortatu Pauli IV, opus, quod saepissime editum est. Item publicavit: *Comment. institutionum iuris can., De comparatione iuris pontificii ac caesarei* (Lugd. 1584), *Regularum ex universo pontificio iure libri 3* (Perus. 1587); fecit bonum *Indicem rerum Corporis iuris can.,* sub auspiciis Gregorii XIII editum (Romae 1580).

Lanfrancus, Cremonensis (iuxta Schulte I 198: Cremensis), primus ius utrumque docuit Bononiae († 1229). Auctor fuit multarum glossarum in tres primas Decretalium compilationes.

Launoy, Ioan., Gallus († 1678); multa scripsit, sed fuit Gallicanismo valde addictus et hypercriticus. Omnia fere eius opera in Indicem relata sunt.

Laurentius, Ios., S. J., Germanus; composuit *Institutiones iuris eccles.* in usum scholarum (ed. 3 Frib. 1914).

Laurentius, Hispanus (saec. XIII), Bononiae fuit magister Tancredi. Collegit *Apparatum ad Decretum,* opus utile et magno usui posteris. Composuit etiam *Apparatum in compilationem primam.*

Laurin, Franc., praelatus et prof. Vindobonensis, scripsit: *Der Zölibat* (Wien 1880) et opus praeclarum et solidum: *Introductio in Corpus Iuris Can.* (Frib. Brisg. 1889).

Laymann, Paulus, S. J., Germanus (1574—1635); insignis theologus moralis et iuris can. peritus. Opera illius cum maxima perspicuitate, soliditate, prudentia ac concinnitate scripta sunt. Praeter eius magnum opus *Theologia moralis* auctor fuit multarum quaestionum canon., quae collectae atque redactae sunt sub titulo *Ius canonicum R. P. Laymann* (3 vol., Dilingae 1663).

Lega, Mich., Italus, decanus Rotae Romanae et postea cardinalis. Concinnavit opus optimum: *De iudiciis ecclesiasticis* (4 vol. in 8⁰) et *Compendium praelectionum de iudiciis eccles.* (2 vol.).

Leitner, Martinus, Germanus, edidit praeter Praelectiones a Fr. Santi factas complura opera, e. gr. *Lehrbuch des kath. Eherechtes* (2 ed. 1910), opus commendandum; *Handbuch des kath. Kirchenrechtes auf Grund des neuen Kodex* (Ratisb. 1919). Commentarius solidus.

Leuren, Petrus, S. J., Germanus († 1723); vir insignis laboris, magnae sanctitatis ac eruditionis. Inter alia publicavit: *Forum ecclesiast. de universo iure can.* (pluries editum, e. gr. Venet. 1729, 5 vol.), *Forum beneficiale* (2 vol., Coloniae 1704 et Aug. Vindel. 1757), etiam *Vicarius episcopalis* (Col. 1708).

Lezana, Ioan. Bapt. **de,** O. Carm., Hispanus († 1659); theologus et commentator optimus in I^am^ partem Summae S. Thomae. In iure can. composuit: *Summa quaestionum regularium* (5 vol., Romae 1634, Lugd. 1656), opus utile pro iure regularium.

Lignano, Ioan. de, Italus († 1383), laicus et matrimonio iunctus. Maximum habuit favorem apud Rom. Pont. Urbanum V, Gregorium XI, Urbanum VI quod contra Pseudo-Papam Clementem VII strenue pugnavit. Praeter *Consilia* et *Repetitiones* eminent quoque *Commentarius in Decretales Gregorii IX* et *Lectura super Clementinis.* Cf. Schulte II 257.

Linneborn, Ioan., Germanus, edidit *Grundriß des Eherechts* (Paderb. 1919).

Lombardi, C., publicavit *Iuris can. privati institutiones* (ed. 2, 3 vol. in 8⁰, Romae 1901).

Luca, Ioan. Bapt. **de,** card. (1614—1683); Italus, vir inter principes illius saeculi iurisconsultos enumerandus. Eius opera sunt magni momenti pro cognitione Curiae Romae eiusque praxi et collecta prodierunt hoc titulo: *Theatrum veritatis et iustitiae* . . . (pluries editum, e. gr. Lugduni 1697, 14 vol. in fol.). Alia huius auctoris opera videsis apud Hurter, Nomenclator IV 580.

Luca, P. Marianus **de,** S. J., composuit *Institutiones iuris eccles. publici,* quas iuxta methodum card. Tarquini tradebat in schola institut. canonic. in universitate Gregoriana (5 vol. in 8⁰), *Summa praelectionum in libros Decretalium, Comment. in l. 4* seu *De sponsalibus et matrimoniis, De iudiciis ecclesiast., civilibus.*

fuerit Dominicanus, valde dubium est. Cf. Quétif et Échard, Scriptores Ord. Praed. I 523, et Schulte II 173.

Ioannes de Turrecremata O. Pr. vide Turrecremata.

Isidorus vel potius **Pseudo-Isidorus.** Auctor ignotus cuiusdam celebris collectionis, sed spuriae, ut hodie constat. Se vocat „Isidorus Mercator" sive „Peccator". Collectio ista originem duxit in Gallia c. 853 et tamquam authentica habebatur, usquedum Ioan. Torquemada O. Pr. († 1468) et Nic. Cusanus († 1464) imposturam detexerunt.

Ivo, S., Gallus (c. 1040—1116), episc. Carnutensis. Sub Lanfranco studuit cum S. Anselmo in celebri monasterio Beccensi. Praeclarissimus canonista, magnae eruditionis ac pietatis. Lucerna occidentalis orbis, inquit Baronius, decus, ornamentum ac fulgor gallicanae ecclesiae. Praecipua illius opera: *Panormia* in 8 partes distributa, collectio canonum maximae auctoritatis ante Decretum Gratiani; *Decretum Ivonis,* opus uberius, in 17 partes distributum; 292 *Epistolae,* 24 *Sermones,* quorum mentione speciali dignus est ille *De convenientia veteris et novi sacrificii.* Cf. Fournier, Les collections canoniques attribuées à Yves de Chartres.

K.

Knecht, Aug., Germanus; scripsit praeter opera ad historiam iuris pertinentia *Die neuen eherechtl. Dekrete Ne temere und Provida, Grundriß des Eherechts* (Frib. Brisg. 1918)

Kober, Franc. Quirinus, prof. Tubingensis († 1897); scripsit: *Kirchenbann* (ed. 2, 1863), *Suspension* (1862), *Deposition und Degradation* (1867), opera utilia et bona.

König, Robertus, O. S. B., Austriacus († 1713), doctor utriusque iuris, rector universitatis Salisburgensis. Praeclarus ex opere concinno et solido: *Principia iuris can. ad 5 libros Decretalium redacta* (Salisb. 1691 ad 1697).

Krimer, Ferdinandus, S. J. (1703), scripsit: *Quaestiones canon. in 5 libros Decretalium* (Augustae Vindel. 1706), opus nimis prolixum, sed satis clarum.

Kugler, Ioan., S. J., Bohemus († 1721); scripsit: *Tractatus theologico-canonici de matrimonio* etc. (Norimbergae 1713).

Kutschker, Ioan. Rud., Germanus († 1881), archiep. Vindobonensis et cardinalis. Germanice scripsit: *Das Eherecht der kath. Kirche nach seiner Theorie und Praxis* (5 vol., Vindob. 1856), *Die gemischten Ehen von dem katholisch-kirchlichen Standpunkt aus betrachtet* (ib. 1838, ed. 3 ib. 1842).

L.

Labbé, Phil., S. J. († 1667), celeberrimus propter suam collectionem Conciliorum, quae finita fuit a Gabr. Cossartio.

Laborans, Italus († c. 1189), card.; voluit Decretum Gratiani in meliorem ordinem redigere. Eius opus vocatur *Codex compilationis.* Partim editum est cum disquisitione Theineri a Migne, P. l. 204, 870 sqq.

Lainez, Iacobus, praepositus generalis secundus S. J. (1565). Ab illo sunt *Disputationes Tridentinae,* inter quas eminet prolixa disputatio *De origine iurisdictionis episcoporum.*

Lambertini, Prosper, vide Benedictus XIV.

Lämmer, Hugo, scripsit: *Institutionen des kath. Kirchenrechts* (Frib. Brisg. 1886, ed. 2 ib. 1892), *Zur Kodifikation des kanonischen Rechts* (ib. 1899).

Lampert, Ulr., Helvetius, vir laicus; complura scripsit solide et erudite, praesertim ad ius eccl. Helvetiae spectantia, e. gr. *Die kirchl. Stiftungen, Anstalten und Körperschaften nach schweizerischem Recht* (1912).

Lancelottus, Ioan. Paulus, Perusinus (1522—1590). Celeberrimus canonista, iuris prof. Perusiae. *Institutiones iuris can.* ad modum Iustiniani institutionum scripsit hortatu Pauli IV, opus, quod saepissime editum est. Item publicavit: *Comment. institutionum iuris can., De comparatione iuris pontificii ac caesarei* (Lugd. 1584), *Regularum ex universo pontificio iure libri 3* (Perus. 1587); fecit bonum *Indicem rerum Corporis iuris can.,* sub auspiciis Gregorii XIII editum (Romae 1580).

Lanfrancus, Cremonensis (iuxta Schulte I 198: Cremensis), primus ius utrumque docuit Bononiae († 1229). Auctor fuit multarum glossarum in tres primas Decretalium compilationes.

Launoy, Ioan., Gallus († 1678); multa scripsit, sed fuit Gallicanismo valde addictus et hypercriticus. Omnia fere eius opera in Indicem relata sunt.

Laurentius, Ios., S. J., Germanus; composuit *Institutiones iuris eccles.* in usum scholarum (ed. 3 Frib. 1914).

Laurentius, Hispanus (saec. XIII), Bononiae fuit magister Tancredi. Collegit *Apparatum ad Decretum,* opus utile et magno usui posteris. Composuit etiam *Apparatum in compilationem primam.*

Laurin, Franc., praelatus et prof. Vindobonensis, scripsit: *Der Zölibat* (Wien 1880) et opus praeclarum et solidum: *Introductio in Corpus Iuris Can.* (Frib. Brisg. 1889).

Laymann, Paulus, S. J., Germanus (1574—1635); insignis theologus moralis et iuris can. peritus. Opera illius cum maxima perspicuitate, soliditate, prudentia ac concinnitate scripta sunt. Praeter eius magnum opus *Theologia moralis* auctor fuit multarum quaestionum canon., quae collectae atque redactae sunt sub titulo *Ius canonicum R. P. Laymann* (3 vol., Dilingae 1663).

Lega, Mich., Italus, decanus Rotae Romanae et postea cardinalis. Concinnavit opus optimum: *De iudiciis ecclesiasticis* (4 vol. in 8⁰) et *Compendium praelectionum de iudiciis eccles.* (2 vol.).

Leitner, Martinus, Germanus, edidit praeter Praelectiones a Fr. Santi factas complura opera, e. gr. *Lehrbuch des kath. Eherechtes* (2 ed. 1910), opus commendandum; *Handbuch des kath. Kirchenrechtes auf Grund des neuen Kodex* (Ratisb. 1919). Commentarius solidus.

Leuren, Petrus, S. J., Germanus († 1723); vir insignis laboris, magnae sanctitatis ac eruditionis. Inter alia publicavit: *Forum ecclesiast. de universo iure can.* (pluries editum, e. gr. Venet. 1729, 5 vol.), *Forum beneficiale* (2 vol., Coloniae 1704 et Aug. Vindel. 1757), etiam *Vicarius episcopalis* (Col. 1708).

Lezana, Ioan. Bapt. **de,** O. Carm., Hispanus († 1659); theologus et commentator optimus in I^am partem Summae S. Thomae. In iure can. composuit: *Summa quaestionum regularium* (5 vol., Romae 1634, Lugd. 1656), opus utile pro iure regularium.

Lignano, Ioan. de, Italus († 1383), laicus et matrimonio iunctus. Maximum habuit favorem apud Rom. Pont. Urbanum V, Gregorium XI, Urbanum VI quod contra Pseudo-Papam Clementem VII strenue pugnavit. Praeter *Consilia* et *Repetitiones* eminent quoque *Commentarius in Decretales Gregorii IX* et *Lectura super Clementinis.* Cf. Schulte II 257.

Linneborn, Ioan., Germanus, edidit *Grundriß des Eherechts* (Paderb. 1919).

Lombardi, C., publicavit *Iuris can. privati institutiones* (ed. 2, 3 vol. in 8⁰, Romae 1901).

Luca, Ioan. Bapt. **de,** card. (1614—1683); Italus, vir inter principes illius saeculi iurisconsultos enumerandus. Eius opera sunt magni momenti pro cognitione Curiae Romae eiusque praxi et collecta prodierunt hoc titulo: *Theatrum veritatis et iustitiae* ... (pluries editum, e. gr. Lugduni 1697, 14 vol. in fol.). Alia huius auctoris opera videsis apud Hurter, Nomenclator IV 580.

Luca, P. Marianus **de,** S. J., composuit *Institutiones iuris eccles. publici,* quas iuxta methodum card. Tarquini tradebat in schola institut. canonic. in universitate Gregoriana (5 vol. in 8⁰), *Summa praelectionum in libros Decretalium, Comment. in l. 4* seu *De sponsalibus et matrimoniis, De iudiciis ecclesiast., civilibus.*

Lucidi, Aug. (saec. XVIII). Opus eius valde utile: *De visitatione sacr. Liminum, Instructio S. Congr. Concilii*, saepius editum est. Novam editionem curavit Schneider (Romae 1883).

Lupus, (de Wulf), Christ., O. S. Aug., ex Flandria oriundus (1612—1681), prof. Lovanii; vir insignis eruditionis et singularis pietatis. Praecipuum eius opus est: *Synodorum generalium et provincialium statuta et canones cum notis et historicis dissertationibus* (5 vol. in 4°, Lovanii 1665). Hoc opus complectitur 6 priores tom. ex 12 tom., qui constituunt *Opera collecta Lupi* (4 vol. in fol., Venetiis 1724—1729).

M.

Maaßen, Frid. (1823—1900), ab acatholicis parentibus natus, ad catholicismum conversus est a. 1851. Scripsit: *Geschichte der Quellen und der Literatur des kanonischen Rechts im Abendlande bis zum Ausgang des Mittelalters* (Graecii 1870), opus valde bonum. Multa alia praesertim ad historiam iuris pertinentia scripsit. Cf. Schulte III 427 sq.

Maillane, Durandus de, Gallus (1729—1814). Scripsit gallice: *Institutions du droit canonique* (Lyon 1770), *Dictionnaire canonique* (Avignon 1761). Cum Martineau composuit schema constitutionis civilis cleri. Scripta eius malis principiis Gallicanismi inficiuntur.

Maioretus, Ioan., Gallus († 1666), prof. iuris in universitate Tolosana. Notus ex opere: *Comment. in libros 4 Institutionum iuris can. Ioannis Pauli Lancelotti* (Tolosae 1676).

Makée, P. L., iuris can. doctor; scripsit: *Institutiones iuris eccles. tum publici tum privati ad usum Seminariorum* (ed. 5 iuxta moderna decreta emendata, Romae 1898) aliaque opera.

Mandagot, Guilelmus **de**, Gallus (floruit 1310), cardinalis. Scripsit: *Libellus super electione facienda et eius processibus ordinandis* (Par. 1506). Opera eius usus est Bonifatius VIII in compilatione l. 6 Decretalium.

Mansi, Ioan. Dominicus, clericus regularis Matris Dei, Italus (1692—1769), archiep. Lucensis, praeclarus historicus et theologus, qui zelo laboriosissimo et infatigabili laboravit. Praecipuum opus est *Nova et amplissima collectio SS. Conciliorum* (31 vol. in fol., Flor. et Venet. 1757—1798), quod tantum usque ad saec. XV typis mandatum est. Post obitum finitum fuit 1798 et nunc continuatum denuo editur Parisiis ab a. 1909, 43 vol. in fol. Plurima alia opera edidit et scripsit.

Many, S., presbyter S. Sulpitii, auditor Rotae Romanae; scripsit: *Praelectiones iuris can.*; iam plura volumina apparuerunt et sunt laude digna.

Marc-Huguenin, scripsit: *Expositio methodica iuris can.* (ed. 5, Par. 1892).

Marca, Petrus de (1594—1662), archiep. (designatus) Parisiensis. Scripsit notissimum opus *De concordia sacerdotii et imperii*, pluries editum et auctum a Baluzio et Boehmero, sed etiam pluries in Indicem librorum prohibitorum redactum propter Gallicanismi errores.

Maroto, Philippus, Hispanus, Congr. Miss. Filiorum Imm. Cordis B. M. V., scripsit: *Institutiones iuris canonici ad normam novi Codicis* (Madriti 1918; opus, cuius primum volumen secunda editione apparuit, valde commendandum).

Martinus de Troppau (Strepus) O. Pr., Polonus († 1278); Papae poenitentiarius et postea designatus archiep. Gnesnensis. Notissimus ex opere: *Index Decreti*, communiter *Margarita Martiniana* vocato et saepissime edito. Usque ad a. 1500 iam 19 editiones enumerantur a Stintzing, Gesch. der populären Lit. des röm.-kanon. Rechts in Deutschland 127. Celeberrimum est etiam Martini opus *Chronica de gestis summorum Pontificum et Imperatorum*, quod saepissime editum fuit. Quétif (Scriptores Ord. Praed. I 361 sqq.) cum magna eruditione solide probat fabulam Papissae Ioannae esse huic operi ingestam post obitum Martini.

Maschat, Remigius, ex Ord. Scholarum Piarum, Bohemus (1692—1747); vir theologus et iuris can. prof., in musica etiam versatus et virtute conspicuus. Publicavit: *Cursus iuris can.* (Znoymae 1735), quod sub novo titulo *Institutiones canonicae* iterum edidit Ubaldus Giraldi 1759 (Ferrariae 1760), opus concinne et solide scriptum.

Matthaeucci, Augustinus († 1722), O. S. F., Italus, scripsit: *Officialis curiae regularis* (Francof. 1711) et *Officialis curiae ecclesiasticae* (Venet. 1734).

Mayr, Cherubin., O. S. F., Germanus, composuit: *Trismegistus iuris Pontificii universi* (5 vol. in fol., Aug. Vindel. 1750).

Melata, scripsit: *De potestate, qua matrimonium regitur* et *De matrimoniali iure civili apud praecipuas nationes*.

Mercante, Franc., Italus (1770—1834); scripsit italice *Compendio di diritto canonico con illustrazioni storico-dogmatiche e dissertazioni* (Prato 1820; quater editum).

Milaš, Nicod., *Das Kirchenrecht der Morgenländischen Kirche* (Czernowitz 1897).

Miranda, Ludov., O. F. M. (saec. XVII), Hispanus; scripsit plura opera vere egregia pro iure regularium, e. gr. *Directorium seu manuale praelatorum regularium*, saepe recusum et auctum; bona editio facta est Coloniae 1617 in fol.

Mocchegiani, R. Petrus, O. F. M., scripsit: *Iurisprudentia ecclesiastica*, in 3 vol., ad usum et commoditatem cleri utriusque.

Molitor, Raphael, Abbas O. S. B., scripsit erudite: *Religiosi iuris capita selecta* (Ratisbonae 1909).

Monte, Petrus **de**, Italus († 1457); episc. Brixiensis; artium doctor et iuris peritissimus, composuit: *Repertorium iuris utriusque* (plures editiones, e. gr. Romae 1476, 2 vol. in fol.), opus copiosum; *De potestate Rom. Pont.* vel *De primatu* quoque scripsit.

Monte Lauduno (Montlezun), Guil. **de**, O. S. B. († 1343); prof. Tolosae. Plura reliquit opera: *Sacramentale, Interpretatio in Sextum* (ineditum), *Apparatus in Decretales* (Tolosae 1524), *Super Clementinas* (Paris. 1517), *Ad Extravagantes Ioannis XXII*, ex quo prodiit *Apparatus ad tres Extravagantes Ioannis XXII* (Romae 1745), postea receptum in editionem Constitutionum a Chappuis factam.

Monti, ex America Meridionali oriundus. Notus ex opere: *Elementos de derecho público eclesiástico* (Quito 1869).

Morinus, Ioan., Congr. Orat., Gallus (1591—1659). Ex Calvinismo conversus operam dedit archaeologiae maxima cum diligentia. Praeter plura opera archaeol. scripsit quoque: *Commentarius historicus de disciplina in administratione sacramenti poenitentiae* etc. (Par. 1651), *Comment. historico-dogmaticus de sacris Eccles. ordinationibus* etc. (ib. 1655).

Moy de Sons, Carolus Ernestus, ex Gallica familia natus Monachii 1799, † 1867; prof. iuris Wirceburgi et Monachii et postea Oeniponte. Inter alia scripsit: *Das Eherecht der Christen in der morgenländischen und abendländischen Kirche bis zur Zeit Karls d. Gr.* (Regiom. 1833). Est etiam fundator ephemeridis adhuc exsistentis: *Archiv für kath. Kirchenrecht.*

Muñiz, F., Hispanus, scripsit: *Procedimientos eclesiásticos*, 3 tom. (Sevillae 1921).

N.

Nacchiante (Naclantus), Iac., O. Pr. († 1569), theologus Tridentinus. Scripsit *De ecclesiastica hierarchia, de clandestinis matrimoniis* etc. Opera eius 2 vol. in fol. Venetiis 1567 et Lugduni 1656. Cf. Quétif et Échard, Scriptores Ord. Praed. II 202, et Schulte III 446.

Naso, Guilelmus (saec. XIII), scripsit: *Lectura super Decretalibus Gregorii IX.*

Nassalski, M., Polonus, scripsit: *Formularium legale practicum in usum parochorum, vicariorum, foraneorum necnon curiarum episcopalium* (ed. 2, 1 vol. in 8°, Wladislaviae 1905).

Navarrus vide Azpilcueta.

Nevo, Alex. **de**, Italus, Vicetia oriundus († c. 1479). Docuit ius can. Pataviae per 26 annos. Praeter *Consilia*, olim magnae auctoritatis, procuravit bonam editionem Decreti Gratiani (Venet. 1474) et publicavit *Comment. in libros Decretalium* (ib. 1473).

Nicollis, Laurent. Vigilius **de**, Tridentinus († 1745), consiliarius archiep. Moguntini et Salisburgensis et protonotarius apostolicus. Praeclarus ex opere practico: *Praxis canonica sive ius can. casibus explanatum* etc. (2 vol. in fol., Salisburgi 1729 et 1732). Hoc opus adhuc nostris diebus valde utile est pro practico usu.

Noval, Ios., O. Pr., Hispanus, inter alia scripsit *Commentarium cod. iur. can., Libri 4 de Processibus* (August. Taur. 1920), opus clarum et solidum.

Nuytz, Ioan. N., Italus (1856), prof. iuris can. in academia Taurinensi. Opera minoris momenti reliquit, quae damnata sunt: *Institutiones iuris can.* (opus valde miserum, ut ipse Schulte III 547 confitetur), *In ius ecclesiast. universum tractatus*. Sententiae plures Nuytz in Syllabo damnatae sunt.

O.

Ojetti, Bened., S. J., Italus, scripsit: *Synopsis rerum moralium et iuris pontificii* aliaque opera solida.

Omnibonus (Ognibene), Italus († 1185), episc. Veronensis, magister Bononiae, discipulus Gratiani et collega Rolandi. *Abbreviatio Decreti* ei tribuitur (c. 1156), numquam fuit typis impressa. Cf. Schulte I 119 sqq.

P.

Pallottini, Salvator, scripsit: *Pugna iuris pontificii* etc. (1 vol.), *Sacerdotium et imperium seu Ius publicum civile eccles.* (2 vol.). Privata auctoritate confecit etiam opus bonum et utile, cui est titulus: *Collectio omnium conclusionum et resolutionum ... Congr. Conc. ab a. 1564 ad a. 1860* (5 vol., Romae 1868).

Panormitanus vide Abbas Siculus.

Papiensis, Bern., Italus († 1213), episc. Faventinus et Papiensis. Celeberrimus canonista; studuit Bononiae sub Gandulpho, Huguccione et Ioanne Hispano et postea ibi docuit. Auctor fuit primae compilationis antiquae Extravagantium. Alia opera ex calamo illius sunt: *Summa de matrimonio, Summa de electione*, et opera maioris momenti: *Summa Decretalium* et *Casus Decretalium*. Aliquando nomen *Circa* illi additur. Cf. Schulte I 177. Summam Decretalium edidit Laspeyres (Ratisbonae 1861).

Papp-Szilagyi, Ios., edidit *Enchiridion iuris Ecclesiae orientalis catholicae*, Magno Varad. 1880 2° ed., opus bonum pro iure ecclesiae orientalis.

Parisius, Flaminius († 1603); prof. iuris can. Parisiis, episc. Bisuntinus. Scripsit: *De confidentia beneficiali prohibita* (Venet. 1598), duos tractatus *De resignatione beneficiorum* et *De residentia beneficiali* (Colon. Agripp. 1615).

Passerinus de Sextula, Petrus Maria, O. Pr., Italus (1594—1677), procurator generalis O. Pr. per 26 annos et Cathedrae Matutinae in Sapientia Rom. moderator per 22 annos. Fecit *Comment. in 1, 2 et 3 ll. Sexti Decretalium* (2 vol. in fol., Romae 1667—1670). Auctor fuit operis celeberrimi et adhuc valde utilis: *De electione canonica* (Romae 1661, in fol.); etiam *De hominum statibus et officiis inspectiones morales ad ultimas 7 quaestiones 2ae 2ae D. Thomae Aquinatis*, 3 vol.: 1. *De statu perfectionis episcopi et religiosorum et de bonis eccles.* (ib. 1663, in fol.). 2. *De privilegiis et facultatibus religiosorum* (ib. 1663). 3. *De religioso statu, novitiatu, professione, translatione, eiectione, privilegiis* etc. (ib. 1670). Item tractatus *De indulgentiis* (ib. 1682, in fol.), *Regulare tribunal.* Scripsit quoque alia opera theologica. Cf. Quétif et Échard, Scriptores Ord. Praed. II 674.

Paucapalea, discipulus Gratiani et magister iuris eccles. Bononiae. Scripsit *Summam* (c. 1144—1150) et publicavit Glossas et Comment. in Decretum Gratiani. Etiam in Decreto inseruit *Auctoritates*, quae *Paleae* appellatur; IIIam partem Decreti de Consecratione divisit in 5 distinctiones.

Pauwels, Ios., O. F. M., Belga, scripsit tractatum saepius editum et valde bonum: *De casibus reservatis* (Lovanii 1755).

Pecorelli, Raph., Italus († c. 1849), prof. iuris can. in seminario Neapolitano Notus ex opere solidae doctrinae cum nova commodaque disputandi methodo: *Iuris ecclesiastici, maxime privati, institutiones* (4 vol., Neap. 1842).

Pellizzarius, Franc., S. J., Italus (1596—1651), prof. theol. moralis. Edidit *Manuale regularium* (2 vol., Venet. 1647; in Indicem relatum), et tractatus *De monialibus* (Bononiae 1644, pariter in Indicem relatos). Hoc opus ultimum iterum edidit Franc. Montano S. J. (Romae 1755), et sic correctum approbatum est.

Pennacchi, Ios., prof. Seminarii Romani; scripsit ampla commentaria in Bullam „Apost. Sedis" (Romae 1883).

Perathoner, Ant., Austriacus, scripsit opus valde utile, cui titulus: *Das kirchliche Gesetzbuch*[4] (Brixen 1926).

Permaneder, Franc. Mich., Bavarus (1794—1862); prof. iuris can. et historiae eccles. in lyceo Frisingensi posteaque in universitate Monacensi. Praeter suam famosam *Bibliothecam patristicam* edidit: *Handbuch des gemeingültigen katholischen Kirchenrechts mit steter Rücksicht auf Deutschland* (2 vol., Landishuti 1846) et *Die kirchliche Baulast* (Monachii 1853).

Petavius, Dionys., S. J. († 1652), Gallus, celeberrimus vir. De iure can. pauca scripsit: *De episcoporum dignitate ac potestate, De ecclesiastica hierarchia.*

Petra, Vincent., Italus (1662—1747), card., secretarius S. Congr. Ep. et Reg. et S. Congr. Concilii. A Rom. Pont. Innocentio XII et Benedicto XIII multum aestimatus. Scripsit: *De S. Poenitentiaria Apost.* (Romae 1712) et praecipue *Comment. ad Rom. Pontificum Constitutiones* (ib. 1705), opera adhuc multum utilia.

Petronus de Senis, Italus († 1313), doctor iuris et Ecclesiae Rom. vicecancellarius et cardinalis. Illius opera usus est Bonifatius VIII ad compilationem libri Sexti Decretalium.

Petrus Hispanus (saec. XIII) glossavit Decretum et primam compilationem antiquam. Cf. tamen Schulte I 153.

Petrus de Sampsone, Gallus († c. 1270), Bononiae discipulus Iacobi de Albenga et postea ibidem docuit Abbatem antiquum. Scripsit: *Summa Decretalium, Distinctiones* et *Lectura in Decretales Innocentii IV.*

Peyrinus, Laur., O. S. Franc. de Paula (1648), Italus, cuius opera omnia prodierunt Venetiis 1648, 2 vol. in fol. Auctor magnae auctoritatis pro iure Regularium.

Phillips, Georgius, in civitate Regiomontana natus 1804 ex anglicis parentibus († 1872). Docuit ius civile in Berolinensi universitate et ad fidem cath. conversus ius can. Monachii, Oeniponte et in universitate Vindobonensi. Praeter opera in iure civili praecipua sunt: *Die Diözesansynode* (Frib. Brisg. 1849), *Kirchenrecht* (7 vol., Ratisb. 1845 sqq.), opus incompletum et a Vering continuatum, *Lehrbuch des Kirchenrechts* (ib. 1859 ad 1862, iam in ed. 3, ib. 1881; versio latina: *Compendium iuris eccles.* ib. 1875).

Piatus Montensis, O. Cap., Belga († 1904), edidit: *Praelectiones iuris regularis* (2 vol., ed. 3, Tornaci 1905), opus valde bonum, solidum et practicum. Pariter scripsit bona commentaria in Bullam „Apost. Sedis".

Pichler, Vitus, S. J., Bavarus (1680—1736); ius can. docuit Dilingae et Ingolstadii. Opera eius utilia sunt ac succincta: *Candidatus iurisprudentiae sacrae* (4 vol. in 8°, Ingolstad. 1716 sqq.), *Candidatus abbreviatus sacrae iurisprud.* (2 vol. in 8°, Aug. Vindel. 1733), *Summa iurisprud. sacrae universae* (ib. 1723, in fol.), *Ius can. practice explicatum* (Ingolstad. 1728, 1735, 1746 etc.); nova editio facta est cum annotationibus etc. a Fr. Zaccaria (Pisauri 1758), qui adiecit *Epitomen praenotionum canonicarum Doviatii.*

Pierantonelli, Pacificus, Italus, scripsit: *Ordo iudiciarius in praxim traductus matrimonii causarum speciminibus* (2 vol. in 8⁰, Romae 1883).

Pignatelli, Iac., Italus, scripsit: *Consultationes canonicae* (4 vol., Venet. 1716 ad 1722), opus utile et bonum.

Pirhing, Enricus (Ehrenreich), S. J., Germanus († 1679?). Plura reliquit opera de iure can., scil.: *Ius can. in 5 libros Decretalium distributum* (5 vol. in fol., Dilingae 1674—1678), opus eruditum et classicum, ordine systematico et perspicaci. Scripsit etiam: *De iure scripto et non scripto* (ib. 1644, in 8⁰), *De iurisdictione et potestate praelatorum et rectorum Ecclesiae episcopis inferiorum* (ib. 1663, in 8⁰), *De iurisd. et potest. iudicis ordinarii* (seu praelati ecclesiastici; ib. 1652, in 8⁰), *De iurisd., officio et potest. iudicis delegati* (ib. 1664, in 8⁰), *De rescriptis* (ib. 1665, in 8⁰), *De renuntiatione beneficiorum* (ib. 1667, in 8⁰). Cf. Hurter, Nomenclator II 250.

Pithou, Franc., Gallus († 1621), adiuvit fratrem suum Petrum in edendo *Corpore iuris canonici.*

Pithou, Petrus, Gallus (1558, † 1596); procuravit bonam editionem Corporis iuris can., sed magis notus est ex libro: *Les libertez de l'Église Gallicane rédigées en 83 articles* (Paris 1594), quo libertates Ecclesiae Gallicanae maxime propugnantur. In Indicem autem relatus est hic liber.

Pitonius, Franc. Mar., episc. Imeriae, Italus († 1729); edidit plura statuta ecclesiastica, e. gr. *Disceptationes ecclesiasticas;* item collectiones decretorum Romanarum Congregationum ad confessarios, ad matrimonium, ad s. ritus spectantium.

Planchet, Franc. Regis, Mexicanus, scripsit: *Procedimientos eclesiást. en causas criminales y disciplinares con arreglo a lo decretado en el Concilio Plenario Latino-Americano.* Opus valde utile pro istis regionibus.

Ponsius (Pons), Iosephus, S. J., Hispanus (1730—1816). Plura opera reliquit, e. gr.: *Ius can.,* de ratione discendi et docendi ius can. (2 vol., Fulginiae 1794), *De antiquitatibus iuris can.* etc. (Spoleti 1807, in 4⁰), *De vita et honestate clericorum,* ex canonibus et Corpore iuris can. sumptum (ib. 1800). *De materia et forma s. ordinationum et nominatim presbyteratus* (Bononiae 1775, in 4⁰).

Pseudo-Isidorus vide Isidorus.

Pyrrhus, Conradus, canonicus Neapol. († 1686); scripsit opera valde divulgata: *Praxis dispensationum apostolicarum* et *Praxis beneficiaria.*

Q.

Quesnel, Paschasius, Oratorii presbyter, Gallus (1634—1719), Iansenianus; edidit collectionem canonum in aliquo manuscripto inventam, quae vocatur propterea *Collectio Quesnelliana.*

Quintinus, Ioan., presbyter Ord. Hospitii S. Ioan., Gallus († 1561); prof. iuris in universitate Parisiensi, praesertim ex graecis fontibus traduxit in linguam latinam plura opera ad ius can. pertinentia, e. gr.: *Syntagma canonum graecorum a Matthaeo Blastareo, Synodus Gangrensis, Commentarii Ioan. Zonarae* etc.

R.

Raymundus de Peñaforte, S., O. Pr. (c. 1175—1275), poenitentiarius Papae, magister generalis Ord. Praed., compilavit iussu Gregorii IX 5 libros Decretalium, codicem legalem Ecclesiae usque ad novum Codicem. Praeterea primus omnium scripsit: *Summa de poenitentia et matrimonio,* quem librum commentariis illustrarunt plures, inter quos eminet Ioannes de Friburgo, quem postea plures sic dicti Summistae imitati sunt. Edidit *Constitutiones Ordinis Praed. ad meliorem formam redactas.* Plura alia scripta S. Raymundi memorant Quétif et Échard, Scriptores Ord. Praed. I 108 sqq., quae tamen non videntur esse typis impressa.

Rebuffi, Petrus, Gallus (1487—1557); vir doctus atque pius. Docuit ius can. in pluribus universitatibus Gallicis. Plurima opera reliquit: *Praxis beneficiorum* (Venetiis 1554 et saepius editum), *Tractatus nominationum* (Par. 1538 et saepius), *De pacificis possessoribus* (ib. 1538 et saepius), *Tractatus Concordatorum* (Par. 1538 et saepius), opus maioris momenti, etc.

Regino, abbas Prumiensis monasterii († 915), scripsit: *Libri duo de synodalibus causis et disciplinis ecclesiasticis* (ed. Wasserschleben, 1841; cf. tamen Migne, P. l. 132).

Reiffenstuel, Anacletus, O. S. F., Germanus (1641—1703); vir doctissimus, humillimus, iuris can. consultissimus, prof. theologiae moralis et philosophiae, ius can. docuit Frisingae. Praeter eius celebrem librum *Theologia moralis* composuit opus notissimum: *Ius canonicum universum* (Frisingae 1700), quod paucis annis quindecies editum est et in magno pretio a canonistis semper habitum. Prodiit huius operis compendium eodem titulo *Ius canonicum universum* (3 vol. in 12⁰, Par. 1853).

Richardus Anglicus, ex Anglia, cum cognomine „Pauper" († 1237). Docuit Bononiae et rediit in Angliam, ubi episcopus factus est. Glossavit primam compilationem antiquam et composuit: *Ordo iudiciarius, Distinctiones super Decretis, Casus Decretalium.* Cf. Schulte I 183.

Richer, Edmundus, Gallus († 1631), acerrimus defensor Gallicanismi, conscripsit complura opera, quae tamen omnia in Indicem sunt redacta.

Richter, Aemilius Ludov. (1808—1864); protestantismo quidem addictus, sed catholicismo non infensus. Praeclara opera scripsit de historia iuris can., e. gr.: *De Algero Leodiensi, De collectione Anselmo dedicata, De emendationibus Gratiani* etc. Valde meritus est de iuris can. scientia, 1⁰ propter suam nitidam editionem: *Corpus iuris can.* (2 vol., Lips. 1833), et 2⁰ propter utilissimam editionem: *Canones et decreta Conc. Trid. cum declarationibus S. Congr. Conc.* (ib. 1853).

Riegger, Paulus Ios. (1705—1775), Germanus, plurimum promovit Iosephinismum spiritumque libertinum. Perplura scripsit de iure can., e. gr.: *Introductio in universum ius can.* (1758), *Institutiones iurisprudentiae ecclesiasticae* (6 vol., Vindob. 1780) etc.

Riganti, Ioan. Bapt., Italus (1661—1735); vir eruditus et virtute clarus. A nepotibus eius publicata sunt: *Comment. in Regulas, constitutiones et ordinationes Cancellariae Apost.* (Romae 1744, 4 vol. in fol.), opus optimum de hac materia.

Roccaberti, Thomas **de** († 1699), Hispanus, magister generalis Ord. Praed. et postea archiep. Valentiensis; strenuus defensor auctoritatis Summi Pontificis. Scripsit: *De Rom. Pontificis auctoritate* (3 vol. in fol., Valentiae 1691). Collegit etiam scripta complurium auctorum de eadem materia in sua celebri *Bibliotheca maxima Pontificia* etc. (21 vol. in fol., Romae 1695—1699).

Rodriguez, Emmanuel, O. S. F., e Lusitania oriundus († 1613); canonista praeclarus et moralista. Notissimus ex opere: *Quaestiones regulares et canonicae,* pluries edito, e. gr. Salmant. 1598. Aliud huius auctoris opus est: *Nova collectio privilegiorum Regularium ab Urbano II usque ad Clementem VIII* (2 vol., Lugduni 1609).

Rolandus-Bandinellus vide Bandinelli.

Roquette, Eugenius, Gallus (1817—1888); publicavit: *Institutiones iuris can. publici et privati* (2 vol. in 8⁰, Atrebati 1853—1856) vel *Institutiones iuris can. auctore R. de M.* (Paris. 1859).

Roskoványi, Augustus (1807—1892), episc. Nitriensis, vir laboriosissimus, non semper tamen utens acri iudicio in seligendis textibus. Scripsit permulta volumina, e. gr.: *De matrimoniis in eccl. cath.* (2 vol., Agriae 1837), *Rom. Pontifex tamquam Primas Ecclesiae et princeps civilis* etc. (16 vol., Nitriae 1867—1879) etc. Cf. Schulte III 778.

Roßhirt, Franc. (1793—1873), Germanus, homo pius et valde laboriosus. Plurima opera canonistica conscripsit, praesertim lingua germanica, e. gr. *Lehrbuch des Kirchenrechts* (ed. 3 Scaphusi 1858). Nimis dure immo et iniuste de hoc auctore iudicat Schulte III 351, licet concedi debeat, in eius operibus non raro deesse methodum et accurationem.

Roye, Franc. **de,** Gallus († 1686); composuit: *Institutiones iuris can.* (Par. 1681, in Indicem relatae), *De iuribus honorificis in Eccl.* (2 vol., Andegavi 1667), *De missis dominicis* (ib. 1672), *De iure patronatus l. 3 decret.* (ib. 1667) aliaque opera minoris momenti.

Rufinus, Gallus († c. 1179), magister Decretorum Bononiae. Inter praecipuos glossatores (saec. XII) Decreti Gratiani recensetur, cuius *Summa Decretorum* (c. 1165) magni a posteris aestimata est et primum edita fuit a. Fr. Schulte, sed satis mendose; alia editio (1902) procurata ab Henr. Singer multo melior est. Cf. Hurter, Nomenclator II 209.

S.

Sägmüller, Ioan. Bapt., prof. Tubingensis; scripsit opus optimum: *Lehrbuch des katholischen Kirchenrechts* (ed. 3 Frib. Brisg. 1914), aliosque complures tractatus ad ius can. pertinentes, praesertim ad historiam iuris.

Salazar, Franc. Gómez, ep. Legionensis, et Vincentius de la Fuente ediderunt opus solidum: *Tratado teórico-práctico de Procedimientos eclesiásticos* (4 vol., Matriti 1868). Alia quoque opera praesertim pro Hispania uterque auctor edidit.

Salzano, Thomas Mich., O. Pr., Neapolitanus (1807—1890), episc. titularis Tanensis, archiep. Edessenus. Plura opera scripsit de quaestionibus ad historiam ecclesiast. spectantibus; de iure can.: *Lezioni di diritto canonico pubblico e privato considerato in se stesso e secondo l' attual polizia del regno delle due Sicilie* (4 vol., Neap. 1845), saepius (13) editum; etiam bis latine *Institutiones iuris can.* (ib. 1834 et 1842), opus eruditum et usui valde accommodatum.

Samuellis, Franc. **de,** O. Pr., Italus (saec. XVII); scripsit: *De canonica electione* (Venetiis 1644, in fol.), opus bonum et completum.

Sánchez, Thom., S. J., Hispanus (1550—1619). Passim ad ius can. spectat magnum illius opus *De sancto matrimonii sacramento disputationum libri 3* (Genuae 1602 et postea saepius editum).

Sanguineti, Sebast., S. J., Italus (1829—1893); prof. historiae eccles. et postea iuris can. in Romano Collegio. Opus breve et accuratum: *Iuris eccles. institutiones,* prodiit Romae 1884, in 8° (ed. 4 1901).

Santi, Franc., Italus († 1885); composuit opus solidum et usui bene accommodatum: *Praelectiones iuris can.* (2 vol., Romae 1885 sqq.), in pluribus seminariis adhibitum (ed. 4 emendata et recentissimis decretis accommodata a Mart. Leitner, 5 vol., 1904 sqq.).

Sarti, Maurus, Ord. Camaldul., Bononiensis (1709—1766). Fautor historiae litterarum iuris can. in opere hortatu Benedicti XIV scripto: *De claris archigymnasii Bononiensis professoribus a saec. XIV* (Bononiae 1769—1771).

Schäfer, Timoth., O. M. Cap., Germanus, scripsit: *Das Eherecht nach dem Codex iur. can.* (1918), est opus iam pluries editum et valde utile pro praxi.

Scharnagl, Ant., Germanus, scripsit: *Das feierliche Gelübde als Ehehindernis* (Frib. Brisg. 1908); *Das neue kirchliche Gesetzbuch* (1918) aliaque eruditionis plena.

Schenkl, Maurus, O. S. B., Bavarus (1749—1816), suo tempore celeber. Reliquit: *Institutiones iuris ecclesiast.* etc. (2 vol., Ingolst. 1790—1791), opus saepe editum et correctum.

Scherer, Rud., prof. Vindobonensis († 1919), homo doctissimus. Scripsit: *Handbuch des Kirchenrechts* (2 vol. in 8°, Lips. 1886—1898) et plura ad historiam iuris pertinentia.

Schmalzgrueber, Franc., S. J., Bavarus (1663—1735). Docuit theologiam moralem et philosophiam in 3 universitatibus et imprimis ius can. Dilingae et Ingolstadii. Varii tractatus collecti sunt in unum vol. sub titulo *Ius ecclesiast. universum* etc. (Ingolst. 1717 et saepe editum); compendium *Succincta sacr. canonum doctrina* (3 vol. in 8°, Augustae Vindel. 1747), *Consilia seu responsa iuris* (2 vol in fol., Ingolst. 1722; ed. 2 Aug. Vind. 1740).

Schmier, Franc., O. S. B., Germanus († 1728); canonista praeclarus universitatis Salisburgensis. Scripsit: *Iurisprudentia canonico-civilis* (3 vol., Salisb. 1716, opus pluries editum), *Consultationes canon. de coadiutoribus et coadiutoriis perpetuis pro ecclesiis Germaniae* (ib. 1724) aliaque plura opera iuridica. Cf. Schulte III 165. — Frater germanus Benedictus Schmier († 1744) etiam plura de iure can. scripsit.

Schneemann, Gerhardus, S. J. (1829—1885), plura scripsit. Pro iure canonico magni momenti est opus ab illo incohatum: *Acta et decreta sacr. Conciliorum recentiorum, Collectio Lacensis* (7 vol., Frib. Brisg. 1870—1890).

Schneider, Philippus (1840—1906), prof. iuris can. Ratisbonae in Lyceo regio. Scripsit: *Fontes iuris ecclesiastici novissimi* (Ratisb. 1895), *Die Lehre von den Kirchenrechtsquellen* (ed. 2 ib. 1892), opus nitide et concise compositum.

Schulte, Fridericus, Germanus, natus 1827; homo eruditissimus, sed etiam vanae gloriae cupidus et non semel aliorum auctorum acerbior ne dicam iniustus criticus; anno 1870 a religione catholica defecit. Scripsit quamplura opera canonistica, e. gr.: *Lehrbuch des kath. Kirchenrechts* (Giessae 1863), *Geschichte der Quellen und Literatur des kanon. Rechts* (3 vol., Stuttgardiae 1875—1880), opus valde utile, sed non raro in Ecclesiam odio infectum.

Sebastianelli, Guilelmus, composuit *Praelectiones iuris can.* (3 vol., ed. 2 Romae 1905 sqq.).

Semeca vide Ioannes Teutonicus.

Sentis, Franc. Iac., Germanus (1831—1887); ius can. docuit Bonnae, deinde Friburgi Brisgoviae. Scripsit: *De iure testamentorum a clericis saecularibus ordinandorum* (Bonnae 1862), Die ‚*Monarchia Sicula*' (Frib. Brisg. 1869). Edidit item *Clementis Papae VIII Decretales* (ib. 1870). (Cf. q. 49.)

Sicardus Cremonensis, episc. Cremon. († 1870). Valde notandum est eius opus: *Mitrale seu de officiis eccles. summa* (apud Migne, P. l. 213, 13 sqq.). Praeterea scripsit: *Summa canonum,* qua nove ordinavit canones ordine systematico et sic primus dedit exemplum Institutionum iuris canonici.

Silbernagl, Isidorus († 1904); scripsit: *Lehrbuch des kath. Kirchenrechts* (ed. 4 Ratisb. 1903), *Eherecht der griech. Kirche* (ib. 1892).

Simeone, Ianuarius: *Lezioni di diritto canonico* (2 vol., ed. 3 Neap. 1898).

Smet, Alois. **de,** Belga, scripsit: *De sponsalibus et matrimonio.* Tractatus canonicus et theologicus, opus praeclarissimum (et iam pluries editum), quod recognitum et in linguam gallicam translatum editum est: *Les Fiançailles et le Mariage.* Insuper edidit *Tractatus de casibus reservatis* (Brugis 1914).

Smith: *Elements of Ecclesiastical Law* (3 vol., Neo-Eboraci 1890). Opus valde utile pro Statibus foed. Americae.

Socini, Marianus, Italus (1401—1467); studuit sub Panormitano; vir doctissimus et in variis disciplinis versatus et virtutis magnae. Plura opera ab illo prodierunt: *Lectura in Decretales* (ined.), tractatus *De oblationibus, De obligationibus, De citationibus* etc., *Repetitiones et Consilia.*

Soglia, Ioan., Italus (1779—1856), card., episc. Auximensis. Concinnavit: *Institutiones iuris publici ecclesiastici* (3 vol., Laureti 1843 et saepius), opus excellens de primatiali potestate Rom. Pont.; *Institut. iuris privati et publici ecclesiast.* (ed. 5 ab auctore recognita et aucta, Par. 1859; italice reddita ab Abrah. di Susanna, Neap. 1864).

Sole, Iac., Italus, scripsit: *De processibus, delictis et poenis,* Praelectiones in V. libr. Codicis iur. can. (Romae 1920 sqq.), opera solida.

Soto, Domin. **de,** O. Pr. († 1560), celeberrimus theologus in Conc. tridentino. Scripsit plura praesertim contra doctrinam Reformatorum. Quaestiones canonisticas tractat in suo opere saepius edito: *De iustitia et iure.*

Sousa Monteiro, Anton. Xav. **de,** Lusitanus († 1876); scripsit: *Compendium iuris can. accommodatum studiis seminariorum Lusitaniae* (Conimbricae 1876).

Stadtmüller, Raphael, O. Pr., Germanus, ex toto codice iur. can. concinne collegit ea, quae spectant religiosos sub titulo: *Das neue Ordensrecht* (1919).

Stephanus Tornacensis, Gallus († 1203); canonicus regularis, episc. Tornac., praeclarissimus canonista. Notissimus ex eius *Summa in tres partes Decreti Gratiani.*

Strein, Ioan., S. J., Germanus (1581—1662), cancellarius universitatis Bambergensis; summa cum laude docuit. Scripsit practicam *Summam iuris can.* (Colon. 1658—1659). Alia eius opera parva videsis apud Schulte III 139.

Stutz, Ulricus, prof. Berolinensis, auctor acatholicus sed insignis, praesertim bene meritus de historia iuris can., scripsit complures tractatus eruditione refertos, e. gr. *Geschichte des kirchl. Benefizialwesens* (Berlin 1895), opus nondum perfectum. Ipso auspice eduntur: *Kirchenrechtl. Abhandlungen,* 98 fasc. usque ad a. 1921.

T.

Tamburini, Ascanius, Ord. Vallumbros. Generalis; scripsit: *De iure abbatum et aliorum praelatorum* (Lugd. 1640) et *De iure abbatissarum et monialium* (Romae 1638), opera diffusa, sed bona. — Distingui debet a Th. Tamburini S. J., theologo moralista.

Tancredus, Italus (c. 1180 ad c. 1235), archidiaconus Bononiensis; celeberrimus canonista saec. XIII. Magister decretorum et canonicus; ab Honorio III et Gregorio IX multum aestimatus. In vitam, mores et miracula S. Dominici inquisivit pro illius canonizatione. Composuit: *Summa de sponsalibus et matrimonio* (ed. Wunderlich, Gottingae 1841). *Ordo iudiciarius* (Lugd. 1515 et postea alibi), *Apparatus in compilationem 1 2 3* (antiquarum compilationum).

Tardif, Adolphus, Gallus (1824—1890). Opus bonum elucubravit: *Histoire des sources du droit canonique* (Par. 1887, in 8⁰).

Tarquini, Camillus, S. J., Italus (1810—1874), card.; scientia insignis et iuris consultissimus. Reliquit opus solidum nitidumque: *Iuris eccles. publici institutiones* (Romae 1862, saepe editum), dissertationem egregiam *Il regio placet* (ib. 1853).

Tartagnus, Alex. († 1477), prof. Bononiensis et Patavinus; scripsit: *Lectura in l. tertium Decretalium, Consilia,* saepissime edita.

Taunton, Ethelredus L., scripsit: *The Law of the Church. Cyclopaedia pro iure can. pro iis, qui anglice loquuntur* (Londinii 1906), opus practico usui valde accommodatum, licet non omnimodo perfectum.

Téllez, Emmanuel González († c. 1674), doctor Salmanticensis, prof. iuris can., consultor tribunalis ecclesiastici et inquisitor. Notus ex opere bono sed diffuso: *Commentaria perpetua in singulos textus 5 librorum Decretalium Gregorii IX* (4 vol. in fol., Lugd. 1673).

Theiner, Augustinus, Congr. Orat. presbyter, Germanus (1804—1874), doctus in historia ecclesiastica, qua in materia scripsit plurima opera. Ad ius can. spectant: *Acta genuina s. oecumenici Conc. Trid. ab Angelo Massarello conscripta* (2 vol., Zagrabiae et Lipsiae [1874]) et *Disquisitiones criticae in praecipuas canonum et decretalium collectiones de historia fontium iuris tractantes* (Romae 1836, in 4⁰). Hoc ultimum opus vere classicum est.

Thesaurus, Carolus Anton., S. J., Italus († 1655). Ius civile docuit in universitate Pisana, ius can. in univers. Taurinensi. Opus unicum, sed utile et ordine alphabetico dispositum: *De poenis ecclesiast.* (Romae 1640; ed. nova et aucta ab Ubaldo Giraldi publicata, ib. 1760; denuo ib. 1831). Cf. supra v. Giraldi.

Thomas Aquinas, S., O. Pr. (c. 1225—1274), in diversis suis operibus quaestiones iuris canonici tractat. Scripsit etiam Commentaria in primam et secundam Decretalem. Ipse F. Schulte (Die Geschichte der Quellen und Literatur des kanonischen Rechts II [1875] 27 sqq.) dicit doctrinam S. Thomae Aq. esse maximi momenti pro evolutione iuris canonici.

Thomassin, Ludovicus, Congr. Oratorii presbyter, Gallus (1619—1695), vir insignissimae eruditionis et vitae regularis observator. Praecipua opera ad ius can. spectantia haec sunt: *Dissertationes, commentarii, notae in Concilia generalia et particularia* t. I (et unicus; Par. 1667, in 4⁰). Magnum eius opus fuit: *Ancienne et nouvelle discipline de l'Église touchant les Bénéfices et les Bénéficiers* (4 vol., Paris. 1678, saepe editum et emendatum). Plurimos alios tractatus scripsit ad theologiam dogmaticam, ad liturgiam ecclesiast., ad apologiam etc. spectantes.

Tolosanus vide Gregorius Tolosanus.

Torquemada vide Turrecremata.

Trano, Goffredus **de,** vide Goffredus de Trano.

Trombetta, Aloys., scripsit: *De iuribus et privilegiis praelatorum Rom. Curiae, Tractatus canonico-liturgici.*

Trullenchus, Ioan. Algerus, Hispanus († 1644), reliquit: *De iure parochi* et *De vicario perpetuo.*

Tudeschis, Nicolaus **de,** vide Abbas Siculus.

Turrecremata (vel Torquemada), Ioan. **de,** O. Pr., Hispanus (1388—1468), cardinalis. Suo tempore celeberrimus; vir insignissimae prudentiae ac eruditionis, virtutibus conspicuus. Magister S. Palatii, a Rom. Pont. Eugenio IV ac Pio II „fidei defensor" appellatus fuit. Complura opera reliquit, quorum sequentia ad ius can. pertinent: *Comment. in Decretum Gratiani* (6 vol. in fol., Lugd. 1519), *Gratiani decretorum libri 5 secundum Gregorianas Decretales ... distincti* (2 vol., Romae 1726), *Summa de Ecclesia* (ib. 1489, saepissime ed.), *De potestate Papae et Concilii generalis auctoritate;* tractatus *Quod non liceat appellare a Papa ad Concilium,* tract. in favorem Eugenii IV *Contra decreta Concilii Constantiensis,* quo depositus est Ioannes XXIII; *Apparatus super decreto unionis Graecorum* in Concilio Florentiae celebrato, ab Eugenio IV promulgato (Venet. 1561) etc.

Turrianus, Franc., S. J. (1504—1584); multa scripsit etiam de iure can., e. gr.: *De actis veris sextae synodi, De votis monasticis.* Infeliciter etiam scripsit pro authentia canonum Apostolorum; contra illum insurrexit David Blondellus.

U.

Ubaldus, de, vide Baldus.

Ugolinus, Barthol., Ord. Erem. S. Aug. († 1610); scripsit: *De censuris et irregularitatibus* aliaque opera canonistica.

V.

Vallensis, Andr., vide Delvaux.

Van Espen vide Espen.

Vering, Fridericus († 1896), Germanus, scripsit: *Lehrbuch des katholischen, orientalischen u. protestantischen Kirchenrechts* (Frib. Brisg. 1876; ed. 3 ib. 1893).

Vermeersch, Arth., S. J., Belga; scripsit ex iure canonico: *De prohibitione et censura librorum* (Tornaci 1898), *Supplementa et monumenta periodica, Epitome iur. can.* (4 vol.; simul cum I. Creusen S. J.), *De religiosis institutis et personis* (2 vol., Brugis 1907), opera valde solidae doctrinae.

Vicente, Felix, Congr. Miss. FF. Imm. Cordis B. M. V., publici iuris fecit: *Manual canónico sobre Institutos de votos simples* (Barcinonae 1910); *Recentia Instituta,* opus canonicum (Segoviae 1916).

Vidmar, Const. Ioan., O. S. B.; composuit: *Compendium repetitorium iuris eccles.* (ed. 3 Viennae 1907).

Villagut, Alphonsus, O. S. B. († 1623), Italus; multa de iure canonico scripsit, e. gr.: *Practica canonica criminalis* (1585), *De rebus eccles. non alienandis* (1603) etc.

Vincentius, Hispanus († 1244), episc., Bononiae didicit et docuit ius canonicum. Concinnavit: *Apparatus ad Decretales Gregorii IX* et glossavit compilationem 1 2 3 et 4 (antiquarum compilationum).

Vio, Thomas **de** (Caietanus), O. Pr., card. (1469—1534); homo acutissimi ingenii et celeberrimus propter eius commentarium in Summam theol. S. Thomae Aquinatis. Praeter scripta de philosophia et theologia edidit ad ius canonicum pertinentia plura opuscula, e. gr. de cambiis, de usura, de simonia, de censuris, de auctoritate Papae et Concilii etc. Eius *Summula peccatorum,* opus aeque clarum ac profundum, etiam plura habet de iure canonico. Cf. Quétif et Échard, Scriptores Ord. Praed. II 14.

Vivanius, Iulianus, Italus (1581—1641), prof. iuris civilis ac canonici Pisis; Pauli V et Urbani VIII gratia floruit. Publicavit opus practicum et habile: *Praxis iuris patronatus acquirendi, conservandi* etc. (Romae 1620, 1622, 1628).

Vlaming, Th. M., Neerlandicus, scripsit doctas Praelectiones de iure matrimoniali (2 vol. in 8°, ed. alt. 1920 sq.).

Vogt, Ios., Germanus, vicarius generalis Coloniensis, edidit opera pro praxi utilissima: *Das kirchl. Eherecht* et *Das Kirchenvermögensrecht.*

W.

Walter, Ferdinandus, Germanus (1794—1879); ius can. et civile docuit in universitatibus Heidelbergensi et Bonnensi. Concinnavit manuale Institutionum iuris ecclesiastici: *Lehrbuch des Kirchenrechts* (Bonnae 1822), quod iam 14 editiones (1871) est adeptum.

Weber, J., scripsit germanice: *Die kanon. Ehehindernisse samt Ehescheidung und Eheprozeß* (ed. 4 Frib. Brisg. 1886; ed. 5 sub titulo: *Kathol. Eherecht* a Ios. Schnitzer, ib. 1898) et *Catechismus iuris can.,* opera simplicia et clara.

Wernz, Franc. Xaver., Germanus, praepositus generalis S. J. (1842—1915); scripsit: *Ius decretalium* ad usum scholarum (6 tomi, ed. 2 Romae 1905 sqq.), opus plane egregium cum quoad historiam iuris can. tum quoad explicationem doctrinae. Nova editio post mortem auctoris procurata est iuxta novum Codicem a Vidal S. J.

Wex, Iac., S. J., Germanus (1663—1711); professus est theologiam moralem Ingolstadii, deinde ius can. Oeniponte. Edidit: *Ariadne Carolino-canonica de universo iure can. tractans novo ordine ac methodo facili* (Augustae Vindel. 1708), *De sponsalibus* (Oenip. 1692, in 12°), *Manipulus decimarum* (ib. 1692, in 8°), *De praelatis regularibus* (ib. 1694).

Wiestner, Iac., S. J., Germanus (1640—1709). Opera eius sunt: *Ius asylorum* etc. (Ingolstadii 1689), *Alienatio canonica rerum Ecclesiae temporalium* (ib. 1692), *De canonicis impedimentis coniugiorum* (ib. 1696), *Institutiones canonicae* etc. (Monachii 1705—1706), opus laudatum et multum usitatum; nonnullos errores historicos continet.

Wulf, de, vide Lupus.

Z.

Zabarellis, Franc. **de,** Italus († 1417), cum laude maxima docuit ius can. Florentiae et Patavii, ita ut Romam evocatus et cardinalis factus sit. Praeter Repetitiones, Tractatus, Consilia praesertim mentione digna sunt: *Comment. in 5 libros Decretalium* et *Lectura super Clementinis.*

Zaccaria, Franc. A., S. J., Italus (1714—1795); vir maximae eruditionis et in omni theologia versatus, praesertim in historia ecclesiastica. Complura opera reliquit ad hist. eccles. et nonnulla ad ius can. pertinentia. Cf. De Backer, Bibliothèque des écrivains de la Comp. de Jésus VIII (ed. 2) 1381 sqq., et Hurter, Nomenclator III 419 sqq.

Zallinger zum Thurn, Iac. Ant. **de,** S. J., Tirolensis (1735—1813). Composuit: *Institutionum iuris naturalis et ecclesiastici publici libri 5* (Augustae Vind. 1784 et saepius), *Institutiones iuris ecclesiastici maxime privati, ordine decretalium* (5 vol. in 8°, ib. 1792 sq.) et alia plura opera.

Zallwein, Greg., O. S. B., Bavarus (1712—1766), clarus prof. iuris in universitate Salisburgensi. Publicavit inter alia: *Principia iuris ecclesiastici universalis et particularis Germaniae* etc. (4 vol., Augustae Vind. 1763), opus valde bonum.

Zech, Franc. Xav., S. J., Bavarus (1692—1772), per 30 annos docuit et scripsit de iure can. in academia Ingolstadii. Collegit *Praecognita iuris can. ad principia Germaniae accommodata* (Ingolst. 1749), *Compendium iuris can.* (ib. 1750), *De iudiciis ecclesiast. ad Germ. princ.* etc. (ib. 1765), *De iure rerum ecclesiast. ad princ. Germ.* etc. (2 vol., ib. 1758), *Hierarchia ecclesiast. ad princ. Germ.* etc. (ib. 1750), *Decas dubiorum, de peculio clericorum* (ib. 1752), *De ambitu, politico-legalis dissertatio* (ib. 1752), *De sponsalibus academicorum* (ib. 1754), *Dissertatio historico-iuridica de benignitate Rom. Ecclesiae moderata in criminosos* etc. (ib. 1761), *De electoris et electi potestate* (ib. 1761), *Rigor moderatus doctrinae pontificiae circa usuras* (ib. 1747), *De usuris et contractibus usurariis coercendis* (Venet. 1761), opera magnae eruditionis.

Zehentbauer, Franc., Austriacus, prof. in Univ. Vindob.; scripsit inter alia: *Das Zinsproblem nach Moral und Recht* (Wien 1920), opus concise et concinne exaratum.

Zenzelinus de Cassanis, Gallus († 1350); celeber doctor decretorum, canonicus Biterrensis, Rom. Pont. capellanus et auditor causarum S. Palatii. Praecipuum eius opus fuit glossa Extravagantium, quae tamquam glossa ordinaria est accepta.

Zeuner, Albertus, O. Pr., Germanus († 1670); scripsit inter alia: *Dilucidatio regularum iuris in sexto Decretalium* (Augustae Vind. 1664).

Zitelli-Natali, Zephyrinus, Italus († 1887); scripsit: *Apparatus seu Compendium iuris eccles.* (Romae 1886; ed. nova, aucta et in meliorem ordinem digesta a Franc. Solieri, 2 vol. in 8°, ib. 1907), *Enchiridion ad ss. disciplinarum cultores accommodatum* (ed. 4 ib. 1880), *De dispensationibus matrimonii iuxta ultimas decisiones* (ed. 2 ib. 1887).

Zoesius, Henricus, Belga († 1627), prof. Lovaniensis; scripsit *Comment. seu praelectiones ad decretales Gregorii IX* etc. (Lovanii 1647).

Zyphaeus, Franc., Belga († 1650), prof. Lovaniensis, archidiaconus; reliquit opera: *Iuris pontificii novi analytica enarratio* (Colon. 1641) et *Consultationes canonicae* (Antwerpiae 1640, in fol.).

INTRODUCTIO IN IUS ECCLESIASTICUM.

ARTICULUS I.

De notione et divisione iuris ecclesiastici.

Q. 1. *Quid sit ius ecclesiasticum catholicum?*

R. Illa locutio „ius ecclesiasticum catholicum" sumitur diversis modis, prouti etiam verbum „ius" diversis modis sumi solet.

Q. 2. *Quid igitur significet verbum „ius"?*

R. Omissis variis et multis significationibus verbi „ius", quae pro nostro scopo minus necessariae esse videntur, quae tamen videri possunt in Summa theologica S. Thomae 2, 2, q. 57, a. 1[1], ius praecipue duobus modis sumitur, sc. *subiective* et *obiective*.

Q. 3. *Quid sit ius subiective sumptum?*

R. Ius *subiective* sumptum (quod ab aliis vocatur quoque ius dominativum) est facultas moralis aliquid agendi, omittendi vel possidendi. In hoc sensu dicitur: ius venandi, ius non solvendi quaedam tributa, conservare ius suum, uti iure suo, laedere ius alienum etc.[2]

Q. 4. *Quid sit ius obiective sumptum?*

R. Ius *obiective* sumptum definiri potest: „complexus normarum, quibus actiones exteriores singulorum in relatione cum ad alias personas singulares tum ad societatem ordinantur, ut societas et conservari et finem suum assequi possit"[3].

Ius obiective sumptum est igitur idem fere ac lex, non tamen prorsus coincidit cum lege, ut nonnulli putant. S. Thomas accuratius dicit[4]: „Lex non est ius proprie loquendo, sed aliqualis *ratio* iuris."

---

[1] Cf. etiam Commentarium Fr. Sylvii in hunc art., et nostrum Man. theol. mor. II 1 sqq.

[2] Ius subiective sumptum solet distingui in *ius ad rem* et *ius in re*. *Ius ad rem* est facultas legitima non quidem de re ipsa, sed de persona aliqua in ordine ad rem ipsam. „Parit actionem tantum *personalem*, quae vocatur condictio qua cogere possum personam, ut mihi satisfaciat" (*Haine*, Theol. mor. II, de iust. c. 2, q. 15). *Ius in re* est facultas legitima disponendi de ipsa re et parit actionem *realem*, quae vocatur rei vindicatio. Ius in re est idem ac dominium.

[3] Cf. *Aichner*, Comp. iur. eccl. § 1; *Heiner*, Kirchenrecht I 2; *Scherer*, Kirchenrecht I 1.

[4] S. th. 2, 2, q. 57, a. 1 ad 2.

Lex sive naturalis sive positiva efficit, ut aliquid sit ius seu iustum, secundum scilicet quod est conforme legi. Causa efficiens ultima cum iuris subiectivi tum iuris obiectivi est Deus, qui creando hominem ut „animal sociale" simul statuit ius naturale, quo officia socialia regulantur. Omne autem ius positivum derivari debet a iure naturali[5]. Falsa ergo est doctrina multorum modernorum, qui iuris causam unicam ponunt conventionem humanam vel voluntatem fortioris vel utilitarismum etc.[6] Unde Pius IX merito damnavit in Syllabo sequentes propositiones: 56: „Morum leges divina haud egent sanctione, minimeque opus est, ut humanae leges ad naturae ius conformentur aut obligandi vim a Deo accipiant"; 59: „Ius in materiali facto consistit, et omnia hominum officia sunt nomen inane, et omnia humana facta iuris vim habent."

Q. 5. *Quid sit ius ecclesiasticum subiective sumptum?*

R. Ius ecclesiasticum subiective sumptum est complexus facultatum moralium Ecclesiae catholicae agendi ea omnia, quae ad assequendum finem sibi a Christo praefixum necessaria sunt.

Ecclesia enim catholica fundata est a Christo tamquam societas perfecta, ut mediante illa homines perveniant ad salutem aeternam. Quia igitur Ecclesia est societas perfecta, inde necessario habet autonomiam, i. e. facultatem absolutam et prorsus independentem leges ferendi fini proprio convenientes. Cum autem insuper habeat finem *altiorem* quam quaelibet societas civilis, hinc media ordinata ab illa ad hunc finem altissimum a nulla societate civili impediri possunt, vel aliis verbis: nulla civilis potestas valet licite limitare aut adimere ius subiectivum Ecclesiae. Quare Pius IX in Syllabo damnavit propositionem 19: „Ecclesia non est vera perfectaque societas plane libera, nec pollet suis propriis et constantibus iuribus sibi a divino suo fundatore collatis, sed civilis potestatis est definire, quae sint Ecclesiae iura ac limites, intra quos eadem iura exercere queat." Quousque in particulari se extendat hoc Ecclesiae ius, latius agitur in tractatu de Ecclesia. Praegnanter et nervose hoc complexus est Leo XIII (Encyclica „Immortale Dei" d. 1. Nov. 1885): „Quidquid est in rebus humanis quoque modo sacrum, quidquid ad salutem animarum cultumve Dei pertinet, sive tale illud sit natura sua, sive rursus tale intelligatur propter causam ad quam refertur, id est omne in potestate arbitrioque Ecclesiae."[7].

Q. 6. *Quid sit ius ecclesiasticum obiective sumptum?*

R. *Ius ecclesiasticum obiective sumptum est complexus legum a legitima auctoritate conditarum, quibus ordo externus Ecclesiae catholicae determinatur et actiones fidelium diriguntur ad finem Ecclesiae proprium.*

[5] *S. Thom.*, S. th. 1, 2, q. 95, a. 2.
[6] *Zigliara*, Phil. ethica l. 2, c. 2, a. 3.
[7] Cf. *De Groot* O. Pr., Summa apologetica q. 11.

Dicitur a) *complexus legum*, quia ius ecclesiasticum non continet consilia tantum, sed leges stricte tales, ad quas observandas fideles non solum coram Deo tenentur, sed etiam iudicio externo Ecclesiae et poenis cogi possunt[8].

Dicitur b) *a legitima auctoritate conditarum.* Legitimi legislatores pro Ecclesia universali sunt Summus Pontifex et Concilia oecumenica. Concilia vero particularia, episcopi, superiores regulares non possunt condere leges universales sed tantum particulares; et ne hoc quidem sine approbatione implicita vel explicita Summi Pontificis[9]. Unde Bouix breviter definit ius ecclesiasticum: „complexus legum auctoritate Papae firmatarum, quibus fideles ad finem Ecclesiae proprium diriguntur"[10]. Sub iure ecclesiastico continentur quoque consuetudines legitime introductae et a legitima auctoritate approbatae.

Dicitur c) *quibus externus ordo Ecclesiae determinatur.* Non enim omnia Ecclesiae praecepta ad ius ecclesiasticum stricte dictum pertinent, sed ea dumtaxat, quae spectant exteriorem politiam. Hinc e. gr. applicatio Missae etc. proprie non pertinet ad ius ecclesiasticum, etsi Ecclesia de hac dedit statuta. In sensu autem latiore etiam praecepta, statuta, rescripta, et generatim omnes normae obligantes ad ius ecclesiasticum pertinent.

Dicitur d) *et actiones fidelium diriguntur ad finem Ecclesiae proprium.* Quibus verbis enuntiatur iuris ecclesiastici *subiectum:* fideles, i. e. omnes baptizati, septimum aetatis annum adepti et sufficienti usu rationis gaudentes[11]; *obiectum:* actiones et quidem externae tantum[12]; *finis:* bonum societatis christianae, quod est finis proximus, et beatitudo aeterna, quae est finis remotus.

Nota. Ius ecclesiasticum vocatur quandoque: *ius sacrum* (cum ab eius auctore tum ab eius fine); *ius pontificium* (per oppositionem ad ius caesareum); *ius canonicum,* quia ex usu antiquissimo κανών (regula) designabat legem ecclesiasticam ut distinctam a lege civili (νόμος). De canonibus dogmaticis ius ecclesiasticum iuxta modernam saltem praxim non solet tractare. In Decretalibus autem est specialis titulus: De sanctissima Trinitate. Novus Codex continens leges ecclesiasticas inscribitur Codex iuris canonici ideoque ius canonicum et ius ecclesiasticum iterum sunt synonyma, sicut iam fuit saeculo duodecimo.

Q. 7. *Quaenam sint praecipuae divisiones iuris ecclesiastici obiective sumpti?*

R. Ius ecclesiasticum obiective sumptum dividi potest ratione materiae, extensionis, temporis, formae, ritus.

[8] Cf. *De Groot* l. c. a. 3.
[9] Infra specialius determinabitur, qualem potestatem legislativam habeant Concilia particularia, episcopi, praelati regulares etc.
[10] Cf. tamen *Scherer,* Kirchenrecht I 112.
[11] Cf. Cod. iur. can. c. 12 et nostrum Man. theol. mor. I, n. 186.
[12] De controversia valde agitata inter auctores, num Ecclesia possit praecipere actus mere internos, videsis nostrum Man. theol. mor. I, n. 183.

a) *Ratione materiae* dividitur in ius *publicum* et *privatum*.

Non est una explicatio istorum terminorum apud diversos auctores[13]. Immo aliqui prorsus reiciunt hanc divisionem[14]. Iuxta complures auctores ius publicum est idem ac ius commune, ius autem privatum est idem ac lex privata vel privilegium. Melius tamen intelligitur ius *publicum* complexus legum *divinarum*, quibus Ecclesia constituitur ut societas perfecta cum proprio fine. Non immerito hoc sensu ius publicum Ecclesiae comparatur cum iure constitutionali alicuius civitatis. Est tamen haec comparatio non perfecta. Ius *privatum* est complexus legum ecclesiasticarum ad proprium regimen membrorum Ecclesiae pertinentium, e. gr. ius regularium.

b) *Ratione extensionis* ius ecclesiasticum dividitur α) in ius *universale*, quod obligat in toto orbe christiano, et ius *particulare*, quod viget tantum in aliquo territorio determinato; β) in ius *generale*, quod omnes fideles obligat, e. gr. praeceptum audiendi Missam diebus dominicis, et ius *singulare*, cui certae tantum personae subiciuntur, e. gr. clerici, regulares; γ) in ius *commune*, quod statuit ordinem legalem communiter servandum sive pro omnibus fidelibus, et tunc ius commune est simul ius generale, sive pro determinata categoria fidelium, et tunc ius commune est simul singulare, sic e. gr. possumus loqui de iure communi regularium; et ius *speciale*, quod est idem ac privilegium. Notandum tamen est, non omnes auctores uti his terminis eodem modo. Sic e. gr. aliqui subdividunt ius particulare in ius patriarchale, provinciale, dioecesanum, regularium.

c) *Ratione temporis* ius ecclesiasticum dividitur in ius *antiquum*, *novum*, *novissimum*.

Iterum non est eadem explicatio huiusmodi terminorum apud auctores. Iuxta explicationem praeferendam ius *antiquum* est ius a fundatione Ecclesiae usque ad Decretum Gratiani (circiter anno 1150) vigens. Ius *novum* est ius constitutum a Decreto Gratiani usque ad Concilium tridentinum exclusive. Pro maxima parte continetur in sic dicto antiquo Corpore iuris ecclesiastici et ideo vocabatur *ius in Corpore iuris clausum*. Ius *novissimum* est ius vigens post Concilium tridentinum usque ad nostros dies, et continetur in novo Codice iuris canonici edito a Benedicto XV et vim legis habente a d. 19 Maii 1918.

d) *Ratione formae seu modi* ius ecclesiasticum dividitur in ius *scriptum*, quod continetur in authenticis diplomatibus legitimi legislatoris atque debite publicatum est, et ius *non scriptum*, quod non continetur in authentico scripto, sed tamen vi legitimae consuetudinis sive traditionis observatur. Vocatur etiam ius consuetudinarium vel breviter consuetudines legitimae.

e) *Ratione ritus* ius distinguitur in ius Ecclesiae occidentalis et ius Ecclesiae orientalis.

Complures ecclesiae protestantium sive acatholicorum sive schismaticorum habent etiam suos codices legales, e. gr. ecclesia graeca schismatica, sed

[13] Cf. *Wernz*, Ius decr. I, n. 50, nota 29.

[14] Cf. *Vering*, Kirchenrecht § 5; *Sägmüller*, Kirchenrecht § 3.

de illis nihil dicendum nobis est in hoc Manuali. Pariter hic nihil dicendum occurrit de falsis acceptionibus tum iuris in genere tum iuris ecclesiastici in specie, quia primum pertinet ad Ethicam christianam et secundum pertinet ad tractatum de Ecclesia, cum ex falsa notione Ecclesiae etiam necessario falsas notiones iuris ecclesiastici pullulare oporteat.

ARTICULUS II.

De scientia iuris ecclesiastici.

Q. 8. *Quid sit scientia iuris ecclesiastici?*

R. Scientia iuris ecclesiastici definiri potest: *Theologia practica circa leges ecclesiasticas*. Aliquando vocatur breviter „Theologia rectrix"[15].

Dicitur a) *Theologia*, quia scientia iuris ecclesiastici non mere philosophice vel historice debet tractare suam materiam, sicuti faciunt complures auctores protestantes, sed in ordine ad Deum finem ultimum et auctorem totius Ecclesiae. Hinc revera scientia iuris ecclesiastici est pars theologici studii, ideoque usque ad Gratianum solebat non distincte a Theologia tractari[16].

Dicitur b) *Theologia practica*, quia scientia iuris ecclesiastici non sistit in cognitione legum, sed illas in praxim deducit et casus practicos iudicat iuxta normas legum. Hinc scientiae illius pars est et vocatur „iurisprudentia". Sicuti enim munus virtutis prudentiae est consiliari, iudicare et praecipere, ita quoque officium scientiae iuris ecclesiastici est primo consiliari, i. e. investigare verum sensum legum, deinde iudicare, quid sit rectum in actionibus externis, et tertio praecipere, quid sit in praxi agendum a Christifidelibus. Theologia moralis quoque est Theologia practica; distinguitur tamen a scientia iuris ecclesiastici, quia eius obiectum est dirigere *omnes* actus humanos ad finem ultimum et ad sanctificationem internam hominum. Obiectum vero scientiae iuris ecclesiastici non sunt nisi fidelium actus externi, qui proxime dirigendi sunt ad bonum sociale Ecclesiae et nonnisi ultimo in sanctificationem internam. Hinc autem manifestum est, non paucas quaestiones iuris ecclesiastici tractari in Theologia morali, licet sub alio respectu.

Dicitur c) *circa leges ecclesiasticas* ad significandum obiectum materiale huius scientiae. Leges ecclesiasticae supponunt legem naturalem, legem divinam, dogmata fidei, immo ipsam Ecclesiam ut a Christo cum perfectissima potestate legislativa instructam. Propterea scientia iuris ecclesiastici non debet tractare de omnibus istis materiis, quae profecto pertinent magis ad alias disciplinas. Notanter totus tractatus de Ecclesia, qui a nonnullis aucto-

[15] Cf. *Sägmüller*, Kirchenrecht § 6; *Scherer*, Kirchenrecht I 113.

[16] „*Inter ceteras Theologiae disciplinas* Sanctorum Patrum decreta et Conciliorum statuta non postremum occupant locum", ita legitur iam in praefatione Summae *saec.* 12, quam publici iuris fecit Maassen. *Wernz* quoque (Ius decr. I, n. 285) ius canonicum inter disciplinas theologicas enumerat scribens: „Qua in re inde a Decreto Gratiani paulatim magna locum habuit immutatio, et ius canonicum facta est disciplina theologica omnino distincta a Theologia scholastica." Et ib. n. 53 scribit: „Ius canonicum cum Theologia morali constituit partem principalem Theologiae practicae."

ribus in iure ecclesiastico producitur, videtur melius in Theologia dogmatica vel in Apologetica tradi. Nam iuxta vetus adagium nulla scientia probat suum obiectum, sed supponit. Ergo ius ecclesiasticum non debet probare Ecclesiam eiusque dotes, proprietates, potestatem legislativam et genuinam relationem ad statum civilem, sed haec omnia tamquam nota supponere.

Q. 9. *Quaenam sint scientiae auxiliares et adminicula iuris ecclesiastici?*

R. Cum scientia iuris ecclesiastici sit revera pars Theologiae christianae, ut in praecedenti quaestione dictum est, et una pars ab alia parte adiuvetur, ipsi quasi lucem praeferre debent Theologia dogmatica circa *credenda* et Theologia moralis circa *agenda.* Praeterea Apologetica et adhuc magis Historia ecclesiastica maximae utilitati sunt. Ius enim ecclesiasticum non uno tempore conditum est nec etiam omnibus temporibus idem remansit. Mutatis temporibus mutatae sunt etiam quam plures leges ecclesiasticae. Quapropter historia enarrans temporum diversas mutationes quasi clavem praebet ad reserandam profundam rationem legis ecclesiasticae mutatae et mutandae. Praeprimis historia Concilii tridentini suppeditat declarationem iuris tridentini, quod haud parvas mutationes iuris antea vigentis introduxit[17].

Adminicula non satis commendanda pro studio iuris ecclesiastici sunt folia periodica, quae diversis in regionibus statutis temporibus eduntur, e. gr. Analecta eccles., Romae; Acta S. Sedis, Romae[18]; Archiv für kathol. Kirchenrecht, Moguntiae; Le canoniste contemporain, Parisiis; Monitore eccles., Romae; Acta pontificia, Romae; Commentarium iuridicum Romae editum a Missionariis S. Cord. Mar.; Ius pontificium editum Romae; Periodica de re canonica et morali edita a P. Vermeersch S. J. Imprimis commendandum est Commentarium officiale de Apostolicae Sedis actis, quod iussu Pii X (const. „Promulgandi pontificias Constitutiones" 29 Sept. 1908) inde a 1 Ian. 1909 Romae editur sub titulo Acta Apostolicae Sedis et continet constitutiones pontificias, leges, decreta aliaque tum Romanorum Pontificum tum SS. Congregationum et Officiorum scita et praeterea cetera Sanctae Sedis acta, quae ad communem cognitionem sunt utilia.

Q. 10. *Quaenam sit utilitas et praestantia scientiae iuris ecclesiastici?*

R. Valde utilis immo et necessaria est aliqualis scientia iuris ecclesiastici omnibus fere hominibus et quidem.

1. *Christifidelibus laicis,* quia quodlibet membrum cuiuscumque civitatis debet aliqualiter scire leges patriae suae, secus damnum saepe patietur. A fortiori quodlibet membrum Ecclesiae non potest sine gravi damno ignorare leges Ecclesiae. Immo et acatholici cum fructu addiscunt leges catholicae Ecclesiae, ad formandas actiones suas iuxta istas leges, quae praecellunt et iustitia et bonitate leges civiles. Hinc factum est, ut non pauci protestantes intensum laborem impenderint ad leges Ecclesiae catholicae cognoscendas, e. gr. Richter, Böhmer, Hinschius, Stutz etc. Hinc insuper factum est, ut cum antiquis tum modernis temporibus legislatores civiles conati sint leges suas aliqualiter conformare legibus ecclesiasticis, e. gr. Codex novus iuris civilis germanici in compluribus paragraphis exaratus est iuxta ius canonicum. Magis adhuc conformis est Codex civilis hispanicus.

2. *Clericis* sive regularibus sive saecularibus adhuc utilior, ne dicam prorsus necessaria est scientia iuris ecclesiastici. Eorum enim munus est non tantum propriam vitam, sed etiam gregem sibi commissum dirigere iuxta leges ecclesiasticas. Quod sane fieri nequit sine solida scientia istarum legum. Hinc iam in Decreto Gratiani c. 4, D. 38 Papa Coelestinus statuit: *„Nulli sacerdotum liceat canones ignorare."* Et Daniel Concina O. Pr.[19] merito asserit: „Necessaria igitur theologis est et magno usui futura canonum scientia... quae si theologus ignoret, suo erit officio ineptus." — Pro quibusdam gradibus ecclesiasticis obtinendis requiritur doctoratus in iure canonico[20]. Nostra aetate Pius IX, Leo XIII, Pius X, Benedictus XV clero solidam sacrorum canonum scientiam graviter commendarunt. — Ex hac utilitate, immo et necessitate scientiae iuris ecclesiastici facile eruitur praestantia huius scientiae. Insuper haec praestantia demonstratur ex nobilitate obiecti eius. Obiectum enim scientiae iuris ecclesiastici sunt leges ecclesiasticae, quae non sine directione Spiritus Sancti in oecumenicis Conciliis vel a Summis Pontificibus conditae sunt et quae secure ducunt hominem ad finem suum aeternum. Hinc omni tempore nobilissimi homines totis viribus studio iuris ecclesiastici incubuerunt, e. gr. S. Raimundus, S. Antoninus, Benedictus XIV etc.

Q. 11. *Quaenam sit optima methodus scientiae iuris ecclesiastici?*

R. De methodo atque de partitione iuris ecclesiastici reapse tot sunt sententiae, quot sunt capita. Dum alii magnis encomiis extollebant methodum et ordinem Decretalium Gregorii IX, cuius redactor fuit S. Raimundus de Peñaforte Ord. Praed., alii et praesertim protestantes cum contemptu istum ordinem libri Decretalium tamquam prorsus ineptum reiciunt. Haec de methodo et partitione iuris canonici altercatio — merito hoc nomine locutiones multorum auctorum appellantur — videtur esse tam antiqua quam ipsa scientia iuris canonici. Etenim iam Gratiani Decretum, quod vocatur „Concordantia discordantium canonum" et quod consuevit poni prima pars Corporis iuris, ab aliquibus summis laudibus celebratum, ab aliis vero minimi ductum est. Sic e. gr. Io. Molinaeus[21] scribit: „Qui in Gratiani volumine methodum... vestigant,

[17] „Praeterea nostra aetate canonistae acatholici non iam obsoletis armis antiquorum theologorum protestantium utuntur, sed praesertim ex historia *pro suo modo* intellecta et subsidiis modernis instructi doctrinam canonicam catholicorum impugnant. Quare catholici quoque canonistae, ut suo tempore iam monuit Devoti (Ius can. univers. I v sq.), non solis scutis et hastis Panormitani et Anacleti confidere atque neglecta eruditione historica ad iuris ecclesiastici explicationem accedere debent." Ita optime *Wernz,* Ius decr. I, n. 59, 111.

[18] Ista duo periodica iam amplius non apparent.

[19] Theol. christ. I, l. 1, diss. 3, c. 14.

[20] Cf. infra de curia episcopali.

[21] Praef. in Ivonis decr..; *Migne,* Patr. lat. 161, 36.

videntur mihi non absimiles iis qui delphini in silvis, aut in fluctibus apri venationem instituunt, aut, ut propius eloquar quod sentio, qui ea quaerunt, quae nusquam sunt, quod manifestissimum sit Gratianum nullam artis rationem habuisse." Idem Molinaeus Gratianum vocat magistrum confusum valde, impeditum et inconditum. — Lapsu saeculorum variae methodi et partitiones iuris ecclesiastici propositae sunt. Sine dubio unaquaeque aliquod saltem commodum prae se ferebat; illa autem profecto ceteris antecellebat, quae perfectius attingebat finem. Porro quid est finis scientiae iuris ecclesiastici? Responsio in aprico est: perfecta cognitio iuris. Attamen haec perfecta cognitio iuris ecclesiastici hodiernis temporibus a satis paucis clericis habetur, immo et haberi potest, quia tempus studii tam breve, aliae materiae omnino cognoscendae tam multae, et ipsa scientia perfecta iuris ecclesiastici tam difficilis est. Nunc postquam novus Codex iuris canonici editus est, profecto methodus optima est, in scholis explicare ex ordine singulos canones huius Codicis. Statuit enim S. Congregatio de seminariis et de stud. Univers. d. 7 Aug. 1917[22]: „Debent doctores iuri canonico tradendo, ipso Codicis ordine ac titulorum capitumque serie religiosissime servata, singulos canones diligenti explanatione interpretari. Iidem tamen magistri, antequam dicere de aliquo instituto iuridico aggrediantur, apte exponant, qui eius fuerit ortus, quae decursu temporis acciderint progressiones, mutationes ac vices, ut discipuli pleniorem iuris cognitionem assequantur. Nullo ceterum, praeter Codicem, libro alumnos uti necesse erit; quodsi doctoribus placuerit eos unum aliquem adhibere librum, id sancte retinendum, ut non eius libri ordini ordo Codicis, sed huic ille aptetur et accommodetur." Quamvis hoc statutum non stricte liget nisi Universitates et iuris canonici Lycea, quae Curiae Romanae parent, idque in sic dicta schola *textus* (non in schola Institutionum), tamen etiam in nostro parvo Manuali volumus hanc methodum pro viribus observare. Pariter imitantes praefationem Codicis elaboratam a cardinali Gasparri tractamus de historia iuris ecclesiastici, quae praecipue delineatur in sic dictis fontibus cognoscendi. Quare totum nostrum Manuale dividimus in quinque libros:

1. *De fontibus et normis generalibus iuris ecclesiastici;*
2. *De personis;*
3. *De rebus;*
4. *De processibus;*
5. *De delictis et poenis.*

Cum autem noster scopus sit exhibere et iuris canonici et theologiae moralis Manualia quae se invicem complent, vel omnino non vel nonnisi brevissime agimus in hoc Manuali iuris canonici de iis, quae pertractantur in nostro Manuali theologiae moralis.

---

[22] Acta Ap. Sed. IX (1917) 439.

LIBER I.

De fontibus et normis generalibus iuris ecclesiastici.

CAPUT I.

De fontibus iuris ecclesiastici in genere.

Litteratura: Maassen, Geschichte der Quellen und der Literatur des kanonischen Rechts im Abendlande bis zum Ausgang des Mittelalters I (Graz 1870); Phil. Schneider, Die Lehre von den Kirchenrechtsquellen[2] (Regensburg 1892); Schulte, Geschichte der Quellen und Literatur des kanonischen Rechts von Gratian bis zur Gegenwart (Stuttgart 1875—1880); Laurin, Introductio in Corp. iur. can. (Friburgi 1889); Tardif, Histoire des sources du droit canon. (Paris 1887). Insuper omnia fere Manualia iuris eccl. tractant de hac materia. Speciali mentione dignus est F. Vering, Lehrbuch des katholischen, orientalischen und protestantischen Kirchenrechts[3] (Freiburg 1893).

Q. 12. *Quid usu veniat nomine fontium iuris ecclesiastici?*

R. Fons hic idem significat ac origo; unde fontes iuris ecclesiastici sunt origines vel causae efficientes iuris ecclesiastici. Solent autem distingui fontes duplicis generis, sc. fontes *exsistendi* et fontes *cognoscendi* iuris ecclesiastici[1].

Q. 13. *Quid et qui sint fontes exsistendi iuris ecclesiastici?*

R. Fontes exsistendi iuris ecclesiastici sunt ipsi *legislatores*, qui leges ecclesiasticas condiderunt vel adhuc condunt. Porro primus et supremus legislator in Ecclesia est Iesus Christus, qui Ecclesiam fundavit et etiam nunc tamquam caput invisibile regit. Unde Concilium tridentinum[2] definivit: „Si quis dixerit Christum Iesum a Deo hominibus datum fuisse ut redemptorem cui fidant, non etiam ut legislatorem cui oboediant, anathema sit." Cum autem Christus non venerit solvere legem, sed adimplere, inde lex naturalis supponitur a lege ecclesiastica. Hinc primatum inter fontes iuris ecclesiastici obtinent lex divina per Christum lata et lex naturalis per Christum elevata et

---

[1] A nonnullis auctoribus fontes exsistendi vocantur materiales, quia ex illis revera producuntur leges; fontes autem cognoscendi appellantur formales, quia illi praebent externam formam legum. Quae quidem appellationes non sunt ita clarae ac illae supra adhibitae.

[2] Sess. 6, de iust. can. 21.

declarata. Lex divina continetur in S. Scriptura et in Traditione. Praeterea Christus dedit Petro eiusque successoribus plenam ligandi atque solvendi facultatem et per hoc etiam perfectam potestatem legislativam, quam exercent vel immediate per se ipsos vel per Concilia generalia. Ex dictis elucet, esse quinque fontes exsistendi iuris ecclesiastici *universalis,* sc. 1. legem naturalem, 2. legem divinam, quae continetur vel in S. Scriptura vel in Traditione, 3. Summos Pontifices, 4. Concilia oecumenica. His accenseri potest 5. consuetudo legitima.

Fontes iuris ecclesiastici particularis sunt illae causae, quae efficiunt leges particulares, e. gr. Concordata, Concilia provincialia etc.

Q. 14. *Quid et qui sint fontes cognoscendi iuris ecclesiastici?*

R. Fontes cognoscendi iuris ecclesiastici sunt depositaria, in quibus legislatores iuris ecclesiastici suas leges deposuerunt, vel generalius: sunt media obiectiva, ex quibus et in quibus leges ecclesiasticae cognosci possunt, vel brevius: sunt collectiones legum ecclesiasticarum. Sic leges positivo-divinae continentur in Sacra Scriptura, leges ecclesiasticae continentur in diversis Bullariis, Collectionibus Decretorum, in Codice iuris can. etc. Dantur multi fontes iuris ecclesiastici et de illis infra tractabitur ordine chronologico[3].

CAPUT II.

De fontibus exsistendi iuris ecclesiastici universalis[4].

Q. 15. *Utrum ius divinum naturale sit revera fons exsistendi iuris ecclesiastici?*[5]

R. Sunt quidem qui hoc negent, ut Schulte, Scherer, Hinschius, generatim omnes illi qui negant, quodcumque ius positivum supponere ius divinum naturale ab eoque pendere, attamen sententia moraliter certa docet, nullum ius ecclesiasticum non solum non posse repugnare iuri divino naturali, sed etiam supponere illud. Ratio est, quia Deus prius fundavit naturam quam Ecclesiam, quae naturam quidem elevat, non autem destruit. Hinc receptae sunt in iure canonico quaedam leges, quae certe fundantur in iure naturali et propterea mutari non possunt, e. gr. illud impedimentum matrimonii quod vocatur defectus consensus, impedimentum impotentiae etc. Ex alia tamen parte dici nequit, omne ius ecclesiasticum emanare directe ex iure naturali.

[3] Cf. *Wernz,* Ius decr. I, n. 196.

[4] Cum fontes exsistendi iuris ecclesiastici nihil aliud sint quam diversae causae efficientes legis ecclesiasticae, plures auctores, antequam agunt de istis fontibus, praemittunt tractatum de legibus in genere, sc. de essentia, divisione, qualitatibus, abrogatione, derogatione etc. legum. Verumtamen cum tractatus de legibus iuxta hodiernam praxim in omnibus Manualibus theologiae moralis inveniatur, etiam in nostro Man. theol. mor. I 142 sqq., remittimus lectorem ad istum locum. Non enim bis idem tractare intendimus.

[5] De hac re specialiter scripsit *K. A. Droste-Hülshoff,* Über das Naturrecht als Quelle des Kirchenrechts.

Quomodo ius naturale adhibendum sit in iure ecclesiastico, cardinalis Soglia[6] has regulas assignat:

Prima regula est: „In iure publico ecclesiastico, ubi de statu seu constitutione et potestate Ecclesiae quaestio est, nullus est usus iuris naturalis, sed iuris divini *positivi.* Debuit sane Deus ordinem aliquem ac propterea regimen in Ecclesia instituere.... Qualem autem regiminis formam instituerit, cum ea res ex divina voluntate pendeat, non ex principiis iuris naturalis definienda est, sed ex Litteris Sacris et Traditione."

Secunda regula: „Posita natura et fine e. gr. alicuius ordinis hierarchici recte possumus vim potestatis eidem ordini convenientem ex ratione et iure naturali inferre."

Tertia regula: „In omnibus iis quae ad praecepta morum et iustitiam naturalem pertinent, si leges positivae deficiant, ius naturale erit lex, ad quam iudicia et negotia dirigenda erunt."

Quarta regula: „Cum Ecclesia nihil possit in divinis et naturalibus legibus (primariis) derogare, immutare, dispensare, cognitio iuris naturalis non modo utilis, sed necessaria est ad cognoscendum, quae leges sint naturales et proinde immutabiles, quae vero positivae ideoque derogationi, immutationi et dispensationi obnoxiae."

Q. 16. *Quomodo Sacra Scriptura sit fons iuris ecclesiastici?*

R. Sacra Scriptura Veteris et Novi Testamenti non tantum est fons fidei et regula morum, sed etiam fundamentum iuris ecclesiastici. In Vetere Testamento continentur praeter praecepta Decalogi, quae potius (excepto aliqualiter tertio praecepto) ad legem naturalem pertinent, praecepta moralia, iudicialia et caeremonialia. Quae quidem praecepta lata ab ipso Deo sunt promulgata ministerio Angelorum, Moysis aliorumque hominum. Praecepta moralia ista adhuc valent[7], praecepta vero iudicialia et caeremonialia per adventum Christi suam obligandi vim amiserunt[8]. Hinc in Decreto pro Iacobitis statuto in Concilio florentino habetur: „Sacrosancta Romana Ecclesia firmiter credit, profitetur et docet, Legalia V. Testamenti seu Mosaicae legis, quae dividuntur in caeremonias, sacra, sacrificia, sacramenta, quia significandi alicuius futuri gratia fuerant instituta, licet divino cultui illa aetate congruerent, significato per illa Domino nostro Iesu Christo adveniente cessasse."[9] Immo nonnulla praecepta V. Testamenti non solum amplius non obligant, sed facta sunt mortifera nec possunt licite observari propter falsam significationem, quam nunc haberent. Quapropter S. Officium d. 20 Iun. 1866 graviter prohibuit circumcisionem apud Gallas usitatam[10]. At vero Ecclesia in suum codicem legalem plures leges iudiciales Veteris Testamenti transumpsit, e. gr. de iniuriis et damno dato[11], de homicidio voluntario vel casuali[12], quae

[6] Institut. iuris publici et privati eccles. I, § 40.

[7] *S. Thom.,* S. th. 1, 2, q. 100, a. 1.

[8] Ib. q. 104, a. 13. [9] *Denz.* 712; cf. c. unicum X III 47.

[10] Instruct. S. Offic. in Collectan. de Prop. Fid. n. 1293, X.

[11] c. 1—5 X 5, 36 ex libro Ex 21, 18 19.

[12] c. 1 X 5, 12 ex libro Ex 21, 14.

quidem leges nunc obligant, non quia continentur in Vetere Testamento, sed quia sunt statutae ab auctoritate ecclesiastica.

In Novo Testamento Christus, qui est verus rex[13], cuius regni non erit finis[14] et cui data est omnis potestas[15], complura praecepta fidei, cultus et morum, immo et nonnulla sic dicta consilia evangelica dedit. Sic e. gr. in Novo Testamento continentur complures ordinationes divinae circa primatum S. Petri, circa iurisdictionem Apostolorum, circa ordinationem episcoporum, circa sacramenta, et in Ep. 1 ad Cor c. 5 habetur exemplum excommunicationis. Ut patet, omnia et singula, quae in Novo Testamento per modum praecepti permanentis data sunt, adhuc obligationem habent[16].

Q. 17. *Quomodo Traditio sit fons iuris ecclesiastici?*

R. Traditio pariter ac S. Scriptura, sicuti est fons fidei et regula morum, ita est fons uberrimus iuris ecclesiastici. Distingui solet triplex Traditio, sc. 1. *Traditio divina,* quae continet praecepta ab ipso Christo data, sed per Apostolos publicata, e. gr. promulgatio sacramenti Extremae Unctionis, Confirmationis etc.; 2. *Traditio apostolica,* quae est de praeceptis ab ipsis Apostolis proprio nomine datis. Huius rei exemplum citatur ieiunium ante Pascha[17]. S. Apostolus Paulus[18] clare distinguit inter ista duplicis generis praecepta: „Iis qui matrimonio iuncti sunt, praecipio *non ego, sed Dominus,* uxorem a viro non discedere.... Ceteris *ego dico, non Dominus,* si quis frater uxorem habet infidelem et haec consentit habitare cum illo, non dimittat illam.... Quodsi infidelis discedit, discedat; non enim servituti subiectus est frater aut uxor in huiusmodi, in pace autem vocavit nos Deus." Ex hoc loco deducitur celebre „Privilegium Paulinum", de quo sermo est in tractatu de matrimonio. Concilium quoque tridentinum (sess. 4) distinguit Traditiones, „quae ipsius Christi ore ab Apostolis acceptae aut ab ipsis Apostolis dictante Spiritu Sancto quasi per manus traditae ad nos usque pervenerunt". 3. *Traditio ecclesiastica* (vocatur etiam Traditiones paternae, Veterum regulae)[19] continet praecepta non scripta et ipsius Ecclesiae auctoritate introducta. Exemplo sit: baptismus parvulorum, signum crucis, benedictio aquae baptismalis etc.

Circa Traditionem quattuor notanda sunt: a) Traditio vocatur lex non scripta, non quia nullibi scripta sit, sed quia non scripta est a *primo* auctore. Sic e. gr. baptismus parvulorum, quem statuit Traditio ecclesiastica, non invenitur quidem descriptus in aliquo codice legali primaevae Ecclesiae, sed scriptum est de illo in libris complurium SS. Patrum[20]. b) SS. Patres non sunt ipsa Traditio ecclesiastica, sed sunt illius *testes* dignissimi[21]. c) Quae a Traditione *divina* praecepta habentur, non possunt mutari ab ecclesiastica auctoritate; quae vero a Traditione apostolica sancita sunt, possunt quidem mutari, quippe quae sint iuris humani et non divini, sed nonnisi rarissime de facto mutantur. d) Traditio non est idem ac consuetudo; nam Traditio primam originem ducit ab ipso legislatore; econtra consuetudo primam originem ducit a populo, licet ipsa non fiat legitima nisi accedente saltem aliquo consensu legislatoris. Quia tamen consuetudo prope accedit ad Traditionem, hic statim adiungitur quaestio:

[13] Io 18, 37. [14] Lc 1, 23. [15] Lc 22, 19.

[16] Cf. quae de hac lege positiva divina scripsimus in Man. theol. mor. I, n. 159 sqq.

[17] *S. Leo M.*, Sermo 40, 5. Cf. *Billuart* O. P., Summa S. Thomae: Tract. de temperantia a. 12, Digressio historica de ieiunio. Complures tamen alii auctores docent ieiunium quadragesimale non esse introductum ab Apostolis, sed saeculo III. Cf. Funk, Kirchengeschichtl. Abhandl. I 241—270.

[18] 1 Cor 7, 10 sqq. [19] 1 C. 6, D. 64, Gelasius Papa.

Q. 18. *Quomodo consuetudo sit fons exsistendi iuris ecclesiastici?*[22]

R. Ad clare explicandam hanc materiam expenduntur: 1. notio; 2. divisio; 3. requisita; 4. effectus; 5. cessatio; 6. historia consuetudinis.

I. Notio. Consuetudo sumitur a) *materialiter* pro repetitis actibus vel communitatis vel personae particularis per tempus diuturnum. Sic loquimur de consuetudine belligerandi cum sagittis venenatis, de consuetudine peccandi etc. Talis consuetudo est consuetudo *facti,* et de illa hic non agitur; b) *formaliter* pro iure, quod aliquando oriri potest ex frequentatione actuum. Consuetudo formaliter sumpta definiri potest: ius inductum moribus populi cum aliquo saltem consensu legis-

[20] Cf. Conc. Milev. II can. 2.

[21] Cf. *Wernz,* Ius decr. I, n. 185 sqq. Cum primis Ecclesiae saeculis nondum exsistere potuerit propter persecutiones paganorum et alia multa impedimenta tam perfecta legislatio ecclesiastica ac nostris diebus, SS. Patres non tantum sunt doctores fidei et morum, sed etiam magistri canonum. Hinc iam S. Athanasius vocatus fuit a Sulpicio Severo iuris consultus (cf. Bardenhewer, Gesch. d. altkirchl. Literatur II 3). Hinc etiam in Decreto Gratiani aliisque collectionibus iuris canonici non pauca capitula ex scriptis SS. Patrum deprompta sunt. Cf. Decr. Gratiani c. 23 25 27 28, D. 50. Nihilominus SS. Patres (ut tales; nam, si sunt episcopi vel Papae, tunc aliter dicendum est) non sunt proprie legislatores ecclesiastici, et proinde magis obtemperandum est Summorum Pontificum decretis quam eorum sententiis (c. 1, D. 20 in Decr. Gratiani). Unde optime concludit card. Soglia (Inst. iur. eccl. I, § 42): „SS. Patrum scripta in rebus disciplinae sunt iuris canonici fons *subsidiarius,* quatenus, ubicumque sacri canones silent, scripta SS. Patrum subsidio veniunt et locum auctoritatemque legis ecclesiasticae obtinent."

Quae hic dicta sunt de auctoritate SS. Patrum, valent similiter fere etiam pro auctoritate doctorum et interpretum iuris ecclesiastici. His doctoribus certe non competit *authentice* interpretari ius ecclesiasticum, attamen si plures graves auctores eodem modo aliquam legem ecclesiasticam interpretantur, tunc in praxi tuto agere licet iuxta talem interpretationem. Auctoritas doctorum multum valet in Congregationibus Romanis, quae suas decisiones in casibus particularibus solent dare iuxta explicationem gravium doctorum.

[22] De hac materia specialiter agitur in Decr. Grat. c. 2 4 5 6, D. 1; Decretal. Gregorii IX et Bonifatii VIII l. 1, tit. 4; *Kreutzwald,* De canonica iuris consuetudinarii praescriptione (Berolini 1873); *Guil. Bauduin,* De consuetudine in iure canonico (Lovanii 1888).

latoris, vel, sicut dicit Decretum Gratiani[23]: *„Consuetudo est ius quoddam moribus institutum, quod pro lege suscipitur, cum deficit lex."*

a) Consuetudo sic formaliter sumpta differt a *traditione,* quippe quae primam originem ducat ab ipso legislatore; consuetudo autem introducitur a populo;

b) a *praescriptione,* quae non causat nisi ius subiectivum, sive sit ius in re sive ius ad rem, et ut plurimum valet tantum pro aliqua persona individuali; dum econtra consuetudo causat ius *obiectivum* seu veram legem, et ut plurimum valet pro tota communitate. Inter consuetudinem et praescriptionem complures aliae differentiae exsistunt.

2. **Divisio.** Consuetudines solent *dividi* iuxta quattuor genera causarum:

a) *ex parte finis* seu effectuum per ipsam intentorum ponitur:

α) consuetudo *secundum* legem (vocatur etiam inhaesiva vel declarativa), quae legem exsistentem confirmat vel interpretatur. De hac consuetudine valet axioma ex iure romano desumptum: „Optima enim est legum interpres consuetudo."[24] Vocatur etiam interpretatio *usualis* legis;

β) consuetudo *praeter* legem, quae in casibus, qui a iure non sunt decisi, constituit novam legem, conformem tamen *spiritui* legis exsistentis. (Huic consuetudini praecipue competit definitio supra data a Gratiano.) Tali consuetudine introducta erat e. gr. obligatio clericalis privatim recitandi Breviarum, obligatio clericalis radendi barbam.

γ) consuetudo *contra* legem, quae legem latam vel usu numquam recipit, vel iam receptam legem contrariis moribus tollit atque usu longaevo abrogat; e. gr. diversae consuetudines contra decreta disciplinaria Concilii tridentini.

b) *ex parte causae efficientis* seu iuxta diversas communitates, a quibus ortum habet, consuetudo vel est

α) generalissima, quae recepta est in universa Ecclesia[25];

β) generalis, quae recepta est in tota quadam provincia[26];

γ) specialis seu particularis, quae in aliqua urbe vel civitate viget[27]. (Nota: Consuetudo specialis praevalet generali.)

c) *ex parte causae materialis* ab antiquis auctoribus consuetudo dividebatur in canonicam et civilem: canonica consuetudo habetur in iure canonico, civilis consuetudo in iure civili[28]. Modernae leges civiles communiter nullas consuetudines agnoscunt.

---

[23] c. 5, D. 1. Quae quidem definitio recte intellecta est optima, quidquid in contrarium dicat de Angelis tit. de consuet. n. 1; nam lex potest deficere quantum ad *claritatem* et tunc supplet consuetudo iuxta legem, vel quantum ad *universalitatem seu extensionem* et tunc supplet consuetudo praeter legem, vel demum quantum *ad utilitatem* et tunc supplet consuetudo contra legem. Cf. *Reiffenstuel,* Ius can. univ. l. 1, tit. 4, n. 6.

[24] L. 37 D. de leg. I, 3, c. 29 et Index Codicis s. v. consuetudo.

[25] Cf. c. 5, Ecclesiasticarum D. 11. [26] Cf. c. 31 X 1, 6.

[27] Cf. c. 19 X 2, 24. [28] Cf. *Reiffenstuel,* Ius can. univ. l. 1, tit. 4, n. 18.

d) *ex parte causae formalis* consuetudo vel est *extraiudicialis,* quae usu populi et non decisionibus tribunalium sancita est; vel est consuetudo *iudicialis* (vocatur etiam usus forensis), „quae pluribus sententiis conformibus super eodem causarum genere prolatis obtinuit in iudicio, i. e. quando ad minus bis pariformiter iudicatum fuit circa causas similes in iudicio contradictorio intra decennium"[29]. *Si forma procedendi* tribunalium (aliorumque dicasteriorum) in causis ecclesiasticis consuevit eadem esse, vocatur *„stylus curiae"*[30] vel mos iudiciorum vel generalis observantia. Si vero in consuetudine iudiciali potius attenditur ipsa materia sententiarum iudicialium, quae de similibus rebus uniformiter prodierunt, appellatur: *„auctoritas rerum similiter iudicatarum"* vel iurisprudentia, e. gr. Baptismus dubius consideratur validus in ordine ad matrimonium.

e) ratione temporis consuetudo solet distingui vel

consuetudo ordinaria vel longa, quae requirit praescriptionem 40 annorum, vel

consuetudo centenaria vel longissima, quae supponit durationem 100 annorum, vel

consuetudo immemorabilis, cuius memoria non exsistit.

Aliae divisiones consuetudinis utpote minus necessariae possunt omitti[31].

3. **Requisita ad legitimam consuetudinem.** Ut consuetudo fons iuris evadat, requiruntur tria: a) materia apta; b) subiectum capax; c) consensus legislatoris.

a) *Materia apta* consuetudinis est mos rationabilis et legitima praescriptione stabilitus. Quare breviter solet dici[32]: „Consuetudo non habet vim legis, nisi est rationabilis et legitime praescripta. Censetur autem consuetudo irrationabilis, 1) si contrariatur iuri naturali vel divino positivo[33]. Ideoque Gregorius IX dicit[34]: „Nemo sanae mentis intelligit naturali iuri ... quacumque consuetudine (quae dicenda est verius in hac parte corruptela) posse aliquatenus derogari." 2) si disrumpit nervum disciplinae[35]. Quapropter e. gr. omnes consuetudines quae enervant disciplinam monasticam, sunt invalidae. 3) si peccandi licentiam vel occasionem praebet[36]. 4) si nocet bono communi. Sicut enim lex invalida est, quae bono communi nocet, ita a fortiori consuetudo irrationabilis prorsus invalida est, quae obest bono communi. Reiffenstuel[37] merito animadvertit: „Loquendo in specie sive in casibus particularibus, utrum haec vel illa consuetudo sit rationabilis necne, id prudentis iudicis arbitrio relinquendum est.... Quodsi pensatis om-

---

[29] Ita *Reiffenstuel* l. c.

[30] De analogia inter stylum curiae et consuetudinem optime tractat *Ph. Maroto* C. M. F., Instit. iur. can. I, n. 362.

[31] Videsis *Wernz,* Ius decr. I, n. 187. [32] Cf. c. 11 X 1, 4. [33] c. 27.

[34] L. c. Cf. etiam *S. Thom.*, S. th. 1, 2, q. 97, a. 3 ad 1.

[35] c. 3 et 5 X 1, 4. [36] Ib. c. 9 et 10.

[37] L. c. l. 1, tit. 4, n. 41.

nibus remaneat dubium super rationabilitate consuetudinis, praesumenda erit rationabilis ac bono communi expediens."

Consuetudo debet esse legitime *praescripta*. Ad quam quidem legitimam praescriptionem nullum determinatum tempus requiritur, si consensus expressus legislatoris eam ratihabeat, aut si est consuetudo secundum legem. Secus autem requiritur praescriptio quadraginta annorum non interrupta; immo contra legem, quae clausulam continet futuras consuetudines prohibentem, sola praescribere potest rationabilis consuetudo centenaria aut immemorabilis. Ita Codex iur. can. c. 27, § 1 et c. 28, ideoque finita est controversia olim exsistens de duratione requisita praescriptionis praeter vel contra legem ecclesiasticam.

b) *Subiectum capax* consuetudinis introducendae est sola *communitas*, cui lex proprie dicta imponi potest[38]. Hinc e. gr. dioecesis, provincia, ordo religiosus etc. consuetudinem inducere valent, non autem privatae personae aut familiae, quippe quae non sint capaces nisi simplicis praecepti. — Insuper requiritur ut consuetudo introducatur: a) a maiore parte communitatis; b) actibus iteratis et spontaneis; c) cum animo se obligandi vel aliquam obligationem respuendi. Sic e. gr. in nonnullis urbibus vel paroeciis exsistit obligatio stato die ieiunandi vel peregrinandi. Quae quidem ieiunia aut peregrinationes antiquis temporibus introducta fuere ex voto populi. Cum autem votum ipsum nequeat obligare posteros, qui tamen obligantur ad opera praestanda, haec obligatio oritur ex consuetudine.

Disputant auctores, num ad inducendam consuetudinem contra legem requiratur bona fides agentium. Verior videtur esse responsio haec: Si legislator scit et tolerat talem consuetudinem, videtur consentire abrogationi legis scriptae, et consuetudo contraria evadit legitima, labente tempore. Sin vero legislator ignorat hanc consuetudinem vel si nequit prudenter contradicere, primi transgressores legis sane non valent incipere praescriptionem contra legem scriptam, quoniam ad omnem praescriptionem requiritur bona fides. Sed fieri potest ut paulatim magna pars populi evadat bonae fidei. Etenim si qua lex positiva impune non observatur a magna parte populi, sub brevi tempore enascetur opinio, talem legem iam non obligare in conscientia[39].

c) *Consensus legislatoris* omnino necessarius est, ut mores communitatis seu consuetudines facti vim legis obtineant in iure ecclesiastico. Hinc Codex iur. can. expresse statuit c. 25: „Consuetudo in Ecclesia vim legis a consensu competentis superioris ecclesiastici unice obtinet." Ita catholici contra scholam, uti vocant, historicam (Schulte, Sohm, Windscheid etc.), quae docet unicam causam iuris consuetudinarii esse communitatem, quin ullus consensus legislatoris requiratur. De hac re docet S. Thomas[40]: „Si sit libera multitudo, quae possit sibi legem facere, plus est consensus totius multitudinis ad aliquid observandum, quem consuetudo manifestat, quam auctoritas principis, qui non habet potestatem condendi legem, nisi in quantum gerit

[38] c. 26 27. [39] Cf. *Schmalzgrueber* l. 2, tit. 26, n. 56 sq.
[40] S. th. 1, 2, q. 97, a. 3 ad 3.

personam multitudinis; unde licet singulae personae non possint condere legem, tamen totus populus condere legem potest. Si vero multitudo non habeat liberam potestatem condendi sibi legem vel legem a superiore potestate positam removendi, tamen ipsa consuetudo in tali multitudine praevalens obtinet vim legis, *in quantum per eos toleratur, ad quos pertinet multitudini legem imponere*." — Cum igitur Ecclesia non sit quasi „regnum constitutionale", et leges ecclesiasticae sine praevia electione aut consensu populi obligent, ad omnem legitimam consuetudinem ecclesiasticam requiritur consensus competentis legislatoris[41]. Qui quidem consensus est vel expressus vel tacitus vel legalis. Consensus *expressus* adest, si legislator competens disertis verbis approbat consuetudinem, quae in hoc casu statim fit legitima. — Consensus *tacitus* habetur, si legislator tacet, quamvis possit facile reprobare. Silentium sic dictum prudentiale seu oeconomicum, quod observatur ad maiora mala vitanda, non constituit consensum tacitum. — Consensus *legalis* ille est, qui ipsa lege continetur, qua legislator approbat omnes consuetudines rationabiles. Hodie auctores communissime docent consensum cum legalem tum tacitum sufficere ad legitimam consuetudinem stabiliendam, accedente debito tempore praescriptionis.

4. **Effectus consuetudinis legitimae** sunt tres iuxta S. Thomam l. c. dicentem: „Consuetudo et habet vim legis, et legem abolet, et est legum interpretatrix." Consuetudo legum interpretatrix est idem ac interpretatio *usualis* legis seu consuetudo secundum legem, de qua supra dictum est. Consuetudo *abrogatoria* legis est consuetudo contra legem. Nulla lex mere ecclesiastica est, quae non possit consuetudine abrogatoria tolli. Textus enim Decretalium[42] iam supra citatus est universalis. Quare etiam decreta disciplinaria Concilii trid. abrogari possunt consuetudine rationabili et vestita conditionibus supra recensitis[43]. Consuetudo *obligatoria* seu condens legem novam est hodie

[41] c. 25. [42] C. 11, X 1, 4.
[43] Disputatum fuit, num consuetudo contra decreta disciplinaria Concilii tridentini posset legitime invalescere. Negant Fagnanus, Cardinalis de Luca, Lucidi, Benedictus XIV, Devoti, sed hodiernis temporibus affirmativa sententia est moraliter certa. Plures enim consuetudines (Gerlach-Schulte, Kirchenrecht § 44 enumerat octo consuetudines contrarias) contrariae Concilio tridentino tamquam legitimae ab omnibus habentur. Ad rem scribitur in Act. S. Sedis IV, p. 26, not. 1: „Non multo post tridentinum Concilium incepit apud canonistas invalescere dictio: Contra Concilium tridentinum nulla admittitur consuetudo. Haec dictio, quae nec grave habuit ab initio fundamentum, admissa merito fuit a S. Congregatione Concilii. Dixi: Grave non habuit fundamentum; namque ea generalis clausula neque a Patribus Concilii tridentini apposita fuit Decretis neque explicite ab aliqua constitutione Romani Pontificis. Attamen a variis auctoribus persaepe repetita fuit usque ad nostra tempora. Nihilominus haec dictio, quam post novam aliquam sollemnem legem cogimur veluti subintelligere, decursu saeculorum pedetentim amittit suam veritatem, et reapse modo videmus multas invaluisse consuetudines contra Concilium tridentinum, quae irrationabiles praesertim pro locorum adiunctis non reputantur." Apud *Wernz*, Ius decr. I, n. 194, nota 113.

sat rara. Antiquis temporibus tali consuetudine introductae sunt e. gr. leges de obligatione coelibatus, de obligatione privatim recitandi Officium divinum, impedimentum disparitatis cultus etc. Consuetudo valet condere novam legem, dummodo adsint sequentes conditiones: a) consensus legislatoris; b) materia rationabilis; c) communitas perfecta; d) actus libere exerciti et quidem cum intentione se obligandi; e) praescriptio debita.

5. **Cessatio consuetudinis.** Cum consuetudo debitis conditionibus vestita sit vera lex, eodem modo cessat sicut aliae leges, i. e. ab *intrinseco* (per materiae cessationem vel finis desitionem) et *ab extrinseco* i. e. per revocationem aut per consuetudinem contrariam.

a) Consuetudo *universalis* abrogatur per legem contrariam universalem, licet non faciat ullam huius consuetudinis mentionem. Quapropter e. gr. si episcopus fert legem pro tota dioecesi, consuetudo contraria in tota dioecesi exsistens eo ipso est abrogata.

b) Consuetudo *particularis* alicuius loci vel instituti non abrogatur per legem *generalem* contrariam supervenientem, nisi tamen legislator expresse velit istam quoque consuetudinem tollere. Quapropter dicit Bonifatius VIII[44]: „Licet Romanus Pontifex (qui iura omnia in scrinio pectoris sui censetur habere) constitutionem condendo posteriorem, priorem, quamvis de ipsa mentionem non faciat, revocare noscatur: quia tamen locorum specialium et personarum singularium consuetudines et statuta potest probabiliter ignorare, ipsis — dum tamen sint rationabilia — per constitutionem a se noviter editam (nisi expresse caveatur in ipsa) non intelligitur in aliquo derogare."

Clausula *generalis* derogatoria haec: „Non obstante quacumque consuetudine", vel alia similis sufficit ad tollendas consuetudines quoque speciales.

c) Consuetudo *immemorabilis* vel *centenaria* non censetur revocata, nisi legislator dicat in formula derogatoria: „non obstante quacumque consuetudine in contrarium etiam immemorabili vel centenaria." — Ceterum res de revocatione consuetudinum per Codicem iur. can. c. 5 et 30 nunc definita est hoc modo: a) Consuetudines centenariae vel immemorabiles (etiam contrariae codici iur can.), nisi sint expresse reprobatae, tolerari possunt ab Ordinariis, qui prudenter existimant eas submoveri non posse; b) omnes aliae consuetudines generales contrariae novis legibus sunt suppressae; c) consuetudines particulares non revocantur per legem generalem, nisi id expresse statuatur.

6. **Scholion. De historia legis consuetudinariae.** Iam antiquissimis temporibus occurrunt consuetudines iuxta et praeter legem, e. gr. obligatio coelibatus clericis imposita; ieiunium quadragesimale etc. Sed non videntur exstitisse consuetudines contra legem. Unde Constantinus I (a. 319) statuit: „Consuetudinis ususque longaevi non vilis auctoritas est, verum non usque adeo sui valitura momento, ut aut rationem vincat aut legem."[45] Gratianus haesitanter admisit consuetudines contra legem, docens leges et canones posse abrogari moribus[46]. Gregorius IX[47] iam supponit possibilitatem consuetudinis legitimae contra legem et solummodo determinat, sub quibus conditionibus talis consuetudo possit evadere legitima. Inde a temporibus Gregorii IX constanter admissae fuerunt consuetudines legitimae contra legem. — *Exsistentia* consuetudinis vestitae debitis qualitatibus, cum sit res facti, non praesumitur, sed debet probari. De qua quidem probatione eadem fere valent quae obtinent pro probatione praescriptionis. Si dubium manet, tunc, uti iam supra dictum est, consuetudo ordinarie censetur legitime exsistere.

[44] C. 1 I, 2 in VI°. [45] L. 2, Cod. VIII, 52 (53).

SCHOLION.

De legibus civilibus.

Leges civiles ut sic certe non possunt esse fontes exsistendi seu causae efficientes iuris ecclestiastici, cum Ecclesia sit societas perfecta et prorsus independens a civili potestate. Hinc Summi Pontifices semper respuerunt civilis potestatis conatus dirigendi res ecclesiasticas. Attamen iidem Summi Pontifices non paucas leges civiles (de valore cognationis legalis, de praescriptionibus), praesertim autem ex Codice Iustinianeo transumpserunt in ius ecclesiasticum, et sic illae leges, uti dicunt, canonizatae sunt et obligant etiam in foro ecclesiastico, non tamen quia continentur in iure civili, sed quia ab Ecclesia libere receptae sunt. In hoc sensu ius civile Romanum vocatum est fons subsidiarius iuris canonici. Modernae leges civiles de materiis aliquo modo ad religionem spectantibus latae ex se nullam obligationem inducunt pro Ecclesia. Nihilominus tamen Ecclesia semper fere tolerat, ut fideles et clerici leges civiles etiam circa res ad religionem pertinentes observent. Tolerat e. gr. matrimonia civilia, tolerat ut clerici compareant coram iudice civili. Insuper in multis regionibus vigent Concordata, quae regulant relationes inter Ecclesiam et Statum. Haec Concordata certe sunt fontes iuris ecclesiastici pro determinatis regionibus. Summi enim Pontifices expresse ratihabuerunt sanctiones eorum. De Concordatis infra explicitius sermo erit. De relatione autem generali Ecclesiam inter et Statum videsis Hammerstein, De Ecclesia et Statu; vel Sägmüller, Kirchenrecht 32 sqq.

Q. 19. *Quomodo constitutiones Summorum Pontificum sint fontes exsistendi iuris ecclesiastici?*

R. Post legem divinam et naturalem constitutiones Summorum Pontificum primatum obtinent inter fontes iuris ecclesiastici. In Ecclesia Christi, quae utpote societas perfecta gaudet plena potestate legislativa[48], Summi Pontifices sunt supremi legislatores. Tamquam veri successores S. Petri receperunt hanc facultatem ab ipso Christo, cuius vicarii in terra sunt. Inde a primis saeculis aerae christianae Romani Pontifices in diversis orbis partibus has facultates exercuerunt et eorum suprematia iurisdictionis ab aliis episcopis agnita fuit. Exemplo inter alia sunt epistula Papae Clementis ad Corinthios, epistula Papae Siricii ad Himerium Taraconensem[49]. Unde Innocentius I (a. 416) ad Decentium Eugubinum scribit: „ab omnibus debet observari ... quod a

[46] C. 3, D. 4. [47] C. 11, X 1, 4. [48] Cf. Syllab. Pii IX, prop. 19 20 41 42.
[49] *Migne*, Patr. lat. 13, 1132. Cf. *Jaffé*, Regesta n. 255 311 331 334 373 etc.

principe Apostolorum Petro Romanae Ecclesiae traditum est ac nunc usque custoditur". Papae exercere possunt suam supremam potestatem legislativam independenter ab episcopis vel cardinalibus vel etiam Concilio oecumenico[50]. Libere possunt ferre leges in totam Ecclesiam, nec ulla lex particularis valet contra eorum decreta. Libere possunt statuta suorum praedecessorum et Conciliorum omnium mutare. Leges eorum, etsi non necessario sunt semper simpliciter optimae visis omnibus circumstantiis, tamen numquam continent aliquid contra fidem et bonos mores, si sunt latae pro universa Ecclesia[51]. Libere possunt ferre leges de omnibus ad fidem, religionem, mores spectantibus, non autem (extra territorium sui principatus civilis) de rebus *pure* civilibus. Haec omnia latius tractantur et probantur in tractatu de Ecclesia vel de legibus ecclesiasticis, unde ad illos tractatus remittimus lectorem.

Constitutiones Summorum Pontificum aliae sunt *dogmaticae,* aliae *disciplinares.* Constitutiones dogmaticae dogma catholicum explicant et definiunt, e. gr. constitutio Pii IX de Immaculata Conceptione B. M. V. Constitutiones disciplinares respiciunt disciplinam ecclesiasticam, et de his tantum hic agendum est. Quae quidem constitutiones vocantur quoque Decreta, Decretales, Constituta, Epistulae, Regulae etc.[52] Antequam veram obligationem inducunt, debent legitime publicari; nulla enim lex obligat, nisi sit debite promulgata. Antiquis temporibus constitutionum papalium promulgatio fiebat affigendo illas Romae in valvis plurium basilicarum et „in acie campi Florae"[53]. Hodiernis temporibus constitutiones generales solent mitti ad singulos Ordinarios. „Leges ab Apostolica Sede latae promulgantur per editionem in Actorum Apostolicae Sedis commentario officiali, nisi in casibus particularibus alius promulgandi modus fuerit praescriptus; et vim suam exserunt tantum *expletis tribus mensibus* a die qui Actorum numero appositus est, nisi ex natura rei illico ligent aut in ipsa lege brevior vel longior vacatio specialiter et expresse fuerit statuta."[54] Quare e. gr. si aliquod decretum generale pontificium latum est d. 15 Ian., publicatum autem est in Actis Ap. Sed. d. 1 Febr., non incipit obligare nisi d. 1 Maii. Per se autem minime requiritur, ut publicatio fiat in singulis dioecesibus vel paroeciis, ut voluerunt Gallicani et Iansenistae; potest tamen accidere, ut episcopus dioecesanus

[50] Cf. Conc. Trid. sess. 14, c. 7 et sess. 25, c. 21 de reform. Const. Pii VI „Auctorem fidei" 28. Aug. 1794; Conc. Vatic. sess. 4, c. 3.

[51] Pontificum Summorum decreta disciplinaria vim obligandi habent solummodo quantum ad partes uti dicunt dispositivas, non autem quantum ad partem historicam. Sic e. gr. quando in aliquo decreto aliqua dispositio vel ordinatio introducitur et fulcitur motivis, quae sunt facta mere historica, minime sequitur, quod haec facta allegata sunt indubitanter vera. Sane cum magna reverentia tales allegationes Summorum Pontificum circa facta historica tractandae sunt, attamen Summi Pontifices sunt nequaquam infallibiles in factis mere historicis. Cf. e. gr. controversiam valde agitatam de domus B. V. in Laureto genuinitate.

[52] Cf. *Maassen,* Quellen 228.

[53] Am Eingang des Blumenmarktes. Cf. *Vering* l. c. § 55.

[54] c. 9.

propter graves rationes ex singularibus circumstantiis provenientes aliquod decretum romanum putet nocivum in sua dioecesi. Quo casu liceret ad tempus supersedere a publicatione illius. Rationes vero, propter quas sic egerit, interim proponere tenetur Curiae Romanae, quae si acquiescat, lex non obligat in tali dioecesi[55]. Generatim loquendo cum quilibet episcopus catholicus unionem habens cum Sede Apostolica censeri debeat filius oboediens Supremi Pontificis, si qua lex certo non est publicata in dioecesi, non obligare praesumitur fideles et clericos talis dioeceseos.

Legibus generalibus Romanorum Pontificum per se loquendo subditi sunt omnes homines valide baptizati in universo orbe et sufficienti rationis usu gaudentes. Ergo etiam haeretici et schismatici[56]. Dixi tamen „per se loquendo", quia in casibus particularibus pia Mater Ecclesia aliquando ad maiora mala vitanda non intendit ligare acatholicos. Sic e. gr. matrimonia acatholicorum sunt valida, licet non sint inita coram parocho et duobus testibus, sicuti lex ecclesiastica decrevit pro catholicis.

Quadruplicis *formae* solent esse pontificiae constitutiones iuxta vigentem disciplinam: 1) Bullae seu constitutiones in stricto sensu; 2) Motus proprii; 3) Litterae apostolicae seu Brevia; 4) Epistulae seu chirographa.

1) *Bullae,* quae sunt litterae pontificiae apertae (vocantur propterea etiam aliquando litterae patentes), expediuntur in forma sollemni de rebus gravioribus, e. gr. pro erectione vel dismembratione alicuius dioecesis. Nunc vocantur quoque „Apostolicae litterae sub plumbo, constitutiones apostolicae" etc. Super magna et crassa membrana scribuntur; appenduntur plumbea (raro aurea) numismata, quae includi solebant in aliqua capsula. Inde nomen Bullae desumptum est. Olim distinguebantur Bullae communes seu per Cancellariam, Bullae per viam secretam, Bullae per Cameram, Bullae per Curiam, Bullae consistoriales, Bullae dimidiae[57]. Aliquando, et praesertim quando sunt Bullae sollemniores, non tantum habetur subscriptio Papae regnantis, sed etiam plurium Cardinalium. Prima verba alicuius Bullae vocantur arrenga; iuxta quam solet Bulla citari, e. gr. Bulla „Unam sanctam" Bonifatii VIII.

Pius X „Motu proprio" d. 8 Dec. 1910 novas formulas Bullarum praescripsit, quae inde a 1 Ian. 1911 in usum deductae sunt[58]. Idem Summus Pontifex d. 15 Apr. 1910 statuit, ut constitutionibus apostolicis in posterum

[55] Cf. *Wernz,* Ius decr. I, n. 142.

[56] Esse subditum Ecclesiae et esse membrum Ecclesiae non significant idem. Licet enim Eugenius IV in Decr. pro Armen. dicat: „Per ipsum (baptisma) ... de corpore efficimur Ecclesiae", tamen communis sententia doctorum est non omnes baptizatos esse membra corporis Ecclesiae. Cf. *De Groot,* De Ecclesia q. 3, a. 3. Econtra omnes baptizati, *habitualiter usum rationis habentes,* post septimum aetatis annum potestati legiferae, iudiciariae et coactivae Ecclesiae subduntur.

[57] Videsis *Phillips,* Kirchenrecht III 646. Pius X (const. „Sapienti consilio") statuit, ut Bullae deinceps non expedirentur nisi per viam Cancellariae, „sublatis iis modis qui dicuntur per viam secretam, de Camera et de Curia".

[58] Acta Ap. Sed. II 939.

una subscribant Cardinalis S. R. E. Cancellarius et Cardinalis qui praeest Officio, ad cuius competentiam res tractata pertinet; et ut duplex tale exemplar, alterum a Summo Pontifice, alterum a memoratis Cardinalibus subscriptum in Apostolica Cancellaria custodiatur[59].

2) *„Motus proprii"* vocantur illae litterae apostolicae, quae incipiunt verbis „motu proprio", quae quidem verba in fine solent repeti; nullum sigillum apponitur; solus Papa subscribit his litteris, quae vocantur Motus proprii ad significandum, nullis aliorum precibus Summum Pontificem fuisse motum seu inductum, ut statuta de quibus agitur edat. Inde tamen non licet concludere nullas preces nullaque consilia fuisse porrecta de hac re Summo Pontifici, sed solummodo significatur illum exinde non fuisse inductum ad legem ferendam. Leges seu decreta per Motum proprium lata habent maximam vim, tollunt quaecumque privilegia contraria neque possunt vitiari obreptione aut subreptione. Rescripta autem, quibus apponitur clausula: Motu proprio, valent quidem, si in precibus reticita erat veritas alioquin necessario exprimenda, non tamen si falsa causa finalis eaque unica proposita erat; immo etsi unica causa finalis in precibus exposita falsa fuit, nihilominus valida est dispensatio super impedimento matrimoniali minoris gradus[60].

3) *Brevia* (litterae breves), quae sunt litterae apostolicae minus sollemnes, expediuntur a Secretaria Brevium. Scribuntur in membrana tenui et alba formae oblongae. Praemittitur nomen completum Pontificis, e. gr. Benedictus P. P. XV; stylus est simplex, deest subscriptio Romani Pontificis, cuius loco subscribit cardinalis Secretarius vel Cancellarius Brevium. Sigillum est annulus piscatoris, repraesentans S. Petrum in navicula trahentem rete. Mittuntur communiter clausae. Pius X const. „Sapienti consilio" 29 Iunii 1908 decrevit, ut „in posterum in omnibus apostolicis litteris sive a Cancellaria sive a Dataria expediendis initium anni ducatur non a die Incarnationis Dominicae, hoc est a die 25 Martii, sed a kalendis Ianuariis". In anterioribus autem apostolicis litteris usque ad haec ultima tempora solebat antiqua computatio adhiberi.

4) *Epistulae apostolicae,* quae antiquis temporibus vocabantur chirographa, sunt litterae scriptae ab aliquo secretario et subscriptae ab ipso Summo Pontifice. Aliquando etiam manu propria Summi Pontificis totaliter scriptae sunt. Diriguntur ad personas privatas et tractant de rebus privatis.

Litterae, quas mittit Summus Pontifex ad episcopos et praelatos omnes vel alicuius territorii, vocantur *Encyclicae.* Non datur specialis forma pro istis litteris encyclicis.

Iam ab antiquis temporibus litterae apostolicae, antequam mittebantur ad destinatas personas, transcribebantur in aliquo Registro. Valde dolendum est, quod lapsu temporis complura talia Registra (seu Regesta) deperdita sunt. Nihilominus plura milia Regestorum habentur in Archivo Vaticano, quorum sat magna pars iam publici iuris facta est (e. gr. a Jaffé, Potthast, Bibliothèques des écoles françaises d'Athènes et de Rome, Hergenröther etc.).

Q. 20. *Quomodo decreta romanarum Congregationum sint fontes iuris ecclesiastici?*

R. Summi Pontifices neque solent neque possunt per se ipsos omnes res disciplinares expedire, casus particulares et dubia solvere

[59] Ib. 287. [60] Cod. iur. can. cc. 45 et 1054.

propter eorum magnam multitudinem. Unde ope complurium Congregationum romanarum utuntur. De constitutione, potestate et modo agendi harum Congregationum infra explicitius erit sermo, ubi de Curia Romana agetur; hic tantum summarie indicatur, quomodo earum decreta sint fontes iuris ecclesiastici. Circa quod notandum est:

a) Si earum decreta non sunt nisi rescripta pro casibus particularibus vel iudicia particularia, tunc ligant quidem partes, pro quibus edita sunt; minime tamen constituunt ius, quod licet deduci eo ipso ad alios casus similes. Ita omnes. Ratio est quia iuxta notum adagium: „Res inter alios acta nobis nec prodesse nec obesse debet"[61]. Hinc e. gr. si S. C. Inqu. rescripsit 21 Aprilis 1841 „Usum magnetismi prout exponitur non licere", ex hac decisione minime usus magnetismi generatim illicitus proclamatur, ut eadem S. Congregatio 28 Iulii 1847 declaravit.

b) Si S. Officium proscribit librum vel scriptum, hoc utique proscriptum manet in universo orbe, in quantum Index librorum prohibitorum valet. Ita omnes.

c) Decreta generalia S. Congregationis Rituum universam Ecclesiam adstringunt, eodem prorsus modo ac si immediate ab ipso Summo Pontifice essent promanata. Ita Decretum Pii IX 23 Maii 1846. Decreta autem particularia obligant tantum dioecesim, locum vel ordinem religiosum, ad quem sunt directa.

d) Decreta cetera aliarum Congregationum ex se non videntur habere vim legis universalis, nisi expresse accedat approbatio Summi Pontificis. Auctores multi distinguunt quidem inter decreta comprehensiva et decreta extensiva. Primis dicunt competere vim legislativam universalem, non autem secundis, nisi habeant specialem approbationem Papae. In hodierna praxi haec distinctio non videtur esse multi valoris, nam primo non est possibile semper certo distinguere, quodnam decretum sit extensivum et quodnam sit comprehensivum. Praeterea quando vel leve dubium occurrit de competenti auctoritate Congregationis, prius peti solet facultas a Papa his vel similibus dictis: „facto verbo cum Sanctissimo." Ex quo sequitur, decreta *generalia* omnium Congregationum romanarum nedum ab omnibus magna cum reverentia esse suscipienda, sed etiam revera semper habere vim obligativam universalem[62]. Benedictus XV (Motu proprio „Cum iuris" d. 15 Sept. 1917) monet quidem, ut romanae Congregationes in posterum non multiplicent nova decreta generalia, sed ipsis agnoscit potestatem ea ferendi, quae possunt inseri in novo Codice iur. can. — Authentica decreta S. Congr. Rituum sub. Leone XIII publicata sunt, pariter exsistunt collectiones authenticae S. Congr. Indulg. Aliarum autem Congregationum *authenticae* collectiones adhuc desiderantur.

[61] Cf. S. C. Consist. d. 11 Febr. 1911. Acta Ap. Sed. III 99.
[62] Cf. *Wernz,* Ius decr. I 145 sq; *Ph. Maroto* l. c. I, n. 340 sqq.

Q. 21. *Quomodo Concilia oecumenica sint fontes iuris ecclesiastici?*

R. Concilia oecumenica rite convocata et a Summo Pontifice confirmata sunt fontes uberrimi iuris ecclesiastici. Etenim de potestate legifera Conciliorum oecumenicorum numquam est dubitatum. „Concilium generale seu oecumenicum a voce οἰκουμένη (orbis inhabitatus) *est conventus episcoporum ex toto orbe convocatorum ad iudicandum et statuendum de rebus ecclesiasticis sub auctoritate Romani Pontificis.* Dixi 1. *ex toto orbe;* sic enim Concilium oecumenicum a *nationali* distinguitur, ad quod convocantur alicuius seu regni seu nationis antistites, patriarcha vel primate praesidente; et a *provinciali,* ad quod episcopi unius provinciae ecclesiasticae, praesidente metropolitano, convocantur. 2. *Convocatorum* eo dicimus, quia vocari omnes ius est, omnes convenire non necessarium est, dummodo principes Ecclesiae congregentur eo numero, ut congregati censeantur catholicam repraesentare Ecclesiam. 3. Postremo: *sub auctoritate Romani Pontificis,* quae quidem auctoritas *congregando, praesidendo, confirmando* exercetur[63]. Si contingat Romanum Pontificem durante Concilii celebratione e vita decedere, ipso iure Concilium intermittitur, donec novus Pontifex illud resumi et continuari iusserit[64]. Episcopi omnesque habentes vocem in Conciliis generalibus non possunt quidem sine Papa leges pro universa Ecclesia condere, cum sint tunc membra sine capite, sed tamen non sunt meri consiliarii Papae. Revera membra legitima alicuius Concilii oecumenici habent potestatem legislativam, unde et quodlibet membrum subscribit: „Definiens subscripsi." Ad hoc autem ut Concilium sit legitimus fons exsistendi iuris ecclesiastici requiritur:

a) ut sit rite *convocatum.*

Ius convocandi Concilium generale unice pertinet ad Summum Pontificem, cuius est regere totam Ecclesiam. Attamen nihil obstat, quominus exerceant Summi Pontifices hoc ius per alios, e. gr. per imperatores. Sic revera factum est. Priora Concilia generalia convocata fuere per imperatores romanos, sed haec convocatio ratihabita fuit a Summis Pontificibus[65]. Ad hoc ut Concilium sit vere generale Concilium, requiritur, ut saltem magna pars episcoporum convocetur et in unum conveniat. Minime vero necessarium est, ut omnes episcopi totius orbis christiani convocentur et conveniant. Nec hucusque ullum Concilium generale celebratum est, ubi omnes episcopi aderant.

b) ut sit rite *celebratum.*

Ad rite celebrandum Concilium generale requiruntur plura, quae tamen, cum sint iuris ecclesiastici et non divini, mutationi obnoxia sunt nec etiam semper sunt observata. — *Primo* igitur requiritur legitimum *praesidium.* Legitimi autem praesides (auctoritativi) Conciliorum generalium sunt Summi Pontifices eorumque Legati. Quodsi aliquando Concilium celebratum fuit sine Summo Pontifice aut eius Legatis, decreta lata non valebant ante confirmationem a Papa factam. Principibus saecularibus nullo modo competit praesidere Conciliis generalibus. Quod quidem iam expresse agnitum est

[63] Ita *De Groot,* Summa apol. q. 13, a. 1. [64] c. 229.
[65] Cf. *De Groot* l. c. a. 2, obi. 1.

ab imperatore Theodosio, qui hoc modo scripsit ad Patres Concilii Ephesini: „Candidianum, praeclarissimum sacrorum domesticorum comitem, ad sacram vestram synodum abire iussimus; sed ea lege et conditione, ut cum quaestionibus et controversiis, quae circa fidei dogmata incidunt, nihil quidquam commune habeat; nefas est enim, qui sanctissimorum episcoporum catalogo adscriptus non est, illum ecclesiasticis negotiis et consultationibus se immiscere."[66] Adfuerunt tamen aliquando principes eorumque delegati, ut Patrum securitati prospicerent et Conciliorum decreta sua potestate tuerentur. — *Secundo* requiritur, ut vota dent illi tantum, qui ex iure divino vel iure ecclesiastico hac facultate praediti sunt. Ex iure divino vocem habent in Conciliis generalibus omnes episcopi catholici *residentiales* unionem habentes cum Sede Apostolica; nam Spiritus Sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei. Iuxta vigentem autem disciplinam ecclesiasticam vocantur ad Concilium oecumenicum in eoque ius suffragii *deliberativi* habent:

1. S. R. E. cardinales etsi non episcopi;
2. patriarchae, primates, archiepiscopi, episcopi residentiales etiam nondum consecrati;
3. abbates et praelati nullius;
4. abbas primas, abbates superiores Congregationum monasticarum ac supremi moderatores Religionum clericalium exemptarum, non autem aliarum Religionum, nisi aliud convocationis decretum ferat. Possunt vocari etiam episcopi titulares et quidem tunc habent suffragium deliberativum, nisi aliud in convocatione expresse caveatur. Omnes autem alii, ut theologi ac canonistae ad Concilium vocati, non habent nisi suffragium consultivum[67].

Si quis ex supra enumeratis quattuor categoriis legitime impeditus nequit interesse Concilio, mittat procuratorem, qui tamen nullum habet suffragium, nequit interesse nisi publicis sessionibus; expleto autem Concilio huius acta subscribendi ius habet[68]. In Concilio Vaticano, (const. „Multiplices" d. 27 Nov. 1869 et decreto 20 Febr. 1870) ordo servandus in Concilio oecumenico praescriptus est. — *Tertio* requiritur, ut decreta Concilii ferantur post maturam et *liberam* deliberationem. Per se patet.

c) ut sit rite *confirmatum*[69].

Eugenius IV scribit in Decreto super unione Iacobitarum: „Concilia generalia, nisi a Romano Pontifice confirmentur, illegitima esse, id est vacua pondere et auctoritate." Propter quod Patres conciliarii consueverunt expresse petere confirmationem Summi Pontificis. Sic e. gr. Patres Nicaenae Synodi scripserunt ad Silvestrum Papam: „Quidquid constituimus, precamur ut vestri oris consortio confirmetur." Et Patres Concilii Chalcedonensis acta ipsa miserunt ad S. Leonem Magnum dicentes: „Mittimus ad eorum, quae a nobis gesta sunt, firmitatem." Et ratio est, quia Christus nonnisi Petro promisit infallibilitatem: „Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam."[70] „Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua. Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos."[71]

[66] *Mansi,* Ampliss. coll. Conc. IV 1119. [67] c. 223. [68] c. 224.
[69] Concilii oecumenici decreta vim definitivam obligandi non habent, nisi a Romano Pontifice fuerint confirmata et eius iussu promulgata. Ita c. 227.
[70] Mt 16, 18. [71] Lc 22, 32.

Viginti Concilia oecumenica hucusque celebrata sunt praeter Concilium Apostolorum Hierosolymis, sc. octo in Oriente: Nicaenum I (a. 325), Constantinopolitanum I (a. 381), Ephesinum (a. 431), Chalcedonense (a. 451), Constantinopolitanum II (a. 553), Constantinopolitanum III (Trullanum) (a. 680—681), Nicaenum II (a. 787), Constantinopolitanum IV (a. 869).
Duodecim in Occidente, sc.: Lateranense I (a. 1123), Lateranense II (a. 1139), Lateranense III (a. 1179), Lateranense IV (a. 1215), Lugdunense I (a. 1245), Lugdunense II (a. 1274), Viennense (a. 1311—1312), Constantiense (a. 1414—1418) (ea tamen pars, quae confirmata fuit a Martino V), Basileense et continuatio ipsius Ferrariae et Florentiae (a. 1431, 1437 ad 1439), Lateranense V (a. 1512—1517), Tridentinum (a. 1541—1563), Vaticanum (a. 1869—1870).

Amplissima et completissima Collectio Sacrorum Conciliorum compilata est a Dom. Mansi 31 voll., Florentiae et Venetiis 1759—1769, et nova editio huius operis nostris diebus confecta est Parisiis (Welter). Praeter istam Collectionem dantur aliae collectiones et praesertim collectiones Conciliorum particularium, inter quas eminet Collectio Lacensis, „Acta et decreta Sacrorum Conciliorum recentiorum", Friburgi 1870—1890.

CAPUT III.

De fontibus exsistendi iuris ecclesiastici particularis.

Q. 22. *Quinam sint praecipui fontes exsistendi iuris ecclesiastici particularis?*

R. Praecipui fontes iuris ecclesiastici particularis sunt Concordata, Concilia particularia, Statuta praelatorum ecclesiasticorum, Rescripta, Privilegia.

Q. 28. *Quaenam sit apta definitio Concordatorum?*[1]

R. *Concordata* (quae etiam vocantur pax, concordia, pactum, tractatus, capitula concordata, conventio) *sunt contractus publici inter Summum Pontificem et gubernia civilia circa materias tum ad forum civile tum ad forum ecclesiasticum pertinentes.*

Dicitur 1. *contractus publici.* Equidem complures auctores volunt Concordata non esse contractus bilaterales onerosos, sed mera privilegia a Summis Pontificibus concessa aliquibus guberniis civilibus (de qua controversia infra agetur), sed omnes debent admittere et revera admittunt, Concordata semel inita inducere utrimque veram obligationem et non esse pura privilegia ad nutum revocabilia. Vocantur autem contractus publici, tum ratione formae, quae solet esse publica et solemnis, tum ratione materiae, quae non mere ad privatas personas, sed ad multitudinem pertinet.
Dicitur 2. *inter Summum Pontificem et gubernia civilia.* Quamquam enim etiam episcopi, in quantum habent veram potestatem legislativam, possunt conventiones facere cum gubernio civili pro territorio suo proprio, tamen nostra aetate haec facultas episcoporum merito restricta est et vix ullius

---

[1] Cf. *Nussi,* Conventiones de rebus ecclesiasticis (Romae 1869); quae collectio in meliorem formam redacta est (Mogunt. 1870); *Baldi,* De nativa et peculiari indole Concordatorum (Romae 1883); *Turinaz,* Les concordats et l'obligation réciproque qu'ils imposent à l'Église et à l'État (1887).

practici est momenti. In Concordatis enim agitur de rebus maximi momenti et semper fere ad ius commune pertinentibus. Porro in causis gravioribus ad ius commune pertinentibus hodie episcopi non possunt decidere inconsulta S. Sede[2]. Ergo merito dicitur in definitione, Concordata esse conventiones inter Summum Pontificem et gubernium civile. Summus Pontifex tamquam caput totius Ecclesiae et tamquam supremus legislator potest conventiones et leges facere in quolibet territorio et cum quolibet gubernio etiam infideli; potest etiam ius commune ecclesiasticum mutare, praesertim in aliquo territorio determinato. Ex parte reipublicae vel Status quocum Concordatum initur, requiritur ut paciscens sit supremus legislator. Cum enim in Concordatis ferantur verae leges, quae in foro quoque civili obligant, Concordata inire possunt illi soli, qui habent facultatem leges ferendi in territorio. In omnibus fere regnis hodie potestas legislativa residet in comitiis publicis deputatorum, et inde hodie Concordata iniri non possunt sine aliquo assensu istorum comitiorum. Antiquis temporibus quaedam Concordata aliter inita fuisse docet Wernz[3], sed istis temporibus relatio inter Ecclesiam et Statum etiam alia fuit, et legislatio regni haud raro valde imperfecta fuit.

Dicitur 3. *circa materias tum ad forum civile tum ad forum ecclesiasticum pertinentes.* Quibus verbis designatur *obiectum materiale* Concordatorum. Certum est Concordata non versari neque circa res pure temporales, e. gr. bona laicorum, neque circa res pure spirituales, e. gr. formam et materiam sacramentorum, indulgentias etc. Proprium obiectum Concordatorum sunt res et actiones ad utramque potestatem civilem quidem et ecclesiasticam pertinentes licet *diversa ratione.* Sic e. gr. bona temporalia Ecclesiae in aliquo territorio pertinent ad Ecclesiam, quae possidet illa; alia tamen ratione potestas civilis vehementer desiderat imponere vectigalia et tributa super omnia bona sui territorii, etiam ecclesiastica; quia secus gravissima incommoda sequerentur. Unde privilegium immunitatis a gabellis et vectigalibus olim bonis ecclesiasticis concessum nullibi fere hodie observatur. Pariter matrimonium ut sacramentum unice pertinet ad Ecclesiam; matrimonium vero quantum ad *civiles effectus* pertinet ad potestatem civilem. In praxi saepe difficile erit determinare quousque se extendat potestas rei publicae, et propterea Ecclesia pacis maxime studiosa concessiones grandes solet facere in Concordatis.

Q. 24. *In quo consistat essentia Concordatorum?*

R. Mirum est, quam acriter disputatum sit de hac quaestione; et tamen ex istis disputationibus nihil fere utilitatis neque pro praxi neque pro theoria ortum est. Tres sententiae principaliores in hac quaestione exsistunt. Solent vocari theoriae.

1. **Theoria legalis** docet Concordata esse mera privilegia principis civilis ad ipsius nutum revocabilia.

Tenetur a Stutz, Sarwey, Thudichum, Zorn, Hinschius et generatim ab auctoribus protestantibus. Fundatur haec theoria super falso principio, quod Ecclesia sit rei publicae plene subordinata. Iuxta illam sicuti potestas civilis leges condere potest pro aliis suis subditis, ita etiam pro Ecclesia catholica in eius territorio exsistente, et sicuti ipsa leges latas abolere potest, ita etiam libere potest abolere leges Concordati, quin sit necessarius consensus

---

[2] Cf. *Scherer,* Kirchenrecht I 153. [3] Ius decr. I, n. 167. Scholion.

Ecclesiae. Nonnulla gubernia civilia eheu! istam theoriam in praxim deduxerunt. Sed quam falsa et quam iniusta sit haec theoria, luce clarius est. Ecclesia enim non est subdita potestati civili, sed potius e converso haec oboedire tenetur Ecclesiae. Ecclesia enim multo altiorem finem habet quam res publica, cum finis Ecclesiae sit salus aeterna fidelium, finis vero rei publicae sit salus temporalis subditorum. Praeterea Ecclesia est societas perfecta sub uno principe spirituali, et ut talis a Christo fundata fuit. Ergo habet perfectam autonomiam, et falsum omnino est adagium theoriae legalis: „Cuius regio, eius religio.“ Religio prorsus independens est a regione: est enim una eademque in universo orbe; sicut debet esse una fides, ita et unus cultus eiusdem Dei [4].

2. **Theoria pactorum** docet Concordata esse vera pacta inter Ecclesiam et potestatem civilem, seu esse contractus bilaterales onerosos inter Summum Pontificem et gubernium civile.

Haec theoria tenetur a plurimis catholicis (Kreutzwald, Schneider, De Angelis, Cavagnis, Palmieri, Scherer, Sägmüller, Vering etc.), immo a non paucis protestantibus (e. gr. Richter-Dove, Heffter, Brendel, Herrmann, Bluntschli etc.), et non solum tuta est, sed etiam valde conformis locutionibus Summorum Pontificum. Sic e. gr. Pius VII in Concordato anno 1817 cum Ludovico XVIII inito statuit: „Haec Concordata habent *vim veri contractus utrimque obligantis.*“ Pius IX [5] haec habet de Concordato Austriaco: „Supradictas concessiones, pacta, concordata tenore praesentium approbamus.“ Leo XIII in Encycl. „Ad extremas Orientis“ 24 Iunii 1893 scribit: „Cum fidelissimo Portugalliae et Algarbiorum rege *data acceptaque fide rite pacti sumus.*“ In epist. ad episcopos Galliae 16 Februarii 1892 Concordatum dicitur „un pacte solennel et bilatéral toujours fidèlement observé de la part du Saint-Siège“. Iure merito igitur Wernz [6] scribit: „Quare cum hae similesque formae loquendi atque adeo fortiores *‚bilateralis pacti‘* usque ad ultimas Encyclicas Leonis XIII in ipsis documentis authenticis frequentissime occurrant [7], nulla exsistit ratio ab illa terminologia recedendi, ne simus magis catholici quam Romani Pontifices.“ Haec theoria pactorum rite explicata sarta tecta servat et iura Ecclesiae et iura rei publicae nullumque incommodum inducit. Et quidem servat iura Ecclesiae; nam facto ipso quo potestas civilis pactum init cum Ecclesia, agnoscit Ecclesiam possidere autonomiam et legitima iura, nam cum propriis subditis nulla pacta init, sed simpliciter leges praescribit. Praeterea cum aliis religionibus et sectis gubernium civile nulla Concordata init, sed simpliciter circumscribit limites, intra quos cultum earum vel tolerat vel approbat. Quod est signum evidens, quod Status censet Ecclesiam catholicam esse maioris dignitatis quam alias Ecclesias. Ex parte vero Ecclesiae catholicae per pacta Concordatorum nihil eius autonomiae et suprematiae aufertur. Nam ex facto ipso, quod Ecclesia in Concordatis saepe facit magnas concessiones et suam libertatem sinit diminui, minime sequitur Ecclesiam **teneri** facere has concessiones vel non habere ius recusandi conditiones impositas vel non posse valide (immo et licite) revocare quasdam concessiones factas. Pariter nec levis quidem suspicio simoniae

[4] Cf. *Wernz,* Ius decr. I, n. 172, nota 1. [5] Acta II 482.
[6] Ius decr. I, n. 165. nota 27.
[7] Cf. *Hergenröther,* Kath. Kirche und christl. Staat 794; *Baldi,* De nativa et peculiari indole Concordatorum (Romae 1883) 73.

adest, qualem gratuito adstruunt defensores tertiae sententiae mox afferendae; nam simonia est studiosa voluntas emendi vel vendendi res spirituales (vel spiritualibus annexas) pretio temporali. Ubi autem hic invenitur emptio et venditio? Ubi invenitur pretium temporale? In Concordatis Ecclesia facit concessiones et recipit pacificum exercitium cultus catholici. Ad perturbationes et maiora mala vitanda Ecclesia concedit gubernio civili quasdam praerogativas (salva tamen semper fide catholica et salvis bonis moribus), sed nec levissima species simoniaci contractus in his omnibus explorari potest.

3. **Theoria privilegiorum** i. e. pontificiorum docet Concordata esse potius privilegia pontificia quam contractus. Hinc Papa semper *valide* Concordata sine interventu gubernii civilis abrogare potest, immo exsistente legitima causa etiam licite. Fundatur haec theoria praecipue super duobus principiis sc.: 1. Ecclesia est societas superior, res publica autem est societas inferior, quae proinde in casu conflictus simpliciter oboedire tenetur Ecclesiae praecipienti, sive interim haec potestas praecipiendi sit potestas directa sive indirecta. 2. Potestas Ecclesiae utpote ex iure divino constituta est inalienabilis, et propterea Papa nequit partem istius potestatis alienare contractu oneroso, qualiter fit iuxta theoriam pactorum in Concordatis. Huc accedit periculum simoniae, de quo supra dictum est.

Haec theoria propugnata est praesertim a Card. Tarquini S. J., Bonald, Card. de Azevedo. Citantur pro ea etiam Schmalzgrueber S. J. et Wiestner S. J.; sed hodiernis diebus nullus fere auctor hanc theoriam sine limitationibus defendit, cum rationes allatae minime probent eam esse veram. Nam in Concordatis Papa ne cogitat quidem *alienare* vel minimam partem suae potestatis. In Concordatis Ecclesia prorsus seiungit *quaestionem iuris a quaestione facti*; solummodo paciscitur cum gubernio civili de meliore modo, quo exteriores actiones catholicorum tum ad forum ecclesiasticum tum ad forum civile pertinentes regulentur. Praeterea absque dubio Ecclesia est societas perfectior quam Status, quia altior finis a Deo illi praestitutus est, et proinde illa omnimoda coordinatio, quam quidam auctores fingunt inter Ecclesiam et Statum, reicienda est, attamen nonne potest societas altior veros contractus inire cum societate inferiore? Haec theoria privilegiorum explicat Concordata, non prout hodie sunt, sed prouti deberent esse, si relatio inter Ecclesiam et Statum esset perfectissima. Uno verbo est utopia, quae nullibi in rerum natura invenitur. Wernz [8] haec habet: „Concordata, prout saepe de facto inita fuerunt, *in compluribus articulis* (e. gr. ubi agitur de bonis temporalibus) Sedi Apostolicae sive Romanis Pontificibus strictam imponunt *obligationem iustitiae commutativae et Statui strictum* concedunt *ius* saltem ex novo quodam titulo obtentum. Theoria ergo privilegiorum *generaliter* et *sine limitationibus* non est asserenda. Ita recte Hammerstein S. J.“ Non minor obligatio imponitur rei publicae.

Q. 25. *Quaenam sit necessitas et utilitas Concordatorum?*

R. Si relatio inter Ecclesiam et Statum esset perfectissima, et si gubernia civilia debitam reverentiam et oboedientiam Ecclesiae semper praestarent, Concordata non essent necessaria. Tum enim Ecclesia sola

[8] Ius decr. I, n. 173, 2.

iuxta personarum et locorum adiuncta optime ordinaret illa, circa quae nunc Concordata sunt necessaria. Sed quia talis relatio perfectissima inter Statum et Ecclesiam nullibi exsistit et forsan numquam exstitit; quia praeterea multa gubernia civilia non sunt catholica et quam plurimi eorum cives sunt haeretici vel infideles, Concordata habent maximam utilitatem, immo et relativam necessitatem. Si enim rebus sic stantibus conventiones inter Ecclesiam et Statum non inirentur, tunc aut continua lis oriretur aut totalis separatio Ecclesiae a Statu fieret. Quae quidem totalis separatio inter Ecclesiam et Statum aliquibus in regionibus hodie exsistit, e. gr. in America septentrionali, in Anglia etc. et haud spernenda commoda producit; attamen, etsi potest ad tempus esse conveniens „modus vivendi", numquam evadit conditio naturae Status et Ecclesiae conveniens. Ex quo factum est, ut iam a saeculis multa Concordata inter Statum et Ecclesiam inita fuerint. Si Concordata non essent magnae utilitatis, tam ampla series Concordatorum non exsisteret. Quae quidem bene perspiciens Leo XIII scripsit in Encyclica „Immortale Dei" (1 Nov. 1885): „Illud enim perpetuae legis instar habendum est, quod Ivo Carnutensis ad Paschalem II Pontificem Maximum perscripsit: Cum regnum et sacerdotium inter se conveniunt, bene regitur mundus, floret et fructificat Ecclesia. Cum vero inter se discordant, non tantum parvae res non crescunt, sed etiam magnae res miserabiliter dilabuntur."

Primum omnium Concordatum videtur esse pactum Carisiacum (Quiercy) a. 754 inter Stephanum III et Pipinum[9]. Alia Concordata valde antiqua sunt: Concordia Londinensis a. 1107, Concordia Wormatiensis a. 1122 (quae continet „Praeceptum Henrici quinti imperatoris" et privilegium Calixti Papae secundi), famosa sic dicta „Monarchia Sicula" concessa ab Urbano II a. 1098. Praeterea Concordata inierunt Martinus V, Nicolaus V, Leo X, Benedictus XIV. Celeberrimum Concordatum est illud, quod Pius VII cum Napoleone I a. 1801 iniit, et quod nostris diebus tam iniuste et tam crudeliter a gubernio civili Gallico laeditur. Plura Concordata inierunt Pius IX, Leo XIII[10], Pius XI.

Q. 26. *Quid notandum sit circa formam Concordatorum?*

R. *Forma* Concordatorum diversa fuit pro diversitate temporum. Solet triplex forma distingui:

a) Concordatum perficitur et publicatur *duabus* legibus vel duobus statutis, quorum unum perficitur et publicatur a Summo Pontifice, alterum vero a gubernio civili. Hac forma editum fuit Concordatum Wormatiense. Papa Calixtus II publicavit Bullam, in qua concessiones imperatori factas enumerat, et imperator Henricus V publicavit suum „Praeceptum"[11]. Eadem fere forma factum est Concordatum inter Benedictum XIII et Victorem Amadeum regem Sardiniae a. 1727[12].

[9] Cf. *Scherer*, Kirchenrecht I 232.
[10] Cf. *Wetzer u. Weltes* Kirchenlexikon s. v. Concordate.
[11] Cf. *Walter*, Fontes n. 75.
[12] Cf. *Scherer*, Kirchenrecht I 153.

b) Concordatum publicatur post conventiones factas per Bullam Summi Pontificis, quae quidem Bulla a gubernio civili suscipitur et authentice agnoscitur. Hac forma facta sunt Concordata inter Eugenium IV et principes Germaniae a. 1447; inter Nicolaum V et Fredericum III a. 1448; inter Leonem X et Franciscum I regem Galliae a. 1516, et inter Pium VII et gubernium Borussicum per Bullam „De salute animarum" a. 1821.

c) Concordatum habet formam pactorum bilateralium. Plenipotentiarii utriusque potestatis, postquam convenerunt de singulis articulis Concordati, subscribunt pactum, quod quidem in Consistorio publico et per Bullam Papa tamquam legem ecclesiasticam pro determinato territorio publicat et quod gubernium civile convenienti modo tamquam legem civilem edit. Hac forma praesertim ultimis temporibus Concordata inita sunt, e. gr. Concordatum Pii IX cum Francisco Iosepho imperatore Austriae a. 1855, Concordatum Leonis XIII cum Statu Columbiae a. 1887, Conventio Pii X cum Russia de Seminariis Poloniae a. 1907.

Q. 27. *Quomodo Concordata derogentur et abrogentur?*

R. In sententia theoriae legalis Concordata derogantur et abrogantur ad nutum legislatoris civilis, eodem modo quo ceterae leges civiles cessant. Sed haec theoria falsa est, ut supra vidimus.

In sententia theoriae privilegiorum Concordata possunt a Papa revocari, sicuti alia privilegia concessa revocari possunt. Sed haec theoria minus probabilis est, ut patet ex supra dictis.

In sententia theoriae pactorum Concordata possunt revocari sicuti alii contractus bilaterales. Hinc e. gr. si Status non adimplet promissa sua, iam Ecclesia pariter non tenetur suis promissis in Concordato factis; item si in Concordato aliquid stipulatum sit, quod lapsu temporis factum est certe iniustum, vel si error aut dolus substantialis irrepserit. In praxi, quando opportunum videtur Statui vel Ecclesiae aliquos articulos Concordati mutare, multo melius esset, si omnia ex bono et aequo et ex communi consensu ordinarentur, sed eheu! non semel ostendit historia, gubernium civile non multum curare de Concordato inito, et propria auctoritate facere mutationes, non consulto immo et contradicente Summo Pontifice. Quod profecto est gravis laesio et iustitiae commutativae et fidei datae.

Nota. Novus Codex iur. can. nullatenus abrogat Concordata exsistentia aut iis aliquid obrogat; proinde omnia eorum statuta in vigore manent (c. 3).

Q. 28. *Quomodo Concordata sint fontes iuris ecclesiastici particularis?*

R. Cum Concordata sint statuta supremi legislatoris ecclesiastici pro aliquo territorio determinato, eodem modo sunt fontes exsistendi iuris ecclesiastici *particularis*, quo statuta generalia Summi Pontificis sunt fontes exsistendi iuris ecclesiastici *universalis*.

Q. 29. *Quomodo Concilia particularia sint fontes iuris ecclesiastici?*

R. Distinguuntur Concilia plenaria, Concilia provincialia et Synodi dioecesanae. In stricto tamen sensu synodus dioecesana nequit vocari concilium particulare. Circa Concilia particularia notentur sequentia:

1. **Concilia plenaria** vocantur ea, in quibus conveniunt Ordinarii plurium provinciarum ecclesiasticarum. Semper praevie requiritur venia Romani Pontificis, qui suum Legatum designat ad Concilium convocandum eique praesidendum[13]. Talia Concilia plenaria nostris temporibus celebrata sunt in America septentrionali, in Anglia et Romae pro America latina. Non tamen quaelibet congregatio episcoporum alicuius nationis potest vocari Concilium nationale; sic e. gr. episcopi Germaniae quolibet anno habent conferentiam Fuldae, apud sepulcrum S. Bonifatii, Apostoli Germaniae, et tamen isti conventus non sunt proprie loquendo Concilia plenaria. Requiritur igitur, ut congregatio episcoporum alicuius nationis tamquam Concilium plenarium convocetur et approbetur. „Plenarium Concilium absque Apostolicae Sedis auctoritate nec indici nec haberi posse" Pius IX pluries declaravit[14].

Concilio plenario assistere debent cum suffragio *deliberativo:* 1. Legatus apostolicus; 2. metropolitae; 3. episcopi residentiales vel loco ipsorum coadiutores; 4. apostolici dioecesium administratores; 5. abbates vel praelati nullius; 6. vicarii et praefecti apostolici; 7. vicarii capitulares; 8. episcopi titulares in territorio degentes, si a Legato pontificio vocentur. Alii ex utroque clero viri forte ad Concilium invitati non gaudent nisi suffragio consultivo[15].

Quantum ad competentiam istorum Conciliorum, inspiciendae sunt litterae apostolicae approbativae. Acta et decreta eorum nequeunt promulgari antequam sunt recognita a S. Congregatione Concilii[16].

2. **Concilium provinciale** est congregatio episcoporum (saltem vigesimo quoque anno facienda)[17] alicuius *provinciae ecclesiasticae* sub praeside metropolitano.

Nota. Praeter Concilia provincialia (vigesimo quoque anno) celebrentur quinto quoque anno conventus omnium eorum qui suffragium *deliberativum* habent in Concilio provinciali. Nisi aliter a Sede Apostolica provisum fuerit, ius convocandi tales conventus pertinet ad metropolitam eoque deficiente ad antiquiorem suffraganeum[18].

a) *Convocator* et praeses Concilii provincialis est metropolitanus episcopus, dummodo tamen pallium acceperit[19]. Impedito metropolitano vel eius sede vacante coepiscopus suffraganeus promotione antiquior potest et debet Concilium provinciale convocare[20]. Aliquando autem ipse Summus Pontifex convocat Concilium provinciale, sicut factum est a Benedicto XIII a. 1725.

b) *Convocandi* sunt cum *voto deliberativo:* omnes supra enumerati, qui Concilio plenario interesse debent[21]. Episcopi autem qui nulli metropolitae subiciuntur, abbates vel praelati nullius, archiepiscopi carentes suffraganeis debent, praevia Sedis Apostolicae approbatione, semel pro semper eligere (nisi forte iam elegerint) aliquem viciniorem metropolitam, cuius Concilio provinciali cum aliis intersint[22].

Convocandi sunt cum voto *consultativo:*

1. episcopi *titulares,* quibus tamen votum quoque deliberativum concedi potest, si consenserit maior pars illorum, qui cum voto deliberativo intersunt[23]. Semper autem cedere debent praecedentiam episcopis residentialibus[24].

2. procuratores absentium episcoporum residentialium[25].

3. duo membra Capituli cathedralis collegialiter designanda a Capitulis cathedralibus (etiam exemptis) earum dioecesium, quarum Ordinarii Concilio interesse debent. Quodsi in aliqua dioecesi non est Capitulum cathedrale, deputandi sunt duo consultores dioecesani[26].

4. maiores Religionum clericalium exemptarum ac Congregationum monasticarum superiores, qui in provincia ecclesiastica resident[27]. Quinam sint maiores isti superiores, dicetur infra in tractatu de religiosis.

Tempus. Concilia provincialia primis saeculis bis in anno fuerunt celebranda[28]. Concilium Lateranense IV (a. 1215) approbavit consuetudinem, iuxta quam Concilia provincialia habentur semel in anno. Iuxta disciplinam a Concilio tridentino[29] introductam Concilia provincialia sunt celebranda semel quolibet triennio, iuxta vigentem autem disciplinam saltem *vicesimo* quoque anno[30]; in vicariatibus autem apostolicis et generatim in omnibus locis subiectis Congregationi de Propag. Fide nullum est tempus praefinitum pro celebratione Concilii provincialis[31].

Competentia. Concilia provincialia habent pro tota provincia prorsus eandem competentiam, quam habent episcopi ex potestate ordinaria in sua dioecesi. Hinc patet illa nihil posse constituere, quod Regularium privilegia laedat; possunt tamen de Regularibus statuta ferre in iis omnibus casibus, in quibus isti sunt subiecti iurisdictioni episcoporum[32]. Statuta Concilii provincialis semel rite confirmata et publicata a nullo episcopo istius provinciae possunt abrogari, declarari

[13] c. 281. Iam antiquissimis temporibus talia Concilia nationalia seu plenaria solebant celebrari, e. gr. Conc. Arelat. (314), plura Concilia Carthagin., Toletana. Inde a saec. XVI reges Galliae sibi arrogaverunt ius convocandi Concilia nationalia. Immo Febronius et Synodus Pistor. contendebant Concilia nationalia posse definitive dirimere controversias fidei et morum; cf. prop. 85 damnata a Pio VI.
[14] Litterae d. 17 Mai 1849 ad episcopos Germaniae.
[15] c. 282. [16] c. 291, § 1. [17] c. 283. [18] c. 292.
[19] *Benedict. XVI,* De syn. dioec. l. 2, c. 5, n. 8; cf. S. C. de Prop. Fide 1 Dec. 1837.

[20] c. 284. [21] c. 286, § 1. [22] c. 285. [23] c. 286, § 2.
[24] S. C. C. 25 Aug. 1850. [25] c. 287, § 2. [26] c. 286, § 3.
[27] c. 286, § 4. [28] Cf. can. 5 Conc. Nicaeni I a. 325.
[29] Sess. 24, c. 2, de reform. [30] c. 283. [31] c. 304, § 2.
[32] *Benedict. XIV,* De syn. dioec. l. 9, c. 15, n. 1 sqq.

aut dispensari, nisi hoc sit aut expresse aut tacite concessum[33]. In casu tamen particulari episcopus potest dispensare ex iusta causa.

Confirmatio. Acta Conciliorum provincialium debent mitti ad S. Congregationem Concilii, quae post seriam revisionem iubet illa promulgari. Quae quidem revisio non solet aequiparari approbationi speciali. Unde ista acta Concilii censentur approbata in forma communi, non autem in forma speciali.

Q. 30. *Quid sit notandum de synodo dioecesana?*

R. *Synodus dioecesana est „legitima congregatio ab episcopo coacta ex presbyteris et clericis suae dioecesis aliisve, qui ad eam accedere tenentur, in qua de his, quae curae pastorali incumbunt, agendum et deliberandum est"*[34].

Convocatio. a) *Ius covocandi* habent:

1. episcopus residentialis confirmatus (etsi nondum consecratus), non autem vicarius capitularis, sede vacante, neque vicarius generalis, sine speciali mandato[35];

2. vicarius apostolicus, non autem praefectus apostolicus in regionibus Missionum[36].

b) *Personae convocandae* sunt:

1. vicarius generalis;

2. canonici ecclesiae cathedralis aut, si isti desunt, consultores dioecesani;

3. rector seminarii dioecesani saltem maioris;

4. vicarii foranei (qui hodie solent vocari decani vel archipresbyteri);

5. deputatus uniuscuiusque collegialis ecclesiae a capitulo eiusdem ecclesiae e gremio eligendus;

6. parochi civitatis, in qua synodus celebratur;

7. unus saltem parochus ex unoquoque vicariatu foraneo eligendus ab omnibus, qui curam animarum actu inibi habent[37];

8. abbates de regimine et unus e superioribus cuiusque Religionis clericalis, qui in dioecesi commorantur, designatus a superiore provinciali, nisi domus provincialis sit in dioecesi et superior provincialis interesse ipse maluerit.

Ex rationabili causa episcopus potest ad synodum vocare alios quoscumque, e. gr. omnes canonicos, parochos, superiores religiosos, immo et singulos suae dioecesis sacerdotes *saeculares*[38]. Omnes autem legitime convocati debent personaliter venire ad synodum neque possunt sibi substituere procuratorem[39].

---

[33] Ib. l. 13, c. 5, n. 8; c. 291, § 2.

[34] Ita Benedictus XIV in opere vere magistrali: De synodo dioec. l. 1, c. 1, n. 4.

[35] c. 357, § 1.

[36] c. 304, § 2; cf. Instr. S. C. de Propag. Fide 23 Nov. 1845.

[37] Curam animarum actu habent non solum parochi, sed etiam omnes qui paroecialia iura vi officii exercent, ut e. gr. vicarius actualis, vicarius oeconomus, non autem vicarius cooperator.

[38] c. 358. [39] c. 359.

Per se patet, durante synodo, curae animarum in paroeciis nihil necessarii deesse licite posse, proindeque parochos convocatos debere sibi substituere vicarium; quod si sit impossibile, legitime dispensantur ab assistentia in synodo. Canonici autem, qui legitime intersunt synodo (idem valet de praesentia in Conciliis oecumenico, plenario, provinciali), excusantur a choro et nihilominus percipiunt fructus praebendae ac distributiones quotidianas[40]. Iis, qui ad synodum venire debent, si legitimo impedimento detineantur, non licet mittere procuratorem, ut supra iam dictum est; sed episcopum de impedimento certiorem reddant. Negligentes episcopus iustis poenis potest compellere et punire, non autem religiosos exemptos, qui non sunt parochi[41]. — Sic dictum subsidium „synodaticum vel cathedraticum" nequit exigi a religiosis exemptis, nisi deserviant ecclesias episcopo subiectas[42].

De modo et loco convocationis, de praeparandis, ante synodum, de modo sedendi, de officialibus eligendis etc. attendenda sunt ea, quae statuuntur a Pontificali Romano, a Caeremoniali Episcoporum, a Codice iur. can. c. 357 360 361[43].

Tractanda in synodo dioecesana sunt ea omnia, quae ad particulares cleri populique dioecesis necessitates vel utilitates referuntur. Insuper nominandi sunt 1. iudices synodales; 2. examinatores synodales; 3. parochi consultores.

1. *Iudices synodales* (non infra quattuor, non ultra duodecim) in qualibet dioecesi presbyteri probatae vitae et in iure canonico periti (etsi extradioecesani) eligantur, ut potestate ab episcopo delegata in litibus iudicandis interveniant[44]. Si synodus non habeatur, vel si tales iudices medio tempore inter unam et aliam synodum mortui sint aut alia ratione a munere cessaverint, episcopus de consilio capituli cathedralis substituat in sufficienti numero iudices pro-synodales[45]. Isti iudices (sive in synodo sive extra synodum constituti) post *decennium* ab incoepto munere vel etiam prius, nempe adveniente nova synodo, officio cadunt; possunt tamen denuo constitui[46]; removeri ab episcopo nequeunt, antequam ipsorum officium est elapsum, nisi ex gravi causa et de consilio capituli cathedralis[47]. Iam non obligat statutum Bonifatii VIII[48], iuxta quod non potuerunt iudices synodales designari nisi qui sunt canonici in ecclesia cathedrali, aut qui obtinent dignitatem aut personatum.

2. *Examinatores synodales* (item non infra quattuor, nec ultra duodecim) et examinatores pro-synodales eodem modo instituuntur et officio cadunt, sicut supra dictum est de iudicibus synodalibus et prosynodalibus. Eorum munus est magni momenti; debent enim diligenter operam navare praesertim in experimentis habendis ad provisionem

---

[40] c. 420, § 1, n. 9. [41] c. 359, § 2.

[42] Cf. c. 1504 et *Benedict. XIV* l. c. l. 5, c. 6 et 7.

[43] Cf. *Martinucci*, Man. s. caeremoniarum l. 6, c. 41. [44] c. 1574.

[45] c. 386. [46] c. 387. [47] c. 388. [48] c. 11 in VI⁰, 1, 3.

paroeciarum, in amotione oeconomica parochi, in processibus contra clericos non residentes aut concubinarios etc.; possunt, sed non debent, adhiberi in examine ordinandorum, confessariorum, concionatorum etc.[49] „Sint vero hi examinatores magistri seu doctores seu licentiati in theologia aut iure canonico, vel alii clerici (seu regulares, etiam ex ordine Mendicantium, aut etiam saeculares), qui ad id videbuntur magis idonei." Ita Concilium tridentinum[50]. Idem potest esse examinator et parochus consultor, non autem in eadem causa[51].

3. *Parochi consultores* in omnibus fere similes sunt examinatoribus synodalibus et pro-synodalibus; ideoque supra dicta illis quoque applicanda sunt; eorum munus praesertim est adiuvare episcopum in institutione et amotione parochorum.

Parochi consultores minime confundendi sunt cum *consultoribus dioecesanis,* qui in dioecesibus, in quibus non exsistit capitulum cathedrale canonicorum, ab episcopo instituuntur ad triennium. Numerus eorum est sex vel saltem quattuor. Coetus istorum consultorum vices capituli cathedralis (qua episcopi senatus) supplet; quare ea omnia, quae ius canonicum ad gubernationem dioecesis (sede sive plena, sive impedita, sive vacante) capitulo cathedrali tribuit, de coetu quoque consultorum dioecesanorum intelligenda sunt[52].

Nota. Cum omnes personae enumeratae sub n. 1—3 pertineant ad curiam dioecesanam, debent ante exercitium muneris sui in manibus episcopi iusiurandum praestare: 1. de munere fideliter exercendo, quavis personarum acceptione posthabita; 2. de negotiis tractandis sub auctoritate episcopi ad normam iuris; 3. de secreto servando, prout ius vel episcopus determinaverit[53].

Competentia. Synodus dioecesana non habet maiorem competentiam quam episcopus solus, cum solus episcopus sit iudex et legislator in illa, alii autem praesentes non habeant nisi votum consultivum[54]. Propter hanc rationem etiam solus episcopus subscribit et confirmat Statuta synodalia, quae proinde vim propriae legis non videntur habere, nisi episcopus hoc expresse dicat; obligant tamen omnes fideles in dioecesi habitantes.

Tempus. *Synodus dioecesana* singulis annis congreganda fuit, ut praescripsit Concilium tridentinum[55]; iuxta vigentem autem disciplinam in singulis dioecesibus celebranda est saltem decimo quoque anno. Quodsi episcopus plures dioeceses *perpetuo* administrat, potest unam tantum synodum ex omnibus dioecesibus convocare[56].

Q. 31. *Quomodo Statuta sint fontes iuris particularis?*

R. Statuta, quae etiam vocantur aliquando Constitutiones, Ordinationes, Decreta, Praecepta, Mandata, possunt ferri ab omnibus iis,

[49] c. 389.
[50] Sess. 24, c. 18 de reform.; cf. *Benedict. XIV,* De syn. dioec. l. 4, c. 7, n. 3.
[51] c. 390. [52] c. 423—428. [53] c. 364.
[54] c. 362. *Benedictus XIV* l. c. l. 2, c. 5, n. 6 8.
[55] Sess. 24, c. 2 de reform. [56] c. 356.

qui habent *autonomiam* (saltem limitatam) seu *„ius statuendi".* Praeter synodum dioecesanam, de qua in quaestione praecedenti sermo fuit, ius statuendi habent: cardinales in suis ecclesiis titularibus, episcopi pro suis dioecesibus, vicarii apostolici pro suis vicariatibus, praelati „nullius" pro suo territorio separato, praelati regulares sive per se ipsos sive per capitula coacta iuxta constitutiones uniuscuiusque ordinis, capitula apud ecclesias collegiatas vel cathedrales, confraternitates et associationes piae[57]. Omnia haec Statuta, in quantum non sunt contra vel praeter ius commune, contra privilegia legitima et contra „iura quaesita" tertii, sunt fontes iuris particularis. Quali forma et cum quanam approbatione ista Statuta a personis iuridicis, quae habent autonomiam, ferri debeant, vide infra, quando de singulis tractatur, e. gr. de capitulis cathedralium, de capitulis ordinum religiosorum etc.

Q. 32. *Quomodo Rescripta sint fontes iuris ecclesiastici?*

Notio. Rescriptum nihil aliud est quam responsum scriptum, et definiri potest: responsum principis ad alicuius supplicationem, relationem vel consultationem in scripto datum[58].

Dicitur a) *principis,* quia Summi Pontificis vel imperatoris responsa proprie vocantur rescripta. Responsa aliorum legislatorum non solebant vocari rescripta nisi in sensu latiore, in novo autem Codice eodem modo rescripta vocantur responsa Sedis Apostolicae et aliorum Ordinariorum scriptis data[59]. Dicitur b) *ad alicuius supplicationem* etc., ut distinguatur a Decreto, Constitutione, a legibus communibus, quae omnia solent in bonum commune promulgari, dum rescripta hodiernis temporibus potius constituunt ius singulare. Iuxta vigentem disciplinam Curiae Romanae rescripta non raro dantur in forma et cum efficacia alicuius „Motus proprii", e. gr. nonnullae dispensationes matrimoniales. Dicitur c) *in scripto datum,* ut distinguatur ab „oraculo vivae vocis", quod oretenus datur, licet postea probationis causa in scriptis redigatur.

Historia. Prioribus Ecclesiae saeculis rescripta Summorum Pontificum non tantum ut decisiones in causis particularibus considerabantur, sed ut verae leges universales. Iam inde ab initio Ecclesiae ex omnibus partibus orbis terrarum consultationes et decisiones in rebus dubiis petebantur a Romanis Pontificibus. Sic iam S. Clemens I a Corinthiorum Ecclesia consultus scripsit „potentissimas litteras Corinthiis ad pacem eos congregans et reparans fidem eorum, et annuntians, quam in recenti ab Apostolis acceperat, traditionem"[60]. Innocentius I scripsit ad Patres Concilii Milevitani ep. 30: „inter ceteras Romanae Ecclesiae curas et Apostolicae Sedis occupationes, quibus diversorum consulta fideli ac media disceptatione tractamus", et paulo post „quod per omnes provincias de apostolico fonte petentibus responsa semper emanent"[61]; et Leo Magnus I asserit ep. 10: „Apostolicam

[57] Cf. *Würdtwein,* Subsidia diplomatica (Heidelbergae 1772 sqq.), 13 voll., ubi plura talia Statuta inveniuntur impressa.
[58] Cf. *Ferraris* s. v. Rescriptum. [59] Cf. c. 36, § 1.
[60] *S. Irenaeus,* Contra haer. l. 3, c. 3, n. 3 (*Migne,* P. g. 7, 849).
[61] *Migne,* P. l. 20, 589.

Sedem innumeris relationibus esse consultam." [62] Etiam in Corpore iuris canonici quam plurimae leges ecclesiasticae sub forma rescriptorum latae sunt. Quae cum ita sint, facile intelligitur, quare specialis titulus habeatur de rescriptis, tum in Decretalibus Gregorii IX, tum in Libro Sexto, tum in Clementinis, tum in novo Codice iur. can.: de forma sc. et de vitiis rescriptorum, de eorum usu, auctoritate, intelligentia, restrictione, revocatione etc. Pariter perspicuum est, quare veteres canonistae, ut Gonzalez, Pirhing, Schmier, tam amplos commentarios scripserint in titulum De rescriptis. Hodiernis vero temporibus rescripta pontificia non solent fieri neque leges universales neque particulares, sed solummodo concedunt ius *subiectivum* in casu particulari.

Divisiones. 1. *Ratione materiae* distinguuntur: rescripta a) *gratiae,* quibus favor praeter vel contra ius commune conceditur, e. gr. dispensationes matrimoniales; b) *iustitiae,* quibus administratio iustitiae determinatur, e. gr. per restitutionem in integrum in casu particulari; c) *mixta,* quae simul gratiam continent et ad iustitiae administrationem spectant.

2. *Ratione formae* distinguuntur: rescripta in *forma gratiosa,* quibus gratia conceditur directe et sine interposito exsecutore; vel in *forma commissoria,* quibus committitur alicui exsecutori facultas concedendi gratiam petitam. Quae quidem commissio est vel *necessaria* vel *libera,* prout commissarius tenetur gratiam concedere (supposita precum veritate) vel ipsi relinquitur libertas concedendi vel denegandi gratiam petitam [63].

3. *Ratione modi* distinguuntur: rescripta cum clausula „*Motu proprio*" (c. 45), vel *ad instantiam.* De effectibus rescripti Motu proprio concessi quod non est rescriptum in proprio sensu, ut patet ex ipsis verbis, infra dicetur.

4. Ratione *auctoris* distinguuntur: rescripta S. Sedis et aliorum Ordinariorum [64].

Subiectum rescripti is praecipue nominatur, qui illud obtinet. Iuxta vigentem disciplinam omnes gratiae et dispensationes a S. Sede concessae etiam censura irretitis validae sunt. Excipiuntur soli excommunicati, suspensi, personaliter interdicti post sententiam condemnatoriam vel declaratoriam [65]. Immo rescriptum impetrari potest pro alio etiam praeter eius assensum; licet ipse possit gratia per rescriptum concessa non uti [66].

Interpretatio. Praeter regulas generales interpretationis sequentia specialiter sunt observanda:

1. Rescripta intelligenda sunt secundum propriam verborum significationem et communem loquendi usum, nec debent ad casus praeter expressos extendi [67].

2. In dubio rescripta sunt *late* interpretanda, exceptis iis, quae a) iura aliis quaesita laedunt; b) ad lites referuntur; c) adversantur

[62] Ib. 54, 630. [63] Cf. c. 54. [64] c. 36.
[65] Ib. § 2. [66] c. 37. [67] c. 49.

legi in commodum privatorum; d) impetrata fuerunt ad beneficii ecclesiastici assecutionem [68].

3. Si de eadem re obtenta fuerunt duo rescripta non conformia, tunc a) rescriptum peculiare praevalet generali; b) si sunt aeque peculiaria vel generalia, id, quod est prius tempore, praevalet posteriori (ita saltem generaliter); c) si sunt eodem die concessa, utrumque irritum est [69].

4. Condiciones in rescriptis appositae tunc tantum essentiales pro eorundem validitate censentur, cum per particulas: si, dummodo, vel aliam eiusdem significationis, exprimuntur [70]. Num clausula expressa ablativo absoluto observanda sit sub poena nullitatis, controvertitur.

Exsecutio. 1. Rescripta, quibus gratia conceditur sine interiecto exsecutore (rescripta gratiosa), effectum habent a momento, quo datae sunt litterae; rescripta autem concessa in forma commissoria a tempore exsecutionis [71]; proinde in rescriptis in forma gratiosa datis oportet, ut preces veritate nitantur tempore quo rescriptum datum est; in rescriptis vero in forma commissoria datis, tempore exsecutionis [72].

2. Si in rescripto apostolico nullus determinatur exsecutor, non est necesse praesentare tale rescriptum Ordinario impetrantis, nisi tamen a) id expresse praecipitur in rescripto; vel b) agitur de rebus publicis, e. gr. de indulgentiis alicui ecclesiae concessis; vel c) oportet comprobare quasdam conditiones, e. gr. conditiones pro erigendo oratorio privato [73]. Hinc e. gr. dispensationes obtentae pro foro interno, facultas absolvendi a casibus papalibus, facultas privatim benedicendi rosaria etc. non sunt praesentandae episcopo.

3. Exsecutio rescripti nequit valide fieri ab exsecutore delegato, qui prius litteras easque tamquam authentice recognitas non habuerit. Excipitur casus, in quo notitia talium litterarum exsecutori antea communicata fuit ab ipso rescribente vel eo iubente [74]. Ipsa autem exsecutio denegari non potest, nisi manifeste patet, aut adesse vitium obreptionis subreptionisve, aut alias graves rationes obstare [75].

4. Exsecutio rescripti, quod forum externum (non autem internum) respicit, *scripto* facienda est; insuper sub poena nullitatis a) conditiones essentiales, b) substantialis procedendi forma observandae sunt; quodsi quoquo modo exsecutor in exsecutione erraverit, fas est iterum exsecutioni mandare rescriptum [76].

5. Rescriptorum exsecutor potest alium pro suo prudenti arbitrio sibi substituere, nisi tamen a) haec substitutio fuerit expresse prohibita, aut b) in ipso rescripto sit praefinita substituti persona, aut c) electa fuerit industria personae, i. e. speciales qualitates personae.

[68] c. 50. [69] c. 48. [70] c. 39.
[71] c. 38. Nihilominus religiosus, qui saecularizationis indultum aut simplicium votorum dispensationem impetravit, potest tale rescriptum recusare, quamvis superior generalis in scriptis iam emiserit exsecutoriale decretum. Possunt tamen superiores reclamare contra talem recusationem apud S. Congregationem de Rel. Ita S. Cong. de Rel. d. 1 Aug. 1922 (Acta Ap. Sed. XIV 501).
[72] c. 38 et 41. [73] c. 51. [74] c. 53. [75] c. 54. [76] c. 55 56 59.

In hoc ultimo casu exsecutor potest tamen committere alteri actus praeparatorios exsecutionis[77]. E. gr. si a S. Congregatione de Rel. committitur superiori religioso exsecutio saecularizationis alicuius subditi sub certis conditionibus, superior religiosus potest alium delegare ad verificandas istas conditiones. — Nisi electa fuerit in rescripto industria personae (quod raro accidit), rescripta quaelibet exsecutioni mandari possunt etiam ab exsecutoris successore in dignitate vel officio[78].

6. Exsecutor nequit pro libitu exigere taxas in exsecutione rescriptorum, sed debet observare ea, quae in quolibet rescripto (a tergo) solent indicari vel quae in sua provincia ecclesiastica legitime statuta sunt[79].

Revocatio et peremptio. 1. Rescriptum potest revocari aut per peculiarem actum superioris aut per legem contrariam. In primo casu valor rescripti perdurat usque dum haec revocatio indultario significetur; in altero casu rescriptum manet in suo robore, nisi aliud in ipsa lege expresse caveatur aut lex lata sit a superiore ipsius rescribentis[80].

2. Rescripta non perimuntur per S. Sedis vel dioecesis vacationem, nisi a) id expresse statuatur, aut b) rescriptum contineat potestatem alicui factam concedendi gratiam *peculiaribus personis in eodem expressis,* et res adhuc integra sit[81].

Vitia. Rescripta possunt esse vitiata ac proinde invalida ex diversis causis, quarum praecipuae sunt:

1. *Vitium precum.* In omnibus enim rescriptis subintelligenda est, etsi non expressa, conditio: *si preces veritate nitantur,* nisi tamen rescriptum concessum est in forma *Motus proprii*[82]. Proinde, si in precibus occurrit subreptio, i. e. reticentia alicuius veri (et quidem *essentialis*), vel obreptio, i. e. expositio falsi in causa unica motiva, rescripta ordinaria sunt vitiata et irrita. Sin autem subreptio vel obreptio attingunt solummodo accidentalia vel solam partem rescripti, totum rescriptum non est irritum[83]. Hinc quoque rescripta non fiunt irrita ob errorem in nomine personae cui vel a qua conceduntur, aut loci in quo ipsa persona moratur, aut rei de qua agitur, ut aliquando accidit in dispensationibus matrimonialibus, dummodo iudicio Ordinarii nulla sit de ipsa persona vel re dubitatio[84].

Cum rescriptis apponitur clausula: *Motu proprio,* nulla subreptio officit, immo etiam nulla obreptio in dispensationibus super matrimonialibus impedimentis minoris gradus[85]; in aliis autem materiis rescripta etiam Motu proprio concessa irritantur, si falsa fuit causa finalis eaque *unica*[86].

2. *Vitium auctoritatis.* Rescripta *gratiosa* (immo omnes gratiae) sunt invalida: a) si ab una Congregatione vel Officio Romanae Curiae prius denegata fuere et postea ab alia Congregatione vel Officio obtenta sunt, quin prior Congregatio vel Officium assensum praestiterit.

[77] c. 57. [78] c. 58. [79] c. 59, § 2. [80] c. 60. [81] c. 61.
[82] c. 40. [83] c. 42. [84] c. 47. [85] c. 1054. [86] c. 45.

Sola rescripta S. Poenitentiariae, utpote pro foro interno concessa, remanent valida, quamvis antea pro foro externo aliqua Congregatio vel Officium eandem gratiam negaverit[87].

b) si a vicario generali denegata et postea, nulla facta huius denegationis mentione, ab episcopo[88] impetrata sunt; gratia autem ab episcopo denegata nequit valide, etiam facta denegationis mentione, ab ipsius vicario generali, non consentiente episcopo, impetrari[89]. Generatim praecipitur (quamvis non sub poena nullitatis): „Nemo gratiam a proprio Ordinario denegatam ab alio Ordinario petat, nulla facta denegationis mentione; facta autem mentione, Ordinarius gratiam ne concedat nisi habitis a priore Ordinario denegationis rationibus[90].

3. *Vitium obiecti.* Rescripta omnia (etiam Motu proprio concessa) censentur invalida: a) si impetrantur a persona de iure communi inhabili ad consequendam gratiam de qua agitur; b) si edita sunt contra alicuius loci legitimam consuetudinem vel statutum peculiare; c) si laedunt ius alteri iam quaesitum. In istis casibus tunc solummodo rescripta sunt valida, quando apponitur expressa clausula derogatoria impedimenti obstantis, nec videtur sufficere clausula generalis: „non obstantibus quibuscunque in contrarium"[91].

Q. 33. *Quomodo privilegia sint fontes iuris ecclesiastici particularis?*

R. Privilegia, quae nihil aliud sunt quam privatae quaedam leges concedentes speciales facultates vel gratias contra vel praeter ius commune, sunt amplissimi fontes iuris particularis. Magna pars e. gr. iuris regularium ex hoc fonte privilegiorum desumenda est. Praeterea unusquisque fere status in hierarchia ecclesiastica propria privilegia et praerogativas habet. Hinc sermo est in iure ecclesiastico de privilegiis episcoporum, cardinalium, metropolitarum, canonicorum etc.[92] Brevissime tractabitur a) de acquisitione, b) de interpretatione, c) de cessatione privilegiorum. Propriis in locis sermo erit de singulis privilegiis.

a) **Acquisitio privilegiorum** triplici modo fieri potest, sc. 1. directa concessione, 2. communicatione, 3. legitima consuetudine aut praescriptione[93].

Directe concedere nemo potest privilegium nisi competens auctoritas, i. e. potestas legifera. Qui enim potest legem condere, potest quoque privatam legem favorabilem seu privilegium concedere.

Communicatione ea tantum privilegia acquiri possunt, quae non sunt specialia, i. e. quae primo privilegiario non sunt concessa ob specialem

[87] c. 43.
[88] Nomine episcopi hic venit quoque abbas vel praelatus nullius (c. 215, § 2).
[89] c. 44, § 2. [90] Ib. § 1.
[91] c. 46. Ampliorem et claram doctrinam de rescriptis iuxta vigentem disciplinam dat *Ph. Maroto* l. c. I 278 sqq.
[92] Ampliora de notione et divisione privilegiorum scripsit *Ph. Maroto* I 290 sqq.
[93] c. 63, § 1.

omnino relationem, e. gr. ad certum locum, tempus, rem, personam[94]. Hinc e. gr. si S. Sedes concedit determinato episcopo ob speciales rationes aliquod privilegium, alii episcopi non obtinent hoc idem privilegium vi communicationis. Ultimis temporibus Curia Romana videtur magis ac magis limitare communicationem privilegiorum. Talis communicatio e. gr. suppressa est inter diversas Religiones[95].

Praescriptione aut consuetudine acquiritur privilegium eodem modo, quo lex abrogatur per consuetudinem. Unde recolenda sunt ea, quae supra q. 18 dicta sunt de consuetudine. Possessio centenaria vel immemorabilis alicuius privilegii semper inducit praesumptionem istud privilegium esse rite concessum[96].

b) **Interpretatio** privilegiorum facienda est iuxta eorum tenorem, i. e. ut verba sonant, nec licet ea extendere aut restringere[97]. Hinc illud adagium: Privilegium tantum valet, quantum sonat. In dubio autem privilegium semper ita interpretandum est, ut privilegiatus ex privilegio revera aliquam gratiam consequatur[98]. In genere privilegia ita interpretanda sunt, sicut rescripta[99]. Facultates habituales, quae conceduntur e. gr. episcopis, sunt quasi-privilegia seu accensentur privilegiis praeter ius[100], ac proinde sunt latae interpretationis. Tales facultates a S. Sede concessae non evanescunt resoluto iure Ordinarii, e. gr. per mortem, translationem etc., sed transeunt ad successores, nisi tamen clare constat de contrario. Item istae facultates concessae episcopo competunt quoque vicario generali[101].

Privilegium, nisi aliud constat, censendum est perpetuum[102].

Nemo cogitur uti privilegio omnino favorabili, nisi ex alio capite exsurgat obligatio[103], e. gr. clericus tenetur uti privilegiis concessis statui clericali; confessarius habens privilegium absolvendi a casibus reservatis, tenetur illo uti, si poenitens est rite dispositus.

c) **Cessatio privilegiorum** fit 1. *per revocationem,* sicuti supra quaest. 32 dictum est de rescriptis. Non autem cessant resoluto iure concedentis, e. gr. morte Summi Pontificis, episcopi etc., nisi data fuerint cum clausula: ad beneplacitum nostrum, vel alia aequipollenti[104]. Neque cessant non-usu aut usu contrario, saltem si sunt favorabilia. Privilegia, quae in aliorum gravamen cedunt, amittuntur, si accedat legitima praescriptio aut tacita renuntiatio[105].

2. *Per interitum rei vel personae privilegiatae.* Privilegium personale sequitur personam ubique, ac proinde cum ipsa exstinguitur[106]. Animadvertere autem oportet, personam moralem, e. gr. provinciam, communitatem religiosam, esse natura sua *perpetuam* atque non exstingui nisi duobus modis: a) si a legitima auctoritate supprimatur; b) si per 100 annorum spatium desierit[107]. Privilegium reale cessat per absolutum

[94] c. 64. [95] c. 613. [96] c. 63, § 2.
[97] c. 67. [98] c. 68. [99] Cf. q. 32.
[100] c. 66, § 1. [101] Ib. § 2. [102] c. 70.
[103] Cf. nostrum Man. theol. mor. I 267. [104] c. 73.
[105] c. 76. [106] c. 74. [107] c. 102, § 1.

rei vel loci interitum; privilegium vero locale reviviscit, si locus intra 50 annos restituitur[108]. Proinde e. gr. si domus religiosa suppressa a potestate civili intra 50 annos resurgit, pristina privilegia localia recuperat.

3. *Per essentialem mutationem adiunctorum.* Cessat enim privilegium, si temporis progressu rerum adiuncta sic, iudicio superioris, immutentur, ut noxium evaserit aut eius usus illicitus fiat[109].

4. *Elapso tempore vel expleto numero casuum* pro quibus privilegium fuit concessum. Per se patet. De quibus omnibus agetur infra. De facultatibus Romanae Curiae non est cur hic agamus, in propriis materiis earum sermo redibit et praeterea tenor earum solet esse tam clarus, ut fere nulla explicatione indigeant. Si quod dubium exsistat, illa Congregatio romana, quae concessit facultatem, etiam authentice explicare hoc dubium non recusabit[110].

De privilegiis in genere egimus sufficienter in nostro Man. theol. mor. I 263 sqq.

Q. 34. *Quid praeter hucusque dicta notandum sit de iis, quae in primo libro Codicis continentur?*

R. 1. Omnes iuris communis ecclesiastici leges et poenae, quae in Codice nec explicite nec implicite inveniuntur, sunt abolitae[111]. Etenim novus legislator intendit ordinare ex integro totam legislationis communis materiam; si quam ergo legem communem ipse neglexit, eam abrogasse censendus est. Haec autem abrogatio extendi nequit ad eas leges particulares et speciales, quae non sunt oppositae praescriptis novi Codicis[112]. Permanent in suo vigore:

a) ius Ecclesiae orientalis[113],

b) leges liturgicae, nisi earum aliqua in Codice expresse corrigatur[114],

c) concordata seu conventiones[115],

d) privilegia, indulta, iura quaesita ab Apostolica Sede concessa et nondum revocata, nisi tamen in Codice *expresse* revocentur[116]. Hinc e. gr. plurima pars privilegiorum religiosis concessorum integra mansit.

e) consuetudines centenariae et immemorabiles, quae non *expresse* in Codice reprobantur et quae tolerantur ab Ordinariis[117].

2. Canones Codicis, qui ius vetus *ex integro* referunt, interpretandi sunt iuxta vetus ius; qui vero *ex parte* tantum cum vetere iure congruunt, qua congruunt, ex iure antiquo aestimandi sunt; qua discrepant, sunt ex sua ipsorum sententia diiudicandi. In dubio, num aliquod

[108] c. 75. [109] c. 77.
[110] Cf. Kirchenlexikon s. v. Fakultäten oder Indulte.
[111] c. 6, n. 6. [112] Ita quoque *Ph. Maroto* l. c. I, n. 169.
[113] c. 1. [114] c. 2. [115] c. 3.
[116] c. 4. In codice 14 privilegia expresse revocantur. Cf. Index analytico-alphabeticus Codicis s. v. Privilegia.
[117] c. 5.

canonum praescriptum cum vetere iure discrepet, a vetere iure non est recedendum[118].

3. Nulla ignorantia legum irritantium aut inhabilitantium ab iisdem excusat, nisi aliud expresse dicatur[119]. Ergo ignorantia non excusat e. gr. ab impedimento criminis.

4. Quamvis latae sententiae poenae in novo Codice non indicatae cessaverint, tamen videntur integrae manere poenae iuris *particularis*, e. gr. vigentes in ordinibus religiosis.

Cetera omnia, quae in primo libro statuuntur de legibus ecclesiasticis in genere, non discrepant a disciplina hucusque vigente. Proinde explicatio eorum, quae statuuntur de subiecto, obiecto, interpretatione, dispensatione, revocatione legum ecclesiasticarum, videri potest in nostro Manuali theol. mor. (in tractatu de legibus).

5. **Leges de temporis supputatione** hae sunt:

a) In iure nomine mensis venit spatium 30, anni vero spatium 365 dierum, nisi mensis et annus dicantur sumendi prout sunt in calendario. In supputandis horis diei standum est communi usui loci; fere semper autem licet sequi tempus aut locale aut legale[120]. Generatim ius ecclesiasticum solet in temporis supputatione sequi ius civile uniuscuiusque regionis, ac proinde sumit menses et annos sicut sunt in calendario civili. Initium diei sumitur a media nocte; dies autem liturgicus e. gr. pro recitatione officii divini iam pridie a meridie vel saltem a vesperis.

b) Si initium alicuius temporis computandi coincidit cum *initio* diei, tempus terminatur ultimo die *incipiente;* sin autem initium alicuius temporis *coepto iam die* incipit, terminatur ultimo die *expleto*[121]. Hinc e. gr. in primo casu si duo vacationum menses inde a die 15 Aug. conceduntur, istae vacationes incipiunt die 15 Aug. et terminantur die 15 oct. *incipiente*; e contra in secundo casu annus novitiatus inchoatus die 15 Aug. hora 10 non terminatur nisi anno sequente die 15 Aug. *expleto*, ita ut professio religiosa fieri nequeat nisi die 16 Aug.[122] Haec secunda regula unam exceptionem habet: Si enim agitur de actibus eiusdem generis statis temporibus *renovandis*, tempus finitur eodem recurrente die, quo incepit, et novus actus per integrum eundem diem poni potest[123]. Quare e. gr. in institutis religiosis, in quibus professio religiosa quolibet triennio renovanda est, si quis professionem emisit die 15 Aug. 1920, potest renovare professionem die 15 Aug. 1923, et quidem qualibet hora istius diei.

c) Sequens vestigia antiqui iuris romani[124] Codex[125] distinguit tempus continuum et utile. Tempus *continuum* prorsus nullam interruptionem admittit; tempus vero *utile* „non currit ignorantibus aut agere non valentibus", i. e. interrumpitur, si ille, cuius interest, ignorat aut

[118] c. 6, n. 2 et 3. [119] c. 16, § 1.
[120] c. 32 et 33. [121] c. 34, § 3, n. 2 et 3.
[122] Pontificia Commissio d. 12 Nov. 1922 (Acta Ap. Sed. XIV [1922] 661).
[123] c. 34, § 3, n. 5. [124] L. 7, 2, 53 Cod. [125] c. 35.

non potest implere tempore debito obligationem praescriptam, e. gr. appellationem contra sententiam iudicialem, electionem, praesentationem ad officium ecclesiasticum.

CAPUT IV.

De fontibus cognoscendi iuris ecclesiastici.

Praenotamen. Postquam de *fontibus exsistendi* seu de competentibus legislatoribus iuris ecclesiastici universalis et particularis egimus, nunc tractandum est de *fontibus cognoscendi* seu de illis locis, ubi leges ecclesiasticae depositae fuerunt et sunt, vel brevius: *de collectionibus iuris ecclesiastici.* — Qui quidem tractatus satis magni momenti est et propterea ne in parvo quidem Manuali est omittendus, nam non tantum docet historiam litterariam scientiae iuris ecclesiastici, sed etiam ampliorem et profundiorem intelligentiam iuris ecclesiastici praestat. Hinc cardinalis Gasparri in praefatione ad novum Codicem iur. can. egit de fontibus istis, et Codex (c. 6) expresse notat, se vigentem hucusque disciplinam plerumque retinere, licet opportunae immutationes afferantur. Ius ecclesiasticum, prout nunc viget, non est prorsus alienum a iure ecclesiastico saeculorum praeteritorum, sed ex prioribus legibus tamquam ex radice paulatim lapsu temporis excrevit. Sicut enim flores et fructus alicuius arboris sucum depromunt ex ramis, trunco et radice, ita leges ecclesiasticae modernae intime conexae sunt cum legibus Ecclesiae antiquae. Et sicut flores et fructus arboris non possunt perfecte cognosci sine cognitione totius arboris, ita leges ecclesiasticae modernae non possunt perfecte cognosci sine cognitione legum pristinae Ecclesiae catholicae. Collectiones autem iuris ecclesiastici convenienter dividuntur ordine chronologico, et quidem 1. Collectiones iuris ecclesiastici usque ad Gratiani Decretum; 2. Collectiones a Decreto Gratiani usque ad Concilium tridentinum et 3. Collectiones inde a Concilio tridentino usque ad nostra tempora. Per modum coronidis agetur de Collectionibus iuris ecclesiastici particularis. Habet igitur hoc caput quattuor articulos:

1. **De collectionibus iuris ecclesiastici universalis usque ad Gratiani Decretum (circa a. 1150).**
2. **De collectionibus iuris ecclesiastici universalis a Decreto Gratiani usque ad Concilium tridentinum (a. 1540).**
3. **De collectionibus iuris ecclesiastici universalis a Concilio tridentino usque ad nostra tempora.**
4. **De collectionibus iuris ecclesiastici particularis.**

Omittimus autem S. Scripturam et Traditionem, in quantum sunt fontes iuris, quia supra sufficienter de his actum est. Convenientissime simul ac utilissime subiungeretur tractatui de fontibus iuris ecclesiastici historica synopsis de praecipuis scriptoribus huius scientiae, sicuti (erudite quidem, sed cum animo infenso contra Ecclesiam) iam fecit Friedr. Schulte[1], sed quia in scholis non solet sufficere tempus tractandi istam historiam, ideo in principio huius voluminis dedimus tantum elenchum alphabeticum, in quo praeclariores scriptores iuris ecclesiastici eorumque opera enumerantur.

[1] Geschichte der Quellen und der Literatur des kanonischen Rechts von Gratian bis auf die Gegenwart. 3 voll. in 4 tom., Stuttgart 1875—1880.

ARTICULUS I.

De collectionibus iuris ecclesiastici universalis usque ad Gratiani Decretum (circa a. 1150).

Q. 35. *Quaenam sint collectiones principaliores iuris ecclesiastici usque ad Gratiani Decretum?*

R. Omnes istae collectiones convenienter in 5 classes dividuntur, sc. 1 Collectiones ante Concilium nicaenum I (a. 325); 2. Collectiones in Ecclesia orientali; 3. Collectiones in Ecclesia occidentali usque ad saeculum octavum; 4. Collectiones apocryphae noni saeculi; 5. Collectiones principaliores saeculi decimi et undecimi.

Q. 36. *Quid notandum sit circa collectiones iuris ecclesiastici ante Concilium nicaenum I?*

R. a) Perpaucae leges ecclesiasticae ex primis aerae christianae saeculis ad nos pervenerunt, quia tunc Ecclesia catholica persecutionibus diris agitata non potuit multas leges condere. Accedit quod leges ecclesiasticae tunc non fuerunt ita necessariae, cum fideles sanctissime viverent etiam sine legibus ecclesiasticis.

b) Certe authentice ad nos pervenerunt epistula Clementis I ad Corinthios[2], epistula Victoris I de controversia circa paschatis celebrationem (a. 195), responsio Stephani I de baptismo haereticorum, et quaedam alia[3].

c) Certe falsae sunt collectiones quae vocantur „*Constitutiones Apostolorum*“ et „*Canones Apostolorum*“, saltem prouti nunc exstant, licet pariter certum sit has duas collectiones depromptas esse ex monumentis valde antiquis ante Concilium nicaenum I exsistentibus. Constitutiones Apostolorum (Διαταγαὶ [vel Διατάξεις] τῶν ἁγίων ἀποστόλων) in 8 libros divisae ex tribus partibus coalescunt, sc. α) Sex primi libri deprompti esse videntur ex vetustissima Διδασκαλία τῶν ἀποστόλων, quae verisimiliter conscripta est saeculo tertio et quidem in Syria vel Palaestina[4], et quae haud incongrue vocatur primum tentamen alicuius corporis iuris ecclesiastici[5]. β) Septimus liber depromptus est ex vetustiore etiam scripto, cui titulus est Διδαχὴ τῶν δώδεκα ἀποστόλων. Hoc scriptum anno 1873 detectum a patriarcha Philotheo Bryennio in aliquo conventu constantinopolitano et anno 1883 publici iuris factum est. A Sanctis Patribus vocatur quoque „Iudicium Petri“ vel „Duae Viae“ et saeculo primo exeunte vel saltem saeculo secundo ineunte ortum duxit. γ) Liber octavus depromptus est partim ex Hippolyto „περὶ χαρισμάτων“, partim ex aliis scriptis deperditis. Inter historiae peritos multum disputatur usque ad nostros dies de antiquitate Constitutionum Apostolorum et de auctore ipsarum[6], at illae pro iure canonico

[2] Cf. *Jaffé*, Regesta Pontif. Rom. ed. 2.
[3] Cf. *Bardenhewer*, Gesch. der altkirchl. Lit. § 11.
[4] Cf. *Funk*, Didascalia et Constitutiones Apost., Prolegom. v.
[5] *Bardenhewer* l. c. § 69.
[6] Cf. praesertim *Funk* l. c.

non sunt tanti momenti, cum absque omni dubio falsificatae sint, ut iam statuit Synodus trullana a. 692. Continent praeterea non pauca, quae adversantur doctrinae catholicae, e. gr. permittunt ancillis, ut libidini dominorum infidelium pareant, baptismum ab haereticis collatum iterari iubent[7].

„*Canones Apostolorum*“ vocatur collectio 85 canonum, quae falso attribuebatur S. Clementi I[8]. In Oriente quidem isti canones tamquam genuini accepti sunt a Synodo trullana a. 692. Immo S. Ioannes Damascenus l. 4 de fide orth. c. 17 non dubitavit canones apostolicos tamquam ab apostolis constitutos in Sacrarum Scripturarum canonem referre, scribens: „Iam vero Novi Testamenti libri isti sunt: Quattuor Evangelia.... Canones denique sanctorum apostolorum per Clementem concinnati.“ In Occidente autem fere unus Turrianus S. J. adversus centuriatores magdeburgenses conatus est argumentis vindicare istis canonibus auctoritatem apostolicam. Prima mentio istorum canonum fit in Synodo constantinopolitana sub Nectario a. 394. S. Clemens vero nullam eorum mentionem facit, neque Eusebius, S. Hieronymus aliique, qui in conservanda ecclesiasticorum scriptorum memoria diligentissime versati sunt. Insuper nec S. Victor Papa in controversia de paschate celebrando, nec S. Cyprianus in controversia de baptismo haereticorum illis usi sunt. Ultimo non pauca inveniuntur in illis, quae aut falsa sunt, e. gr. can. 63 et 85, aut certe nondum in usu fuerunt temporibus apostolorum, e. gr. annua Concilia metropolitana, divisio paroeciarum etc. Quamvis autem Canones sic dicti Apostolorum non sint ab ipsis apostolis compositi, sunt tamen antiquissimi, sc. ex saeculo II et V[9]. Dionysius Exiguus circa annum 500 illos in linguam latinam vertit et 50 eorum in suam collectionem recepit[10].

Q. 37. *Quaenam sint principaliores collectiones iuris ecclesiastici in Oriente?*

R. Sunt sequentes:

a) Collectio in Concilio chalcedonensi a. 451 adhibita ab ignoto auctore: ἀκολουθία τῶν κανόνων.

Quosnam canones haec collectio continuerit, multum disputatur. Forte initio tantum comprehendit canones Conciliorum nicaeni, ancyrani, neocaesarensis atque gangrensis. Postea tamen canones plurium aliorum Conciliorum adiecti sunt[11].

[7] Cf. card. *Soglia*, Instit. iur. eccl. I, § 46. [8] Cf. *Bardenhewer* l. c. § 70.
[9] Propter eorum venerabilem antiquitatem Canones sic dicti Apostolorum magni aestimati sunt etiam in Occidente et de illis saepe mentio fit, e. gr. c. 14, D 28; c. 3, D 88; c. 1 X 3, 21; Conc. Trid. sess. 25, c. 1 de reform.
[10] Cf. *Soglia* l. c. I, § 47 et 48, et praeprimis: Dictionnaire de théol. cath. s. v. Canons apostoliques.
[11] Cf. *Maassen*, Geschichte der Quellen I 79, et Fratres *Ballerini*, De antiquis collectionibus c. 1. *Migne*, P. l. 56, 15 sqq. Citant nonnulli auctores, e. gr. *Sägmüller* (l. c. § 35), pro hac collectione c. 14, C. 25, q. 1. Sed ibi nihil aliud habetur

b) Collectio 60 titulorum cum 21 constitutionibus imperialibus ab ignoto auctore circa a. 535 compilata. Huius collectionis deperdita est prima pars; altera pars, sc. constitutiones imperiales, desumptae ex Codice Iustiniani[12], postmodum auctae fuerunt et adhuc exsistunt sub titulo: „Collectio XXV capitulorum“[13].

c) Duae collectiones Ioannis Scholastici, circa a. 550.

d) Collectio quae vocatur Κανονικόν et patriarchae Ioanni Ieiunatori adscribitur[14]. Continet canones poenitentiales.

e) Nomocanon Photii.

f) Collectio Ioannis Zonaras, circa a. 1120, et Σύνταγμα Matthaei Blastares, circa a. 1335. Vocatur etiam Πηδάλιον (gubernaculum). Quae quidem collectiones adhuc nostris diebus cum paucis mutationibus adiectis tamquam leges authenticae in Ecclesia graeca schismatica habentur[15].

g) Novum Πηδάλιον anno 1800 a monacho Theodorito de monte Atho compilatum (ed. 3 1864).

Ioannes cognomento Scholasticus, postea patriarcha constantinopolitanus, collegit circa a. 540—550 canones 85 Apostolorum, nicaenos 20, ancyranos 25, neocaesarenses 14, sardicenses 21, gangrenses 20, antiochenos 25, laodicenses 59, constantinopolitanos 6, ephesinos 8, chalcedonenses 27, denique canones eductos ex epistulis S. Basilii 68, et haec omnia in 50 titulos distribuit, quare haec collectio vocatur: Συναγωγὴ κανόνων εἰς ν' (50) τίτλους διορημένη. Idem Ioannes Scholasticus postea adiecit huic collectioni complementum desumptum ex Novellis Iustiniani, quod inscribitur: Collectio 87 capitulorum[16].

Haec collectio adhuc pluries aucta fuit, praesertim additis legibus civilibus, ita ut sic dicti „Nomocanones“ orirentur, i. e. collectiones quae continent et leges ecclesiasticas (κανόνες) et leges civiles (νόμοι). Inter Nomocanones eminent duo:

1° Nomocanon qui videtur esse compositus sub imperatore Mauritio (582—602) et minus recte a nonnullis adscribitur Ioanni Scholastico[17].

2° Nomocanon Photii, patriarchae constantinopolitani, qui circa a. 883 novis curis auxit et expolivit Nomocanonem iam exsistentem[18].

quam haec verba: „Regulas a Sanctis Patribus in unaquaque Synodo usque nunc prolatas teneri statuimus.“ Ex quibus verbis non licet multum deducere. Ceterum iuxta *Berardi* (Gratiani canones genuini ab apocryphis discreti I 298 [Taurini 1752]) iste canon non est editus a Concilio chalcedonensi, sed a schismatico anatolico. — Haec notanda esse putavi ad praecavendam nimiam confidentiam, qua quidam auctores de istis rebus antiquissimis et haud certis loquuntur.

12 Lib. 1, tit. 1—14. 13 Cf. *Vering*, Lehrb. d. K.³ § 15. 14 Cf. ib.

15 Cf. *Schneider*, Die Lehre von den Kirchenrechtsquellen, Anhang 1. Quantum ad fontes Ecclesiae orientalis catholicae vide *Ios. Papp-Szilagyi*, Enchiridion iur. Ecclesiae orient. cathol.² (Magno-Varadini 1880) § 39 sqq. Optime tractat de collectionibus iuris ecclesiatici in Oriente *Vering*, Lehrb. d. K.³ § 15—19.

16 Invenitur apud *Heimbach*, Ἀνέκδοτα II 202—234.

17 Habetur apud *Voelli et Justelli*, Biblioth. iur. can. vet. II 603—660.

18 Ib. 815—1140 et apud *Migne*, P. g. 104, 441 sqq.

Q. 38. *Quaenam sint principaliores collectiones iuris ecclesiastici in Occidente usque ad saeculum VIII?*

R. Sunt sequentes:

a) Canones Synodorum particularium, inter quas eminet Synodus carthaginensis a. 419;

b) Versiones duae (sc. hispana et itala) alicuius collectionis graecae;

c) Collectio Dionysii Exigui, quam amplificavit Hadrianus I;

d) Collectio avellana;

e) Collectiones africanae;

f) Collectiones hispanicae;

g) Collectiones gallicae et anglicae.

Circa singula haec breviter notantur: *Ad a)* In Occidente cum primis saeculis concilia oecumenica celebrata non fuerint nec Collectiones graecae Conciliorum in Oriente celebratorum semper praesto fuerint, ius ecclesiasticum statuebatur in Conciliis particularibus et in Summorum Pontificum epistulis decretalibus. Quamplurima Concilia particularia in Africa, Hispania, Gallia, Germania, Anglia istis temporibus celebrata sunt[19], et ista Concilia canones condiderunt. Afri ante ceteros Occidentales primum collegisse videntur canones suos in Concilio carthaginensi a. 419. Quae quidem collectio ita celebris fuit, ut usque ad saeculum decimum tertium tamquam authentica collectio haberetur[20].

Ad b) Quinto saeculo complures versiones latinae canonum graecorum in Conciliis generalibus conditorum factae sunt privata tamen auctoritate[21], inter quas eminent duae, sc. Versio hispana (isidoriana) et Versio itala aut prisca. Quisnam fecerit has duas versiones, ignotum est.

Versio hispana, quae postea in Collectione hispana seu isidoriana adhibita fuit, certe non facta est a S. Isidoro († 636), cum iam in Concilio regensi (Riez) a. 439 nota fuerit[22]. Pariter non facta est in Hispania, sed in Italia. Ergo prorsus immerito vocatur Versio hispana vel isidoriana. Ratio autem, cur hoc nomen acceperit, est omnino extrinseca et accidentalis, quia sc. invenitur in Collectione hispana canonum, de qua infra.

Versio prisca suppar est Versioni sic dictae hispanae et continet versionem canonum Conciliorum Ancyrae, Neocaesareae, Nicaeae, Sardicae, Gangrae, Antiochiae, Chalcedone, Constantinopoli celebratorum. Eam diligentius cognitam et emendatam iterum ediderunt Fratres Ballerini in appendice ad opera S. Leonis I[23].

Ad c) Inter omnes collectiones huius temporis plane eminet *Collectio Dionysii Exigui*[24], quae cum additionibus Hadriani I quasi authentica collectio

19 Cf. *Hefele*, Konziliengeschichte I—III.

20 Cf. *Maassen*, Gesch. der Quellen I 176. 21 Ib. 71 87 100.

22 *Maassen*, l. c. 71 sqq. Cf. Fratres *Ballerini*, De antiquis collectionibus et collectoribus canonum, apud *Migne*, P. l. 56, 83.

23 *Migne*, P. l. 56, 747 sqq.

24 Dionysius Exiguus natione Scytha postea abbas cuiusdam monasterii Romae factus est. Quando natus et quando mortuus sit, non certo constat. Etsi humilitate ductus sibi cognomen „exigui“ addiderit, tamen magnus fuit aeque in scientiis ac in sanctitate. In latinam linguam vertit complura opera, e. gr. vitam *S. Pachomii* (exstat in Actis Sanctor. Bolland. 14 Maii), *S. Gregorii Nysseni* De opificio hominis; Historiam inventionis capitis S. Ioannis Baptistae etc. Plures collectiones canonum compilavit, inter quas celebrior est illa, quae inscribitur Collectio

facta est. Monet tamen Nicolaus I episcopos Galliae, etiam Decretales genuinas Summorum Pontificum, quae non continentur in hac collectione, esse cum honore et oboedientia suscipiendas [25]. Dionysius Romam venit circa annum 500 et, permotus precibus cuiusdam Laurentii presbyteri romani et Stephani episcopi salonitani in Dalmatia, aggressus est novam et bene ordinatam collectionem canonum. Primo novam graecorum canonum absolvit versionem suaque collectione complexus est 50 canones Apostolorum et deinde canones nicaenos, ancyrenses, neocaesarenses etc. Hoc opus exstat in Codice palat. 577 [26]. Mox alteram collectionem Decretalium Romanorum Pontificum a Siricio (385) usque ad Anastasium II (498) perfecit et demum utramque collectionem in unum corpus redegit. Haec ultima collectio maximi semper habita fuit, licet authentica non sit. Exstat apud Migne [27] et continet duas partes. In prima parte habentur 50 canones Apostolorum, Concilia graeca sub numeris 165, deprompta ex quodam graeco codice (Codex canonum); sequuntur canones Concilii chalcedonensis, Concilii sardinensis, Concilii carthaginensis. In secunda parte habentur 38 epistulae decretales Summorum Pontificum a Siricio usque ad Anastasium II.

Labente tempore huic Collectioni dionysianae novae additiones factae sunt [28], et Hadrianus I (772—795) a. 774 dedit Carolo Magno dono hanc collectionem auctam, quae in Concilio aquisgranensi a. 802 tamquam *„Codex canonum"* in toto regno Francorum introducta est. Quae quidem collectio sic aucta vocatur *collectio dionysio-hadriana*. Esti harum additionum auctor ipse Hadrianus non est habendus, cum iam Zacharias Pontifex (in epistula ad Pipinum et episcopos, abbates et proceres Francorum [29]) illas commemoret; tamen, cum a Papa ipso tradita fuerit, quasi authentica collectio habenda est et revera habita fuit, ut patet ex Hincmari Remensis epistula adversus Hincmarum Laudunensem [30].

Ad d) Collectio sic dicta avellana circa annum 560 ab auctore ignoto compilata est; continet 246 documenta imperatorum et praefectorum romanorum, sicut Summorum Pontificum et episcoporum, ab anno 367 usque ad annum 553. Haec collectio non mediocris momenti est, quia continet monumenta antiquissima, quae in aliis collectionibus desiderantur [31].

Ad e) Post celebrem collectionem Synodi carthaginensis (419), de qua supra dictum est, mentione dignae sunt: 1. *Breviatio canonum* confecta a Fulgentio Ferrando diacono ecclesiae carthaginensis († ante a. 546), quae collectio usque ad saeculum duodecimum in Ecclesia africana in usu erat [32].

---

dionysiana. Praeterea Dionysius iure merito habetur inventor computi christiani, i. e. modi computandi festum Paschatis et annum nativitatis D. N. I. Chr.; cf. *v. Scherer* in Kirchenlexikon s. v. Dionysius Exiguus.

[25] C. 1, D. 19.

[26] Cf. *Maassen*, Gesch. der Quellen I 425. — Magno plausu hoc opus receptum fuit testante Cassiodoro sub medio saec. VI. „Quos (canones) hodie usu celeberrimo Ecclesia romana complecitur" (*Ballerini* l. c. *Migne*, P. l. 56, 262).

[27] P. l. 67, 135 sq. [28] Videsis apud *Migne* l. c. 315 sqq.

[29] *Labbe*, Conc. VIII, col. 241, n. 3.

[30] Ed. *Sirmondi*, Paris. 1645, II 543. „Quo ex tempore haec collectio ab Hadriano Papa Carolo Magno tradita fuit, apostolicam quandam auctoritatem obtinuit et passim ‚Codex canonum' appellari coepit." *Ballerini* l. c. 208.

[31] Edita fuit a. 1895 ab *O. Guenther* in Corp. script. eccl. lat. XXXV, Vindobonae. Cf. *Maassen* l. c. 787 et *Ballerini* l. c. 179—195.

[32] Exstat apud *Migne*, P. l. 67, 950 sqq. Cf. *Schneider*, Kirchenrechtsquellen § 18.

2. *Concordia canonum* ab episcopo Cresconio circa a. 690 composita et in 300 titulos divisa [33].

Ad f) In Hispania episcopus Martinus Bracarensis († circa a. 580) composuit collectionem canonum praecipue ex Conciliis graecis et quibusdam Conciliis particularibus Hispaniae (e. gr. Bragensis, Toletani I), divisam in 84 capitula. Vocatur *„Liber capitulorum"* vel etiam *„ex Concilio Martini Papae"* et multoties citatur in Decreto Gratiani [34]. Alia collectio canonum in Hispania tunc temporis valde celebris vocatur a Pseudo-Isidoro *Collectio hispana vel isidoriana*. Utrum S. Isidorus Hispalensis († 636) hanc collectionem primitus adornaverit, non est ita certum [35]. Hoc asseruit Pseudo-Isidorus saeculo nono, sed iste falsificator non meretur magnam fidem. Quidquid est, haec collectio multis additionibus post mortem S. Isidori aucta est. Haec aucta collectio reperitur in multis (14) codicibus manuscriptis [36] et insuper apud Migne [37].

Ad g) Exeunte saeculo quinto vel ineunte saeculo sexto facta est in Gallia collectio canonum et decretalium divisa in 98 capitula. Primitus typis mandata est a Paschasio Quesnellio Parisiis 1675 et propterea vocatur communiter *Collectio quesnelliana*. Reperitur impressa etiam apud Migne, P. l. t. 56. Prorsus autem immerito a Quesnellio vocatur haec collectio „codex canonum Ecclesiae Romanae", cum Ecclesia Romana nullum codicem authenticum canonum habuerit usque ad saeculum octavum [38], et, si quem habuerit, fuit Collectio dionysiana, quam auctam misit Hadrianus I regi Francorum, ut supra dictum est. Praeter Collectionem quesnellianam in Gallia factae sunt *Collectio dacheriana*, ab editore D'Achéry sic nominata, et *Collectio quadripartita* [39].

In Anglia et Hibernia in usu fuit praeter compilationes iuris particularis *Collectio hibernensis* [40].

Scholion. 1. De libris poenitentialibus. Libri poenitentiales in Occidente vigentes videntur esse imitationes canonum poenitentialium Apostolorum et librorum poenitentialium iam in Oriente exsistentium [41]. Inserviebant ad disciplinam cum ecclesiasticam tum praecipue monasticam sanciendam. Complures huiusmodi libri poenitentiales ad nos venerunt, e. gr. Poenitentiale Vinniai, Gildae, Theodori, Excarpsum (Excrapsum) Bedani etc. [42]; aliqui tamen interpolati sunt. Inde a saeculo decimo tertio loco istorum librorum poenitentialium plurimae „Summae de poenitentia" scriptae sunt, e. gr. a S. Raymundo de Pennaforte, a S. Ioanne de Deo, ab Ioanne Friburgensi etc. Quae quidem Summae nihil aliud sunt quam brevia Manualia in usum confessariorum edita.

2. **De libris Formularum.** Isti libri valde utiles sunt ad cognoscendam rationem scribendi et negotia ecclesiastica expediendi vetustissimis temporibus. Inter istos libros eminet *Liber diurnus* ecclesiae romanae conscriptus saeculo VII vel VIII.

---

[33] Exstat apud *Migne*, P. l. 88, 829 sqq. [34] Apud *Migne*, P. l. 84, 574.

[35] Cf. *Ballerini* l. c. 218 sqq. [36] Cf. *Schneider*, Kirchenrechtsquellen § 19.

[37] P. l. 84, 93 sq. [38] Cf. *Devoti*, Instit. can. § 58.

[39] Cf. *Schneider* l. c. § 17.

[40] Cf. *Wasserschleben*, Die irischen Kanonensammlungen (Lipsiae 1840); cf. *Ballerini* l. c. 302. [41] Cf. supra qu. 35 et 36.

[42] Cf. *Schmitz*, Die Bußbücher und Bußdisziplin der Kirche (Mainz 1883), et *Schneider* l. c. § 22.

Q. 39. *Quid summarie notandum esse videatur de collectionibus apocryphis noni saeculi?*

R. Saeculum nonum a quibusdam historiographis ecclesiasticis „saeculum atrum" nominatur, et forsan non immerito propter scandala atrocia a nonnuliis viris ecclesiasticis publice data. Etiam in iure canonico falsificationes inauditae callide introductae fuerunt, tamquam verae leges vel antiqui canones. Et quod prorsus mirum est, per sex fere saecula hae falsificationes non detectae sunt, usque dum saeculo decimo quinto Ioannes Torquemada O. Pr.[43] et cardinalis Nicolaus Cusanus[44] falsitatem plane enuntiaverunt. Iam saeculo duodecimo Stephanus Tornacensis (1135—1203) et Petrus Comestor saltem suspiciones de genuinitate Collectionis pseudo-isidorianae insinuaverunt. A saeculo decimo sexto usque ad nostros dies nemo fere est[45], qui falsitatem huius collectionis perspectam non habeat. Magna eruditione falsitatem hanc demonstrarunt David Blondel[46] et fratres Ballerini[47]. Distinguendae sunt tres falsae collectiones canonum noni saeculi, quae communi nomine aliquando vocantur Collectiones pseudo-isidorianae[48].

1. *Collectio Benedicti Levitae,* diaconi ecclesiae moguntinae. Continet tres libros, qui, ut auctor ipse dicit, formant supplementum quattuor librorum Capitularii ab Ansegiso[49] compositi. Huius collectionis primo mentio facta est in Congregatione carisiaca (Quiercy) 857. Capitularia huic collectioni inserta nequaquam sunt omnia genuina, sed plura sunt a falsificatore conficta. Scopus collectionis fuit, codicem legalem componere ad usum iudicum ecclesiasticorum et Ecclesiam tueri contra iniurias laicorum. Edita est haec collectio a Baluzio in Capitulario regum Francorum, item a Pertz[50], et a Migne[51]. Quisnam revera fuerit auctor, num fuerit idem ac auctor collectionis pseudo-isidorianae (infra n. 3), adhuc sub iudice lis est.

2. *Capitula Angilramni* vel etiam vocata *Capitula Hadriani.* In codice vetustissimo (noni saeculi, Cod. paris. Sangerman. 366) haec superscriptio habetur: „Ex grecis et latinis canonibus et sinodis romanis atque decretis praesulum ac principum Romanorum haec capitula sparsim collecta sunt et Angilramno Mediomatricae (Metz) urbis eppo Romae a beato papa Adriano tradita sunt sub die XIII kalendarum octobrium indictione nona, quando pro sui negotii causa agebatur."

[43] Summa eccl. l. 2, c. 101. [44] De concord. cath. l. 3, c. 2.

[45] Genuinitatem Collectionis pseudo-isidorianae defenderunt Franc. Torres S. J. a. 1572, Bonaventura Malvasia O. Min. a. 1635, card. d'Aguirre et Dumont (Paris. 1866); sed *Wernz* S. J. (Ius decr. I, n. 216) merito dicit: causam „desperatam Pseudo-Isidori sustinentes oleum et operam perdiderunt".

[46] In opere „Pseudo-Isidorus et Turrianus vapulantes" (Genevae 1620).

[47] Disquisitiones de antiquis collectionibus et collectoribus canonum (Venetiis 1757). Habetur apud *Migne,* P. l. t. 56.

[48] Cf. *Hinschius,* Decret. pseudo-isidor. (Lipsiae 1863).

[49] De Ansegiso vide supra in Catalogo auctorum.

[50] Monum. Germ. IV 2, 39; cf. *Hinschius* l. c. § 17 et § 20, p. CXLIII.

[51] P. l. 97, 698 sqq.

Sed falsum est Hadrianum Papam hanc collectionem, quae continet spurias partes ex Pseudo-Isidoro et quaedam Sedi Apostolicae iniuriosa, tradidisse Angilramno. Quisnam fuerit auctor huius collectionis, nescitur. Hinschius, qui optimam editionem „Capitulorum Angilramni" procuravit, haud improbabiliter putat Pseudo-Isidorum esse patrem huius operis[52], ita ut haec collectio sit quasi praeambula ad sequentem.

3. *Collectio pseudo-isidoriana,* quae circa a. 850 in Gallia (Soissons, Le Mans, Reims) primo apparuit, est insignis falsificatio compilata ab auctore ignoto[53]. Constat tribus partibus. Prima pars continet post praefationem, in qua auctor vocatur Isidorus Mercator (in aliis codicibus legitur peccator vel mercatus[54]), tres epistulas apocryphas, ordinem de celebrando Concilio, 50 canones Apostolorum, 60 epistulas spurias Romanorum Pontificum a Clemente I usque ad Melchiadem. 58 harum epistularum ipse Pseudo-Isidorus fabricavit. In secunda parte reperiuntur spuria donatio Constantini et canones plurium Conciliorum iuxta collectionem hispanam aliquantulum auctam. Denique tertia pars continet Decretales a Silvestro Papa usque ad Gregorium II (715—731), pariter ex collectione hispana depromptas, additis tamen 45 spuriis Decretalibus pontificiis[55].

Non est dubium hanc collectionem esse spuriam, ut supra dictum est; pariter dubium non est hanc collectionem **non esse confectam Romae vel iussu Romanorum Pontificum**[56]. Postea tamen Romani Pontifices aliquando illa usi sunt, quia doctrina ibi contenta vix reprehensione digna est[57]. Inter auctores disputatur, quam ob rationem compilator has falsificationes fecerit. Hodie apud omnes quidem constat finem falsificatoris non fuisse augmentum potestatis papalis, uti voluerunt Blondel, Van Espen, Eichhorn, Theiner, Gallicani et Febroniani, sed potius *augmentum potestatis episcopalis.* Voluit compilator componere optimum codicem legalem in usum episcoporum. Voluit episcopos tueri et contra usurpationes principum laicorum et contra molestias aliorum. Istis enim lugubribus temporibus maximae dissidiae exsistebant cum inter episcopos et subditos clericos, tum inter episcopos et laicos magnates. At non exsistebat codex iudicialis, iuxta

[52] Cf. *Schneider,* Kirchenrechtsquellen § 25.

[53] Quamvis maxima cum sollertia plurimi scriptores docti de nomine falsificatoris investigarint, tamen hodieque nihil certi invenerunt. Wasserschleben putat falsificatorem fuisse Riculfum vel Otgarum Moguntinum; Walter, Benedictum Levitam; Gfrörer, Wenilonem Senonensem; Lurz, canonicum Wulfadum; Phillips, Rothadum de Soissons etc. Novissime P. Fournier cum magna eruditione conatur probare, in Revue d'histoire ecclésiastique VII, n. 1—4 et VIII, n. 1 (Louvain 1907), pseudo-decretales Isidori esse publicatas inter 847 et 852 in dioecesi Cenomanensi vel Turonensi.

[54] Bene disserit de hoc cognomine *Hinschius:* „Der Beiname Mercator in der Vorrede Pseudo-Isidors" (Z. f. Kirchenrecht VI [1866] 148 ff.).

[55] Cf. *Schneider* l. c. § 26. [56] Cf. *Hinschius* l. c.

[57] Cf. *Fournier,* De l'origine des fausses décrétales (Paris 1889) 56.

quem istae dissidiae dirimi possent. Cui malo mederi volens Pseudo-Isidorus confecit suam collectionem, quae obiective nihil mali continet, immo optimas et illi tempori convenientes regulas iuridicas statuit. Ad hoc autem, ut suae collectioni maiorem auctoritatem conciliaret, asseruit adductas Decretales esse a venerabilibus antiquis Romanis Pontificibus emanatas; quod utique falsum est. Num autem Pseudo-Isidorus sciens et volens has falsitates asseruerit, non auderem disceptare, nam in „Libro pontificali", ex quo praecipue falsificator sumpsit suam materiam, invenitur summaria quidem sed mira concordantia cum assertionibus Pseudo-Isidori. Forsan tunc temporis exsistebant monumenta, quae compilatorem in errorem induxerunt. Quilibet vel paulum versatus in antiquis codicibus manuscriptis scit, quam facilis sit error, et quam difficile saepe sit construere genuinum textum. Pseudo-Isidorus absque omni dubio fuit homo doctissimus, diligenter versatus in scriptis Summorum Pontificum et SS. Patrum et recte iudicans indigentias sui temporis[58]. Eius collectio magnum et quidem bonum influxum exercuit suo tempore. Ex quibus omnibus licet concludere hominem, qui fuit doctus, qui cum optima intentione[59] opus celeberrimum et valde utile produxit, non esse vilem impostorem, qualem finxerunt complures hostes Ecclesiae catholicae[60]. Uno verbo: Pseudo-Isidorus est quidem obiective falsificator, subiective vero nec scientia nec habilitas nec bona intentio est illi deneganda[61].

Q. 40. *Quaenam sint principaliores collectiones saeculi decimi et undecimi usque ad Gratiani Decretum?*

R. Collectiones huius epochae sunt valde numerosae. Iam anno 1825 Walter[62] enumeravit triginta septem, et ab illo tempore aliae detectae sunt[63], quarum complures tamen nondum typis editae sunt. Speciali mentione dignae videntur:

[58] Cf. *Möhler*, Fragmenta I 347.
[59] Cf. *Fournier*, De l'origine des fausses décrétales 19.
[60] Cf. *Schneider*, Kirchenrechtsquellen § 26 et 27.
[61] Per totum Medium Aevum usque ad inventionem impressionis typographicae exempla talium falsificationum obiectivarum non raro occurrunt et quidem factarum ab hominibus et scientia et sanctitate vitae insignibus, sic e. gr. opera et miracula unius sancti attribuebantur alii sancto. Cuius rei ratio praecipua videtur fuisse deficientia librorum et satis parvum studium historiae. Cum enim deficerent libri et nonnisi a paucis haberentur, facta historica saepe *oretenus* tantum a generatione in generationem transfundebantur. Cum autem, cotidiana experientia testante, memoria hominis saepe infidelis et parum tenax inveniatur, facillime errores ingliscere potuerunt. Pone exemplum: in hoc monasterio circa aliquod factum praeteritum talis traditio exsistebat, in alio monasterio circa idem factum diversa traditio invaluit, tertium monasterium audit utramque traditionem et forsan ex utraque componit tertiam: quam facile hoc modo errores irrepere potuerint, *quin adsit ulla intentio culpabilis fallendi,* nemo est qui non videat. Quid plura! Quam diverso modo unum idemque factum satis recens a diversis historiographis modernis enarretur, sescenta exempla exsistunt.
[62] Kirchenrecht 226.
[63] Cf. *Fournier*, De l'étude des collections can. du IX[e] au XII[e] siècle.

1. *Collectio Anselmo dedicata* (probabiliter iste Anselmus est archipraesul mediolanensis, 883—897), exeunte saeculo nono in Italia ab ignoto auctore compilata et multum pervulgata. Nondum typis mandata est[64].

2. *Libri duo de synodalibus causis et disciplinis ecclesiasticis*, quos compilavit Regino, abbas monasterii prumiensis, circa annum 906[65].

3. *Decretum (Collectarium) Burchardi*, vel etiam *Magnum decretorum volumen* vocatum, quod compilavit circa annum 1012 Burchardus episcopus wormatiensis in 20 libros divisum. Haec collectio valde divulgata fuit et saepius citatur a collectoribus posterioribus, sic e. gr. in decretalibus Gregorii IX citatur c. 2 X De sponsa duorum 4, „ex Brochardo", vel c. 8 X De excusat. 5, 1 „ex Brochardico"[66].

4. *Collectio Anselmi* episcopi lucensis divisa in 13 libros. Anselmus mortuus est a. 1086. Eius collectio nondum typis mandata est, sed tota fere translata in Gratiani Decretum. Haec collectio non est confundenda cum illa sub n. 1 citata.

5. *Collectio cardinalis Deusdedit* in 4 libros divisa et Papae Victori III (1086—1087) dicata[67].

6. *Collectio Bonizonis* episcopi sutrini et postea placentini in 10 libros divisa et circa annum 1089 confecta. Exceptis nonnullis partibus haec collectio nondum typis impressa est[68].

7. Duae collectiones Ivonis Carnutensis († 1115 vel 1117), quarum altera vocatur *Ivonis decretum,* consistens ex 17 libris, impressum pluries, e. gr. apud *Migne*[69], et altera audit *Panormia* vel Panomia, consistens ex 8 libris[70].

8. Collectio cardinalis Gregorii († 1118), quae vocatur *Polycarpus,* divisa in 8 libros[71]. Nondum typis excusa est.

9. *Collectio caesaraugustana* divisa in 15 libros, compilata ab ignoto auctore saeculo duodecimo ineunte. Nondum est typis impressa[72].

10. *Liber de misericordia et iustitia Algeri Leodiensis* ante annum 1123. Exstat apud *Migne*[73].

[64] *Federico Patetta*, Nuove osservazioni sui Mss. della collezione di canoni „Anselmo dedicata", in Rivista ital. per le scienze giuridiche XI (1891) 378 sq.
[65] Exstat apud *Migne*, P. l. 132, 175 sq. Meliorem editionem procuravit *Wasserschleben*, Die irischen Kanonensammlungen. Cf. etiam *Ballerini*, De antiquis collectionibus 319 sqq.
[66] Exstat apud *Migne*, P. l. t. 140.
[67] Edita fuit a P. Martinucci (Venetiis 1869); cf. *S. Löwenfeld*, Die Kanonessamml. d. Kard. Deusdedit u. d. Reg. Gregors VII: Neues Archiv d. Ges. X (1885) 309.
[68] Cf. Kirchenlexikon s. v. Bonizo; *Mai*, Nov. bibl. Patrum VII 3.
[69] P. l. 161, 47 1022.
[70] Cf. *Fournier*, Les collections canoniques attribuées à Yves de Chartres (1897). „Micrologus de ecclesiasticis observationibus" (*Migne*, P. l. 151, 975) aliquando attribuitur Ivoni, sed eius auctor est probabilius Bernoldus Constantiensis (cf. *Bäumer*, Gesch. des Breviers, Introd. 17).
[71] *Ballerini*, De antiquis collectionibus 346.
[72] Ib. 352. [73] P. l. 180, 857 sq.

Haec sufficiant; qui plura quaerit, adeat Schneider (Kirchenrechtsquellen) vel Fournier (Collections du IXe au XIIe siècle) et auctores ibi citatos.

ARTICULUS II.

De collectionibus iuris ecclesiastici a Gratiani Decreto usque ad Concilium tridentinum (1150—1545).

Q. 41. *Qui sint auctor, finis, fontes, divisio, auctoritas Decreti Gratiani?*

R. Auctor Decreti fuit Gratianus monachus camaldulensis ex monasterio bononiensi SS. Felicis et Naboris, qui post a. 1141 et ante a. 1151 suam „Concordantiam discordantium canonum" scripsit[74]. De vita Gratiani perpauca certo constant; mortuus est ante a. 1179, fuit magister theologiae in Universitate bononiensi. Num fuerit frater germanus Petri Lombardi et Petri Comestoris cancellarii Universitatis parisiensis, non certo probatur.

Scopum operis explicat ipse titulus „Concordantia discordantium canonum". Disputant quidem auctores, num hic titulus ab ipso Gratiano operi praefixus fuerit; sed iam Rufinus Gratiano suppar asserit: „Universo operi titulum praescribit ‚Discordantium canonum concordiam', et nulla gravis ratio exsistit, cur huic assertioni Rufini fides non habeatur. Ipse Gratianus non semel asserit in suo Decreto se velle auctoritatum dissonantiam ad concordiam revocare[75].

Fontes, ex quibus Gratianus hausit, sunt collectiones in quaestione praecedente indicatae, praecipue autem Collectio Burchardi, Collectio Anselmi, Collectio Anselmo dedicata, Collectiones Ivonis, Polycarpus et Collectio Algeri.

Divisio Decreti est in tres partes. Prima pars coalescit ex 101 distinctionibus. Unaquaeque distinctio continet canones[76]. Citatur e. gr.: c. 3, D. 4; additur interdum „in medio", „in initio", „in fine", e. gr.: c. 3 in init., D. 4. — Secunda pars constat ex 36 causis. Unaquaeque causa subdividitur in quaestiones et unaquaeque quaestio in canones. In causa XXXIII tamquam quaestio 3 intercalatus est tractatus de poenitentia. Citatur secunda pars Decreti e. gr.: c. 3, C. II, q. 4. Tractatus de poenitentia solet citari c. 3, D. 7 de poenit. et subauditur causa XXXIII, q. 3. — Tertia pars constat ex 5 distinctionibus, et unaquaeque distinctio subdividitur in canones. Citatur haec pars Decreti e. gr.: c. 3, D. 5 de consecratione (in III Decreti).

[74] Cf. *Fournier*, Deux controverses sur l'origine du Décr. de Grat. (1898); *Franc. Laurin*, Introductio in corpus iur. can. (Friburgi 1889); *Sebast. Berardus*, Gratiani canones genuini ab apocryphis discreti (Taurini 1752—1757). Quod quidem opus est maxima eruditione confectum.

[75] Cf. e. gr. c. 24, D. 50.

[76] Antiquiores canonistae loco canonis adhibent verba: caput, capitulum. Cf. *Laurin* l. c. § 7.

Auctoritas Decreti fuit et est maxima; attamen, etsi iussu Gregorii XIII illud denuo editum fuit, non est codex legalis, sed mera collectio privata. Numquam enim Decretum approbationem authenticam a Summis Pontificibus acquisivit. Unde Benedictus XIV[77] dicit: „Gratiani Decretum, quantumvis pluries Rom. Pontificum cura emendatum fuisse non ignoretur, vim ac pondus *legis* non habet; quinimmo inter omnes receptum est: quidquid in ipso continetur, tantum auctoritatis habere, quantum ex se habuisset, si numquam in Gratiani collectione insertum foret."[78]

Q. 42. *Quinam sint praecipui glossatores et commentatores Decreti?*

R. Decretum Gratiani in iure canonico eandem auctoritatem et divulgationem nactum est ac Sententiae Petri Lombardi in theologia, et sicut veteres theologi solebant explicare et commentari Sententias Petri Lombardi, ita veteres doctores iuris explicabant vel glossabant Decretum Gratiani. Hinc alii doctores scribebant *Summas* Decreti, uti Paucapalea[79], Rolandus Bandinellus, Rufinus, Stephanus Tornacensis, Ioannes Faventinus et praesertim Huguccio circa a. 1180; alii componebant glossas vel apparatum glossarum, ut Paucapalea, Rufinus, Ioannes Faventinus, Albertus Beneventanus (qui postea factus est Papa Gregorius VIII), Ioannes Zemeca vel Teutonicus, Bartholomaeus Brixiensis aliique. Istae glossae scribebantur vel intra lineas textus vel in margine. In primo casu vocabantur *glossae interlineares* et in secundo casu glossae *marginales*. *Glossa ordinaria,* quae primum ab Ioanne Zemeca circa annum 1215 facta est, postea fuit a Bartholomaeo Brixiensi aucta et reformata circa annum 1246. Haec glossa ordinaria in omnibus fere editionibus Decreti impressa est. — Explicationes vel methodicas reformationes Decreti dederunt inter alios Vincentius Bellovacensis O. Pr. († 1264) in Speculo doctrinali, Ioannes a Turrecremata O. Pr. († 1468), Carolus Molinaeus, Antonius Contius († 1577).

[77] De syn. dioec. l. 7, c. 15, n. 6.

[78] Multis et solidis argumentis probat *Freisen* (Geschichte des kan. Eherechtes, Einl. 8 ff.) Decretum Gratiani minime esse collectionem authenticam legis ecclesiasticae. Contrarium a paucis propugnatum fuit, v. gr. a Guidone de Baysio († 1313), Trithemio etc.

[79] Paucapalea (Pocapaglia) fuit discipulus et adiutor Gratiani. De eius vita pauca sunt certa et multa sunt ficta (cf. *Maassen*, Paucapalea, Wien 1859). Non mediocrem partem habuit in compilatione Decreti. Totam distinctionem 73 primae partis Decreti videtur composuisse, ut notatur in vetustissimo Codice bambergensi et confirmant plures alii codices (cf. *Laurin*, Introductio § 18). Pariter confecit subdivisionem primae partis in 101 distinctiones et tertiae partis Decreti in 5 distinctiones (cf. *Laurin* l. c. § 23). Ab ipso insertae sunt Decreto Gratiani complures sic dictae „Paleae". Dicit enim Huguccio (circa 1180) in sua „Summa Decreti" c. 10, C. XX, q. 1: „Et vocatur Palea a suo auctore sc. discipulo Gratiani, qui Paucapalea vocabatur." Paleae (quarum aliae minus probabiles explicationes enarrantur a *Laurin* l. c. § 16) nihil aliud sunt nisi textus paralleli, adiuncti Decreto Gratiani ex aliis antiquis collectionibus canonum. Earum aliae constituunt integros canones (e. gr. c. 1, D. 5; c. 13, D. 23), aliae tantummodo partem canonis efficiunt (e. gr. c. 1, D 17 inde a vocibus: „Neque ullum episcopum" etc.).

Papa Pius V a. 1566 creavit commissionem cardinalium et complurium doctorum ad emendationem Decreti. Quae quidem commissio (vocata „Correctores romani") circa a. 1580 opus ad felicem exitum perduxit, et Gregorius XIII in decreto suo die 5 Iunii 1582 dicit: „Iubemus ut, quae emendata et reposita sunt, omnia quam diligentissime retineantur, ita ut nihil addatur, mutetur aut imminuatur."[80]. Quodsi ab eodem Pontifice const. „Cum pro munere" a. 1580 omnes additiones et mutationes huius editionis sub poena excommunicationis latae sententiae prohibeantur, haec poena hodiernis temporibus iam certe non valet[81]. Licet editio haec romana non sit undequaque perfecta, tamen plus iusto carpitur a Schulte[82], Zorn, Friedberg etc.[83] Nunc raro inveniri potest; describitur accurate a Laurin[84]. Praeter hanc editionem romanam Decreti exsistunt innumerae fere aliae editiones. Inter recentiores editiones eminent editio Boehmer 1747, editio Richter 1859, editio Friedberg 1879.

Q. 43. *Quaenam sint collectiones principaliores tempore inter Gratiani Decretum et Decretales Gregorii IX?*

R. Sunt quinque sic dictae compilationes antiquae[85], scilicet:

1. *Compilatio prima* circa a. 1187 a Bernardo Papiensi confecta sub nomine *„Breviarium extravagantium"*. Scopus Bernardi (qui fuit professor iuris canonici in Universitate bononiensi et postea episcopus faventinus et papiensis) est supplere ea, quae in Decreto Gratiani desunt. Divisit suum opus in 5 libros et materias distribuit iuxta versum „iudex, iudicium, clerus, conubia, crimen", quae divisio postea in Decretalibus Gregorii IX et aliis quoque collectionibus adoptata est[86].

2. *Compilatio secunda* ab Ioanne Galensi Anglico confecta; ordine temporis esset compilatio tertia; paulo ante Concilium lateranense IV a. 1215 in lucem edita fuit ad supplenda ea, quae in anterioribus collectionibus deerant.

3. *Compilatio tertia,* iussu Innocentii III a cardinale Petro Collavicino confecta, continet praecipue Decretales Innocentii III usque ad annum duodecimum pontificatus (1198—1210). Summus Pontifex cum bulla „Devotioni vestrae" die 28 Decembris 1210 hanc collectionem misit ad Universitatem bononiensem et hoc modo illam authenticam declaravit. Est ergo haec compilatio inter omnes *prima collectio authentica,* cum omnes aliae hucusque recensitae collectiones sint tantum privatae auctoritatis[87].

4. *Compilatio quarta* ab auctore ignoto confecta continet Decretales Innocentii III ab anno 1210 usque ad annum 1216 et decreta Concilii lateranensis IV. Glossis instructa est ab Ioanne Teutonico[88].

5. *Compilatio quinta* iussu Honorii III ab auctore ignoto confecta est et continet Decretales huius Papae usque ad annum 1226. Dividitur in quinque libros, sicuti praecedentes compilationes. Fuit authentica collectio.

[80] Cf. *Schneider,* Kirchenrechtsquellen § 37.
[81] Cf. *Freisen,* Gesch. des kan. Eherechtes, Einl. 13.
[82] Geschichte der Quellen I 73.
[83] Cf. *Freisen* l. c. [84] Introd. in Corp. iur. can. § 86.
[85] Editae ab E. Friedberg (1882): Quinque compilationes antiquae necnon collectio lipsiensis.
[86] Cf. *Schulte,* Geschichte der Quellen I 78 sq.
[87] Ib. 87 sqq. [88] Ib. 175.

Praeter has collectiones dantur adhuc complures aliae (circa 30) huius epochae, quae tamen sunt minoris momenti[89]

Q. 44. *Quid notandum sit de collectione Decretalium facta sub Gregorio IX?*

R. Collector et redactor harum Decretalium fuit S. Raymundus a Peñaforte Ord. Pr. (1175—1274), qui fuit professor iuris in Universitate bononiensi, capellanus et poenitentiarius Gregorii IX et postea 1238—1240 magister generalis Ordinis Praedicatorum. Huic viro cum scientia tum sanctitate praeclaro Gregorius IX mandavit, ut *„resecatis superfluis"* constitutiones et decretales epistulas Summorum Pontificum in unum corpus redigeret. Compilationes enim antiquae multa incommoda pro usu practico habebant. Quare Ioannes Andreae (de quo infra q. 46) scribit in Novella comment. ad bullam „Rex pacificus": „Dispendium vero antiquarum consistebat primo in diversitate voluminum, secundo in nimia similitudine, tertio in contrarietate, quarto in prolixitate, et ex his quattuor inducebatur confusio; quinto in incertitudine ex curialitate (i. e. incertum, num a Curia emanata). Omisit (sc. Papa in bulla) sextum de inutilitate."

Scopus huius collectionis non fuit simpliciter colligere veteres Decretales in unum corpus, sed novum *Codicem legalem* condere et accommodatum quidem indigentiis temporis. Auctoritate a Summo Pontifice accepta S. Raymundus mutavit in veteribus Decretalibus quae sibi videbantur mutanda; sed minime propter hanc agendi rationem vituperari potest, ut fecerunt Schulte[90] et Boehmer[91] indigno atque iniusto modo[92].

Fontes, ex quibus S. Raymundus hausit, sunt praecipue compilationes quinque antiquae, de quibus in quaestione praecedente sermo fuit. 152 titulos deprompsit ex compilatione prima, 10 ex compilatione secunda, 17 ex compilatione tertia, 1 ex compilatione quarta. 5 titulos novos S. Raymundus adiecit et 196 Decretales Gregorii IX. Praeterea multa ex S. Scriptura, ex SS. Patribus et ex Conciliis addita sunt[93].

[89] Cf. *Schneider* l. c. § 40—43. [90] Geschichte der Quellen II 14.
[91] In sua edit. Corp. iur. can. II, p. XXIX, n. 99.
[92] Cf. *Phillips,* Kirchenrecht IV 257. Non unus vehementer vituperavit S. Raymundum ob ordinationem materiae factam. Contra hos sciolos sit unus Devoti, qui et profunditate et claritate doctrinae quam maxime effulget. Ille scribit (Ius can. univers. II v sqq.): „In partitione titulorum ac materiarum qui pontificias Decretales collegit, Raymundus de Peñaforte, ordinem tenuit perspicuum, concinnum, accuratum aptumque et accommodatum ad rem de qua agitur, multisque in locis haud dissimilem ordinis, quo iustinianeum Codicem complexus est Tribonianus.... Haec rerum dispositio ac titulorum primi libri partitio est, qua equidem nescio num alia pulchrior, concinnior, accuratior esse possit.... Neque solum in ordine titulorum ac divisione materiarum totius collectionis egregia ratio ac dispositio est, sed etiam singulae Decretales ita sunt plenae gravitatis, veritatis, sapientiae, ut nonnisi invidi vituperatores, qui in omni continuo pravitate versantur, aliquas-potuerint quaerere reprehensionis causas."
[93] Iuxta computationem *Fr. Schulte,* Geschichte der Quellen II 11, S. Raymundus deprompsit ex comp. prima 149 titulos, ex comp. secunda 14 et ex comp. tertia 17.

Divisio adhibita est eadem ac illa a Bernardo Papiensi in prima compilatione primitus introducta.

Totum igitur opus dividitur in 5 libros iuxta versum: „iudex, iudicium, clerus, conubia, crimen". Unusquisque liber dividitur in titulos et unusquisque titulus in capita. Cum haec collectio contineat Decretales extra Decretum Gratiani exsistentes, vocatur et citatur non raro unico verbo: „Extra" vel unica littera X, e. gr.: c. 3 X de constit. 1, 2, quod legitur: Caput tertium extra, de constitutionibus, libri primi, tituli secundi. Modus tamen citandi non apud omnes auctores idem servatur.

Auctoritas huius collectionis est maxima, cum sit codex legalis, a Summo Pontifice Gregorio IX approbatus per bullam „Rex pacificus" 5 Sept. 1234 et ad Universitates parisiensem et bononiensem transmissus. Et haec auctoritas oritur unice ex approbatione Gregorii IX. Si igitur Decretales desumptae sunt ex aliis collectionibus vel emanatae ab aliis Pontificibus anterioribus, tunc non habent auctoritatem legalem, quia inde desumptae sunt, sed quia **(et eo modo, quo)** inveniuntur in hac collectione gregoriana. Omnes hae leges sunt habendae, tamquam si a Gregorio IX ipso essent emanatae. Ad nostros usque dies in scholis et in libris iuris canonici hae Decretales gregorianae solebant explicari et doceri. Novus tamen Codex iuris canonici iussu Pii X compositus et a Benedicto XV editus in eius locum successit. Quantum ad singulas partes, *auctoritatem legalem habebant* in hac collectione:

a) *ipsae Decretales* (capitula), *prout* a S. Raymundo editae sunt.

b) *Rubrica* titulorum, si in illis aliquod ius enuntietur, e. gr. Rubrica: „Ne sede vacante aliquid innovetur" (III 9).

Non autem habebant vim legalem:

a) *Summaria capitum,* cum non sint a S. Raymundo.

b) *Partes decisae,* i. e. illae partes, quae consulto omissae a S. Raymundo, sed postea a diversis editoribus iterum adiectae sunt.

c) *Inscriptiones* capitum, cum sint mere historicae[94].

d) *Omnes glossae additae.*

Editiones Decretalium Gregorii IX cum manuscriptae (1000 fere) tum typis impressae sunt innumerae. Speciali mentione digna est editio romana: „Decretales D. Gregorii IX suae integritati una cum glossis restitutae Romae in aedibus Populi Romani 1582." Gregorius XIII enim instituit commissionem virorum doctorum pro nova editione revisa Decretalium procuranda. Franciscus Pegna et duo magistri S. Palatii, Paulus Constabilis[95] et Sixtus Fabri O. Pr.[96], hanc editionem perfecerunt, quae per bullam „Quum pro munere" die 1 Iulii 1580 tamquam authentica declarata fuit a Summo Pontifice[97]. „Partes decisae" in hac editione non inveniuntur. — Bonas et pro praxi valde utiles editiones procuraverunt protestantes Aemil. Ludovicus Richter, Lipsiae 1839, et Aemilius Friedberg, Lipsiae 1881.

[94] Cf. *Schulte,* Geschichte der Quellen II 18—20.

[95] Paulus Constabilis, qui adhuc sub Gregorio XIII factus est magister generalis Ord. Praed., etiam *maiorem partem* Decreti adnotationibus illustravit. Cf. *Quétif* et *Échard,* Scriptores Ord. Praed. II 255.

[96] Sixtus Fabri fuit postea magister generalis Ordinis Praedicatorum. Multa perpessus est ab inimicis dire persequentibus. De eius vita et scriptis videsis *Quétif* et *Échard* l. c. II 266.

Commentaria et glossae in Decretales Gregorii IX ab innumeris fere auctoribus composita sunt. Specialem mentionem merentur:

1. *Sinnibaldus Fliscus* (de Fiesco), postea fuit Papa Innocentius IV, qui composuit „Apparatum seu Commentaria in 5 libros Decretalium". Est opus valde utile et pluries typis impressum, e. gr. quater Venetiis, 1481, 1491, 1495, 1570.

2. *Bernardus de Botone,* natus Parmae et ideo Parmensis vocatus († 1263), edidit „Apparatum ad Decretales Gregorii IX", qui mox tamquam *glossa ordinaria* habitus est.

3. *Henricus de Segusia,* qui fuit archiepiscopus embrodunensis (Embrun) in Gallia et postea cardinalis Ostiensis († 1271). Vocatur communiter *Cardinalis Hostiensis.* Scripsit „Summam super titulis Decretalium", quod opus saepe citatur sub nomine „Summa archieppi" vel „Summa Hostiensis" vel „Summa aurea".

4. *Abbas antiquus* (quis sit nescitur), scripsit circa annum 1275 „Lecturam seu apparatum in Decretales Gregorii IX".

5. *Abbas iunior* seu modernus *seu Siculus* vel *Panormitanus,* qui est Nicolaus de Tudeschis († 1453), scripsit Lecturam (commentaria) in Decretales et etiam in Librum Sextum et in Clementinas. Fuit magnus canonista et eius opera saepissime citantur. De eius vita vide Aeneam Sylvium, De viris illustr. n. 19[98].

6. *Ioannes Andreae* (1270—1348), celeberrimus canonista, vir laicus, vocatur „fons et tuba iuris"; scripsit Novella (commentaria) in Decretales Gregorii IX, quae sunt supplementum glossae ordinariae Bernardi Parmensis. Idem Ioannes Andreae scripsit quoque Glossam ordinariam in Librum Sextum, Additiones ad apparatum super Sextum, Novella in Sextum, et Glossam ordinariam in Clementinas[99].

Inter commentatores sequioris aetatis eminent: Fagnanus, qui vocatur „Doctor caecus oculatissimus", quia, etsi caecus oculis corporalibus, „Commentaria absolutissima in 5 libros Decretalium" conscripsit († 1678); Gonzalez Tellez († 1646), scripsit Commentaria perpetua in singulos textus 5 librorum Decretalium, V voll. in fol.; Augustinus Barbosa (mortuus eodem anno quo Gonzalez Tellez), Collectanea doctorum in ius pontificium universum; Anacletus Reiffenstuel Ord. Min., aliique.

Q. 45. *Quaenam sint collectiones a Gregorio IX usque ad Bonifatium VIII?*

R. Praeter collectiones privatas huius temporis, quae non sunt tam magni momenti, sunt tres collectiones authenticae:

1. *Collectio Innocentii IV.* Ex decretis Concilii lugdunensis I (a. 1245), ex decretali Gregorii IX „Praesentium" et ex propria decre-

[97] „Nulli omnino hominum ... liceat huiusmodi libris dicti *iuris canonici* sic ut praefertur de mandato nostro recognitis, correctis et expurgatis quicquam addere, detrahere vel immutare aut invertere, nullave interpretamenta adiungere."

[98] Cf. *Schulte,* Geschichte der Quellen II 312.

[99] De vita huius viri doctissimi vide *Schulte* l. c. II 205 sqq., qui tamen plus iusto illum deprimit.

tali „Romana Ecclesia" Papa Innocentius IV fecit collectionem divisam in 42 capitula, quam cum bulla „Cum in Concilio lugdunensi" misit ad Universitates parisiensem et bononiensem. — Commentaria in hanc collectionem scripserunt Petrus de Sampsone et Abbas antiquus.

2. *Collectio Gregorii X* divisa in 31 capita et 15 titulos. Gregorius X collegit decreta Concilii lugdunensis II (a. 1274) et quasdam proprias Decretales misitque cum bulla „Cum nuper" 1 Nov. 1274 ad Universitates parisiensem, bononiensem, patavinam. — Glossas in hanc collectionem scripserunt Guilelmus Durantis et Ioannes Garcias[100].

3. *Collectio Nicolai III* continens 5 constitutiones ab ipso Papa ad Universitatem parisiensem missa est cum bulla „Cum quasdam" 23 Martii 1280.

Q. 46. *Quid notandum sit de Libro Sexto Bonifatii VIII?*

R. Redactores et collectores Libri Sexti Decretalium fuerunt Guilelmus de Mandagoto archiepiscopus embrodunensis (Embrun), Berengarus Fredoli episcopus biterensis (Béziers), Richardus Petronus Senensis vicecancellarius Ecclesiae Romanae, qui iussu Bonifatii VIII ex Decretalibus Romanorum Pontificum a Gregorio IX usque ad Bonifatium VIII novam collectionem confecerunt, resectis superfluis et mutatis mutandis.

Scopus huius collectionis est idem ac scopus collectionis raymundianae, sc. conficere codicem legalem et addere quae addenda fuerunt ad Decretales Gregorii IX. Quare haec collectio vocatur Liber Sextus, quasi esset continuatio V librorum Decretalium Gregorii IX.

Fontes sunt Decretales Summorum Pontificum a Gregorio IX usque ad Bonifatium VIII.

Divisio Libri Sexti est eadem ac collectionis Gregorii IX, sc. sunt 5 libri; unusquisque liber habet titulos, et unusquisque titulus habet capita. Modus citandi similis est modo usitato in Decretalibus Gregorii IX. Loco tamen „Extra" vel X ponitur „in Sexto" vel „in VI°", e. gr.: c. 1 de desponsat. impub. in VI° 4, 1, quod legitur: caput primum de desponsatione impuberum in Sexto, libri quarti, tituli primi.

Auctoritas Libri Sexti, qui per Bonifatii VIII bullam „Sacrosanctae" (3 Martii 1298) factus est legalis Ecclesiae catholicae, fuit maxima. Scribit enim Bonifatius VIII in dicta bulla: „Mandamus, quatenus ... eo (sc. Libro Sexto) utamini de cetero in iudiciis et in scholis; nullas alias praeter illas, quae *inseruntur* aut specialiter *reservantur* in eo, Decretales aut Constitutiones a quibuscumque nostris decessoribus Romanis Pontificibus post editionem dicti voluminis promulgatas recepturi ulterius aut pro Decretalibus habituri." Omnes igitur Decretales a Gregorio IX usque ad Bonifatium VIII, quae non continentur in Libro Sexto, revocatae sunt. Excipiuntur ab hac revocatione paucae „Decretales reservatae", quae videbantur esse usus tantum transitorii,

[100] Cf. *Schulte* l. c. II 154.

e. gr. constitutio Nicolai III „Exiit" in c. 3, 5, 12, vel c. 1 de renuntiat. 1, 7, vel c. 4 de cens. 3, 20 De pedagiis et guidagiis. Dicit enim Bonifatius VIII in bulla „Sacrosanctae": „praeter illas, quae inseruntur aut specialiter *reservantur*". Si quae sunt Decretales, quas ipse Bonifatius post bullam „Sacrosanctae" edidit, hae utique in robore permanserunt, e. gr. c. 1 de praeb. et dign. 3, 2 in Extravag. commun.

Editiones Libri Sexti cum manuscriptae tum typis impressae tam numerosae sunt quam editiones Decretalium Gregorii IX, cum hae duae collectiones simul edi solerent.

Commentaria et glossae in Librum Sextum ab iisdem fere auctoribus facta sunt, qui ediderunt commentaria et glossas in Decretales Gregorii IX. Specialia commentaria in Librum Sextum ediderunt inter alios Ioannes Monachus, cardinalis et episcopus meldensis († 1313): „Apparatus in Librum Sextum"; Guido de Baysio, archidiaconus bononiensis († 1313): „Apparatus seu glossae seu commentarius ad Sextum"; Passerinus a Sextula O. Pr.: „Commentaria in Sextum Librum Decretalium".

Glossam ordinariam scripsit Ioannes Andreae, de quo supra q. 44.

In fine Libri Sexti adduntur 88 „Regulae iuris", quae a Legista Dino Muggelano praecipue ex iure romano depromptae sunt. In bulla „Sacrosanctae" non fit mentio istarum regularum, et proinde illae non habent vim legalem stricte loquendo[101]; attamen quia simul cum reliquis partibus Libri Sexti publicatae sunt, maximum valorem retinent et implicite approbatae dici possunt[102].

De vi iuridica rubricarum, summariorum, inscriptionum et glossarum in Libro Sexto idem valet ac de collectione Gregorii IX (cf. supra q. praec.).

Q. 47. *Quid notandum sit de collectione, quae vocatur Clementinae?*

R. Clemens V (1305—1314) in unum corpus redactas Decretales Concilii viennensis et proprias et duas praedecessorum suorum publicavit in consistorio habito die 21 Martii 1314 in castro de Montiliis (Monteaux prope Carpentras) atque cum bullis ad Universitates parisiensem et aurelianensem misit. Sed nihilominus haec collectio non videtur fuisse per has bullas satis publicata. Utrum ipse Clemens V collectionem revocaverit, ut vult Ioannes Andreae (in glossa super bulla „Quoniam"), an alia impedimenta adfuerint, non ita clarum est[103]. Quidquid est, Clemens V morte praeventus non potuit definitivam publicationem facere. Ioannes XXII successor Clementis V cum bulla „Quoniam nulla" die 25 Octobris 1317 collectionem hanc revisam ad

[101] Cf. *Laurin*, Introductio in Corp. iur. can. 187. Oppositum tenet *Sägmüller* l. c. § 43. Undecim autem regulae iuris a S. Raymundo in fine Decretalium Gregorii IX additae habent vim authenticam, ut patet.

[102] Cf. *Phillips*, Kirchenrecht IV 359.

[103] Cf. *Ehrle* in Archiv für Literatur u. Kirchengesch. IV 88, a quo tamen Denifle dissentit.

Universitatem bononiensem misit et sic authentice publicavit mandans: „quatenus eas (constitutiones) prompto affectu suscipiatis et studio alacri, iis sic vobis manifestatis et cognitis, usuri de cetero in iudiciis et scholis[104].

Scopus Collectionis clementinae est addere novum codicem legalem.

Fontes sunt decreta Concilii viennensis, epistulae decretales Clementis V et duae aliae Decretales, sc. constitutio Bonifatii VIII „Super cathedram", quae revocata fuit a Benedicto XI, et constitutio Urbani IV „Transiturus" instituens festum Corporis Christi, quae constitutio in Libro Sexto abrogata fuit.

Divisio Collectionis clementinae est eadem ac Libri Sexti et Collectionis gregorianae. Modus citandi nunc usitatus est hic: c. 2 de rescr. in Clem(entinis) 1, 2.

Editiones Collectionis clementinae eaedem fere sunt ac editiones Libri Sexti et Decretalium Gregorii IX.

Commentaria et glossae in Clementinas scripta sunt inter alios a Paulo de Liazariis, Zenzelino de Cassanis, a Nicolao de Tudeschis (Panormitano). Glossam ordinariam scripsit Ioannes Andreae[105].

Q. 48. *Quid notandum sit de duabus collectionibus „Extravagantium"?*

R. Post Collectionem clementinam nullae collectiones authenticae factae sunt Decretalium. Exsistunt tamen aliquae collectiones privatae, inter quas celebriores sunt „Extravagantes Ioannis XXII" et „Extravagantes communes". Ioannes Chappuis, licentiatus iuris in Universitate parisiensi, auctoribus bibliopolis Gering et Rembolt, novam editionem iuris canonici parans collegit 20 Decretales Ioannis XXII, iam a Zenzelino de Cassanis (a. 1325) glossatas, et in 14 titulos divisit (a. 1500). Modus citandi hanc collectionem est e. gr.: c. 2 De electione I Extrav. Ioan., quod legitur: caput secundum de elect., tituli primi in Extravagantibus Ioannis XXII. Idem Chappuis aliam collectionem Decretalium adornavit continentem Decretales aliquas Summorum Pontificum ab Urbano IV[106] usque ad Sixtum IV et divisit illam ad modum Decretalium Gregorii IX in 5 libros et libros in titulos. Quartus tamen liber vacat. Solet citari hoc modo: Extrav. com. c. 3 de privil. 5, 7, quod legitur: Extravagantes communes caput tertium libri quinti tituli septimi de privilegiis. Utraque haec collectio (ut collectio)

[104] Fridericus Schulte more suo ductus praeiudiciis et odio in Ecclesiam haec scribit (Die Geschichte der Quellen II 47): „Clemens macht Dekrete, gibt sie für Conciliardekrete aus, findet sie dumm usw., läßt sie total umarbeiten, gibt sie trotzdem für Conciliardekrete aus. Man sieht, der Papst spielt Komödie." Intelligi vix potest, quomodo homo doctus tales falsitates fronte proterva et stilo prorsus indigno enuntiare queat! Cf. *Ehrle* l. c.

[105] Cf. *Schulte* l. c. II 506.

[106] Merito dubitatur, num inscriptio capitis l. V, 1 (Urbanus IV) sit recta; potius legendum esse videtur: Urbanus V. a. 1363.

parvi valoris est[107]; nonnulla continet quae non sunt vera; Decretales Ioannis XXII „Sedes Apostolica", „Suscepti regiminis" et „Exsecrabilis" bis afferuntur, sc. inter Extravagantes Ioannis XXII et inter Extravagantes communes: attamen Decretales adductae, in quantum sunt genuinae et nondum revocatae per posteriora decreta pontificia, habuerunt utique vim legalem. Glossa ordinaria in Extravagantes Ioannis XXII scripta est a Zenzelino de Cassanis (cf. supra). Non datur glossa ordinaria in Extravagantes communes. Quaedam tamen Decretales huius collectionis glossatae sunt ab Ioanne Picardi cardinali, a Guilielmo de Monte Lauduno et ab aliis.

Q. 49. *Exsistuntne aliae collectiones posteriores?*

R. Licet sequentes collectiones partim post tridentinum Concilium factae sint et ideo ad articulum sequentem per se pertineant, memoriae tamen adiuvandae causa hic statim subiciuntur, quia sunt quasi continuatio collectionum praecedentium. Mentione dignae sunt:

1. *Liber septimus Petri Matthaei* (Pierre Matthieu seu Petrus Matthaeus Ictus Lugdunensis, † 1621), qui continet aliquas Decretales Alexandri IV et deinde Decretales a Sixto IV (1471—1484) usque ad Sixtum V (1585—1590) et praeterea quasdam Decretales anteriorum Pontificum. Dividitur haec collectio, quae 1590 typis data est et multoties tamquam appendix in editionibus Corporis iuris invenitur, in 5 libros, in titulos et in capita ad instar Collectionis gregorianae; est labor mere privatus parvi valoris et numquam approbationem Ecclesiae recepit.

2. *Liber septimus Clementis VIII* (1592—1605). Plures Pontifices inde a Gregorio XIII voluerunt facere novam collectionem Decretalium et pro hoc fine instituerunt commissionem cardinalium. Tandem haec collectio anno 1598 Romae typis mandata est sub titulo: „Sanctissimi Domini Nostri D. Clementis Papae VIII Decretales", sed Summus Pontifex noluit eam approbare. Patet igitur illi nullum valorem authenticum competere. Novam editionem revisam (et auctam Decretalibus recentium SS. Pontificum) huius collectionis procuravit Franc. Sentis (Friburgi 1870)[108].

3. Diversa *Bullaria* romana, quorum amplissima est editio Augustae Taurinorum 1857—1872: „Bullarium romanum diplomatum et privilegiorum Summ. Rom. Pontificum." Omnia Bullaria sunt tantum privatae auctoritatis, excepto Bullario Benedicti XIV. Hic enim Pontifex suas constitutiones chronologice ordinatas in unum corpus collegit illasque cum bulla „Iam fere" a. 1746 ad Universitatem bononiensem misit, mandans, ut illae tamquam fons iuris reciperentur. Decreta et constitutiones Pii IX quoque, Leonis XIII, Pii X collecta sunt, sed collectio

[107] *Schulte* (l. c. II 65) nimis acerbe de his collectionibus scribit: „Es ist geradezu undenkbar, daß eine solche Sammlung rezipiert werden konnte, da sie die geistloseste und läppischeste ist, die sich denken läßt."

[108] Cf. *Wernz*, Ius decr. I, n. 266—267.

est prorsus privatus labor. Quod modo dictum est de Bullariis, valet etiam de diversis collectionibus Conciliorum (cf. supra).

4. *Regulae Cancellariae Apostolicae.* Hoc nomine vocantur quaedam decreta specialia pontificia in usum Cancellariae Apostolicae. Distinguuntur a) regulae expeditoriae, b) regulae reservatoriae seu beneficiales, c) regulae iudiciales etc. Unusquisque Pontifex statim post suam electionem, i. e. „in crastinum assumptionis", has regulas Cancellariae Apostolicae de novo approbat usque ad finem sui regiminis. Habent igitur hae regulae ex se tantum temporalem valorem legalem, sed iam a compluribus saeculis immutatae fere remanserunt[109] (nisi tamen Papa respectu alicuius regionis privilegium concesserit), ita ut merito dici queat illas nunc esse fontem iuris ecclesiastici generalis. Numerantur universim septuaginta duae et nonnisi a tempore Ioannis XXII (1316 ad 1334) scripto mandatae sunt. Ampla commentaria in has regulas inter alios scripsit *Riganti*[110]; breviter autem et dilucide de hac re disserit *Reiffenstuel*[111], afferens 72 regulas a Clemente XI editas a. 1700. — Quantum ad praxim notandae sunt regulae beneficiales, de quibus vide infra q. 430.

Q. 50. *Sintne Concilia constantiense, basileense, lateranense V fontes iuris ecclesiastici universalis?*

R. Quantum ad Concilium constantiense (a. 1414—1418) Martinus V (1417—1431)) approbavit „omnia et singula determinata, conclusa et decreta *in materia fidei* per praesens Concilium conciliariter et non aliter nec alio modo". Attamen non certo constat in omnibus materiis, utrum eae conciliariter an nationaliter tantum (i. e. secundum votationem per nationes) sint determinatae. Septem decreta generalia ad disciplinam ecclesiasticam spectantia in Concilio sunt lata et legitime approbata, inter quae est decretum de distinctione inter excommunicatos vitandos et toleratos. Praeterea tria Concordata, sc. germanicum, anglicum et romanicum, in Concilio sunt concessa, quae utique sunt fontes iuris particularis, sed postmodum sunt essentialiter mutata. Superioritas Concilii oecumenici super Papam in sess. 4 statuta numquam agnita fuit a Summis Pontificibus, et proinde non est statutum legale.

Quantum ad Concilium basileense, quod Ferrariae et Florentiae continuatum fuit, adhuc difficilius est dicere, quaenam statuta sint legitime approbata et vim legis habeant. Hinc complures controversiae ortae sunt[112]. Ceterum statuta horum Conciliorum non videntur esse

[109] Non a temporibus Nicolai V, ut volunt nonnulli canonistae, sed a pontificatu Clementis XI (1700—1721) istae Regulae remanserunt immutatae (cf. *Jackowski*, Archiv f. kath. Kirchenrecht XC 30) usque ad Pium X, qui illas mutavit d. 8 Dec. 1910 (Act. Ap. Sed. II 939).

[110] Commentaria in regulas, constitutiones et ordinationes Cancellariae Apostolicae (Coloniae 1751), 4 vol. in fol.

[111] Ius can. univ. l. 3, tit. 5, n. 474 sq. Cf. *Scherer*, Kirchenrecht I 294.

[112] Cf. *Hefele*, Konziliengeschichte VII 770 sqq.

tanti momenti pro iure canonico. — Idem fere dicendum est de Concilio lateranensi V (1512—1517)[113].

Scholion. De Corpore iuris civilis. „Corpus iuris civilis" romani aliquando tamquam fons subsidiarius iuris ecclesiastici designatur. Revera non paucae leges ex iure romano civili in ius canonicum transumptae sunt et vocantur „leges romanae canonice comptae". Non ergo abs re erit hic pauca addere de Corpore iuris civilis (romani). Corporis iuris civilis quattuor partes sunt:

1. *Institutiones Iustiniani*, quae mandato imperatoris Iustiniani I (527 ad 565) a Triboniano, Theophilo, Dorotheo adornatae sunt et a die 30 Dec. 533 vim codicis legalis obtinuerunt. Dividuntur in quattuor libros tractantes de personis (lib. 1), de rebus (lib. 2 et 3), de actionibus (lib. 4). Unusquisque liber dividitur in titulos et unusquisque titulus in paragraphos. Solent citari e. gr. § 1 Instit. (vel I.) De servitutibus 2, 3.

2. *Digesta vel Pandectae* (πανδέκται derivatum e πᾶν et δέχομαι), quae a Triboniano una simul cum 16 iurisperitis ex scriptis veterum iuristarum mandato imperatoris Iustiniani I excerpta et digesta sunt. Haec collectio, quae significatur D(ig) vel P(and) vel Π vel ff (fragmenta), dividitur in 50 libros et unusquisque liber (exceptis libris 30, 31, 32) in titulos et unusquisque titulus in paragraphos. Citatur L. 4, § 2 D. de stat. hom. 1, 5, quod legitur: lex quarta paragrapho secunda in Digestis libro primo, titulo quinto. (Alii modi citandi non tam clari sunt[114].) Digesta seu Pandectae simul cum Institutionibus die 30 Dec. 533 vim legis obtinuerunt.

3. *Codex novus*, mandato eiusdem Iustiniani a Triboniano et aliis iuristis compositus ex constitutionibus novis Iustiniani. Vocatur etiam Codex iustinianeus vel repetitae praelectionis. Dividitur in 12 libros. Unusquisque liber subdividitur in titulos et unusquisque titulus subdividitur in leges. Melior citandi modus est hic: L (vel etiam C) Cod. ne sanct. bapt. iteret. 1, 6, quod legitur: Lex prima (vel caput primum) in Codice iustinianeo titulo 6 ne sanctum baptisma iteretur, libro primo. Vim legis obtinuit a 29 Dec. 534.

4. *Novellae Iustiniani.* Sunt plures collectiones (sed omnes privatae auctoritatis) Novellarum constitutionum imperialium, sc. epitome Iuliani (556), liber Authenticorum (circa a. 1100 innotuit), collectio Novellarum tempore Tiberii II (578—582). Haec ultima collectio revisa ab Ant. Contio 1571 in editionibus iuris civilis recepta est. Dividitur in capita. Citatur Nov. V, c. 1, quod legitur: Novella quinta caput primum. — Per modum appendicis in Corpore iuris civilis solent addi duo libri feudorum et Authenticae fridericianae[115].

ARTICULUS III.

De collectionibus iuris ecclesiastici universalis a Concilio tridentino usque ad nostros dies.

Q. 51. *Quomodo decreta Concilii tridentini sint fontes iuris ecclesiastici?*

R. Concilium tridentinum (1545—1563) non tantum haereses grassantes damnavit et dogmata fidei catholicae clarius explicavit, sed

[113] Cf. *Schneider* l. c. § 58. [114] Videsis *R. Sohm*, Institutionen § 6.

[115] Cf. *Laurin*, Introd. in Corp. iur. can. § 18; *Schneider*, Kirchenrechtsquellen § 57. Pro aliis collectionibus iuris civilis, quae influxum exercuerunt in ius ecclesiasticum, vide *Schneider* l. c. § 20.

etiam decreta optima pro reformatione disciplinae ecclesiasticae edidit. Haec decreta pro reformatione in sessionibus 5 6 7 11 12 13—25 continentur et per bullam „Benedictus Deus" a Pio IV die 26 Ian. 1564 vim legislativam obtinuerunt et a die 1 Maii 1564 ubique obligaverunt, quia tunc publicatio sufficienter facta fuit[116]. Unice excipitur decretum celebre „Tametsi" de matrimoniis clandestinis, quod obligare incepit triginta diebus post publicationem in qualibet paroecia. Quae quidem publicatio cum in non paucis locis usque ad hodiernum diem vel omnino non vel non certe facta fuerit, quam maxima incommoda et dubia de validitate matrimoniorum oriebantur. Pius X decreto „Ne temere" 2 Aug. 1907 his omnibus remedium attulit. (Vide tract. de matrimonio.) Decreta igitur Concilii tridentini obligant ubique terrarum, nisi tamen illis derogatum sit per subsequentes constitutiones Summorum Pontificum vel per legitimam consuetudinem[117]. Ius Decretalium tamen in suo robore mansit, non obstante Concilio tridentino, usque ad publicationem Codicis iur. can. a. 1918.

Eadem Bulla „Benedictus Deus" Pius IV gravissimis poenis prohibuit, quominus quis sine speciali auctoritate Summi Pontificis valeat edere commentaria super decretis Concilii tridentini. Si autem quid obscurum esset vel dubium oriretur, adeunda fuit Congregatio cardinalium S. Concilii tridentini interpretum specialiter (a. 1564) instituta ad declarationem decretorum tridentinorum.

Sunt multae editiones decretorum Concilii tridentini. Usui valde accommodatae sunt editiones procuratae sive ab Io. Thom. Ghilardi O. Pr., ed. novissima Monteregali 1869, sive a Frid. Schulte et Ludov. Richter, Lipsiae 1853, cum in illis adiectae sint non paucae resolutiones Curiae Romanae declarantes decreta tridentina.

Iussu Concilii tridentini[118] catechismus pro pueris et adultis indoctis erudiendis a viris doctis lingua latina et vulgari[119] edendus erat. Pius IV mandavit tribus Fratribus Ord. Praed., sc. Francisco Fureiro, Leonardo Marino archiepiscopo lancino et Aegidio Foscarini episcopo mutinensi, simul cum Mutio Calini hoc opus, quod revisum a cardinalibus Carolo Borromaeo et Sirleto tandem editum fuit sub titulo „Catechismus ex decreto Concilii tridentini ad parochos Pii V iussu editus", Romae 1566. Iste liber a Leone XIII[120] „vere aureus" vocatus, approbatus fuit a Pio V (a. 1566) et Gregorio XIII (a. 1583) illumque plus quam viginti Concilia provincialia et synodi dioecesanae (saeculi XVI) maximis laudibus commendaverunt[121]. Innumerae fere editiones illius exsistunt. Eius auctoritas non tantum maxima est in rebus dogmaticis et moralibus, sed etiam in iure ecclesiastico.

Q. 52. *Quid notandum sit de collectionibus iuris ecclesiastici post Concilium tridentinum?*

[116] Cf. bullam „Sicut ad sacrorum" de die 17 Iulii 1564.

[117] De controversia, num consuetudo possit praevalere contra decreta tridentina, vide supra, ubi de consuetudine agebatur.

[118] Cf. sess. 25, cap. De indice librorum et catechismo, breviario et missali.

[119] Ita iam 13 Aprilis 1546 statutum fuerat.

[120] Lettre encycl. au clergé de France 8 Sept. 1899.

[121] Cf. *Ant. Reginald* O. Pr., De catechismi romani auctoritate (Neapoli 1765).

R. Praeter collectiones supra q. 49 recensitas, quae partim post Concilium tridentinum editae sunt, mentione dignae sunt complures decisionum SS. Congregationum collectiones, et praesertim novus Codex iuris canonici.

1. „*Thesaurus resolutionum S. Congregationis Concilii*" . . . inde ab anno 1718 (1700). Usque ad annum 1908, quo publicatio huius Thesauri cessavit, 168 volumina edita sunt, quae omnia insimul rarissime in bibliothecis inveniuntur. Pro profundiore intelligentia iuris canonici iste „Thesaurus" valde utilis est, non est tamen codex legalis, licet sit publicatus auctoritate ipsius S. Congregationis. A fortiori privatae collectiones a Zamboni, Pallottini, Mühlbauer confectae non habent vim legislativam[122].

2. „*Collectanea in usum Secretariae S. Congregationis Episc. et Regul.*", a Bizzarri, secretario huius Congregationis, compilata (ed. prima 1863, ed. alt. 1886), sunt opus privatum, sed satis magnae utilitatis praesertim pro iure regularium.

3. „*Ius pontificium de Propaganda Fide* SS. D. N. Leonis XIII P. M. iussu recognitum", Romae 1888 sqq. (8 voll. in 4°), item non est codex legalis, etsi est maximae auctoritatis. Pariter magnae utilitatis sunt Collectanea S. Congregationis de Propaganda Fide inde ab anno 1893 publicata. Editio altera lucem vidit 1907 et continet quoque ordine chronologico complura decreta aliarum Congregationum, e. gr. S. Officii, S. Concilii, S. Rituum etc.

4. „*Decreta authentica S. Congregationis Rituum*", Romae 1898. Omnia decreta universalia in hac collectione contenta habent vim legis ecclesiasticae universalis; a. 1912 et 1927 additi sunt appendices continentes decreta ab anno 1900 usque ad annum 1927. Decreta autem particularia valent tantum particulariter. De auctoritate decretorum S. Congregationis Rituum infra, ubi de Curia Romana tractabitur, explicitior sermo redibit[123].

5. „*Index librorum prohibitorum*" iussu Leonis XIII editus. Continet bullam „Officiorum et munerum" 25 Ian. 1897 et catalogum aliquorum librorum prohibitorum; habet vim legis universalis et obligat ubique, nisi sit speciale indultum pontificium concessum.

6. „*Decreta authentica S. Congregationis Indulgentiarum*" ab anno 1668 ad annum 1882, edita iussu et auctoritate Leonis XIII, Ratisbonae 1883. Sed inde ab hac editione emissa quam plurimae mutationes circa indulgentias factae sunt, ita ut hodierna die non exsistat completa collectio indulgentiarum[124]. Pro usu practico antecellit omnia similia opera Beringer S. J.: „Die Ablässe, ihr Wesen und ihr Gebrauch", ed. 15 (1921), quod opus iam antea approbatum a S. Congregatione Indulgentiarum denuo approbatum est a S. Poenitentiaria.

[122] Cf. *Lingen-Reuß*, Causae selectae XVI sqq.

[123] Cf. const. Sixti V „Immensa"; Decr. Pii IX 23 Maii 1846; S. R. C. 8 April. 1854; Dictionnaire de théol. cath. s. v. Congrégations romaines.

[124] Celebris enim „Raccolta" non est collectio omnium indulgentiarum.

Concilium vaticanum (a. 1870) non emisit decreta proprie disciplinaria. Aliquo modo tamen ad ius ecclesiasticum pertinet decretum huius Concilii de infallibilitate Summi Pontificis in rebus fidei et morum.

7. *Novus Codex iuris canonici.* Iam diu in votis omnium erat, ut novus codex totius iuris ecclesiastici ederetur. Pius X motu proprio „Arduum sane opus" d. 19 Mart. 1904 instituit commissionem pontificiam coalescentem ex nonnullis cardinalibus et plurimis consultoribus, „ut universae Ecclesiae leges, ad haec usque tempora editae, lucido ordine digestae, in unum colligerentur, amotis inde quae abrogatae essent aut obsoletae, aliis, ubi opus fuisset, ad nostrorum temporum conditionem propius aptatis". Insuper episcopi totius orbis invitabantur, ut Curiae Romanae indicarent, quaenam in vigente iure canonico immutatione vel emendatione indigere putarent. Cardinalis Gasparri, qui praefuit huic commissioni pontificiae, enarrat in praefatione ad Codicem iur. can., qua sollertia, qua dexteritate totum hoc immane opus perfectum sit spatio *tredecim* annorum. Antequam autem Codex iur. can. sic diligenter confectus publici iuris factus sit, ad singulos episcopos residentiales et ad superiores generales Ordinum religiosorum singula exemplaria missa sunt, ut isti animadversiones opportunas de singulis legibus communicarent Curiae Romanae. Interim Pius X vita functus est. Benedictus XV tandem const. „Providentissima Mater Ecclesia" d. 27 Maii 1917 novum Codicem promulgavit eumque decrevit vim legis pro universa Ecclesia habere a die festo Pentecostes 19 Maii anni 1918.

Novus Codex iuris canonici constat quinque libris, sc. 1. normis generalibus; 2. de personis; 3. de rebus; 4. de processibus; 5. de delictis et poenis. In fine additae sunt nonnullae (8) constitutiones Romanorum Pontificum. Libri subdividuntur in titulos et aliquando tituli in capita, et capita in articulos. Cum autem totus Codex coalescat ex canonibus distinctis per numeros continuos, simplicior modus citandi est allegare canones singulos. Quare e. gr. sufficit citare Cod. iur. can. c. 160, quin sit necessarium indicare librum 2, tit. 4, cap. 1, art. 2; immo in hoc Manuali citantur brevitatis causa singuli canones sine ulla additione, e. gr.: c. 160.

8. *Commentarium officiale*, seu Acta Apostolicae Sedis. Pius X Const. „Promulgandi" d. 27 Sept. 1908 statuit, „ut ineunte . . . anno 1909 Commentarium officiale de Apost. Sedis actis edatur Vaticanis typis. Volumus autem constitutiones, pontificias leges, decreta, aliaque tum Rom. Pontificum tum SS. Congregationum et Officiorum scita in eo Commentario . . . inserta et in vulgus edita hac una, eaque unica, ratione legitime promulgata haberi, quoties promulgatione sit opus nec aliter fuerit a S. Sede provisum".

ARTICULUS IV.

De collectionibus iuris ecclesiastici particularis.

Q. 53. *Quaenam sint praecipuae collectiones iuris ecclesiastici particularis?*

R. Omissis veteribus collectionibus saeculi octavi et noni, e. gr. Capitularia Ansegisi, Capitularia episcoporum, Regula Chrodogangi, Libri poenitentiales diversarum ecclesiarum, de quibus videsis Schneider, Kirchenrechtsquellen §§ 20 sqq., nominanda sunt:

1. *Concilia provincialia et plenaria,* quae amplissimum fontem iuris particularis constituunt. Acta horum Conciliorum collecta inveniuntur apud Mansi, Sacrorum Conciliorum nova et amplissima Collectio. Nova et aucta editio Parisiis his annis parata est. Recentiorum Conciliorum acta et decreta habentur in Collectione Lacensi, ed. Friburgi 1870 ad 1890.

2. *Concordata* inter Summum Pontificem et diversa gubernia civilia. Collectionem Concordatorum paraverunt Nussi, Conventiones de rebus ecclesiasticis, Romae 1869. Brück, Moguntiae 1870. Mercati, Raccolta di Concordati, Romae 1925. Moderna Concordata habentur in Ephem. „Acta Apostolicae Sedis."

3. *Constitutiones et regulae institutorum religiosorum.* Quam plurimi ordines religiosi vel congregationes religiosae a Summis Pontificibus labente tempore approbati sunt cum propriis regulis, constitutionibus et legibus. Collectionem regularum monasticarum perfecit Holste et Brockie amplificavit[125].

Moderna collectio harum legum particularium non exsistit, nec vix possibilis esse videtur, cum leges diversorum ordinum et congregationum non parvis mutationibus obnoxiae sint et in capitulis generalibus ordinum continuo mutentur.

4. *Privilegia* a Summis Pontificibus diversis personis iuridicis concessa, e. gr. privilegia Universitatum, privilegia regularium, privilegia cardinalium. De istis privilegiis in propriis locis sermo erit. Bullae, quae collecta continent omnia privilegia alicui ordini concessa, vocantur „Mare magnum". Sic e. gr. exsistit Mare magnum Fratrum Praedicatorum, Minorum etc.

[125] Codex regularum, quas SS. Patres monachis et virginibus sanctimonialibus servandas praescripsere, collectus olim a S. Benedicto ananiensi abbate, cum appendice. Istud opus clarum et rarum additamentis a Brockie O. S. B. confectis prodiit iterum Vindobonae 1759, 6 tom. in fol. Praeterea Bullaria diversorum ordinum religiosorum sunt uberes fontes iuris regularium. De istis bene disseruit *De Smedt*, Introductio generalis ad hist. eccl. (Gandavi 1876) 347—382. Cf. etiam *Heimbucher*, Die Orden und Kongregationen II 75 sqq.

LIBER II.

De personis.

Praenotamen. Postquam in primo libro agendo de fontibus exsistendi et cognoscendi iuris ecclesiastici solidum fundamentum scientiae iuris canonici posuimus, nunc oportet procedere propius ad ipsum obiectum huius scientiae. — Obiectum vero, circa quod versatur scientia iuris canonici, sunt **personae et res ecclesiasticae.** Omnia ad haec duo capita reduci possunt. Etenim etiam processus, delicta et poenae sunt quaedam res. Cum autem in istis rebus sint speciales difficultates et permultae speciales leges, Codex iur. can. in distinctis libris agit de processibus et de delictis et poenis. Divisio tractatus de personis a tractatu de rebus non est divisio exclusiva, ita ut alter alterum prorsus excludat; res enim ecclesiasticae earumque administratio tam intime cohaerent cum personis, ut nequeant perfecte cognosci sine consideratione personarum, e. gr. beneficia ecclesiastica non possunt perfecte cognosci sine personis beneficiatis, iurisdictio ecclesiastica sine persona habente iurisdictionem, et sic de ceteris. Ex qua causa factum est, ut obiectum, quod ab uno auctore tractabatur in capite de personis ecclesiasticis, ab alio auctore explicaretur in tractatu de rebus ecclesiasticis, in quantum magis attenduntur vel personae administrantes res vel e converso res ipsae administratae. Nos fideliter sequimur vestigia Codicis iur. can. In secundo autem libro huius Codicis agitur 1. de personis in communi; 2. de clericis; 3. de religiosis; 4. de laicis.

CAPUT PRAELIMINARE.

De personis in communi.

Q. 54. *Quomodo homo fiat persona ecclesiastica seu membrum Ecclesiae?*

R. Homo per validam susceptionem sacramenti baptismi evadit persona ad Ecclesiam pertinens seu membrum Ecclesiae cum omnibus christianorum iuribus et officiis. Ita per se quantum ad iura et officia; per accidens enim aliquando iura suspenduntur, e. gr. propter censuras incursas; officia autem remittuntur, e. gr. extra Ecclesiam catholicam baptizati non tenentur ad legalem formam observandam in celebratione matrimonii[1], quando inter se contrahunt.

Cum in Ecclesia catholica praeter ritum latinum sint etiam diversi ritus orientales, pluries statuerunt Summi Pontifices (e. gr. Benedictus XIV, Leo XIII, Pius X), a) ut filii baptizati sequerentur ritum patris, nisi aliud iure speciali cautum sit; b) ut mulieres matrimonium ineundo vel durante matrimonio libere possint transire ad ritum mariti, matrimonio autem soluto, resumere proprium ritum; c) ut secus nemo possit sine venia Apostolicae Sedis transire ad alium ritum, neve clerici praesumerent inducere aliquem ad mutandum ritum; d) ut unusquisque

[1] Cf. c. 87.

possit libere suscipere s. communionem et poenitentiam in quocumque ritu et in casu necessitatis etiam alia sacramenta[2].

Q. 55. *Quomodo diversae personae ad Ecclesiam pertinentes distinguantur?*

R. 1. Quoad **aetatem**[3] distinguuntur:

a) *infantes* (seu pueri vel parvuli) usque ad primum septennium aetatis completum. Infantibus in iure assimilantur quotquot usu rationis habitualiter sunt destituti;

b) *impuberes* censentur pueri usque ad completum annum decimum quartum; puellae autem usque ad duodecimum aetatis annum;

c) *minores* sunt homines sive puberes sive impuberes, qui nondum expleverunt annum vigesimum primum aetatis; sin autem expleverint, vocantur:

d) *maiores,* qui plenum habent suorum iurium exercitium. Minores in exercitio iurium potestati parentum vel tutorum obnoxii sunt. Ita saltem ordinarie; in nonnullis enim casibus minores sunt sui iuris, e. gr. in electione status clericalis vel religiosi.

2. Quoad **commorationem in aliquo loco** distinguuntur[4]:

a) *incolae,* qui commorantur in loco domicilii;

b) *advenae,* qui commorantur in loco quasi-domicilii;

c) *peregrini,* qui versantur extra domicilium aut quasi-domicilium;

d) *vagi,* qui nullibi habent domicilium aut quasi-domicilium.

Domicilium in aliqua paroecia, aut quasi-paroecia, aut in dioecesi, vicariatu praefecturave apostolica acquiritur dupliciter: vel habitatione cum animo ibi perpetuo manendi, si nihil inde avocet; vel habitatione continua decem annorum. In primo casu acquiritur domicilium *statim,* in altero vero casu nonnisi post decem annos, ut patet. Isti autem decem anni non physice sed moraliter debent esse completi.

Quasi-domicilium item dupliciter acquiritur: vel commoratione (ut supra) cum animo ibi manendi saltem ad maiorem partem anni, si nihil inde avocet; vel commoratione continua maioris partis anni i. e. per 183 dies. In primo casu quasi-domicilium acquiritur *statim,* in altero vero casu nonnisi post sex menses.

Omnes, qui non sunt perfecte sui iuris, ut e. gr. uxores, infantes, amentes, minores, habent domicilium *necessarium,* i. e. eius, cuius potestati subiciuntur; minores tamen infantiam egressi et uxores possunt proprium *quasi-domicilium* acquirere[5]; immo uxores legitime separatae a viris etiam domicilium. Religiosi professi domicilium necessarium habent in loco conventus, cui adscripti sunt. Idem videtur dicendum de

[2] c. 98 756 905; *Leo XIII,* Const. „Orientalium dignitas" d. d. 30 Nov. 1894.

[3] c. 88. [4] c. 91 sqq.

[5] c. 93. Proinde antiquum domicilium necessarium uxoris aliqualiter mutatum est. Uxor autem quae malitiose deserta est a marito, nequit proprium domicilium obtinere, nisi a iudice ecclesiastico obtinuerit separationem perpetuam aut ad tempus indefinitum. Pontif. Com. d. 14 Iul. 1922 (Acta Ap. Sed. XIV 526).

membris societatum in communi viventium sine votis, non autem de novitiis.

Domicilium vel quasi-domicilium in paroecia vel quasi—paroecia dicitur *paroeciale*; obtentum autem solummodo in dioecesi, vicariatu, praefectura (non vero in paroecia vel quasi-paroecia), *dioecesanum*[6]. Potest igitur esse domicilium dioecesanum sine domicilio paroeciali, non autem vice versa. Per domicilium vel per quasi-domicilium persona sortitur suum parochum vel Ordinarium: proprius parochus illius, qui non habet nisi domicilium vel quasi-domicilium *dioecesanum*, est is, in cuius paroecia dioeceseos actu commoratur. Proprius *vagi* parochus vel Ordinarius est ille, in cuius loco vagus commoratur[7].

Domicilium (et quasi-domicilium) amittitur discessione a loco cum animo non revertendi. Ita pro iis, qui sunt sui iuris; pro aliis autem remanet domicilium illius, cuius potestati subditi sunt, ut supra dictum est[8].

Locus originis filii (etiam neophyti) est ille, in quo, cum filius natus est, domicilium, aut, in defectu domicilii, quasi-domicilium habebat pater; vel, si filius est illegitimus aut postumus, mater. Haec notanda sunt, si agitur de ordinatione clericorum. — Pro filiis vagorum locus originis est locus nativitatis; pro filiis expositis, locus inventionis[9]. Si tamen filius expositus postea agnoscitur a parentibus, videtur nancisci domicilium parentum.

3. Quoad **familiam** distinguuntur personae consanguineae et affines. Fundamentum consanguinitatis est sanguinis unio orta ex descensu a communi stipite propinquo; affinitatis vero fundamentum iam non est seminis unio (ut in antiquo iure statutum fuit), sed omne validum matrimonium sive ratum sive ratum et consummatum[10]. Quomodo computentur gradus consanguinitatis et affinitatis, dicetur in tractatu de matrimonio.

4. Quoad **praecedentiam.** Cum haec res sit satis ampla et spectet aeque ad physicas atque ad morales personas, infra q. 57 specialiter de ea tractabitur.

Nota quoad *actus* (personae sive physicae sive moralis).

a) Actus ex *irresistibili violentia* externa producti in iure pro infectis habentur.

b) Actus *ex gravi metu iniusto* vel *ex dolo* producti semper sunt rescindibiles; in nonnullis materiis, e. gr. in votis, in consensu matrimoniali, in suffragio electivo, in renuntiatione officii ecclesiastici, in professione religiosa sunt etiam ipso iure irriti[11].

---

6 c. 92, § 3. 7 c. 94. 8 c. 95.
9 c. 90. 10 c. 97.
11 c. 103. Dolus malus de quo hic sermo est (absichtliche Täuschung, deceit, déception) est callida machinatio ad decipiendum alium adhibita. Hic agitur de dolo non concomitante, sed antecedente, i. e. qui dat causam actui et qui causavit talem errorem (licet accidentalem) qui si non adfuisset, actus non fuisset factus. Cf. infra q. 485.

c) Actus redduntur irriti, qui sunt facti ex errore vel α) *substantiali* vel β) circa conditionem sine qua non; ex errore vero *accidentali* sunt ordinarie validi, sed in contractibus initis potest peti rescissio[12].

Q. 56. *Quid generatim notandum sit de personis moralibus?*

R. 1. *Notio.* In Ecclesia praeter personas physicas seu singulares exsistunt quoque personae morales seu iuridicae[13]. Persona moralis dicitur ens iuridicum, quod ex auctoritate publica est perfecte capax acquirendi exercendique iura[14]. Persona ecclesiastica moralis instituitur ad finem vel religiosum vel caritativum et distinguitur duplex: *collegialis* seu collegium (iuridica corporatio), quae constitui non potest nisi saltem ex tribus personis physicis; et *non-collegialis* (universitates bonorum), quae est quaedam res capax dominii, e. gr. ecclesiae, beneficia, seminaria. Personae morales sive collegiales sive non-collegiales in iure aequiparantur personis *minoribus*[15], ideoque egent tutoribus neque valent prorsus libere exercere dominium. Hinc e. gr. capitulum cathedrale nequit alienare bona sua pretiosa sine beneplacito Apostolicae Sedis.

2. *Duratio.* Persona moralis suapte natura perpetua est; exstinguitur tamen, a) si a legitima auctoritate supprimitur; b) si per spatium 100 annorum quocunque modo esse desiit. Gubernium civile non est auctoritas legitima, quae valeat personas morales ecclesiasticas supprimere; quare e. gr. si conventus religiosorum a gubernio civili suppressus reassumitur infra spatium 100 annorum, non requiruntur formalitates a iure canonico stabilitae pro fundatione novi conventus. — Quamvis ad constituendam personam moralem collegialem saltem tres personae physicae requirantur, ut supra dictum est, si tamen vel una sola supersit, ius omnium in illam recidit[16]. Quapropter si e. gr. in collegio electivo omnes excepto uno renuntiant voci suae, iste unus potest electionem facere. Ita etiam vetus ius romanum statuit[17].

3. Quantum ad *actus* personarum moralium, haec brevissime notentur:

a) Ex iure communi vel particulari statuitur, quinam actus fieri possint a superiore vel ab officialibus personae moralis, quinam vero per suffragia omnium membrorum. Quando aliquid faciendum est per suffragia membrorum, tunc id vim iuris habet, quod, *demptis suffragiis nullis*[18], placuerit parti absolute maiori. E. gr. si tredecim sunt membra, quorum duo dant suffragium album vel alio modo renuntiant suffragio suo, tunc id statutum est, in quo convenerunt sex saltem suffragia.

Si in duobus scrutiniis non potuit obtineri absoluta maioritas, sufficit in tertio scrutinio *relativa* maioritas. Quodsi in tertio scrutinio

---

12 c. 104.
13 *U. Stutz*, Der Geist des Codex iur. eccl. 215 sqq., solide probat, personam iuridicam et moralem promiscue sumi in novo Codice iur. can.
14 c. 99 100 687 708. Quaenam auctoritas publica possit constituere personas iuridicas, dicitur in singulis materiis.
15 c. 99 et 100. 16 c. 102. 17 L. 7, D. 3, 4.
18 Suffragium potest esse nullum ex compluribus causis, e. gr. quia datum fuit ab inhabili (c. 167) vel non libere (c. 169).

ne relativa quidem maioritas obtineri potuit, sed fuerunt suffragia aequalia, tunc praeses suo voto paritatem dirimat; vel, si agitur de electione et praeses non vult dirimere paritatem, electus habetur senior vel ordine vel prima professione vel aetate[19]. Ceterum infra q. 77 redibit sermo de electionibus.

b) In negotiis seu actibus, qui omnes *„uti singulos"* tangunt, non sufficit maioritas, sed requiritur unanimitas suffragiorum[20]. Quare e. gr. si capitulum canonicorum vult imponere singulis suis membris contributionem liberam, requiritur consensus omnium canonicorum.

c) Cum ius statuit, superiorem ad agendum indigere *consensu* aliquarum personarum, superior contra earundem votum (et etiam earundem voto non requisito) *invalide* agit; sin autem superior indiget solo *consilio* quarundam personarum, non quidem invalide agit contra earundem votum, sed *illicite*, nisi habeat ipse rationes praevalentes, suo iudicio aestimandas. Omnes de consensu vel consilio requisiti et legitime convocati debent sententiam suam aperire ea qua par est reverentia, fide ac sinceritate; atque possunt a superiore prudenter adigi ad iusiurandum de secreto servando praestandum[21].

Q. 57. *Quid sit notandum circa praecedentiam inter varias personas seu physicas seu morales?*

R. Observanda sunt statuta particularia legitime exsistentia. Quae si desunt, de iure communi valent haec:

1. Cui est *auctoritas* in personas sive physicas sive morales, eidem est ius praecedentiae supra illas[22]. Hinc e. gr. superior domus semper primum locum obtinet super omnes eius auctoritati subiectos, quamvis hi secus privilegio loci gaudeant.

2. Inter diversas personas ecclesiasticas, quarum nulla in aliam habet auctoritatem, hic est ordo praecedentiae:

a) Persona in altiore *gradu* constituta; hinc e. gr. cardinales praecedunt episcopos.

b) Persona in altiore *ordine* constituta, si omnes sunt eiusdem gradus; hinc e. gr. diaconatus ordine insigniti seminaristae praecedunt suos coalumnos subdiaconos.

c) Persona *prius* promota ad aliquem *gradum*, si omnes pertinent ad eundem gradum et ordinem. Hinc e. gr. inter diversos parochos ille praecedit, qui prior factus est parochus. Sin autem adsunt plures parochi eodem tempore facti parochi, ille praecedit, qui prior sacerdotis ordinem recepit; demum si omnes eodem tempore facti sunt sacerdotes itemque parochi, praecedit senior aetate. In concilio provinciali aliisque coetibus provincialibus episcopi suffraganei habent praecedentiam secundum diem praeconisationis seu electionis ad episcopatum, non autem a die promotionis ad ecclesiam suffraganeam[23].

---

[19] c. 101. [20] c. 101, § 1, n. 2; Reg. iur. 29 in VI°.
[21] c. 105. [22] c. 106.
[23] Pontif. Com. d. 10 Nov. 1925 (Acta Ap. Sed. XVII 582).

d) Qui alius personam gerit, ex eadem obtinet praecedentiam, seu aliis verbis: obtinet eius locum. Hinc ex iure communi e. gr. vicarius superioris religiosi in eius absentia obtinet locum superioris. Solummodo excipiuntur procuratores, qui Conciliis plenariis vel provincialibus aliisque similibus conventibus intersunt, et qui sedent post illos *eiusdem gradus* qui intersunt proprio nomine[24]. E. gr. sacerdos, qui in Concilio plenario gerit vices archiepiscopi, sedet quidem post omnes archiepiscopos, sed ante episcopos.

e) Inter varias personas morales eiusdem speciei et gradus, e. gr. inter diversos Tertios Ordines, Confraternitates etc., illa praecedit, quae est in pacifica quasi-possessione praecedentiae, et si de hoc non constat, illa, quae prius in tali loco constituta est.

f) Loci Ordinarii est in sua dioecesi statuere praecedentias inter suos *subditos*; pariter componere omnes de praecedentia controversias, etiam inter *exemptos*, quatenus ii collegialiter cum aliis procedant, e. gr. in processionibus. Per se patet, contra iudicium Ordinarii permitti appellationem (in devolutivo) ad Curiam Romanam, atque Ordinarium non posse arbitrarie statuere praecedentias, sed debere attendere ad principia iuris communis et ad legitimas consuetudines.

PARS I.

De clericis.

Haec pars subdividitur in duas sectiones: 1. de clericis in genere; 2. de clericis in specie.

SECTIO I.

De clericis in genere.

In hac sectione continentur sex tituli: 1. de clericorum adscriptione alicui dioecesi; 2. de iuribus et privilegiis clericorum; 3. de obligationibus clericorum; 4. de officiis ecclesiasticis; 5. de potestate ordinaria et delegata; 6. de reductione clericorum ad statum laicalem.

Praemittitur autem caput praeliminare: De statu et ordine clericorum in genere.

CAPUT PRAELIMINARE.

De statu et ordine clericorum in genere.

Q. 58. *Quid nomine personae ecclesiasticae intelligatur?*

R. Nomen „persona ecclesiastica" latius patet quam nomen „clericus". Clerici in stricto sensu vocantur illi, qui per primam saltem tonsuram divinis ministeriis sunt mancipati[1]. Persona autem ecclesiastica non tantum significat clericum, sed etiam personas religiosas omnes utriusque sexus. Hinc moniales et fratres laici ordinum religio-

---

[24] c. 106 n. 1. [1] c. 108.

sorum personae ecclesiasticae vocantur, secundum strictum vero ius sunt personae laicae. Si vero in aliquibus institutis religiosis illi fratres, qui postea ss. ordines suscipere debent, vocantur clerici ad discernendos illos ab aliis, qui numquam ss. ordines suscipient, tunc nomen clerici sumitur in latiore sensu, in quantum sc. illi sunt in potentia proxima statum clericalem ingrediendi. Etsi autem omnes personae ecclesiasticae ad statum clericalem non pertinent, tamen privilegia clericorum, e. gr. privilegium canonis, fori, immunitatis etc., illis communicata sunt.

Iam in primis saeculis Ecclesiae personae religiosae solebant annumerari clericis, immo et clerici vocari. Testis est textus in Decreto Gratiani citatus (c. 7, C. XII, q. 1) et S. Hieronymo tributus[2]: „Duo sunt genera christianorum. Est autem unum genus, quod, mancipatum divino officio et deditum contemplationi et orationi, ab omni strepitu temporalium cessare convenit, ut sunt clerici et Deo devoti, videlicet conversi. Κλῆρος enim graece, latine sors. Inde huiusmodi homines vocantur clerici, i. e. sorte electi. Omnes enim Deus in suos elegit. Hi namque sunt reges, i. e. se et alios in virtutibus regentes et ita in Deo regnum habent. Et hoc designat corona in capite. Hanc coronam habent ab institutione Romanae Ecclesiae in signum regni, quod in Christo exspectatur. Rasio vero capitis est temporalium omnium depositio. Illi enim victu et vestitu contenti, nullam inter se proprietatem habentes, debent habere omnia in communi." Ut patet, haec omnia non minus valent de religiosis ac de clericis. Nomen clerici igitur potest sumi 1. latissime et tunc excludit tantum laicos proprie dictos; 2. late et tunc includuntur etiam religiosi, qui postea sunt suscepturi ordines clericales; 3. stricte, et tunc sunt illi, qui divinis ministeriis sunt mancipati per primam saltem tonsuram clericalem[3].

Q. 59. *Quid sit status clericorum?*

R. Status clericorum est stabilis vitae conditio, qua homo masculus hierarchiae ecclesiasticae incorporatur.

Dicitur a) *stabilis* vitae conditio; nam, etsi clericus aliquando ad statum laicalem potest reduci, uti infra dicetur, tamen ex se clericatus est stabilis et immutabilis vitae conditio. Hoc vel ipsum nomen clerici non obscure indicat, quod iam *Origenes*[4] et *Tertullianus*[5] adhibuerunt. Nomen enim clerici desumptum est a verbo graeco κλῆρος, quod significat latine: sortem[6]. Vocantur clerici, quia sunt de sorte Domini, vel quia Dominus est sors seu pars clericorum, et quidem non transeunter, sed sine intermissione[7].

Dicitur b) *qua homo masculus* incorporatur hierarchiae ecclesiasticae. Nam femina nullo modo potest fieri clericus, nec etiam potest esse membrum hierarchiae ecclesiasticae. Licet enim feminis, e. gr. abbatissis, priorissis etc., possit competere potestas regiminis, et quidem non tantum super mulieres et laicos, sed etiam super clericos (uti revera accidit medio aevo, quando

[2] Disputatur, num S. Hieronymus haec scripserit. Cf. *Berardi*, Gratiani canones genuini ab apocryphis discreti, part. 3, 197, ed. Taurin. 1757. Berardi tamen aliquando est hypercriticus.

[3] c. 108, § 1. [4] Homil. in Ierem. XI, n. 3. [5] De monogam. c. 12.

[6] *S. Hieronym.*, Ep. 52 ad Nepotianum; c. 5, C. XII, q. 1.

[7] In c. 1, D. 21 habetur: „Cleros et clericos hinc appellatos credimus, quia Matthias sorte electus est, quem primum per Apostolos legimus ordinatum."

nonnullae abbatissae regebant non tantum moniales, sed etiam monachos et clericos sibi subiectos[8]), tamen non sunt capaces neque potestatis ordinis neque potestatis iurisdictionis stricte dictae. Omnes quidem admittunt mulierem esse incapacem potestatis ordinis; pariter certum est mulierem esse incapacem potestatis iurisdictionis, si sumitur iurisdictio in stricto sensu[9]. Exempla, quae afferuntur ab auctoribus, quod Summi Pontifices iurisdictionem contulerint mulieribus, aut sunt dubiae authenticitatis aut intelligenda videntur de iurisdictione in lato sensu; nam nomen iurisdictionis sumitur aliquando generatim pro omni potestate regendi, iudicandi, puniendi[10]. Porro nihil obstat, quominus mulieres regant suos subditos saltem regimine subalterno et imperfecto. Non licet autem mulieribus sedere in tribunali ecclesiastico, ferre censuras, absolvere a censuris etc., neque a fortiori exercere actum iurisdictionis, qui supponit potestatem ordinis, ut est dare absolutionem sacramentalem.

Q. 60. *Quid sit hierarchia ecclesiastica?*

R. Si vim nominis attendas, hierarchia (ἱεραρχία, i. e. ἱερὰ ἀρχή) significat sacrum principatum. Hoc nomen videtur esse primitus adhibitum a Pseudo-Dionysio Areopagita, qui scripsit opera medio aevo maximi aestimata: De coelesti hierarchia, De ecclesiastica hierarchia. Si autem consideratur secundum rem, hierarchia ecclesiastica potest sumi dupliciter[11], sc. a) *obiective*, et tunc definiri potest „potestas a Christo suis Apostolis eorumque legitimis successoribus tributa, ut Ecclesiam regant et divina religionis mysteria in ea celebrent atque distribuant"[12]. Quae quidem potestas est duplex: potestas ordinis et potestas iurisdictionis. b) *subiective*, et tunc sunt ipsae personae hac potestate fruentes. In hoc sensu *subiectivo* Concilium tridentinum sumit hierarchiam, quando sess. 23, can. 6 definit: „Si quis dixerit, in Ecclesia catholica non esse hierarchiam divina ordinatione institutam, quae constat ex episcopis, presbyteris et ministris, anathema sit." Ex quo patet iure divino praeter episcopos et presbyteros etiam pertinere ad hierarchiam subiectivam ministros; nomine autem ministrorum iuxta omnes comprehenduntur diaconi et iuxta quosdam etiam omnes clerici, i. e. omnes qui saltem tonsuram clericalem receperunt. Doctrinam pro-

[8] Cf. Die Doppelklöster des Birgittenordens. In isto Ordine, qui vocatur Ordo Salvatoris et fundatus est a S. Birgitta, figurabatur collegium Apostolorum. Semper duo conventus, alter monachorum alter monialium, subiecti erant directioni abbatissae, sed sub iurisdictione episcopi. In conventu monachorum vivebant 13 sacerdotes, 4 diaconi, 8 fratres conversi. In conventu monialium vivebant 60 moniales. Cf. *Heimbucher*, Die Orden usw. II², § 83.

[9] Late de hac re disserit *Pellizarius* S. J., De monialibus c. 10, n. 117—122.

[10] Cf. *Ferraris*, Prompta bibl. s. v. Femina n. 5 et 6. Exemplum mirum huius iurisdictionis abbatissae Monasterii S. Mariae de las Huelgas (prope Burgos) videsis in Analectis ecclesiast. (1898) 257. Adhuc anno 1868 ista abbatissa contendit se habere iurisdictionem quasi-episcopalem.

[11] Interdum vox „hierarchia" latiore sensu sumitur et tunc significat universam Ecclesiam et quidem cum clericos tum laicos. In hoc sensu latiore S. Petrus (1 Ep. 2, 9) vocat christianos „regale sacerdotium, gentem sanctam". De hac latiore acceptatione nihil dicimus.

[12] Ita *Wernz*, Ius decret. II, n. 2.

positam hoc modo breviter complectitur Codex iur. can. c. 108, § 3: „Ex divina institutione sacra hierarchia ratione *ordinis* constat episcopis, presbyteris et ministris; ratione *iurisdictionis*, pontificatu supremo et episcopatu subordinato; ex Ecclesiae autem institutione alii quoque gradus accessere."

1. *Potestas ordinis* a Christo confertur tamquam fundamentum omnis alius potestatis, ad sacramenta administranda et principalius propter sacramentum eucharisticum conficiendum. Ut enim Angelicus Doctor scite animadvertit, „Ordinis sacramentum ad sacramentum Eucharistiae ordinatur, quod est sacramentum sacramentorum"[13], et „ordines ordinantur principaliter ad sacramentum Eucharistiae, ad alia autem per consequens"[14]. Hinc omnis vis et omnis distinctio *potestatis ordinis* desumenda est ex relatione ad Eucharistiam. Perpulchre hanc relationem explicat Angelicus l. c. Dignus est iste articulus, qui totus legatur.

Sequentes sunt notae *potestatis ordinis:*

a) Datur *consecratione*, non delegatione vel missione. Ad rem scribit *Angelicus*[15]: „Duplex est spiritualis potestas: una quidem sacramentalis, alia iurisdictionalis. Sacramentalis quidem potestas est, quae per aliquam consecrationem confertur...."

b) Semel rite habita *non potest amitti.* Pergit enim S. Doctor: „et talis potestas (ordinis) secundum suam essentiam remanet in homine, qui per consecrationem eam adeptus est, quamdiu vivit, sive in schisma sive in haeresim labatur"[16].

c) Datur ad procurandam salutem fidelium per *ministrationem sacramentorum et per cultum divinum.*

2. *Potestas iurisdictionis* (vocatur etiam potestas regiminis) a Christo data est ad regendam Ecclesiam et ad fideles ducendos in finem supernaturalem.

Notae huius potestatis sunt:

a) Datur *delegatione* vel missione canonica. „Potestas autem iurisdictionalis est, quae ex simplici iniunctione hominis confertur." Ita S. Thomas l. c.

b) Potest *tolli* aut *limitari:* „et talis potestas non immobiliter adhaeret". S. Thomas l. c.

c) Includit *potestatem legiferam, iudicialem, coercitivam et generatim omnia illa, quae ad regimen fidelium necessaria sunt.*

Ex quibus dictis manifeste apparet esse distinctionem realem inter potestatem ordinis et potestatem iurisdictionis. Contrarium tenet *Hinschius*[17] aliique heterodoxae doctrinae fautores. De subtili autem quaestione agitata inter auctores, unde proveniat ista distinctio, utrum ex parte principii an ex parte termini seu materiae, non est cur immoremur[18].

Omnis hierarchia sive *obiectiva* sive *subiectiva* non datur episcopis, presbyteris et ministris a potestate saeculari, a magistratu, a patronis

[13] Suppl. q. 37, a. 2. [14] In resp. ad 3 eiusdem art.
[15] S. th. 2, 2, q. 39, a. 3. [16] Cf. Conc. trid. sess. 23, can. 7.
[17] Kirchenrecht I 170. [18] Videsis *Billuart,* De poenit. diss. 6, a. 2.

vel a populo christiano, sed ab ipso Christo vel ex canonica missione[19]. Lutheri adagium fuit: „Prorsus eiusdem iuris sumus omnes", illumque sequuntur plus minusve omnes novatores saeculi XVI, et in omnibus fere sectis acatholicis ministri eliguntur vel a populo vel instituuntur a potestate saeculari, neque ulla hierarchia divinitus instituta agnoscitur[20]. Hanc doctrinam acatholicam optime refutat ex S. Scriptura, ex Traditione et ex rationibus convenientiae P. *de Groot* O. Pr.[21]

Q. 61. *Quot gradibus constet hierarchia ordinis?*

R. Octo gradus convenienter distinguuntur in hierarchia ordinis[22], sc. quattuor ordines minores, tres ordines maiores et episcopatus.

Quasi praeambulum[23] vel atrium ad istos gradus obtinendos est prima tonsura clericalis, licet ipsa non sit ordo. Sententia contraria Fagnani[24], Reiffenstuel[25], Panormitani, Io. Andreae non videtur solidis argumentis probata. Quae ex Fagnano afferuntur a Reiffenstuel[26], probant ad summum, primam tonsuram esse ordinem clericalem in lato sensu; quod quidem ultro concedi potest. Optime Catechismus Concilii tridentini parte 2, c. 7, n. 13 dicit: „Clericalem tonsuram quandam *praeparationem* esse ad ordines accipiendos: ut enim homines ad baptismum exorcismis, ad matrimonium sponsalibus praeparari solent, ita cum tonso capillo Deo dedicantur, tamquam aditus ad ordinis sacramentum illis aperitur."[27] Prima quidem tonsura homo transit a statu laicali ad statum clericalem, sed nulla vera potestas illi confertur.

Tonsuram ab antiquissimis temporibus fuisse clericis collatam certum est et constat etiam imaginibus inventis in catacumbis; at quonam tempore sit introducta, non potest certo probari. Modus tonsurae non fuit idem apud Orientales et Occidentales[28]. Omnes clerici tenentur tonsuram decentem deferre, ut patet ex Decreto c. 22 et c. 23, D. 23[29], et ex Cod. c. 136. Pro

[19] Cf. Conc. trid. sess. 23, de ord. c. 4, et Conc. vatic. const. „Pastor aeternus"; c. 109.

[20] Ita docuerunt Waldenses, Wiclefitae, Hussitae, Luther, Calvinus, Grotius, Pufendorf, Böhmer, Harnack aliique.

[21] Summa apol. de Ecclesia q. 3, a. 4—8.

[22] Conc. trid. sess. 23, can. 2 definivit: „Si quis dixerit, praeter sacerdotium non esse in Ecclesia catholica alios ordines et maiores et minores, per quos veluti per gradus quosdam in sacerdotium tendatur, anathema sit." Est igitur fide certum esse plures ordines in Ecclesia catholica; minime vero certum est, quot ordines sint. Ad theologiam dogmaticam pertinet disquirere, num omnes ordines sint vera sacramenta et num episcopatus sit sacramentum realiter distinctum a sacerdotio.

[23] Cf. *S. Thom.*, Suppl. q. 40, a. 2.

[24] In c. 11 X 1, 14. Fagnanus 22 rationes pro sua sententia affert.

[25] Ius can. in c. 11 X 1, 16. [26] l. c.

[27] Cf. etiam *Billuart,* De ordin. diss. 1. a. 4.

[28] Cf. *Wernz* l. c. n. 18 et *Billuart* l. c. Quidam auctores (e. gr. *Sägmüller,* Kirchenrecht § 48) distinguunt duplicem formam tonsurae, sc. tonsuram S. Pauli, qua tota caesaries raditur, sicuti solet fieri in Ordine Carthusianorum, et tonsuram S. Petri, qua caesaries tondetur in formam coronae, sicuti fit hodie in pluribus ordinibus religiosis.

[29] Concilium agathense valde nervose praescribit: „Clerici, qui comam nutriunt, ab archidiacono, etiamsi noluerint, invite tondeantur." Cf. etiam c. 4 5 7 X 3, 1 et etiam infra q. 66.

clericis regularibus hoc insuper praescribunt statuta singulorum ordinum[30]; potest tamen episcopus vel superior regularis dispensare in hac lege ex causa rationabili. Quae requirantur pro receptione tonsurae clericalis, statuit Conc. trid. sess. 23, c. 4 de reform.: „Prima tonsura non initientur, qui sacramentum Confirmationis non susceperint et fidei rudimenta edocti non fuerint, quique legere et scribere nesciant, et de quibus probabilis coniectura non sit, eos non saecularis iudicii fugiendi fraude, sed ut Deo fidelem cultum praestent, hoc vitae genus elegisse.“ Nunc autem statuitur: „Nemo sive saecularis sive religiosus ad primam tonsuram promoveatur ante inceptum cursum theologicum.“[31] Ille, qui confert primam tonsuram, debet habere easdem conditiones ac ille, qui confert ordines minores (cf. infra).

Inferiores gradus in hierarchia obtinent *quattuor ordines minores:* ostiariatus, lectoratus, exorcistatus, acolythatus[32].

Ordo ostiariatus iam memoratur in epistula S. Cornelii ad Fabium Antiochenum (a. 255)[33]. Ostiarii vocantur etiam aeditui (πυλωροί, θυρωροί).

Ordinis lectoratus fit mentio a S. Iustino[34] et a Tertulliano[35].

Ordinis exorcistatus fit mentio in epistula S. Cornelii mox citata sicuti etiam *ordinis acolythatus.*

In Ecclesia orientali non omnes quattuor ordines minores habentur saltem iuxta modernam disciplinam; sed num sic fuerit ab initio, merito dubitatur[36]. Magna controversia exsistit, num isti quattuor ordines sint a Christo instituti (vel mediate vel immediate) et num sint vera sacramenta. S. Thomas, B. Albertus M. et communiter thomistae affirmant; moderni theologi et canonistae communiter negant[37].

Minoribus ordinibus succedunt in hierarchia ordines maiores, sc. subdiaconatus, diaconatus, presbyteratus.

Subdiaconi sunt quasi diaconorum subsidiarii. Per longum tempus[38], sc. usque ad Urbanum II (saeculo undecimo) in latina et usque ad

[30] Cf. Constit. Ord. Praed. n. 193. [31] c. 976.

[32] De modo hos et alios ordines sicuti et primam tonsuram conferendi vide Pontificale Romanum.

[33] „In qua (Ecclesia romana) non ei (Novatiano) latebat presbyteros esse 46, diaconos 7, acolythos 42, exorcistas autem et lectores cum ostiariis 52“ (*Migne*, P. l. 3, 767).

[34] Apolog. 1, 67 (*Migne*, P. g. 6, 429).

[35] De praescript. c. 41 (*Migne*, P. l. 2, 69).

[36] Cf. *Devoti* I, sect. 2, § 29, et praesertim *Iac. Goar* O. Pr., Euchologion sive Rituale Graecorum 237 sqq.

[37] Cf. pro hac quaestione *Drouin* (Drouvenius) O. Pr., De re sacramentaria, et post ipsum *De Augustinis* S. J., De re sacramentaria. Breviter, sed solide hanc quaestionem tractat *Billuart* l. c. a. 1, § 2. Merito animadvertit *Wernz*, Ius decr. II, n. 39 (contra Santi, qui sententiam negantem vocavit certam et evidentem) intra terminos controversiae utramque sententiam esse relinquendam.

[38] Conc. trid. sess. 23, c. 2 dicit: „Subdiaconatus ad maiores ordines a Patribus et sacris Conciliis refertur.“ SS. Patres, ad quos Concilium alludit, videntur esse e. gr. *Cyprianus* (Ep. 55), *Tertullianus* (De praescr. 9, 41), etsi Tertullianus non est proprie numerandus inter SS. Patres. In antiquo Corpore iuris multoties subdiaconatus inter sacros ordines recensetur, e. gr. c. 11, D 32 (Urbanus II);

nostros dies in orientali Ecclesia subdiaconatus enumeratus est inter ordines minores[39]. In Libro Pontificali, cui fides haberi potest, Fabianus Papa (236—250) dicitur fecisse septem subdiaconos. Ergo saeculo tertio subdiaconi iam exsistebant in Ecclesia; illos ante hoc tempus iam creatos esse, licet non possit probari, tamen verisimilius est[40].

Diaconi sextum gradum in hierarchia ordinis obtinent. Apud omnes catholicos constat diaconatum esse verum sacramentum a Christo institutum[41]. Iam Apostoli statuebant septem diaconos[42], viros plenos Spiritu Sancto, eosque impositis manibus destinabant ad ministrandum mensae et altari[43]. Munus diaconorum iuxta vigentem Ecclesiae disciplinam est ministrare episcopo vel presbytero in Missa aliisque functionibus liturgicis. Gravi causa exsistente diaconus potest cum debita commissione Ordinarii loci vel parochi administrare sollemniter Baptismum et s. Communionem, praedicare publice verbum Dei, exsequias peragere[44]. In casu necessitatis sufficit praesumpta commissio, in aliis autem casibus requiritur commissio expressa[45], quae quidem dari nequit sine gravi causa. Quaenam autem sit gravis causa, disputatur quidem, sed sufficit quaelibet mediocris necessitas.

Presbyteri seu sacerdotes septimum gradum obtinent. Sacerdotium esse verum ordinem a Christo institutum est de fide[46].

c. 12 ib. (in syn. Melph.); c. 4, D 60; c. 9 X 1, 14 (Innoc. III). In hoc ultimo loco scribit Innocentius III: „Cum hodie subdiaconatus inter sacros ordines computetur, sicut Urbanus Papa II sub his verbis expressit: ‚Erubescant impii et intelligant iudicio Spiritus Sancti eos, qui in sacris ordinibus, presbyteratu, diaconatu, subdiaconatu sunt positi‘. . . .“ Ex quibus constat inde a temporibus Urbani II i. e. saeculo XI exeunte subdiaconatum habitum esse ordinem sacrum in Ecclesia latina. Cf. *Devoti* I, § 28 (I), qui bene explicat, quomodo Urbanus II in initio sui pontificatus subdiaconatum adhuc inter minores ordines habuerit.

[39] Synodus alexandr. Coptorum (1898) subdiaconatum minoribus ordinibus adnumerat.

[40] *„Ab ipso Ecclesiae initio* sequentium ordinum nomina atque uniuscuiusque eorum propria ministeria, subdiaconi sc., acolythi, exorcistae, lectoris et ostiarii, in usu fuisse cognoscuntur“ (Conc. trid. sess. 23, c. 2).

[41] Conc. Trid. sess. 23, c. 6. [42] Act. 6, 3.

[43] Cf. *Mamachi* O. Pr., Dissertatio de septem diaconis (Romae 1749).

[44] Rit. Rom. tit. 6, c. 3, n. 19. Dicendi vi et eloquentia egregii sunt sermones S. Ephraemi diaconi Syri. — Olim diaconi habebant praeterea alia munera, e. gr. curam viduarum, orphanorum, pauperum, oblationes accipiebant, sacra diptycha recitabant etc. Vide *Devoti* I, § 27. Praeter diaconos in Ecclesia primitiva etiam diaconissae seu diaconae laudabiliter serviebant presbyteris et episcopis. Officium earum erat ianuam, qua feminae intrabant ecclesiam, custodire (vocantur propterea a S. Ignatio in Ep. ad Antioch. πυλωροί), feminas chatechizare, eleemosynas distribuere, assistere in administratione baptismi etc. Ad id munus deputabantur aliqua benedictione vel consecratione episcopi. Aliquando adhibebatur manuum impositio. Cf. *Cabassutius*, Dissert. de diaconissis. Sed inde a saeculo VI videtur munus earum cessasse. Cf. *Billuart*, Tract. de ordine: digressio historica de episcopabus, presbyterabus, diaconissis et subdiaconissis. Cf. etiam Kirchenlexikon s. v. Diaconissen.

[45] Cf. c. 741 et nostrum Man. theol. mor. III 121 et 217.

[46] Conc. trid. sess. 23, can. 1 2 3 4 6 7.

Notandum est, SS. Patres et S. Scripturam nomen presbyteri vel sacerdotis non raro adhibere etiam pro ipsis episcopis et vice versa[47], e. gr. S. Cyprianum[48], S. Chrysostomum[49]. Officium sacerdotis recte describit Pontificale Romanum dicens: „Sacerdotem oportet offerre, benedicere, praeesse, praedicare et baptizare."

Episcopi octavum et ultimum gradum in hierarchia ordinis obtinent. Concilium tridentinum definit[50]: „episcopos esse superiores presbyteris ac sacramentum Confirmationis conferre, ministros Ecclesiae ordinare atque alia pleraque peragere ipsos posse, quarum functionum potestatem reliqui inferioris ordinis nullam habent".

Ista definitio videtur esse contra doctrinam Calvini et Wiclef (quibus praeivit saeculo quarto Aërius). Episcopi non tantum iure humano superiores sunt presbyteris — hoc enim ab omnibus admittitur —, sed etiam iure divino[51]. Sed si ulterius quaeritur, num episcopatus *inadaequate* sumptus, pro eo sc. quod addit simplici sacerdotio, sit ordo stricte dictus seu sacramentum Ordinis distinctum ab Ordine presbyteratus, non concordant auctores. Magister Sententiarum, Albertus Magnus, S. Thomas, S. Bonaventura, Scotus, Dom. Soto, Bonacina multique alii ex veteribus negant, moderni communiter affirmant[52], sed ista quaestio potius ad dogmaticam pertinet, ideoque illam hic praeterimus.

Scholion. De hierarchia in Ecclesia graeca et orientali nihil dicimus, cum pro diversitate rituum quinque vel sex vel octo ordines enumerentur et ibi sint etiam alii ordines in Ecclesia latina incogniti, ut e. gr. periodeutae, chorepiscopi, patriarchae etc.[53]

Hierarchia *iurisdictionis* ex divina institutione constat pontificatu supremo et episcopatu subordinato, ex Ecclesiae autem institutione alii quoque multi gradus accesserunt[54]. Istos gradus solent obtinere *praelati*. Quamvis enim nonnulli clerici donentur titulo praelati honoris causa sine ulla iurisdictione, e. gr. sic dicti praelati domestici extra Curiam Romanam degentes, proprio tamen nomine praelati in iure dicuntur clerici (sive saeculares sive religiosi), qui iurisdictionem ordinariam in foro externo obtinent[55]. Ergo ad praelaturam proprie requiruntur essentialiter duo: status clericalis et iurisdictio ordinaria in foro externo. Hinc exempti superiores religiosi (praediti istis duobus) sunt veri praelati, quamvis sint superiores locales.

---

47 *Billuart*, Diss. de episcopatu.
48 Ep. 83. 49 In ep. ad Phil.
50 Sess. 23, c. 4 et can. 7.
51 Cf. *Billuart*, Diss. de ep., ubi optime solvuntur argumenta a calvinista Blondello congesta ex S. Hieronymo aliisque SS. Patribus.
52 Cf. *Billuart*, Diss de ep.
53 Videsis *Scherer*, Kirchenrecht I 313.
54 c. 108. 55 c. 110.

TITULUS I.

De clericorum adscriptione alicui dioecesi.

Q. 62. *Quid requiratur iuxta vigentem disciplinam ad incardinationem?*

R. 1. Incardinatio seu incorporatio in aliquo coetu clericali legitimo hodie omnino necessaria est, ita ut sic dicti clerici *vagi* nullatenus admittantur. Ratio huius legis est obvia; etenim quilibet clericus debet promittere oboedientiam superiori suo; sin autem non esset incardinatus in aliquo determinato coetu clericorum, non haberet superiorem; ex quo sequerentur multa incommoda. Proinde quilibet clericus debet esse adscriptus vel alicui dioecesi (cui in hac re aequiparantur vicariatus et Praefectura apostolica) vel alicui instituto religioso approbato[1]. De adscriptione in institutis religiosis infra in tractatu de religiosis sermo erit. Hic tractatur de adscriptione clericorum saecularium, quae solet vocari *incardinatio*.

2. Incardinatio *incipit* a receptione primae tonsurae clericalis, et non tantum quando subdiaconatus recipitur.

3. Ut clericus unius dioecesis in aliena dioecesi servitia peragat, etiam per multos annos, nihil aliud requiritur nisi consensus utriusque episcopi. Clericus sic degens in aliena dioecesi semper remanet incardinatus in propria dioecesi atque subiectus proprio episcopo[2]. Sin autem vult modo definitivo se tradere servitio alienae dioecesis, debet obtinere et excardinationem ex propria dioecesi et incardinationem in aliena dioecesi.

4. Excardinationem et incardinationem concedere nequit vicarius generalis sine mandato speciali episcopi; nec vicarius capitularis nisi post annum a vacatione sedis episcopalis et cum consensu capituli[3].

5. Excardinatio et incardinatio facienda est non oraliter, sed *in scriptis*, absolute et in perpetuum, i. e. nullis sive expressis sive tacitis limitationibus obnoxia; propterea clericus debet iureiurando declarare coram Ordinario incardinante (eiusve delegato), se in perpetuum novae dioecesis servitio velle addici ad normam sacrorum canonum[4]. Nihil autem obstat, ne talis clericus habeat vel etiam manifestet intentionem postea ingrediendi religionem, cum id licitum sit clerico.

6. Excardinatio et incardinatio ne fiant a) sine iustis causis, e. gr. utilitate dioecesis; b) sine sedula informatione de clerico incardinando[5].

7. Excardinatio in duobus casibus habetur implicite: a) post professionem perpetuam in instituto religioso[6]; b) si clericus beneficium residentiale, e. gr. paroeciam, obtinuerit in aliena dioecesi cum consensu sui Ordinarii in scriptis dato[7].

8. Quando *laicus* vult fieri clericus non in dioecesi suae originis vel domicilii, sed in aliena dioecesi, non habetur proprie excardinatio

---

1 c. 111. 2 c. 144. 3 c. 113. 4 c. 112 et 117.
5 c. 116 et 117. 6 c. 115 et 585. 7 c. 114.

et incardinatio. Sufficit igitur, ut talis laicus habeat litteras dimissoriales et testimoniales sui proprii episcopi atque ut a) eligat domicilium in nova dioecesi; b) praestet iusiurandum se ibi perpetuo mansurum[8]. Tale iusiurandum non obstat, ne iste clericus postea institutum religiosum legitime amplectatur, saltem obtenta legitima licentia.

9. Speciales normae latae sunt pro clericis in Americam et ad insulas Philippinas transmigrantibus d. 14 Nov. 1903, 25 Mart. 1914, 30 Dec. 1918[9].

TITULUS II.

De iuribus et privilegiis clericorum.

Q. 63. *Quaenam sint iura et privilegia clericorum?*

R. Omissis clericorum privilegiis et iuribus, quae singulis gradibus et officiis sunt propria et de quibus sermo redibit suis locis, sequentia quinque iura et praerogativae generaliter competunt statui clericali:

1. Potestas *ordinis* et *iurisdictionis* plus minusve perfecta iuxta diversos gradus et ordines; ius obtinendi beneficia et pensiones ecclesiasticas, nonnulla iura honorifica, e. gr. habitus distinctus, tituli honorifici[10].

2. *Privilegium canonis*, quod hoc modo vocatum est, quia iam invenitur in canone 15 Concilii lateranensis II (a. 1139)[11], protegit salutem corporalem clericorum (et religiosorum). Hinc omnes, qui suadente diabolo manus violentas iniciunt in clericos vel religiosos committunt sacrilegium[12] atque incurrunt excommunicationem, quae est reservata vel specialissimo modo vel speciali modo S. Sedi, vel Ordinariis, prout haec iniuria illata est vel Summo Pontifici vel episcopis aliisque altioris dignitatis vel aliis non fulgentibus dignitate episcopali[13].

Actiones iniuriosae, quae hac censura aliisque poenis puniuntur, et quae verbis „violentas manus suadente diabolo inicientes" exprimuntur, sunt omnes et solae graviter peccaminosae violentiae *reales* (non autem verbales), quae impinguntur personae (vel rebus ita personae adhaerentibus, ut violentia redundet in ipsam personam) clerici vel personae religiosae. Poenae istae non incurruntur, si violentia facta est „non suadente diabolo", i. e. sine peccato mortali, e. gr. ob legitimam defensionem contra clericum invadentem, vel ex ioco, vel fortuito, vel ex ignorantia. Pariter poenae non incurruntur ab *impubere* graviter violante personas ecclesiasticas. Antiqua distinctio inter violentias leves, graves et enormes iam non est valoris practici saltem quoad hanc excommunicationem.

[8] Cf. c. 956. [9] Acta Ap. Sed. I 593; VI 182 sq.; XI 39 sqq. [10] c. 118.
[11] Habetur c. 29, C 17, q. 4. Istud et sequentia privilegia competunt quoque omnibus utriusque sexus religiosis, etiam fratribus conversis, novitiis, tertiariis etc., dummodo habitum religiosum portent et eorum instituta sint legitime approbata. Decr. Pii IX d. 20 Sept. 1860; Cod. iur. can. c. 614. Ampliorem explicationem horum privilegiorum praebet *Maroto* l. c. I 507 sqq.
[12] c. 119. [13] c. 2343.

3. *Privilegium fori* est exemptio a potestate et iurisdictione fori saecularis, adeo ut clerici omnesque personae religiosae nequeant ab iudice saeculari in iudicium trahi, in carcerem mitti vel aliis modis puniri, sed dumtaxat ab iudice ecclesiastico. Clerici et religiosi in omnibus causis sive contentiosis sive criminalibus apud iudicem ecclesiasticum conveniri debent, nisi aliter ex Concordatis vel legitimis consuetudinibus pro locis particularibus provisum fuerit[14].

Hoc privilegium clericis et religiosis competit ex iure quidem humano, sed in iure divino fundamentum habet[15]. Incongruum est enim, ut clerici (personae sacrae) qui iure divino praeesse debent laicis, subdantur eisdem[16]. Quare Concilium tridentinum[17] declaravit, Ecclesiae et ecclesiasticorum immunitatem Dei ordinatione et canonicis sanctionibus constitutam esse. Ex quo sequitur, privilegiatum forum clericorum nulla saecularium principum lege posse aboleri. Huius rei luculentissima adsunt documenta[18]. Privilegium fori iam adumbratum invenitur in S. Paulo, qui increpat Corinthios, quod ad tribunal ethnicorum recurrant[19]. Iustinianus autem expresse statuit: „Si ecclesiastica causa est, nullam communionem habeant iudices civiles circa talem examinationem, sed sanctissimi episcopi secundum sacras regulas causae finem imponant."[20] Privilegium fori clericis concessum confirmavit et ampliavit Carolus Magnus[21]. Hodie autem omnia fere gubernia civilia non agnoscunt pro clericis et religiosis forum speciale. Quare ad maiora mala vitanda statuit Codex iur. can.[22], ut clerici maioris dignitatis, ut cardinales, legati, episcopi, abbates et praelati nullius, supremi superiores religionum iuris pontificii, officiales maiores Curiae Romanae, ob negotia ad ipsorum munus pertinentia apud iudicem laicum conveniri nequeant *sine venia Apostolicae Sedis;* ceteri vero fori privilegio gaudentes sine venia Ordinarii loci, *in quo causa peragitur*, quam tamen licentiam Ordinarius ne deneget sine iusta et gravi causa. Si haec venia neglecta fuit, clerici et religiosi possunt quidem comparere in tribunali civili, sed debent Ordinarium istum certiorem facere. Si quis religiosus vellet suum superiorem maiorem (non supremum), e. gr. superiorem provincialem convenire coram iudice civili, videtur sufficere praevia licentia supremi superioris[23].

Poenae contra violatores privilegii fori mitiores effectae sunt in vigenti disciplina. Etenim *laicus*, qui cogit aliquem clericum non praelatum ad tribunal laicale sine praevia venia Ordinarii, iam non incurrit poenas latae, sed solummodo ferendae sententiae; clericus vero iam non est excommunicatus, sed solummodo suspensus ab officio. Omnes autem (sive clerici sive laici), qui ausi sunt ad iudicem laicum trahere sine

[14] Cf. c. 120, § 1 et c. 614. Privilegium fori pro clericis et religiosis non exsistit e. gr. in Germania (Resp. Secr. Status d. 16 Dec. 1911), Belgio, Hollandia etc.
[15] De quattuor opinionibus circa originem iuridicam huius privilegii videsis *Maroto* l. c. I, n. 512.
[16] c. 6, X 1, 33. [17] Sess. 25, c. 20 de ref.
[18] Pii IX Allocutiones consistor. 1 Nov. 1850; 27 Sept. 1852; 15 Dec. 1856.
[19] 1 Cor. 6, 1—8. [20] Nov. 123, 2.
[21] Caroli Magni Capit. eccl. a. 789 c. 38 apud *Pertz*, Monum. Germ. hist. III 60 et 74.
[22] c. 120, § 2 et 3. [23] Cf. Capello de censuris n. 268.

praevia S. Sedis licentia cardinalem vel legatum vel officialem maiorem Curiae Romanae ob negotia ad eius munus pertinentia vel Ordinarium proprium, contrahunt ipso facto excommunicationem speciali modo S. Sedi reservatam; sin autem idem fecerunt de alio episcopo vel abbate vel praelato nullius vel aliquo superiore supremo religionum iuris pontificii, incurrunt excommunicationem simpliciter S. Sedi reservatam[24].

Nota. Omnes personae ecclesiasticae quam maxime caveant, ne in tribunali laicali compareant sine urgentissima ratione, etiamsi ipsi conveniunt laicum, cum secus magna scandala haud raro oriantur.

4. *Privilegium immunitatis* personalis est libertas a munere seu ab officio et onere laicali. Exsistit triplex immunitas: personalis, localis, realis, prout competit personae, loco, rei. Hic non loquimur nisi de immunitate personali, qua clerici liberi sunt ab officiis et servitiis saecularibus. In novo Codice c. 121 statuitur: „Clerici omnes a servitio militari, a muneribus et publicis civilibus officiis a statu clericali alienis immunes sunt." Ergo Codex silet de immunitate a tributis saecularibus, quia hodie in universo fere orbe clerici solvunt tributa gubernii civilis sicut ceteri cives. Immunitas personalis clericorum — et idem valet de immunitate religiosorum — fundatur in ipsa ordinatione divina[25]. Quare S. Paulus adhortatur Timotheum: „Labora sicut bonus miles Christi Iesu. Nemo militans Deo implicat se negotiis saecularibus."[26] Maxime alienum est a statu clericali munus militis. Quapropter clerici et religiosi non libere, sed solummodo coacti possunt servitium militare obire. Alia quoque munia plus minusve aliena sunt a statu clericali, e. gr. munus medici, procuratoris vel advocati in tribunali laicali etc., de quibus in tit. seq. sermo redibit. — Iuxta vigentem disciplinam non exsistit poena latae sententiae contra illos, qui laedunt privilegium immunitatis personalis.

5. *Privilegium competentiae*, quod ab antiquis auctoribus etiam privilegium „Odoardus" vocatur[27], consistit in beneficio, vi cuius clerico debitis onerato nemo potest eam fructuum partem demere, quae ad eius sustentationem (non laute, sed tenuiter vivendo) iudicis ecclesiastici arbitratu sunt necessaria. Nostris temporibus hoc privilegium aliqualiter agnoscitur a guberniis civilibus. Sic e. gr. in Germania non licet pignus coacte auferre a sacerdotibus annuam pensionem 1500 *M.*[28] In novo Codice iur. can. statuitur c. 122: „Clericis, qui creditoribus satisfacere coguntur, salva sint quae ad honestam sui sustentationem, prudenti ecclesiastici iudicis arbitrio sunt necessaria, firma tamen eorundem obligatione creditoribus quamprimum satisfaciendi."

Nota. Clerici et religiosi memoratis quinque privilegiis utpote ipsorum *statui* concessis renuntiare nequeunt (c. 123).

[24] c. 2341 (ed. nova). [25] Conc. trid. sess. 25, c. 20 de reform.
[26] 2 Tim. 2, 3 sq.
[27] c. 3, X 3, 23, ubi tangitur hoc privilegium, incipit verbo *Odoardus.*
[28] § 850, 8; 811, 7 8 10 in Z.P.O.

Q. 64. *Quomodo clerici amittant recuperentque praedicta privilegia?*

R. 1. *Omnes* clerici amittunt ista privilegia:
a) per degradationem[29];
b) per reductionem ad statum laicalem[30],
c) per privationem perpetuam habitus clericalis[31].

Clerici *minores* insuper amittunt privilegia clericalia a) per matrimonium[32]; b) per servitium militare libere susceptum[33]; c) per indebitam dimissionem habitus clericalis et tonsurae, si, ab Ordinario moniti, sese intra mensem non emendaverint[34]; d) per dimissionem e statu religioso[35].

2. Clerici recuperant privilegia amissa:
a) si iterum inter clericos admittuntur[36];
b) si poena privationis habitus illis remittitur[37]

TITULUS III.

De obligationibus clericorum.

Q. 65. *Quaenam sint peculiares clericorum obligationes?*

R. Clerici debent

1. „sanctiorem prae laicis vitam interiorem et exteriorem ducere eisque virtute et recte factis in exemplum excellere"[1];
2. oboedientiam canonicam praestare Ordinario;
3. studia sacra colere;
4. castitatem custodire atque etiam coelibatum, si sunt clerici in maioribus ordinibus constituti in Ecclesia latina;
5. deferre decentem habitum ecclesiasticum et tonsuram;
6. abstinere a saecularibus officiis, negotiis et oblectamentis, quae statui clericali sunt incongrua.

Q. 66. *Quid notandum sit de sancta vita clericali?*

R. 1. Sanctitas vitae clericis necessaria est. Etenim cum status clericorum tot privilegiis et praerogativis sit elatus; cum clerici debeant laicos instituere in exercitio virtutum, congruum, immo et necessarium est, ut vita clericalis tantae dignitati respondeat atque praefulgeat. Quare dicit Concilium tridentinum[2]: „Sic decet omnino clericos in sortem Domini vocatos vitam moresque suos omnes componere, ut habitu, gestu, incessu, sermone aliisque omnibus rebus nil nisi grave, moderatum ac religione plenum prae se ferant; levia etiam delicta, quae in ipsis maxima essent, effugiant, ut eorum actiones cunctis afferant venerationem."

[29] c. 2305, § 1. [30] c. 123. [31] Ib.
[32] c. 132. [33] c. 141, § 2. [34] c. 136, § 3.
[35] c. 669, § 2. [36] c. 123. [37] Ib.
[1] c. 124. [2] Sess. 22, c. 1 de vita et honestate clericorum.

2. Clerici debent acquirere sanctitatem vitae cum exercitio omnium virtutum tum praecipue *pietate* erga Deum. Ad hanc pietatem fovendam curent locorum Ordinarii, a) ut clerici poenitentiae sacramento frequenter conscientiae maculas eluant; b) ut *cotidie* orationi mentali per aliquod tempus incumbant, SS. Sacramentum visitent, rosarium Marianum recitent, conscientiam suam discutiant[3]; c) ut omnes sacerdotes saeculares tertio saltem quoque anno spiritualia exercitia in determinata domo per determinatum tempus peragant[4]. Ad pietatem quoque fovendam omnes clerici in maioribus ordinibus constituti ad Ecclesiam latinam pertinentes et pariter omnes clerici etiam minores, qui possident utiliter beneficium ecclesiasticum, tenentur sub peccato gravi cotidie dicere Officium divinum iuxta proprios et probatos libros liturgicos[5]. Clerici Ecclesiarum orientalium hac in re debent observare statuta propriae suae Ecclesiae[6]. De obligatione recitandi Officium divinum in longum et latum egimus in Man. theol. mor. II 360 sqq.

Q. 67. *Quodnam sit obiectum oboedientiae canonicae, quam clerici debent praestare?*

R. Statuit Codex iur. can. c. 127: „Omnes clerici, praesertim vero presbyteri, speciali obligatione tenentur suo quisque Ordinario reverentiam et oboedientiam exhibendi." Neo-sacerdos ponens manus suas inter manus episcopi quaerentis: Promittis mihi et successoribus meis... oboedientiam? respondit: Promitto. Idcirco Benedictus XIV iure merito scribit[7]: „Neque porro nos pro nuda inanique formula habendam esse putamus sollemnem illam oboedientiae et reverentiae sponsionem, quam presbyter facit in manibus episcopi ordinantis iuxta vetustissimum Ecclesiae morem ante mille annos indubitanter servatum." Praeterea omnes, quotquot emittunt professionem fidei, spondent ac iurant veram oboedientiam Summo Pontifici. Quae quidem oboedientia canonica se extendit ad omnia, quae officia et statum clericorum respiciunt, non autem ad res prorsus privatas vel indifferentes; non enim aequivalet voto oboedientiae religiosorum. Breviter igitur dici potest: Obiectum oboedientiae canonicae ea omnia complectitur, quae respiciunt ecclesiasticas leges et praecepta, monitiones et correptiones iustas. Quoties et quamdiu id, iudicio proprii Ordinarii, exigat Ecclesiae necessitas, ac nisi legitimum impedimentum excuset, clerici debent suscipere ac fideliter implere munus, quod ipsis fuerit ab episcopo commissum[8]. Episcopi est iudicare, num clericus habeat sufficientia motiva aliquod officium recusandi[9]. Imprimis autem clericus, licet beneficium aut officium residentiale non habeat, a sua tamen dioecesi per notabile

[3] c. 125.
[4] c. 126. Ab his exercitiis spiritualibus nullus sacerdos eximatur nisi a) in casu particulari; b) iusta de causa; c) de expressa licentia Ordinarii.
[5] c. 135 et 1447.
[6] Cf. *Papp-Szilagyi*, Enchirid. iur. eccl. orient. pars 2, sect. 2, 56.
[7] Const. „Ex quo" d. 14 Ian. 1747.
[8] c. 128. [9] Cf. Acta Ap. Sed. II 915.

tempus sine licentia saltem praesumpta Ordinarii proprii ne discedat[10]. Qui autem cum licentia sui Ordinarii in aliam dioecesim transierit, suae dioecesi manens incardinatus, revocari potest, iusta de causa et naturali aequitate servata[11]. Per se patet, Ordinarium alienae dioecesis posse ex iusta causa eidem clerico denegare licentiam ulterioris commorationis in proprio territorio, nisi tamen beneficium ei contulerit[12]. Iam supra q. 62 de excardinatione et incardinatione clericorum dictum est. Quomodo autem clerici egeant licentia episcopi ad ingrediendam religionem, dicetur infra q. 204.

Q. 68. *Quid statuerit ius ecclesiasticum de studiis clericorum?*

R. Hic non agitur de studiis a clericis peragendis *ante* ordinationem — alibi enim de hac re tractabitur —, sed de solis studiis post sacerdotium iam susceptum. Cum solida scientia perquam necessaria sit clericis, vehementer monet novus Codex iur. can.[13]: „Clerici studia, praesertim sacra, recepto sacerdotio, ne intermittant; et in sacris disciplinis solidam illam doctrinam a maioribus traditam et communiter ab Ecclesia receptam sectentur, devitantes profanas vocum novitates et falsi nominis scientiam." Hinc statuitur:

1. Expleto studiorum curriculo sacerdotes saeculares *omnes* (etiam parochi et canonici), nisi ab Ordinario loci ob iustam causam fuerint exempti, debent singulis annis saltem per triennium integrum subire examen in diversis sacrarum scientiarum disciplinis secundum modum antea ab Ordinario determinandum. In collatione autem beneficiorum et officiorum ratio habeatur horum examinum[14]. Sacerdotes qui neque ab Ordinario dispensati neque legitimo impedimento detenti hoc examen facere renuerint ab Ordinario congruis poenis ad illud cogantur (c. 2376). Sacerdotes *religiosi* debent per quinquennium tale examen subire, ut infra q. 220(6) dicetur.

2. In civitate episcopali et in singulis vicariatibus foraneis (decanatibus) saepius in anno diebus ab Ordinario praestitutis collationes seu conferentiae de re morali et liturgica aliaeque exercitationes opportunae instituantur ad scientiam et pietatem clericorum promovendam, quibus conferentiis interesse debent omnes sacerdotes curam animarum habentes sive saeculares sive religiosi, immo omnes (saecularium) confessarii *etiam exempti*, si in eorum domibus religiosis similes conferentiae non habentur. Quodsi tales conferentiae haberi difficile sit, e. gr. ob distantiam locorum, ob nimios labores sacerdotum etc., omnes isti sacerdotes debent *scriptam resolutionem* quaestionis propositae mittere ad praesidentem conferentiarum; potest tamen loci Ordinarius nonnullos sacerdotes eximere ab hoc opere praestando[15]. Sacerdotes in hac re

[10] c. 143. [11] c. 144. [12] Ib. [13] c. 129.
[14] c. 130. Parochi et vicarii curati religiosi debent examen subire non coram Ordinario loci, sed coram Ordinario religioso proprio. Pontif. Com. d. 14 Iul. 1922 (Acta Ap. Sed. XIV 526).
[15] c. 131. Romae habentur quotannis 12 conferentiae morales et liturgicae. Videtur sufficere, si Ordinarius praescribit huiusmodi conferentias *quolibet mense*.

inoboedientes et contumaces Ordinarius pro suo prudenti arbitrio puniat; quodsi fuerint religiosi confessarii curam animarum non gerentes, eos ab audiendis saecularium confessionibus suspendat[16]. Ex statutis particularibus dioecesium iam antea tales conferentiae cum optimo fructu habebantur; nunc autem ex iure communi praescribuntur et obligant etiam religiosos exemptos, ut dictum est.

Q. 69. *Quid statuerit ius ecclesiasticum de coelibatu et castitate clericorum?*

R. 1. In *Ecclesia latina* ad vitam coelibem obligantur a) omnes clerici maioristae, exceptis iis, qui possunt probare se ex gravi metu coactos recepisse ordines neque eandem ordinationem postea libere ratam habuisse[17]; b) omnes clerici minores, qui possident beneficium ecclesiasticum[18]. Alii clerici minores possunt quidem valide et (aliquando etiam) licite matrimonium contrahere, sed tunc, nisi matrimonium fuerit nullum vi aut metu iisdem incusso, ipso iure e statu clericali decidunt ac proinde omnia officia et beneficia clericalia amittunt. Obligatio coelibatus pro clericis minoribus beneficiariis ex solo iure ecclesiastico oritur; peccata autem contra castitatem ab eodem clerico commissa non sunt sacrilegia. Econtra clericus maiorista peccans contra castitatem certe sacrilegium committit[19], idque non solum ex lege ecclesiastica graviter laesa, sed probabilius etiam ex voto laeso. Etenim iam Bonifatius VIII statuit: „illud solum votum debere dici sollemne... quod sollemnizatum fuit per susceptionem s. ordinis aut per professionem“[20]. — Coelibatus convenientissimus est et dignitati et salutari operationi clericorum. Ipse Dominus Iesus Christus, exemplar omnium sacerdotum, vitam coelibem duxit, illumque secuti sunt Apostoli (post vocationem) innumerique episcopi et sacerdotes, qui, unice quaerentes quae Dei sunt, fructuosissime laboraverunt in vinea Domini. Matrimonium a clerico maiorista attentatum non solum est illicitum, sed invalidum[21], atque inducit et irregularitatem ex delicto (c. 985, 3) et excommunicationem Sedi Apostolicae simpliciter reservatam[22]; praeterea clerici matrimonium etiam civile contrahentes ipso iure decidunt ab officiis ecclesiasticis[23]; et, si moniti non resipuerint, degradandi sunt[24].

Dispensatio super lege coelibatus clericis etiam ad statum laicalem redactis raro conceditur a S. Sede extra periculum mortis. Sin autem subdiaconus aut diaconus (non vero sacerdos) matrimonium attentaverit atque ipse vel eius compars in periculo mortis versatur, tunc parochus vel confessarius potest huiusmodi matrimonium convalidare dispensando a lege coelibatus[25], si loci Ordinarius adiri nequit.

---

[16] c. 2377. [17] c. 132, § 1.
[18] Ib. § 2 et c. 118; cf. 1 2 3 5, X 3, 3. [19] c. 132, § 1.
[20] c. unicum, 3, 15 in VI°. Latius de hac re egimus in Man. theol, mor. III 819.
[21] c. 1072. [22] c. 2388, § 1. [23] c. 188, n. 5.
[24] c. 2388, § 1. [25] c. 1044.

2. In Ecclesia orientali lex coelibatus imposita est episcopis[26]. Sacerdotes quidem coniugati, consentiente uxore, in episcopos consecrari possunt, sed debent tunc ab usu matrimonii prorsus abstinere; immo ordinarie uxor debet religionem profiteri[27]. Sacerdotes et diaconi possunt uti matrimonio inito ante susceptionem diaconatus; nequeunt autem ordine diaconatus iam suscepto matrimonium vel secundas nuptias inire. Hodiernis temporibus lex coelibatus etiam in Ecclesiis orientalibus magis magisque observatur[28].

Perfecta castitas colenda quam sit conveniens statui clericali, nemo est qui non videat. Quare monet Innocentius III in Concilio lateran. IV[29]: „Ut clericorum mores et actus in melius reformentur, continenter et caste vivere studeant universi, praesertim in sacris ordinibus constituti, ab omni libidinis vitio praecaventes, maxime illo, propter quod venit ira Dei in filios diffidentiae; quatenus in conspectu omnipotentis Dei puro corde ac mundo corpore valeant ministrare.“

Ad praecavenda castitatis pericula complura media statuta sunt iure sive communi sive particulari, scilicet:

a) *Cohabitatio cum mulieribus limitatur*[30]. Codex iur. can. c. 133 statuit: „Caveant clerici, ne mulieres, de quibus suspicio esse possit, apud se retineant aut quoquo modo frequentent.“ Cum autem aliquando necessarium sit, ut clerici cohabitent cum mulieribus, ad Ordinarium pertinet iudicare, num in casu particulari suspicio mala possit suboriri. Generatim nulla seria suspicio suboriri potest, si istae mulieres sunt α) consanguineae in propinquioribus gradibus, ut mater, soror, amita et huiusmodi; β) provectae aetatis et spectatae honestatis. De ancillis sacerdotum scite animadvertit Benedictus XIV[31]: „Ipsarum quoque (famularum) aetas cognita sit, ita ut parochi famulae, qui consanguineis caret, quadraginta saltem annos iam absolverint. Aliter tamen decernendum est, si cum parocho etiam mulieres consanguineae versentur.... Magnum sane discrimen interest, cum plures simul mulieres ... eadem

---

[26] *Benedictus XIV*, const. „Etsi pastoralis“ d. 26 Maii 1742.
[27] Cf. Syn. Sciarfens. Syror. a. 1888, p. 202; Syn. Ruthen. a. 1891, p. 120.
[28] Cf. Syn. Sciarfens. et Syn. Ruthen. modo citatas. Synodus alexandrina Coptorum a. 1898 decrevit: „ut in posterum omnes ad maiores ordines promovendi coelibes esse debeant iuxta antiquam disciplinam Ecclesiae alexandrinae ceterarumque Ecclesiarum Dei“. De historia coelibatus cf. *Kraus*, Real-Encykl. der christl. Altertümer s. v. Cölibat; *Laurin*, Der Cölibat der Geistlichen, 1880; et imprimis *Funk*, Cölibat und Priesterehe im christl. Altertum, in Kirchengesch. Abhandlungen und Untersuchungen, ed. 1897, I 121—155. Funk probat contra Bickell, coelibatum non esse ab ipsis Apostolis, sed postea a Summis Pontificibus lege generali statutum. Nihilominus non solum ipsi Apostoli, sed etiam multi alii clerici tunc temporis ducebant vitam coelibem. Primus, qui loquitur de coelibatu, videtur esse *Origenes*, Hom. 6 in Levit. (*Migne*, P. g. 9, 400). De coelibatu in Hispania ab Ecclesiae initiis usque ad saec. VIII optime tractat Carmelus Goñi O. M. C., Pampelonae 1914.
[29] c. 13, X 3, 1.
[30] Cf. totum titulum 2, X, 3 de cohabitatione clericorum et mulierum.
[31] Instit. eccl. 82, 3.

domo continentur; diverso tamen modo res se habet, cum sola mulier, nulla sanguinis propinquitate, sed famulae tantum conditione accita, cum parocho versatur, qui forte per hiemem longissimum noctis spatium non precibus aut libris impendit, sed cum ipsa famula prope ignem vanis colloquiis insumit."

Poenae. Clerici, qui retinendo vel frequentando mulieres in suspicionem incontinentiae venerunt et ab Ordinario moniti contumaces hanc suspicionem non vitant, praesumuntur concubinarii[32]. Iam Concilium trid.[33] determinavit poenas contra huiusmodi clericos contumaces. Iuxta nunc vigentem disciplinam Ordinarius debet talem clericum prius monere sub comminatione poenarum contra concubinarios latarum, ut feminam dimittat vel ab ea frequentanda abstineat; quodsi clericus huic praecepto neque pareat neque respondeat, quamvis potuerit, Ordinarius 1. eum suspendat a divinis; 2. parochum praeterea statim paroecia privet; 3. clericum beneficiarium sine cura animarum, exacto bimestri tempore a suspensione, privet dimidia parte fructuum beneficii, post alios tres menses omnibus beneficii fructibus, post alios tres menses ipso beneficio[34]. Clericus, qui, monitus ab episcopo ut mulierem suspectam dimittat vel amplius non frequentet, non oboedit, sed causas excusationis adducit, non potest statim puniri, sed episcopus debet causas excusationis allatas examinare, auditis duobus examinatoribus dioecesanis[35]. Quodsi episcopus has causas non legitimas existimaverit, id clerico quam primum significet eique det formale praeceptum, ut intra breve tempus a se definiendum pareat[36]. Quo tempore inutiliter elapso episcopus infligat poenas supra indicatas. Si clericus in seriam et fundatam suspicionem incontinentiae venerit, tantum scandalum in populo solet oriri, ut Ordinarius iam ex ipso iure naturali et divino graviter obligetur hoc scandalum quam citius et efficacius removere. Clerici maioristae, qui convicti sunt de admisso delicto luxurioso cum minoribus infra aetatem 16 annorum vel de adulterio, stupro, bestialitate, sodomia, lenocinio, incestu cum consanguineis aut affinibus in primo gradu, suspendantur, infames declarentur, quolibet officio, beneficio, dignitate, munere priventur et in casibus gravioribus deponantur[37].

b) Ad melius custodiendam castitatem clericis prohibita sunt quoque nonnulla oblectamenta, sc. interesse publicis theatris, choreis, tabernis etc. Iam a temporibus Iustiniani imperatoris de iure communi prohibitum fuit clericis interesse choreis et theatralibus ludis[38]. Sic e. gr. statuitur: „Nec his coetibus (clerici) misceantur, ubi amatoria cantantur et turpia aut obscoeni motus corporum choreis aut saltationibus offeruntur, ne auditus aut obtutus sacris mysteriis deputati turpium spectaculorum atque verborum contagione polluantur." Novus Codex iur. can. c. 140 mandat: „Spectaculis, choreis et pompis quae eos dedecent, vel quibus clericos interesse scandalo sit, praesertim in publicis theatris, ne intersint." Statutis particularibus frequentatio theatrorum aliquando sub gravibus poenis interdicitur. Sic e. gr. Concilium westmonasteriense I, decr. 24, sub poena suspensionis Ordinariis reservata

[32] c. 133, § 3. [33] Sess. 25, c. 14 de reform. [34] c. 2177.
[35] c. 2178. [36] c. 2179. [37] c. 2359, § 2.
[38] Nov. 123, c. 10; C 3, D 23; c. unic. 3, 1, in VI°.

omnibus clericis prohibuit, ne repraesentationibus theatralibus assistant. Romae prohibita est omnibus clericis frequentatio instituti vulgo: Kinematograph[39]. Ordinarii locorum comminari possunt suspensionem ipso facto incurrendam, etiam sacerdotibus extraneis, qui publica theatra, cinematographa, ludos saltatorios ceteraque huiusmodi profana spectacula adeant, vel si talarem vestem deponant. Ita statuit S. Congregatio Concilii d. 1 Iul. 1926[40].

Circa tabernas frequentandas Concilium lateranense IV statuit: „Tabernas prorsus evitent (clerici) nisi forte causa necessitatis in itinere constituti." Novus vero Codex iur. can.[41] mandat: „Clerici ... tabernas aliaque similia loca sine necessitate aut alia iusta causa ab Ordinario loci probata ne ingrediantur." Cum in diversis locis diversae sint consuetudines et necessitates hac in re, ad Ordinarios pertinet statutis particularibus frequentationem tabernarum clericis totaliter interdicere vel partialiter permittere. Attamen merito dicit *Berardi*[42]: „Culpa autem mortalis intervenire posset, si clericus v. gr. cotidie longo tempore, horis quoque nocturnis cum personis impietate vel liberalismo infectis etc. illuc moraretur, luderet etc."

Q. 70. *Quid clerici observare debeant circa vestes et tonsuram?*

R. „Omnes clerici decentem habitum ecclesiasticum, secundum legitimas locorum consuetudines et Ordinarii loci praescripta, deferant; tonsuram seu coronam clericalem, nisi recepti populorum mores aliter ferant, gestent et capillorum simplicem cultum adhibeant."[43] Pro clericis religiosis habitus est quantum ad formam et materiam determinatus a constitutionibus religionis. Pro clericis vero saecularibus vestis est talaris nigri coloris[44]. Cum autem Codex[45] statuat, ut clerici habitum deferant „secundum legitimas locorum consuetudines et Ordinarii loci praescripta", statuta dioecesana solent normas indicare de forma et colore vestis clericalis, de collari, pileo, calceamentis, cingulo, birreto etc.

Quantum ad *tonsuram* mitior nunc viget praxis. Optimum quidem est, ut clerici gestent tonsuram clericalem, sed eam omittere possunt, si recepti populorum mores aliter ferant.

Obligatio gestandi habitum clericalem est ex genere suo gravis. Ita docet communis sententia[46], et elucet ex verbis acribus a Tridentino[47] adhibitis contra transgressores: „Tanta autem hodie aliquorum inolevit temeritas religionisque contemptus, ut propriam dignitatem et honorem clericalem parvi pendentes vestes etiam publice deferant laicales, pedes in diversis ponentes, unum in divinis, alterum in carnalibus." Idem apparet ex gravibus poenis, quae feriunt transgressores. Etenim clerici habitum ecclesiasticum sine legitima causa non gestantes graviter moneantur ab Ordinario; transacto inuti-

[39] Acta Ap. Sed. I (1909) 600. [40] Ib. XVIII (1926) 313.
[41] c. 138. [42] Praxis confess. III 670. [43] Ita Codex iur. can. c. 136.
[44] Cf. *Bened. XIV*, De syn. dioec. l. 11, c. 8. [45] c. 136.
[46] *Lehmkuhl*, Theol. mor. II 771. *Berardi*, Praxis confess. III 324. *Wernz*, Ius decr. II, n. 177.
[47] Sess. 14, c. 6 de reform.

liter mense a monitione, clerici minores ipso iure e statu clericali decidunt; clerici vero maiores ipso iure amittunt officia sua et ab ordinibus receptis suspendantur; immo si ad vitae genus a statu clericali alienum notorie transierint nec rursus moniti resipuerint, post tres menses ab hac ultima monitione deponantur[48]. — In transgressione huius praecepti graviter obligantis datur parvitas materiae. *Lacroix*[49] et post ipsum *Lehmkuhl*[50] et *Berardi*[51] putant, spatium quattuor ad sex dierum esse materiam levem. Per se patet, peccatum grave citius adesse posse, si clericus maiorista vel beneficiarius cum gravi scandalo vel contemptu vel ex pravo fine vestem clericalem deponat. — Causae excusantes ab hac lege sunt e. gr. transitus per loca infidelium vel haereticorum cum periculo gravis iniuriae, persecutio imminens, legitima dispensatio etc.

Circa *tonsuram* comae in capite et circa rasuram barbae in facie non fuit nec est hodie una consuetudo apud clericos Ecclesiae latinae et orientalis. In institutis religiosis vigent specialia statuta circa tonsuram barbae et comae. In Ecclesia latina iam a saeculo quarto mos invaluit, ut clerici saeculares coronam tonsam in capite deferrent[52].

Medio aevo clerici solebant gestare barbam. Hinc complures sancti sacerdotes et episcopi, immo Summi Pontifices, e. gr. Pius V, Paulus III, Iulius II, cum barba solent depingi. A saeculo decimo octavo exeunte antiquus mos radendi barbam iterum invaluit, et iuxta nunc vigentem consuetudinem (quae vim legis habet) clerici saeculares in Occidente viventes debent et barbam radere et coronam tonsam in capite deferre, nisi habeant speciale indultum (quod non difficulter concedi solet). Clerici itinerantes in Oriente vel viventes in Missionibus paganorum solent barbam deferre. Novus Codex non expresse prohibet, ne clerici saeculares gestent barbam sed inde non licet deducere, nunc omnibus clericis permitti, ut gestent barbam, atque consuetudinem hucusque ubique vigentem esse penitus abolitam[53].

Coma ficta (vulgò Perücke, parrucca, wig) olim graviter prohibita erat clericis[54], cum id esset valde alienum a modestia clericali; hodie tamen episcopus vel Ordinarius facile potest clericis permittere, ut decentem comam fictam gestent *extra* celebrationem Missae. Sin autem sacerdos velit in celebratione Missae gestare talem comam, videtur necessaria esse licentia S. Sedis[55] aut Nuntii Apostolici[56].

Annulo clerici ne utantur, nisi id ipsis a iure aut apostolico privilegio sit concessum[57]. Quibusdam clericis praecipitur, quibusdam autem

[48] Cod. iur. can. c. 2379. [49] Theol. mor. l. 1, n. 72. [50] L. c. [51] L. c.

[52] C. 7, C XII, q. 1. Putat quidem *Seb. Berardi* (Gratiani canones genuini, pars III, c. 13) hunc textum falso adscribi S. Hieronymo, sed vel ipse adducit complures auctores septimi et octavi saeculi, e. gr. Isidorum Hispalensem, Bedam Venerab., Gregorium Turon. docentes tonsuram clericalem originem ducere ab Apostolis.

[53] Cf. S. C. C. d. 10 Ian. 1920. (Acta Ap. Sed. XII 43.)

[54] Cf. S. C. C. d. 8 Aug. 1722 apud *Schulte-Richter*, Conc. Trid. 184.

[55] *Benedictus XIV* (De syn. dioec. l. 11, c. 9, n. 5, et Instit. eccl. 34 et 96) in longum et latum tractat istam quaestionem et dicit: „Innocentius XII per suos Apostolicos Nuntios locorum Ordinarios moneri iussit, ne quemquam permitterent, sine Apostolicae Sedis privilegio, cum adulterino capillitio sacrosanctum peragere Missae sacrificium."

[56] Cf. Facultates Nuntiorum n. 35. [57] c. 136, § 2.

permittitur usus annuli. Illi, quibus *praecipitur* usus annuli, portare eum possunt et debent etiam in celebratione Missae, e. gr. cardinales, episcopi, praelati mitrati, abbates; illi vero, quibus *permittitur* annulus, eum gestare nequeunt in celebratione Missae, e. gr. canonici, doctores vel magistri in theologia aut in iure canonico[58].

Q. 71. *Quaenam sint saecularia officia, negotia, oblectamenta statui clericali incongrua?*

R. Sunt officium medici vel chirurgi, tabellionis, publici notarii, procuratoris aut advocati in tribunalibus civilibus, militis, deputati civilis; sunt negotiatio commercialis, fideiussio, gestio bonorum laicorum; sunt aleatorii ludi, venatio, frequentatio tabernarum, theatrorum, chorearum. De singulis, de quibus nondum supra tractatum est, pauca:

1. **Exercitium artis medicae et chirurgicae** antiquitus non videtur fuisse vetitum clericis. Hinc S. Paulus scribens ad Col. 4, 14: „Salutat vos Lucas medicus"; probabilius designat S. Lucam Evangelistam[59]. Iam autem in iure Decretalium[60] prohibiti sunt regulares omnesque clerici aut maioristae aut beneficiarii ex professo exercere medicinam aut chirurgiam. Codex iur. can.[61] simpliciter statuit: „Clerici (et religiosi) sine apostolico indulto medicinam vel chirurgiam ne exerceant." Ratio huius prohibitionis est obvia, quia his artibus clerici et religiosi nimis absorbentur atque retrahuntur a servitio ecclesiastico. Insuper haud parva pericula morum inde oriri possunt. Indultum apostolicum exercendi medicinam praesertim missionariis in regionibus paganorum concedi solet (cum nonnullis restrictionibus)[62]. Iure ecclesiastico non prohibetur, ne clerici prudenter et gratuito dent consilia ad morbos pellendos.

2. **Officium tabellionis, publici notarii, munus procuratoris, advocati** interdicuntur clericis in curiis et tribunalibus civilibus. Ceterum haec res hodie non est multum practica, cum ad ista munia exercenda leges civiles soleant exigere speciales qualitates et approbationes, quae clericis desunt. Generatim in iudicio laicali criminali, quod prosequitur graves poenas personales, clerici nullam partem habeant (et ne quidem tamquam testes), nisi tamen necessitas id exigat[63].

3. **Servitium militare** ne voluntarie subeant clerici. Quodsi clericus minor sponte sua dederit nomen militiae, ipso iure e statu clericali decidit[64].

Aliquando episcopus vel Ordinarius potest permittere, ut clericus libere se tradat servitio militari, ita ut postea citius immunis evadat. Sed patet in isto casu servitium militare minime esse libere susceptum; eligitur enim minus malum ad vitandum maius malum. Praeterea graviter monentur clerici,

[58] Cf. S. R. C. d. 9 Mart. 1894 (Decr. authent. 3821).

[59] *Benedictus XIV*, De syn. dioec. l. 13, c. 10, n. 5.

[60] c. 3 et 10, X 3, 50; c. 7, X 1, 14; c. 19, X 5, 12. [61] c. 139, § 2.

[62] In Formula tertia maiore n. 44. S. Congregatio de Prop. Fide concedit Vicariis Apostolicis facultatem „permittendi suis missionariis, ut artes medicinae et chirurgiae exercere valeant, dummodo in illis periti sint, operentur absque incisione, praeterquam ad sanguinem emittendum, et nihil exigant pro huiusmodi exercitio; et in curandis mulieribus ea vitent, quae sanctitatem characteris, quo insigniti sunt, dedecent".

[63] c. 139, § 2 et 3. [64] c. 141.

ne intestinis bellis et ordinis publici perturbationibus opem quoquo modo ferant[65], neve exerceant actiones politicas a S. Sede prohibitas. Hinc dedecet clericos, ut foveant perturbationes politicas et operistitia opificum.

Munus deputati in senatu vel parlamento clerici prohibentur sollicitare aut etiam acceptare. In nonnullis regionibus, e. gr. in Italia, requiritur licentia S. Sedis ad huiusmodi munus acceptandum; in omnibus autem aliis regionibus requiritur licentia (non ita facile concedenda) cum proprii Ordinarii tum Ordinarii loci, in quo electio facienda est[66].

4. **Negotiatio** vel mercatura interdicitur clericis et omnibus religiosis (etiam laicis), ita ut neque per se neque per alios, neque pro se neque pro aliis negotiari licite possint. Iam S. Paulus monuit Timotheum: „Nemo militans Deo implicat se negotiis saecularibus." Iam a primis autem saeculis Summi Pontifices (Melchiades, Gelasius, Urbanus VIII, Clemens IX, Benedictus XIV), Concilia oecumenica (nicaenum, chalcedonense, lateranense IV, tridentinum) hoc idem praeceptum innovaverunt. Codex autem iur. can.[67] statuit: „Prohibentur clerici (et religiosi) per se vel per alios negotiationem aut mercaturam exercere sive in propriam sive in aliorum utilitatem."

a) Nomine negotiationis hic intelligitur mercatura (sive *en gros* sive *en détail*) seu acquisitio rerum cum intentione eas postea *cum lucro* vendendi. Quae quidem negotiatio solet dividi in oeconomicam, lucrativam, politicam. Negotiatio *oeconomica* consistit in acquisitione rerum cum intentione eas primo adhibendi in proprium usum; si quae autem proprio usui *superfluae* sint, eas vendendi congruo pretio. Talis negotiatio est e. gr. cultura propriorum agrorum et venditio fructuum, qui propriae consumptioni superflui sunt. Negotiatio *lucrativa* est emptio rerum cum principali intentione eas postea carius vendendi; e. gr. clericus coemit vinum a vinitoribus cum intentione illud postea vendendi maiore pretio. Negotiatio *politica* est emptio et venditio rerum non proprio nomine, sed nomine et utilitate alicuius societatis; e. gr. parochus omnes vinitores paroeciae coadunat in unum consortium et nomine huius consortii facit mercaturam vini[68].

b) Negotiatio *oeconomica* clericis et religiosis licita est. Unde e. gr. clerici vel conventus religiosi agriculturam vel vineas possidentes licite possunt (etiam ope famulorum saecularium) fructus colere, bestias nutrire etc. illaque postea bono pretio vendere. Ratio est, quia talis modus agendi non negotiatio proprie dicta, sed potius administratio licita, immo praecepta, rei domesticae aut bonorum ecclesiasticorum[69]. Attamen negotia et pacta semper transigenda sunt cum *decore status clericalis vel religiosi*, non more saecularium et iudaeorum, et imprimis vitanda est species avaritiae vel nimia competitio atque aemulatio cum mercatoribus laicis[70].

---

[65] c. 141. S. C. C. d. 15 Mart. 1927 (Acta Ap. Sed. XIX 138).

[66] c. 139, § 4; cf. S. C. Consist. d. 9 Maii 1913. (Acta Ap. Sed. V [1913] 238). Pontif. Comm. d. 25 Apr. 1922 statuit: Cardinales, archiepiscopi, episcopi, qui vi constitutionis civitatis sunt de iure senatores (si S. Sedes aliquo modo id probaverit) possunt sine speciali licentia S. Sedis huiusmodi munus explere, dummodo per Vicarium generalem aliove modo suis obligationibus satisfaciant; ceteri autem omnes Cardinales, archiepiscopi, episcopi (etiam titulares) indigent speciali venia S. Sedis (Acta Ap. Sed. XIV 313).

[67] c. 142.

[68] Vulgo Handelsgesellschaft, Directeur d'une compagnie, Manager of a company limited.

[69] Cf. c. 1 et 6, X 3, 50.

[70] Cf. *Fagnani* in cap. „Ne clerici" n. 35 sqq.

Negotiatio *politica* clericis et religiosis per se est prohibita[71]. Ratio est, quia inde clerici et religiosi nimis implicantur negotiis saecularibus atque periculis administrationis pecuniariae. Experientia etiam nostris diebus comprobat clericos hoc modo negotiantes haud raro in maximas angustias redigi, populum christianum inde graviter offendi. „Possunt autem clerici pro ecclesia, orphanis, viduis, pupillis, pauperibus administratorum munere non tantum licite, sed etiam laudabiliter fungi, atque interdum negotiationem exercere."[72] Ut autem etiam in istis casibus clerici secure agere queant, requiritur licentia episcopi, quae habet vim sententiae declaratoriae.

Negotiatio *lucrativa* omnibus clericis et religiosis interdicitur, ut patet ex auctoritatibus supra allegatis. In casu autem urgentis necessitatis, quo clericus se suosque aliter alere nequeat, vel si per hereditatem devolvatur ad illum negotiatio, quam statim dimittere non potest sine magno damno, negotiatio lucrativa ad breve tempus licita est, dummodo obtineatur licentia episcopi extra Italiam, vel licentia S. Cong. Concilii in Italia insulisque adiacentibus[73]. Pariter non videtur prohibitum, ne parvae res emantur et cum modico lucro vendantur, e. gr. parvae imagines, coronae etc. in loco peregrinationis.

c) Clerici et religiosi, qui illicitam negotiationem exercent, „congruis poenis pro gravitate culpae ab Ordinario coerceantur"[74]. Codex iur. can. silet de poenis latis contra missionarios negotiantes in India, Iaponia, China etc., et proinde istae poenae videntur esse abrogatae.

Scholion. De emptione et venditione titulorum nummulariorum nostra aetate quaestio valde practica orta est: Utrum liceat clericis religiosisque emere et vendere titulos, qui vulgo vocantur „actiones", „obligationes"; „Kuxe, Shares, Portions d'une mine"?

a) Ab omnibus fere auctoribus docetur clericis non esse licitum sic dictas speculationes bursae facere de istis titulis. Nam istae speculationes, nedum sint periculorum plenae, verum etiam prorsus alienae a dignitate clericali. Qua de re S. Officium die 15 Apr. 1855 et S. Congregatio de Prop. Fide die 7 Iulii 1893[75] statuerunt: „Attentis peculiaribus temporum circumstantiis personas ecclesiasticas non esse inquietandas, si emerint aut emant actiones seu titulos mensae nummulariae, dummodo paratae sint stare mandatis S. Sedis et se abstineant a qualibet negotiatione dictarum actionum seu titulorum, et praesertim ab omni contractu, qui speciem habeat et vulgo dicitur *giuochi di borsa*."

b) Sententia communis docet clericos religiososque posse emere „obligationes" pertinentes ad honestas societates commerciales vel industriales iam constitutas[76]. Ratio est, quia istae obligationes nihil fere aliud sunt nisi

---

[71] *Reiffenstuel* in l. 3, tit. 50, n. 3; *Ferraris* s. v. Clericus a. 3, n. 63; S. C. C. d. 20 Nov. 1824 et d. 14 Maii 1825, apud *Lingen-Reuss* 153 sq.; S. C. de Prop. Fide d. 7 Iul. 1893.

[72] S. C. C. d. 14 Maii 1825.

[73] *Benedictus XIV*, Const. „Apostolicae" d. 25 Febr. 1741; *Clemens XIII*, Const. „Cum primum" d. 17 Sept. 1769.

[74] c. 2380. Cf. Litteras S. C. de Prop. Fide ad Vic. Ap. *Lahassae* d. 4 Febr. 1860 (Collectan. de Prop. Fide n. 1184), ubi tota doctrina de negotiatione missionariorum explicatur.

[75] Collectan. de Prop. Fide n. 1841.

[76] *Lehmkuhl*, Theol. mor. II 774; *Wernz*, Ius Decr. II 219; *Ballerini-Palmieri*, Opus theol. IV 354; *Scherer*, Kirchenrecht I 377, nota 22.

mutuum cum foenere datum; per illas insuper vel nullo modo vel nonnisi valde indirecte exercetur negotiatio atque ordinarie non adest grave periculum damni.

c) „Actiones" quoque emere videtur esse licitum clericis, dummodo tamen illae pertineant ad societates honestas et solide fundatas; e. gr. actiones viae ferreae, fodinarum, bancae etc. Hoc sequitur manifeste ex responsis S. Officii et S. Congregationis de Prop. Fide supra allatis. Ratio autem est, tum quia iuxta modernam praxim istae actiones fere aequiparantur obligationibus, tum quia clericis religiosisque nulla implicatio negotiationis inde provenit. Nihilominus quando clerici religiosique aliter pecuniam suam collocare possunt cum sufficienti foenere, melius abstineant ab actionibus emendis[77]. Quantum ad venditionem istorum titulorum nummulariorum, qui pertinent ad bona ecclesiastica, observandae sunt formalitates praescriptae in alienatione bonorum ecclesiasticorum[78]. Possunt tamen administratores bonorum ecclesiasticorum titulos ad latorem quos vocant (Inhaberpapiere) *commutare* in alios titulos magis aut saltem aeque tutos ac frugiferos, exclusa qualibet commercii vel negotiationis specie ac de consensu Ordinarii, dioecesani Consilii administrationis aliorumque quorum intersit[79]. Cum commutatio talium titulorum non sit multum diversa ab eorum emptione vel venditione, probabiliter non requiritur beneplacitum apostolicum, quamvis valor excedat summam 30000 Frc., dummodo tamen tituli empti sint securi et desit sic dicta speculatio.

d) Emere „Kuxe"[80] non videtur esse licitum clericis et religiosis, cum hoc sit dignitati clericali minus conveniens et aliqualem fideiussionem (Zubußen) inducat. Quare isti tituli solent vocari: tituli speculationis. Ita, salva meliore sententia.

5. **Fideiussio, gestio bonorum laicorum** clericis religiosisque ordinarie prohibentur. „A fideiubendo, etiam de bonis propriis, clericus prohibetur, inconsulto loci Ordinario."[81] Aliter igitur quam fideiubendo clericus subveniat cognatis vel amicis suis in angustiis versantibus. Haud semel ipse clericus fideiubendo in maximas angustias redactus est; immo et scandalum praebuit. Quod praecipue sit dictum de aliqua moderna forma fideiussionis, de subscriptione syngraphae vulgo Unterschreiben eines Wechsels. — „Sine licentia sui Ordinarii, (clerici) ne ineant gestiones bonorum ad laicos pertinentium, aut officia saecularia, quae secum ferant onus reddendarum rationum."[82]

6. **Aleatoriis ludis**, pecunia exposita, (clerici) ne vacent[83]. Quantum ad ludos praecipue sunt attendenda statuta particularia vel consuetudines locales. Sit tamen pro regula generali: Omnes ludi sobrie et nonnisi pro recreatione decenti a clericis exerceantur.

7. **Venatio clamorosa** (Treibjagd, chasse à courre) numquam exerceatur a clericis et religiosis[84]. Quantum ad alias venationes quietas et ad piscationes observanda videntur statuta particularia, si qua exsistunt. In Codice iur. can. l. c. monentur clerici, ne indulgeant venationi (quietae); sed id

[77] Cf. *Bastien-Elfner*, Kirchenrechtl. Handbuch (Freiburg 1911) n. 530.
[78] S. C. C. d. 17 Febr. 1906 (Collectan. de Prop. Fide n. 2229).
[79] c. 1539, § 2.
[80] Kuxe (anglice Shares in a mine, gallice Portions d'une mine) vocantur participationes in aliqua fodina, ita ut possessor illorum sit revera partialis possessor fodinae cum omnibus fructibus et expensis huius commercii.
[81] c. 137. [82] c. 139, § 3. [83] c. 138. [84] Ib.

non videtur esse prohibitio stricte dicta, saltem si vitatur excessus aut nimia frequentia aut scandalum.

Demum in hoc titulo clericis commendatur consuetudo vitae communis[85]. Et revera, si parochus cum coadiutoribus vitam communem degit, quam plurimae utilitates habentur et non pauca incommoda praesertim clericis iunioribus vitantur.

TITULUS IV.

De officiis ecclesiasticis.

Cum iste titulus sit satis longus, subdividitur in duo capitula: 1. de provisione officiorum ecclesiasticorum; 2. de amissione officiorum ecclesiasticorum. Praemittitur autem quaestio de ipsa notione officii ecclesiastici.

Q. 72. *Quid intelligatur nomine officii ecclesiastici?*[1]

R. 1. Officium ecclesiasticum *lato sensu* acceptum est quodlibet munus, quod in spiritualem finem legitime exercetur. Hoc lato sensu officia ecclesiastica exercent illi quoque laici, qui perficiunt munus sacristae, organistae, cantoris etc. De istis officiis, quae aliquando vocantur officia mere ecclesiastica vel communia, hic non agimus.

2. Officium ecclesiasticum *stricto sensu* acceptum *„est munus ordinatione sive divina sive ecclesiastica stabiliter constitutum, ad normam sacrorum canonum conferendum, aliquam saltem secum ferens participationem ecclesiasticae potestatis sive ordinis sive iurisdictionis"*[2], vel brevius: est munus clerico commissum pro determinato (sed habituali) exercitio ordinis et potestatis ecclesiasticae.

Explicatur. Dicitur 1. *„munus ordinatione sive divina sive ecclesiastica stabiliter institutum"* ad significandam stabilitatem vel perpetuitatem officii ecclesiastici. Quare munera ecclesiastica ad tempus determinatum et transitorium instituta non sunt officia ecclesiastica in stricto sensu. Ideo e. gr. qui vices gerit parochi aegroti, non obtinet officium ecclesiasticum proprie dictum. Solet distingui duplex perpetuitas: altera obiectiva, altera subiectiva. *Obiectiva* perpetuitas (seu perpetuitas iuris) significat perpetuam fundationem ipsius muneris spiritualis; sic e. gr. perpetuo institutum est officium parochi, superioris religiosi etc. Talis perpetuitas est de essentia cuiuscumque veri officii ecclesiastici. Proinde omnia munera transitorie instituta non sunt officia ecclesiastica proprie dicta. *Subiectiva* perpetuitas (ordinaria, normalis) efficit, ut clericus rite implens officium sit inde (ex se) inamovibilis, quoad vixerit. Haec subiectiva perpetuitas minime est de essentia officii ecclesiastici; sunt enim multa officia ecclesiastica, quae ad tempus obtinentur a clericis. Sic e. gr. officium superioris religiosi est verum officium ecclesiasticum, quamvis post triennium novus superior sit eligendus. — Maior pars officiorum constituta est ordinatione ecclesiastica; officium autem papatus, episcopatus, presbyteratus ordinatione divina institutum est.

[85] c. 134. [1] Kirchenamt. [2] c. 145.

Dicitur 2. *„ad normam sacrorum canonum conferendum"*, quibus verbis significatur, illa munera, quae ad nutum superioris conferuntur et auferuntur, non esse officia ecclesiastica proprie dicta. Hinc e. gr. merus coadiutor parochi, merus vicesgerens episcopi non habent officium ecclesiasticum. De modis, quibus officia ecclesiastica iuxta canones sunt conferenda, dicetur in capite sequenti.

Dicitur 3. *„aliquam saltem secum ferens participationem ecclesiasticae potestatis sive ordinis sive iurisdictionis"*. Etenim de ratione stricti officii ecclesiastici est *ordinaria* quaedam potestas ecclesiastica iure vel divino vel ecclesiastico, non autem mero arbitrio superioris ecclesiastici determinata. Quae quidem potestas primo loco comprehendit iurisdictionem, tamen iura quoque ordinis adnexa includit.

Nota. 1. Saepe confunduntur ab auctoribus officia et beneficia ecclesiastica, sed haec confusio est vitanda, cum officium et beneficium ecclesiasticum se habeant sicut genus et species. Etenim omne beneficium ecclesiasticum est quoque officium ecclesiasticum, sed non e converso. Hinc e. gr. munus superioris maioris in ordinibus religiosis est certe officium, sed non beneficium ecclesiasticum, quod definitur: „ens iuridicum a competente ecclesiastica auctoritate in perpetuum constitutum seu erectum, constans officio sacro et iure percipiendi reditus ex dote officio adnexos"[3]. Coalescit igitur beneficium ex officio ecclesiastico tamquam ex fundamento et ex iure percipiendi reditus tamquam ex accessorio. Reditus beneficii vocantur quoque *praebenda*. In sensu tamen stricto tituli 5 „de praebendis et dignitatibus" in Decretalibus praebendae sunt illae categoriae beneficiorum, quae distinguuntur a dignitatibus, et quae non habent iurisdictionem neque praeeminentiam honoris.

2. Officium ecclesiasticum distinguitur quoque a canonia, capellania, vicaria, coadiutoria, commenda, pensione, praestimonio aliisque institutis similibus, quae cum beneficiis ecclesiasticis eatenus similitudinem habent, quatenus praebent ius ad percipiendos nonnullos reditus.

Q. 73. *Quaenam sint principaliores distinctiones officiorum ecclesiasticorum?*

R. Cum maior pars officiorum ecclesiasticorum sint quoque beneficia ecclesiastica, eodem fere modo distinguuntur officia et beneficia ecclesiastica.

1. Officia (beneficia) *maiora* et *minora*. Maiora dicuntur ea, quibus coniuncta est iurisdictio episcopalis vel quasi-episcopalis, e. gr. papatus, cardinalatus, episcopatus, abbatia, provincialatus in ordine religioso etc. Vocantur quoque *apices dignitatum* vel *praelaturae maiores*. Officia minora sunt ea, quae sunt episcopalis aut quasi-episcopalis iurisdictionis et dignitatis expertes, e. gr. officium canonici, parochi etc.

2. Officia (beneficia) *duplicia* et *simplicia*. Officia *simplicia* in sensu iuris dicuntur ea, quae unum et simplex officium important, sine iurisdictione externa vel cura animarum vel administratione vel *speciali* praeeminentia honoris, e. gr. officium simplicis canonici in ecclesia collegiata. Officia *duplicia* in sensu iuris dicuntur ea, quibus adnexa est vel iurisdictio externa vel cura animarum vel administratio vel praeeminentia specialis, e. gr. officium canonici curati, vicarii generalis. — Iuxta *hodiernam praxim* officia ea vocantur duplicia, quae requirunt residentiam; officia vero simplicia (seu non residentialia) ea, quae impleri possunt ubique, e. gr. recitatio privata horarum canonicarum, onus Missae ubicumque celebrandae[4].

3. Officia *saecularia* et *religiosa*, prout ex sua fundatione vel ex statuto vel ex legitima consuetudine conferri possunt aut solis clericis saecularibus aut solis clericis religiosis[5].

Sunt praeterea multae aliae distinctiones officiorum ecclesiasticorum, e. gr. consistorialia, manualia, temporaria seu amovibilia, perpetua seu inamovibilia, curata et non curata etc. Sed istae distinctiones potius in beneficiis ecclesiasticis locum habent, ac proinde postea de illis sermo redibit.

[3] c. 1409.

CAPUT I.

De provisione officiorum ecclesiasticorum.

Q. 74. *Quomodo officium ecclesiasticum licite et legitime acquiratur?*

R. 1. Officium vere ecclesiasticum nullo alio modo licite et legitime acquiritur nisi *provisione canonica;* nomine autem canonicae provisionis venit concessio officii ecclesiastici a competenti auctoritate ecclesiastica ad normam sacrorum canonum facta[6]. Quare neque populus neque princeps civilis potest conferre aut auferre officium ecclesiasticum. Ideo si imperatores byzantini propria auctoritate instituerunt et deposuerunt episcopos, illicite immo et invalide egerunt; sin autem in Occidente imperatores sibi arrogaverunt „investituram" vel „regium placet" vel „ius regaliae", vel si populus attentat sibi eligere et instituere parochos, haec omnia sunt inde a limine invalida[7]. Quare definivit Concilium trid. sess. 23, c. 7: „S. q. d., eos, qui nec ab ecclesiastica et canonica potestate rite ordinati nec missi sunt, sed aliunde veniunt, legitimos esse verbi et sacramentorum ministros, A. S." — Ille, qui officium ecclesiasticum absque provisione canonica obtinet, est „intrusus" atque incurrit diversas poenas[8]. Ex Concordatis vel ex legitima consuetudine aliquando permittitur, ut laici concurrant praesentando vel eligendo ad officiorum ecclesiasticorum provisionem, sed ipsa provisio canonica nequit fieri nisi a competenti superiore ecclesiastico.

2. Provisionem superior ecclesiasticus nequit concedere, nisi officium est vacans de facto, vel saltem de iure; neque subsequente vaca-

[4] c. 1411, n. 3. *Santi* (in l. 5, tit. 5, n. 14 et 17) putat canonicatus ecclesiae cathedralis non esse neque proprie duplicia neque proprie simplicia beneficia; sed videtur esse lis de nomine.

[5] c. 1411, n. 2. [6] c. 147.

[7] Circa potestatem principis civilis in collatione officiorum ecclesiasticorum praecipue erraverunt Marsilius Patavinus, Reformatores saec. decimi sexti, Edm. Richerius, Marcus Antonius de Dominis, Van Espen, Gallicani, Iosephinismus.

[8] c. 2345 2346 2395.

tione haec provisio convalescit[9]. Similiter promissio officii nondum vacantis nullum parit effectum iuridicum[10]. Hinc e. gr. si episcopus diceret sacerdoti A: dabo tibi paroeciam B, quam nunc obtinet parochus C, quem faciam professorem in Seminario, tota haec promissio nullum effectum iuridicum parit, cum paroecia nondum sit vacans neque de facto neque de iure. Sola Sedes Apostolica potest coadiutores in officiis ecclesiasticis constituere cum futura successione promissa[11]. Sic e. gr. aliquando instituitur coadiutor episcopi cum iure successionis.

3. Provisio officii (beneficii) ecclesiastici nemini nisi idoneo fiat; immo, si plures adsunt, conferatur magis idoneo sine ulla personarum acceptione[12]. Porro pro suscipiendis diversis officiis diversae qualitates in subiecto requiruntur[13]. Sic e. gr. requiritur sacerdotium pro suscipiendo officio, quod curam animarum secum fert.[14] Requiruntur debita aetas, debita scientia, debitae virtutes; notanter autem requiritur, ne eidem personae conferantur duo officia *incompatibilia*. Sunt autem officia incompatibilia, quae *una simul* ab eodem adimpleri nequeunt[15], e. gr. duo officia residentialia; immo, si agitur de beneficiis stricte dictis, incompatibilia sunt quoque, quorum alterutrum ad honestam clerici sustentationem sufficit[16]. Clericus qui, assecutus pacificam possessionem officii vel beneficii cum priore incompatibilis, prius quoque retinere praesumpserit, utroque privatus ipso iure exsistat[17]. Solus Summus Pontifex potest dispensare, ut clericus obtineat duo officia incompatibilia[18].

4. Cuiuslibet officii ecclesiastici provisio *scripto* consignetur[19]. Ratio huius statuti est obvia, cum ex sola orali provisione multa incommoda sequi possint.

Q. 75. *Quot modis fieri possit canonica provisio officii?*

R. Provisio fieri potest quattuor modis: 1. per liberam collationem; 2. per institutionem; 3. per confirmationem aut admissionem; 4. per simplicem electionem et electi acceptationem[20].

De provisione per institutionem sermo erit in tractatu de iure patronatus. Cum satis pauca officia conferri possint per simplicem electionem et electi acceptationem sine speciali confirmatione superioris, insimul agemus de tertio et quarto modo provisionis.

[9] c. 150. [10] Ib. § 2. [11] c. 1433.
[12] c. 153, § 2. [13] c. 153.
[14] c. 154. [15] c. 156.
[16] c. 1439, § 2. [17] c. 2396.
[18] c. 156, § 3. Pluralitas seu cumulatio beneficiorum semper ab Ecclesia prohibita erat; sed iam a quinto saeculo occurrunt vestigia, quod clerici ambitione et avaritia ducti in duabus ecclesiis sibi quaesierint honores et commoda (cf. *Wernz*, Ius Decret. II, n. 318). Plurima Concilia contra hunc abusum gravia statuta ediderunt, e. gr. chalcedon. (a. 451), nicaen. II (a. 787), lateran. III (1179), lateran. IV (1215), trident. (1547).
[19] c. 159. [20] c. 148, § 1.

ARTICULUS I.

De libera collatione.

Q. 76. *Quid sit notandum de libera collatione officiorum (beneficiorum)?*

R. 1. Collatio libera definiri potest: provisio officii (beneficii) ecclesiastici vacantis a competenti superiore libere et canonice facta ex proprio et pleno iure. Differentia huiusmodi provisionis ab aliis modis provisionis consistit in eo, quod officium conceditur a superiore ecclesiastico ex solo proprio iure absque praesentatione vel electione per alios facta. Hinc alii modi provisionis sunt aliqualiter collatio necessaria. Collatio libera officiorum competit Romano Pontifici, cardinalibus in suis titulis, episcopis, praelatis „nullius" et aliquando etiam aliis praelatis.

2. *Romanus Pontifex* potest libera collatione concedere omnia officia ecclesiastica[21]; habet enim primatum iurisdictionis in universa Ecclesia. Iuxta vigentem autem praxim Sedi Apostolicae non reservantur nisi sequentia officia (beneficia) ecclesiastica conferenda:

a) Omnia officia et beneficia, quae in Consistorio solent concedi, e. gr. cardinalatus, episcopatus; ex privilegio tamen in nonnullis regionibus episcopi possunt eligi a canonicis, et etiam cum interventu gubernii civilis.

b) Omnes dignitates ecclesiarum cathedralium et collegiatarum[22].

c) Omnia beneficia, quae vacaverint per obitum, promotionem, renuntiationem vel translationem cardinalium, legatorum, officialium maiorum Curiae Romanae et familiarium Summi Pontificis[23].

d) Beneficia, quae vacaverint per beneficiarii obitum in ipsa urbe Roma[24]. Haec reservatio iam a saeculis exsistebat, et videtur cessare: 1. si Summus Pontifex beneficium vacans non intra mensem contulerit; 2. si beneficium est iuris patronatus laicalis; 3. si mors beneficiarii occurrerit durante vacatione S. Sedis; 4. si beneficiarius Romam venerit, non ratione negotiorum ecclesiasticorum, sed propter motiva privata. Antiquitus haec reservatio evenit, quando beneficiarius mortuus erat non solum in ipsa urbe Roma, sed etiam in locis vicinis. Hoc tamen videtur nunc esse abolitum.

e) Beneficia, quae ob simoniam invalide collata fuerunt[25].

f) Omnia beneficia, quibus Romanus Pontifex per se vel per delegatum manus apposuit in casu particulari[26]. Haec manuum appositio vocari solet „affectio" et locum habet, si Summus Pontifex 1. electionem ad beneficium irritam declaravit; 2. vetuit, ne electores ad electionem procederent; 3. renuntiationem beneficii admisit; 4. beneficiarium aut promovit aut transtulit aut privavit beneficio; 5. si beneficium in commendam dedit.

[21] c. 1431. [22] c. 396, § 1; c. 1435. [23] c. 1435, § 1, n. 1.
[24] Ib. n. 2. [25] Ib. n. 3; cf. c. 729. [26] c. 1435, § 1, n. 4.

g) Beneficia, quae Ordinarius intra semestre ab habita certa vacationis notitia conferre neglexit[27].

Nota. Beneficia manualia aut, ut iam supra dictum est, beneficia iuris patronatus laicalis vel mixti numquam sunt reservata[28].

3. *Cardinales,* cum in propriis dioecesibus, titulis vel diaconiis eandem vel fere eandem potestatem obtineant quam episcopi residentiales in suis dioecesibus, possunt ibi beneficia erigere et conferre, nisi ecclesia sit religionis clericalis exemptae[29]. Cardinales, qui tamquam *legati a latere* mittuntur in aliquam regionem, solent praeter alias potestates habere quoque potestatem libere conferendi officia et beneficia. Quales sint istae potestates, determinatur in unoquoque casu[30].

4. *Episcopi aliique Ordinarii locorum* in propriis territoriis ius habent libere conferendi officia et beneficia ecclesiastica, nisi aliud probetur[31]. Cum ista provisio sit actus iurisdictionis et non ordinis, episcopi a Romano Pontifice instituti, quamvis nondum consecrati, possunt officia et beneficia conferre. Hac tamen potestate caret vicarius generalis sine mandato speciali[32]. *Vicarius capitularis* potest quidem paroecias liberae collationis conferre, si sedes episcopalis *ab anno* saltem vacaverit[33]; non autem alia beneficia perpetua[34].

Nota. Officium ecclesiasticum vacans per renuntiationem vel per sententiam privationis nequit ab eo Ordinario, qui renuntiationem acceptavit aut sententiam tulit, valide conferri suis aut resignantis familiaribus, consanguineis vel affinibus usque ad secundum gradum inclusive[35]. Ratio huius prohibitionis est, ut vitetur vel species simoniae aut provisionis indebitae.

ARTICULUS II.

De electione.

Q. 77. *Quid notandum sit de provisione officiorum (beneficiorum) per modum electionis?*

R. 1. Ius commune de electione in nonnullis casibus est valde modificatum iure speciali, ideoque ius speciale attendendum est e. gr. in electione Romani Pontificis, superiorum religiosorum, antistitarum religiosarum etc.

2. Electio canonica definiri potest *personae idoneae ad vacans officium vel beneficium ecclesiasticum per eos, quibus ius eligendi competit, canonica vocatio legitimi superioris auctoritate confirmanda, vel acceptatione electi perficienda*[36].

Explicatur: Dicitur a) *electio canonica,* i. e. in sensu stricto et specifico sumpta; nam aliquando electio sumitur in sensu latiore pro qualibet designatione personae ad aliquod officium. Sic e. gr. dicitur in latiore sensu: episcopus elegit hunc sacerdotem in professorem seminarii. Notanter electio canonica non est confundenda cum *nominatione,* quae aliqualem similitudinem habere potest cum electione et cum ea concurrit. Etenim haud raro usuvenit sic dicta nominatio *consultoria,* quae est scrutinium quoddam praecedens electionem proprie dictam; quo scrutinio proponuntur plures viri idonei, e quibus postea fit vera electio ab electoribus. Solet vocari „*terna*", quia tres clerici idonei communiter proponuntur. Altera quoque nominatio viget, quae vocatur *sollemnis,* et quae consistit in praesentatione paucorum dignorum a collegio electorum facta eo fine, ut superior velit unum ex istis ad vacans officium promovere.

b) *personae idoneae,* i. e. personae habentis omnes qualitates a iure requisitas pro officio obeundo. Quaenam autem istae qualitates sint, ut persona sit eligibilis seu ut habeat „vocem passivam", determinatur pro singulis officiis. Generatim requiritur, ut omnes eligendi habeant aetatem maturam, litterarum sufficientem scientiam, morum gravitatem, legitimos natales, immunitatem a censuris. Concilium trid. sess. 6, c. 1 de reform. statuit, „ut ad ecclesiarum regimen ... *qui maxime digni fuerint* ... assumantur"; et sess. 24, c. 1 de reform. asserit, eos „alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, nisi, quos *digniores et ecclesiae magis utiles ipsi iudicaverint...,* praefici diligenter curaverint". Ex quibus sequitur, electores graviter peccare, non tantum si indignum, verum etiam si dignum quidem sed certo minus alio dignum scienter eligant. Quod confirmatur ex propositione 47, qua damnat Innocentius XI d. 2 Mart. 1679[37] oppositam explicationem. Maiorem vero dignitatem oportet mensurare non ex sola maiore scientia, vel maiore nobilitate vel etiam ex sanctitate eligendi, sed *coniunctim* ex omnibus animi et corporis dotibus, ita ut ille dignior sit, qui omnibus consideratis qualitatibus nunc melius et utilius officium administraturus esse speratur. Illi, qui electuri sunt superiorem maiorem (provincialem vel generalem) in religionibus virorum, debent iureiurando promittere se electuros esse eum, qui secundum *Deum* eligendus est, i. e. digniorem[38]. Si dignus eligitur, neglecto digniore, electio est valida, quantumvis illicita; nam si electio iam impugnari posset ex eo dumtaxat, quod non fuerit electus dignior, lata porta aperiretur innumeris litibus. Optime *S. Thomas*[39] de hac re scribit: „Quantum ad hoc quod electio impugnari non possit in foro iudiciali, sufficit eligere bonum, nec oportet eligere meliorem, quia sic omnis electio posset habere calumniam; sed quantum ad conscientiam eligentis, necesse est eligere meliorem." Si vero indignus scienter eligitur, electio est probabilius invalida vi iuris communis[40]; collegium autem, quod scienter elegit indignum, ipso facto privatur pro ea vice iure ad novam electionem procedendi[41].

c) *ad officium vel beneficium ecclesiasticum vacans.* Ante electionem faciendam omnino requiritur vacatio officii vel beneficii, nam nullum officium ecclesiasticum de iure nondum vacans potest valide conferri a quocumque (excepto dumtaxat Summo Pontifice[42]). Quare, praelato vel beneficiario (iuridice) adhuc vivente, non licet tractare de electione futuri successoris;

---

[27] c. 1432, § 3. [28] Ib. § 2. [29] c. 240; c. 1414, § 4; c. 1432, § 1.
[30] Cf. c. 266. [31] c. 152. [32] Ib. [33] c. 455, § 2, n. 3.
[34] c. 1432, § 2. De historia collationis officiorum seu quomodo antiquis temporibus officia ecclesiastica collata fuerint, videsis *Wernz,* Ius Decr. II, n. 340.
[35] c. 157. [36] Cf. *Passerinus,* De electione can. I 35.

[37] *Denz.* n. 1197.
[38] c. 506, § 1; *Clemens VIII,* Decret. „Nullus omnino" d. 25 Iul. 1599, § 23.
[39] S. th. 2, 2, q. 63, a. 2 ad 3.
[40] Cf. *Reiffenstuel* in l. 1, tit. 6, n. 288; c. 22, X 1, 6. Non ita constat, num haec doctrina veterum doctorum sit modificanda propter c. 153, § 3.
[41] c. 2391. [42] Cf. supra q. 74, n. 2.

et si secus factum sit, electio vi istius tractatus facta cassari debet. Vacat autem officium vel beneficium per beneficiarii aut mortem naturalem aut renuntiationem legitimam [43] aut depositionem aut specialem iuris dispositionem. Notitia vacationis debet esse moraliter certa, undecumque demum sit hausta.

d) *per eos, quibus ius eligendi competit.* A iure eligendi (ad officia ecclesiastica) arcentur:

α) *laici*, nisi adsit indultum Summi Pontificis [44]. Si laici contra canonicam libertatem electioni ecclesiasticae e. gr. electioni episcopi quoquo modo sese immiscuerunt, electio ipso iure invalida est [45]. Electores autem, qui hanc immixtionem sollicitaverunt vel sponte admiserunt, ipso facto privati sunt pro ea vice iure eligendi; qui vero suae electioni taliter factae scienter consensit, fit ad officium vel beneficium, de quo agitur, inhabilis [46].

β) incapaces actus humani, ut sunt e. gr. amentes;

γ) impuberes;

δ) censura vel infamia iuris affecti, post sententiam tamen declaratoriam vel condemnatoriam;

ε) qui sectae haereticae vel schismaticae nomen dederunt vel publice adhaeserunt; post conversionem tamen isti possunt obtinere ius suffragium ferendi; quare sic dicti Convertiti, i. e. qui nati in haeresi vel schismate in gremium Ecclesiae redierunt, non excluduntur a iure suffragii;

ζ) carentes voce activa sive ob legitimam iudicis sententiam sive ex iure communi aut particulari. Praesertim ex iure particulari religiosorum sunt nonnulli casus, in quibus aliquis privatur voce activa in electionibus [47].

Si quis in electione canonica intervenit, qui caret iure eligendi, eius suffragium est quidem nullum, ut patet, sed tota electio non est eo ipso invalida (nisi in duobus casibus, si sc. quis collegio electorum extraneus [48] vel si quis excommunicatus per sententiam declaratoriam aut condemnatoriam [49] scienter admissus fuit ad suffragium). Si igitur electus retinet necessariam maioritatem suffragiorum, dempto suffragio invalido, censetur legitime electus, quia iuxta regulam iuris 37 in VI° „utile non debet vitiari per inutile". Si ex electoribus legitimis unus vel plures renuntiant voci suae (idque vel explicite vel implicite per schedulam albam), ius eligendi ad reliquos electores pertinet, ita ut in computandis suffragiis nullo modo attendendum sit ad renuntiantes [50]. Hinc e. gr. si octo sunt electores et duo renuntiant voci suae, quattuor suffragia sufficiunt ad habendam maioritatem suffragiorum, eodem prorsus modo ac si essent tantum sex electores. — Si ex vocandis ad electionem vel unus contemneretur, i. e. absens esset, quia non fuisset vocatus, electio quidem valet, sed iste *potest* obtinere a competenti superiore irritationem electionis *etiam secuta iam confirmatione,* dummodo iuridice constet petitionem irritationis saltem intra triduum ab habita notitia electionis fuisse transmissam [51]. Quodsi plures quam tertia pars electorum contempti seu neglecti et absentes fuerint, electio est ipso iure nulla [52]. Modus convocandi electores solet determinari per statuta particularia.

e) *canonica vocatio.* Electores enim vocant quidem electum, sed nullo modo conferunt officium ecclesiasticum. Collatio officii fit vel a superiore

[43] Cf. infra q. 82. [44] c. 51 et 56, X 1, 6. [45] c. 166.
[46] c. 2390. [47] c. 167. [48] c. 165.
[49] c. 167, § 2. [50] c. 101, § 1, n. 1. [51] c. 162, § 2.
[52] c. 162, § 3. Late disserit de hoc contemptu *Ph. Maroto* l. c. I 618.

competenti, si electio indiget confirmatione; vel a iure, si electio non indiget confirmatione, ut in electione Summi Pontificis, vicarii capitularis et complurium superiorum religiosorum. Ex electione rite facta oritur electo ius quaesitum seu ius ad rem, i. e. ut ipsi officium reapse conferatur, dummodo habeat omnes qualitates pro tali officio requisitas [53]. Aliquando tamen tale ius ex statutis particularibus valde minuitur vel etiam tollitur [54]. Electio ilico intimanda est electo, qui debet saltem intra octiduum a recepta intimatione manifestare, utrum electioni consentiat an eidem renuntiet; secus omne ius ex electione quaesitum amittit [55]. De iure particulari complurium ordinum religiosorum nec electo praesentatur ab electoribus electio nec eius requiritur consensus, sed peracta electione protocollum electionis ad superiorem, cuius est confirmare electionem, transmittitur [56].

f) *legitimi superioris auctoritate confirmanda, vel acceptatione electi perficienda.* Facta electione *confirmatio* intra octiduum a die acceptatae electionis petenda est a competenti superiore [57]. Sunt nonnullae electiones, quae non indigent confirmatione, et quae proinde statim post acceptationem electi conferunt officium ecclesiasticum vacans, e. gr. electio superioris generalis in ordine Praed., electio vicarii capitularis. Superior, si electum idoneum repperit et si electio est rite facta, nequit arbitrarie confirmationem denegare [58]; secus enim graviter laederet ius tum electorum tum electi. Confirmatio autem in scriptis dari debet [59].

Q. 78. *Quaenam sint observanda circa formam electionis?*

R. 1. Imprimis observanda sunt legitima statuta particularia et consuetudines legitimae.

2. Electio ne differatur *ultra trimestre* utile computandum ab habita notitia vacationis officii [60]. Immo electores privantur hac vice iure eligendi, si ex negligentia (non autem ex necessitate) electionem ultra trimestre distulerint. Ita statuit regula generalis. Aliquando autem ex iure sive communi sive particulari statuitur terminus vel brevior, e. gr. octiduum pro electione vicarii capitularis, vel longior, e. gr. pro electione nonnullorum superiorum religiosorum. — Si officium vacaverit per mortem praelati, non *decet*, ut electio fiat, antequam iusta funebria defuncto sint soluta.

3. Praeses collegii electorum debet convocare omnes electores statuto modo, loco et tempore [61]. Praeses electionis ordinarie designatus est iam ab ipso iure; secus eligendus est ab electoribus. Non est necesse, ut praeses sit ex gremio electorum. Munus praesidis est moderari et dirigere negotium electionis. Similiter designandus est actuarius (vulgo Sekretär), qui debet conscribere acta electionis.

4. Electores absentes non possunt suffragia ferre per epistulam aut per procuratorem, nisi lege particulari aliud caveatur [62]. Si tamen aliquis elector est quidem praesens in domo electionis, sed ob infirmam

[53] c. 176, § 2. [54] Cf. Const. ord. Praed. n. 429. [55] c. 175.
[56] Cf. Const. ord. Praed. n. 565. Pro ordine Praedicatorum iste modus denuo confirmatus est a Benedicto XV d. 11 Febr. 1920 (Analecta Ord. Praed. v. XIV 1).
[57] c. 177, § 1. [58] Ib. § 2. [59] Ib. § 3.
[60] c. 161. [61] c. 162. [62] c. 163.

valetudinem nequit adire ipsum locum electionis, scrutatores ad eum accedant atque suffragium eius (secreto) scriptum exquirant, nisi aliter sit constitutum lege peculiari vel legitimis consuetudinibus[63]. Nullus elector potest *plura* suffragia ferre in electione, quamvis habeat plures titulos, ob quos ipsi competit ius eligendi[64]; neque potest quis sibimetipsi suffragium valide dare[65].

5. Suffragia data in electione sunt nulla, nisi sint a) *libera*, i. e. immunia a gravi metu vel dolo iniusto; b) *secreta* (ita saltem, si electio fit per scrutinium et non per inspirationem, de qua infra); c) *certa et determinata*, i. e. persona eligenda debet ita determinari, ut ab omnibus certo cognoscatur; d) *absoluta*, ideoque conditiones forte additae tamquam non adiectae censentur[66].

6. Electio fieri potest vel a) per scrutinium, vel b) per compromissum, vel c) per quasi-inspirationem seu acclamationem. Electio *per scrutinium* est usitatissima et de ea infra latius tractabitur. Electio *per compromissum*, nisi aliud iure caveatur, fieri potest, si omnes electores unanimi et scripto consensu in unum vel plures idoneos ius eligendi pro ea vice transferunt[67]. Sic e. gr. in ordine Praedicatorum statuitur, ut quaelibet provincia eligat duos patres, qui nomine provinciae in capitulo generali eligere debent magistrum generalem. Ius eligendi habentes vocantur compromittentes; qui vero nomine eorum eligit superiorem, appellatur compromissarius. Compromissarius debet observare conditiones, quae legitime appositae sunt compromisso[68]; neque valet se ipsum eligere in superiorem[69]. Cessat compromissum et ius eligendi redit ad compromittentes, a) si collegium electorum revocaverit compromissum ante electionem superioris; b) si electio superioris fuit nulla; c) si conditiones compromisso legitime appositae non fuerunt observatae[70].

Electio *per quasi-inspirationem* seu *acclamationem* fit, si, nullo praecedente tractatu *speciali* de certa persona eligenda, omnes electores congregati in loco electionis unanimiter aliquem tamquam electum statim proclamant. Iste modus eligendi videtur esse abolitus post Concilium tridentinum, saltem in electionibus superiorum religiosorum: in electione autem Summi Pontificis adhuc habere potest locum. Pius X[71] formam huiusmodi electionis determinavit.

[63] c. 168. [64] c. 164.

[65] c. 170. Ad evitandum, ut aliquis elector sibi ipsi suffragium det, aliquando adhibetur sequens modus: Singulis electoribus ante electionem distribuuntur schedulae clam signatae nomine alicuius sancti. In istis schedulis nomen eligendi ab unoquoque electore scribitur. Si aliquis ex gremio electorum est electus, debet publice indicare nomen sancti suae schedulae et sic manifestare, num sibi ipsi suffragium dederit. In ordine Praedicatorum statutum est, ut vocalis de gremio electorum exsistens nequeat valide eligi, nisi obtinuerit saltem unum votum cum dimidio supra medietatem (Cap. Caurii [1920] n. 71).

[66] c. 169. [67] c. 172, § 1. [68] Ib. § 3.

[69] Ib. § 4. [70] c. 173.

[71] Const. „Vacante Sede Apostolica“ d. 25 Dec. 1904 tit. 2, c. 5, n. 55.

Electio *per scrutinium* solet post omnes praeparationes requisitas et post convocationem eligentium constitui his quinque actibus: 1. Per secreta suffragia deputentur e gremio collegii duo saltem scrutatores, qui una cum praeside electionis, *si et ipse e gremio collegii est*, iusiurandum interponant a) de munere fideliter implendo, b) de secreto servando circa acta in comitiis, etiam expleta electione. In electionibus superiorum religiosorum scrutatores solent esse iam deputati ab ipso iure et non per vota collegii eligentium[72]. 2. Singuli electores suffragiis suis liberis, secretis, certis et determinatis, absolutis et non conditionatis, non sibi ipsis datis, designant in schedulis nomen eius, quem volunt eligere. 3. Scrutatores faciunt scrutinium colligendo schedulas, numerando cum eas tum electores praesentes, aperiendo et notando schedulas, publicando omnia suffragia data. Si numerus suffragiorum superet numerum eligentium, nihil est actum, i. e. illud scrutinium censetur non factum nec computatur inter scrutinia. Suffragia statim peracto unoquoque scrutinio vel saltem post sessionem comburantur[73]. 4. Fit collatio suffragiorum, i. e. dignoscitur, num unus electus habeat maioritatem requisitam suffragiorum. 5. Si unus habet istam maioritatem, proclamatur tamquam electus, electio ipsa denuntiatur populo et confirmatio electionis (si est necessaria) quantocius petitur. Sin autem maioritas sufficiens obtenta non fuit, repetendi sunt actus sub n. 2, 3, 4 indicati, usquedum legitime electus adsit. Attamen ne electiones repetendo istos actus nimis protrahantur, nunc statutum est a iure communi, ut post *duo* inefficacia scrutinia iam non requiratur maioritas absoluta, sed ut sufficiat maioritas relativa in tertio scrutinio. Quare e. gr. si 12 sunt electores, absoluta maioritas sunt 7 suffragia; sin autem post duo scrutinia inefficacia in tertio scrutinio Petrus obtinuit 5, Paulus 4, Andreas 3 suffragia, Petrus est legitime electus, quia obtinuit relativam maioritatem. Si in tertio scrutinio suffragia fuerunt *aequalia*, tunc aut praeses electionis suo voto paritatem dirimat, aut, si id nolit, electus habeatur qui est senior vel ordine vel prima professione vel aetate[74]. Hoc statuto iuris communis non quidem abolita censentur statuta particularia legitima, quae tamen valde convenienter videntur conformanda esse legi communi, ne electiones nimis protrahantur neve oriantur multigena incommoda dissidiarum, contentionum, scandali etc.[75]

7. Electio debet fieri *quam primum* post vacationem officii, numquam autem differatur ultra trimestre utile computandum ab habita notitia vacationis officii[76]; quo termino inutiliter elapso superior ecclesia-

[72] Cf. c. 506, § 2. [73] c. 171, § 3 et 4. [74] c. 101, § 1, n. 1.

[75] In ordine Praedicatorum statutum est, ut omnes electiones Praelatorum (excepta electione Magistri Generalis) terminentur in septimo scrutinio per maiorem partem suffragiorum absolutam. Si vero in septimo scrutinio non fuit obtenta absolute maior pars suffragiorum, tunc devolvitur ad superiorem competentem institutio Prioris conventualis vel provincialis (Cap. Occaniae [1926] n. 503 et 556).

[76] Cf. tamen supra n. 2 huius q.

sticus, cui ius confirmandae electionis vel ius providendi successive competit, officio vacanti libere provideat. Idem valet, si collegium electorum iure eligendi privetur in poenam[77], e. gr. si scienter electus fuit indignus aut simoniacus.

Q. 79. *Quaenam vitient electionem canonicam?*

R. Vitia, quae electionem irritant, sunt praecipue sequentia:

1. Si plures quam tertia pars eligentium neglecti fuerint[78].

2. Si quis collegio eligentium extraneus ad suffragium admissus fuit[79].

3. Si laicus contra canonicam libertatem electioni ecclesiasticae quoquo modo se efficaciter immiscuit[80].

4. Si suffragia non habent conditiones quaest. praec. n. 5 indicatas, et imprimis si data sunt ex gravi metu iniusto vel dolo[81]. Gregorius X dicit: „Cessat electio, dum libertas adimitur eligendi.“[82] Hinc e. gr., si, instante electione superioris localis, superior provincialis intimaret electoribus se velle talem determinatum candidatum; qui si non esset electus, electores non parum vexatum iri ordinationibus provincialis: electio ista esset nulla.

5. Si electio facta est simoniace[83]. Simonia est studiosa voluntas emendi vel vendendi rem spiritualem vel spirituali adnexam pretio temporali[84]. Res spiritualis vel spirituali adnexa est in casu officium vel beneficium ecclesiasticum. Pretium temporale est munus aut a manu (e. gr. pecunia) aut a lingua (e. gr. commendatio) aut ab obsequio (e. gr. aliquod servitium). Munus a lingua vel ab obsequio etiam nostris diebus potest deturpare electiones canonicas. E. gr. aliquis elector dicit alteri: elige me episcopum vel superiorem religiosum, et postea te faciam professorem vel tibi procurabo tales favores. De poenis contra simoniacos latis alibi sermo erit.

Scholion. De subornatione. Subornatio, prouti nunc est de ea sermo, adest, si quis mediis *illicitis* procurat sibi vel aliis suffragia in electione. Tales subornatores solent in electionibus adhibere vaferrimas machinationes atque agitationes, ut vel ipsi vel amici ipsorum eligantur. Quare gravibus poenis plectuntur nonnumquam a iure particulari religiosorum, e. gr. privatione vocis activae et passivae, privatione officiorum. De iure communi possunt puniri, si se ipsos elegerunt aut suffragia scienter procuraverunt pro indigno. In novo Codice iur. can. c. 507 § 2 iterum inculcatur, quod iam Clemens VIII decr. „Nullus omnino“ d. 25 Iulii 1599 monuit: „Caveant omnes (electores) a directa vel indirecta suffragiorum procuratione tam pro se ipsis quam pro aliis.“

[77] c. 161 et 178. [78] c. 162, § 3.
[79] c. 165. Cum nullitas electionis, orta ex admissione vel unius extranei, i. e. carentis voce activa, sit poena, non adest ista nullitas, si extraneus dat suffragium, ignorantibus vel contradicentibus electoribus legitimis, dummodo aliunde requisitus numerus suffragiorum validorum fuerit electo tributus. Ita quoque *Ph. Maroto* l. c. I 654.
[80] c. 166; cf. c. 2390. [81] c. 169. [82] c. 3, I, 6 in VI°.
[83] c. 729. [84] Ib.

Q. 80. *An electores convocati teneantur suffragia ferre?*

R. Electores *cogi* quidem ordinarie non debent ad suffragia ferenda, nisi id exigat communitatis bonum (sicuti accidit antiquitus in electionibus Summi Pontificis); attamen, etiam seclusis particularibus statutis, quae renuntiationem suffragii graviter prohibent, ut est apud Eremitas S. Augustini, electores vi iuris naturalis obligantur sub gravi vel sub levi electionem peragere.

Ratio est, quia ius suffragii illis concessum est ad bonum commune, quod laeditur, si bona electio non accidit. Nihilominus si elector dando suffragium gravi damno se exponat et aliunde eius suffragium bono communi non multum proficiat, tunc excusatur a suffragio dando. Generalis autem sit regula: *Renuntiare voci activae rarissime expedit.*

ARTICULUS III.

De postulatione.

Q. 81. *Quid sit postulatio in provisione canonica officiorum ecclesiasticorum?*

R. 1. Postulatio est aliquid subsidiarium electionis canonicae et definiri potest: *petitio a collegio eligentium porrecta superiori competenti, ut is velit concedere ad officium ecclesiasticum posse designari certam personam, quae ob impedimentum canonicum (dispensabile tamen) eligi non potest.* Differt ergo postulatio ab electione eo, quod a) nititur gratia, electio vero iure; superior enim ecclesiasticus debet confirmare electionem legitime factam; secus laedit ius cum eligentium tum electi; econtra libere concedit meram gratiam cum erga eligentes tum erga postulatum, si dispensat super impedimento obsistente et admittit postulatum ad officium vacans; b) semper mutari potest, *antequam* superiori est tradita, si vocalibus omnibus id placet; non item post traditionem, nisi consentiat superior[85]; c) electus potest absolute consentire electioni; postulatus vero potest conditionate consentire, i. e. sub conditione quod superior dispensaverit super impedimento exsistente; d) in electione sufficit maioritas suffragiorum; in postulatione vero requiruntur *duae tertiae partes* suffragiorum, si concurrit cum electione[86]. Hinc e. gr. si 12 sunt electores et 4 electores eligunt Petrum, requiruntur 8 suffragia, ut Paulus possit postulari. Sin autem in ultimo scrutinio Petrus est electus 5 suffragiis, Paulus vero postulatus 7 suffragiis, Petri electio est valida, quamvis non adsit absoluta maioritas suffragiorum[87]. Ita, si hoc evenit in tertio vel ultimo scrutinio. Si demum Petrus est postulatus 7 suffragiis, Paulus vero 5 suffragiis, postulatio Petri est valida, si nemo alius obtinuit suffragia electiva.

2. Postulatio nequit admitti, si impedimenti exsistentis dispensatio non *solet* concedi[88]. Ex iure particulari vel ex legitima consuetudine

[85] c. 181, § 4. [86] c. 180, § 1.
[87] C. 40, X 1, 6. Pontif. Com. d. 1 Iul. 1922 (Acta Ap. Sed. XIV 406).
[88] c. 179, § 1.

pensandum est, in quibus impedimentis soleat dispensari, in quibus vero non.

3. Compromissarii postulare nequeunt, nisi id in mandato aut compromisso fuerit expressum[89]. Ex iure tamen particulari compromissarii solent habere idem ius quod electores.

4. Suffragium pro postulatione exprimi debet per verbum *postulo,* aut aliud aequivalens. Quodsi tale suffragium sit expressum per verbum *eligo,* praeses electionis probabiliter debet illud declarare nullum[90]. Si elector dubitat, num adsit impedimentum electionis, expedit, ut adhibeat formulam: *eligo* vel *postulo,* aut aequivalentem. Nam tunc haec formula valet pro electione, si impedimentum non adest; secus valet pro postulatione[91]. Proinde haec formula videtur esse in praxi semper praeferenda pro maiore securitate.

5. Postulatio saltem intra octiduum mitti debet ad superiorem competentem, i. e. ad eum, cui competit electionem confirmare; secus postulatio est nulla, immo electores pro ea vice privantur iure eligendi aut postulandi, nisi tamen probent, se a mittenda postulatione iusto impedimento detentos fuisse[92]. Sicuti electione facta officium ecclesiasticum solet tradi per *confirmationem* competentis superioris, ita postulatione peracta requiritur *admissio* superioris.

6. Si superior postulationem reiecit, ius eligendi ad collegium cedit, nisi tamen (casu raro) electores scienter aliquem postulaverint, qui arcetur impedimento (aut omnino aut ordinarie) indispensabili, e. gr. si in religione clericali postuletur in superiorem frater laicus; tunc enim provisio officii ad superiorem pertinet[93]. Sin autem superior postulationem admisit, id significetur postulato, qui tunc saltem intra octiduum utile debet manifestare, utrum postulationi consentiat an renuntiet[94].

CAPUT II.

De amissione officiorum ecclesiasticorum.

Q. 82. *Quot modis officium ecclesiasticum amittatur?*

R. Officium ecclesiasticum amittitur, ita ut illius vacatio accidat, sex modis, nempe:

1. per mortem naturalem illius, qui officium obtinuit. Patet per se.

2. per mortem, resignationem, depositionem vel similem immutationem illius superioris, qui officium contulit. Iste modus vacationis tamen non accidit nisi raro, nempe a) quando officium concessum fuit sub hac vel aequivalenti clausula: *ad beneplacitum nostrum*[1] (i. e. ad

[89] c. 179, § 2.

[90] Ita Brandys l. c. n. 174. Contrarium docet Fanfani, De iure relig.[2] n. 114. Et haec sententia est probabilis, cum verbum *postulo* vel aequivalens non videatur esse de valore suffragii.

[91] c. 180, § 2. [92] c. 181, § 1 et 2. [93] c. 182, § 1. [94] Ib. § 2.

[1] c. 183, § 2.

beneplacitum personale, non autem ad beneplacitum sedis); b) in paucis aliis officiis, e. gr. officium vicarii generalis vacat per mortem episcopi, officium secretarii status vacat per mortem Summi Pontificis. Hinc dicitur: Quando episcopus moritur ut homo, eius vicarius generalis moritur ut vicarius generalis.

3. lapsu temporis praefiniti. Pro tempore definito solent concedi nonnulla officia regularia, e. gr. provincialatus, officium vicarii temporarii etc.

4. per renuntiationem expressam vel tacitam tenentis officium.

5. per privationem aut depositionem ipso iure aut per sententiam iudicis factam.

6. per amotionem seu translationem tenentis officium.

Nota. Officium ecclesiasticum potest vacare a) de iure et de facto, b) de solo iure, c) de solo facto. Officium vacat de iure et de facto, seu plene, si nemo officium reapse possidet neque quis ius ad officium habet; e. gr. si mortuus est beneficiarius. Officium vacat de solo iure, si quidem aliquis intrusus obtinet officium, sed caret iusto titulo possessionis. Officium vacat de solo facto, si quis habet quidem ius seu titulum proprietatis in officium, sed illud nondum possidet vel ex eo per vim iniuste expulsus est, sicuti accidit in persecutionibus Ecclesiae.

Q. 83. *Quid sit renuntiatio officii (beneficii) ecclesiastici?*

R. *Renuntiatio est libera dimissio proprii officii ecclesiastici legitime facta.*

Dicitur a) *libera* dimissio, ideoque renuntiatio ex metu gravi iniuste incusso, dolo aut errore substantiali facta ipso iure irrita est[2]. Metus levis aut etiam gravis iuste incussus, item error accidentalis non obstant validitati renuntiationis. Dicitur b) *legitime* facta. Ad hoc, ut renuntiatio sit legitima, requiruntur complura, nempe:

Ex parte renuntiantis, non solum ut sit liber, ideoque non gravi metu iniusto vel errore substantiali inductus, sicut iam dictum est, sed etiam 1. ut sit sui *compos*[3]. Quare e. gr. mente captus parochus nequit renuntiare paroeciae[4], atque, si ad sanitatem rediit, potest quoque redire ad paroeciam. Attamen in praxi, si casus amentiae accidit, solet expedire, ut talis parochus a competenti Ordinario transferatur ad aliud officium. 2. ut *non sit specialiter prohibitus* renuntiare. Prohibentur autem renuntiare beneficiis suis ecclesiasticis novitii[5], criminosi, qui aut ipso iure aut per sententiam condemnatoriam iudicis ecclesiastici suis officiis privati fuerunt. Etenim nemo potest renuntiare alicui, quod iam non amplius iuridice possidet. Pariter prohibetur renuntiare beneficio clericus in ordinibus sacris constitutus, qui non aliunde sibi congruam sustentationem procurare potest[6]. 3. ut habeat *sufficientem causam.* Per se patet; nam nihil faciendum est sine sufficienti causa, et praesertim non res magni momenti, sicuti est renuntiatio officii ecclesiastici. Tamquam causae sufficientes censentur e. gr. debilitas corporis, defectus scientiae vel aptitudinis, conscientia criminis, aversio populi etc.[7]

[2] c. 185. [3] c. 184. [4] c. 2148. [5] c. 568. [6] c. 1484.

[7] Causae renuntiationis olim exprimebantur his versiculis: „Debilis, ignarus, male conscius, irregularis, — Quem mala plebs odit, dans scandala cedere possit."

Ex parte formae requiritur,

1. ut renuntiatio fiat *scripto* aut, si oretenus fiat, coram duobus testibus. Si fit per procuratorem, is debet speciali esse munitus mandato. Renuntiationis scriptum documentum in Curia deponatur [8]. Ratio, quare istae formalitates exigantur, est magnum momentum renuntiationis, quippe ex qua saepe graves consequentiae oriantur.

2. ut sit *pura*, i. e. absque macula simoniae [9]. Renuntiatio simoniace facta est ipso iure irrita et punitur diversis poenis. Specialia statuta sunt de simonia confidentiali [10].

3. ut sit *expressa* vel *tacita*. Tacita renuntiatio ipso iure et sine ulla declaratione adest in sequentibus casibus [11]: si a) clericus professionem religiosam emisit; si tamen agitur de beneficio stricte dicto, renuntiatio non est efficax nisi post annum, si clericus habuit beneficium *paroeciale;* vel post triennium, si clericus habuit aliud beneficium [12]; b) intra tempus utile iure statutum, vel (deficiente iure) ab Ordinario determinatum, de officio provisus illud adire neglexit; c) aliud officium ecclesiasticum cum priore incompatibile acceptavit et eiusdem pacificam possessionem obtinuit. Censentur autem officia incompatibilia, quae una simul ab eodem adimpleri nequeunt [13]; d) a fide catholica publice defecit; e) matrimonium etiam civile, ut aiunt, contraxit; hinc e. gr. parochus attentans matrimonium quocumque modo omne ius in paroeciam amittit; f) libere nomen dedit militiae saeculari [14]; g) habitum ecclesiasticum propria auctoritate sine iusta causa deposuit neque illum, ab Ordinario monitus, intra mensem a monitione recepta resumpsit; h) residentiam, qua tenetur, illegitime deseruit et receptae Ordinarii monitioni, legitimo impedimento non detentus, intra congruum tempus ab Ordinario praefinitum, nec paruit nec respondit.

Ex parte legitimi superioris requiritur: 1. ut renuntiatio non fiat *laico*. Clericus autem, qui in manus laicorum officium, beneficium aut dignitatem ecclesiasticam resignare praesumpsit, ipso facto in suspensionem a divinis incurrit [15]. Ergo clericus, qui obtinuit paroeciam ex praesentatione patroni laici, nequit in manus huius patroni resignare paroeciam, sed debet hoc facere in manus competentis Ordinarii ecclesiastici, a quo in paroecia institutus est, vel qui eiusdem locum tenet [16]. 2. ne superior ecclesiasticus acceptet renuntiationem *sine iusta et proportionata causa* [17]; intra mensem iste superior debet renuntiationem praesentatam vel acceptare vel reicere [18]. 3. Superior ecclesiasticus, si renuntiationem acceptavit, debet certiorem reddere et renuntiantem (qui in officio remanere debet usque ad hanc certiorationem) et eos, qui aliquod ius in officii provisionem habent [19]. Qui semel legitime renuntiavit officio, potest revocare renuntiationem, sed non nisi ante eius acceptationem a superiore [20].

Q. 84. *Quid notandum sit de amissione officiorum per modum privationis?*

R. 1. Privatio officii (beneficii) ecclesiastici est poena vindicativa clerico inflicta a competenti superiore ecclesiastico [21]. Haec privatio

[8] c. 187. [9] c. 185. [10] Cf. nostrum Man. theol. mor. II, n. 559 sqq. [11] c. 188. [12] c. 584. [13] Cf. supra q. 74. [14] Cf. supra q. 71, n. 3. [15] c. 2400. [16] c. 187. [17] c. 189, § 1. [18] Ib. § 2. [19] c. 190 et 191. [20] Pontif. Com. d. 14 Iul. 1922 (Acta Ap. Sed. XIV 527). [21] c. 2298, n. 6; c. 195.

remanet poena, sive clerico relinquatur quaedam pensio sive non. Laici (etiam patroni) nequeunt hanc poenam infligere. Privatio officii aggravari potest per additionem depositionis vel degradationis.

2. Superior nequit clericum privare officio *inamovibili* nisi in casibus iure expressis idque mediante processu iudiciali [22]. Si de *amovibili* officio agitur, privatio decerni potest a competenti superiore ex qualibet iusta causa, naturali tamen aequitate servata. Ergo tunc neque requiritur delictum ex parte clerici privandi, neque processus iudicialis ex parte superioris privantis. Speciales normae observandae sunt in privatione paroeciae amovibilis [23].

3. Contra poenam privationis permittitur recursus ad Sedem Apostolicam, sed *in devolutivo* tantum [24]. Hanc poenam tamen Ordinarius nequit remittere in casibus publicis [25].

4. In poena privationis distinguuntur tres gradus: a) nonnulli clerici privati sunt *ipso facto*; b) alii *privandi* sunt; c) alii privari *possunt*.

a) **Privati sunt ipso facto** (post sententiam tamen declaratoriam): 1) Clericus, qui assecutus pacificam possessionem *officii* vel beneficii cum priore incompatibilis prius quoque retinere praesumpserit, *utroque* privatus ipso iure exsistat [26]. 2. Promotus ad episcopatum non recipiens consecrationem intra semestre [27]. 3. Promotus ad dignitatem cardinalitiam recusans emittere iusiurandum de adeundo Summo Pontifice intra annum [28]. 4. Excommunicatus vitandus [29].

b) **Privandi sunt** (per sententiam condemnatoriam): 1. Apostatae a fide et schismatici [30]. 2. Conspirantes contra auctoritatem Romani Pontificis eiusve legati vel proprii Ordinarii aut contra eorum legitima mandata; item qui subditos ad inoboedientiam contra istos superiores provocant [31]. 3. Canonicus theologus aut poenitentiarius, qui spretis monitionibus episcopi per annum et dimidium negligens fuit in suis muneribus obeundis [32]. 4. Qui contumaciter perseverat in censura suspensionis [33]. 5. Qui violentas manus iniecit in personam Summi Pontificis, cardinalis vel legati Summi Pontificis [34]. 6. Qui violentas manus iniecit in se ipsum, i. e. qui suicidium attentavit, removeatur a beneficio aut officio, cui cura animarum interni vel externi fori adnexa est [35]. 7. Qui legitime damnatus est ob delictum homicidii, raptus impuberum alterutrius sexus, venditionis hominis in servitutem vel alium malum finem, usurae, rapinae, furti qualificati vel non qualificati in re valde notabili, incendii, malitiosae vel valde notabilis rerum destructionis, gravis mutilationis vel vulnerationis vel violentiae. Si crimen commissum est valde grave, clericus potest etiam deponi; immo, si fuit reus culpabilis homicidii, degradetur [36]. 8. Qui commiserunt delictum contra sextum decalogi praeceptum cum minoribus infra aetatem sedecim annorum, vel adulterium, stuprum, bestialitatem, sodomiam, lenocinium, incestum cum consanguineis aut affinibus in primo gradu. Etiam pro aliis delictis luxuriae clerici possunt privari officio vel beneficio, maxime si curam animarum gerunt [37]. Item clerici con-

[22] c. 192, § 2; c. 2299, § 1. [23] c. 192, § 3. [24] Ib. et c. 1923. [25] c. 2237, § 1, n. 3. [26] c. 2396. [27] c. 2398. [28] c. 2397. [29] c. 2266. [30] c. 2314, § 1, n. 2. [31] c. 2331, § 2. [32] c. 2384. [33] c. 2340, § 2. [34] c. 2343. [35] c. 2350. [36] c. 2354. [37] c. 2359, § 2 et 3.

cubinarii; ii qui sunt suspecti de concubinatu, debent prius moneri, ut hanc suspicionem eliminent; quod si non fecerint, privandi sunt beneficio atque puniendi etiam aliis poenis [38]. 9. Usurpantes vel detinentes bona aut iura ad Ecclesiam Romanam pertinentia [39]; item usurpantes sibi alia bona ecclesiastica, vel impedientes ne eorundem bonorum fructus seu reditus percipiantur ab iis, ad quos de iure pertinent; item huiusmodi crimini consentientes [40]. 10. Qui officium vel beneficium obtinens cum onere residentiae illegitime abest neque paret monitionibus superioris [41]. 11. Qui recurrendo ad laicalem potestatem impediunt iurisdictionem ecclesiasticam, vel qui nomen dant sectae massonicae aliisve similibus sectis [42].

c) **Privari possunt:** 1. Falsarii litterarum, decretorum vel rescriptorum Sedis Apostolicae, vel iisdem scienter utentes [43]. 2. Qui documentum quodlibet ad curiam episcopalem pertinens sive per se sive per alium subtraxit vel destruxit vel celavit vel substantialiter immutavit [44]. 3. Quaestum facientes ex eleemosyna Missarum [45]. 4. Propria auctoritate occupantes beneficium vel officium [46]. 5. Negligentes fidei professionem, ad quam tenentur [47]. 6. Qui aliis gravem iniuriam irrogavit vel eius bonam famam graviter laesit [48]. 7. Qui contra sextum decalogi praeceptum deliquit praeter casus supra recensitos, in quibus privatio infligi *debet.*

Nota. 1. Quotiescumque infligitur clerico poena depositionis vel degradationis, eo ipso adest privatio officii et beneficii. Quandonam autem istae poenae infligendae sint, dicetur infra in tractatu de poenis ecclesiasticis.

2. Amotio vel remotio quoque enumeratur inter modos, quibus amittitur officium (beneficium) ecclesiasticum; sed amotio vel remotio reducitur aut ad privationem, si clericus simpliciter amittit officium (beneficium), aut ad translationem, si clericus transfertur ab uno officio in alterum. Privatio includere solet conceptum poenae et coactionis; amotio autem hunc conceptum non semper includit, cum aliquando fiat propter infirmitatem corporalem vel spiritualem [49]. Infra erit sermo specialis de amotione parochi.

Q. 85. *Quid notandum sit de amissione officii ecclesiastici per modum translationis?*

R. 1. Translatio ab uno ad aliud officium ecclesiasticum nequit fieri nisi ab eo superiore ecclesiastico, qui ius habet cum acceptandi renuntiationem tum removendi a primo officio et promovendi ad alterum [50]. Hinc Sedi Apostolicae reservata est translatio omnium episcoporum aliorumque praelatorum, qui Sedi Apostolicae *immediate* sunt subiecti. Translatio reliquorum clericorum aliquod officium ecclesiasticum obtinentium pertinet ad superiores competentes, qui iurisdictionem exercent in utrumque officium, sc. id quod relinquitur et id quod assumitur. Quare si e. gr. aliquis beneficiarius transfertur ab una dioecesi in aliam, requiritur consensus utriusque episcopi. Solus ille, qui

[38] c. 2176 sqq. [39] c. 2345. [40] c. 2346. [41] c. 2381 2168—2175. [42] c. 2336. [43] c. 2360, § 2. [44] c. 2405. [45] c. 2324. [46] c. 2394, n. 2. [47] c. 2403. [48] c. 2355. [49] c. 2147. [50] c. 193.

eligitur in Summum Pontificem, non eget licentia superioris ad relinquendum officium hucusque possessum et ad suscipiendum Summum Pontificatum.

2. Ad licitam translationem requiritur iusta causa necessitatis vel utilitatis Ecclesiae. Si clericus consentit in suam translationem, quaelibet etiam levis iusta causa sufficit; sin autem clericus est invitus, eadem fere causa requiritur idemque procedendi modus ac pro privatione. In translatione autem parochorum specialia statuta sunt observanda [51].

3. Cum translatio sit vera provisio canonica de novo officio, omnes leges de collatione libera aut de electione vel postulatione aut de praesentatione observandae sunt.

4. *Effectus* translationis sunt: a) prius officium vacat statim, cum clericus alterius possessionem canonice capit, nisi tamen aliud a iure sit cautum (e. gr. pro officio episcopatus) vel a legitimo superiore praescriptum; b) reditus prioris officii translatus tam diu percipit, quamdiu alterum nondum occuparit [52].

TITULUS V.

De potestate ordinaria et delegata.

Connexio materiae. Postquam in praecedentibus titulis tractatum est de personis et de officiis clericorum, convenienter iam agendum est de potestate, quam clerici nanciscuntur et exercere possunt ex ipsorum officiis. Quae quidem potestas est duplex: ordinis et iurisdictionis. De potestate ordinis hic non agitur, sed ubi aut de singulis gradibus hierarchiae aut de actibus uniuscuiusque ordinis sermo est. Restat dicendum de iurisdictione in genere; nam in specie, e. gr. de iurisdictione necessaria ad audiendas confessiones, propriis locis tractabitur. Post titulum de potestate clericorum superest agere de amissione status clericalis per reductionem ad statum laicalem, et sic finietur tota prima sectio de clericis in genere.

Q. 86. *Quid et quotuplex sit potestas iurisdictionis?*

R. 1. **Notio.** Iurisdictio in genere est potestas legitima ad societatis regimen ordinata, ideoque potestas iurisdictionis vocatur quoque potestas regiminis. Nihilominus non quaelibet potestas regiminis vocatur iurisdictio proprie dicta. Sic e. gr. pater regens societatem domesticam non habet iurisdictionem proprie dictam, sed potestatem dominativam. Quapropter videtur ad notionem iurisdictionis pertinere, quod adsit vera potestas iudicandi iuxta leges a legislatore competenti datas. *Iurisdictio ecclesiastica est potestas regendi fideles in ordine ad salutem aeternam,* et includit potestatem docendi, iudicandi, coercendi, leges ferendi, sacramenta administrandi etc., uno verbo: per modum regiminis exhibendi fidelibus i. e. baptizatis omnia media a Christo instituta pro salute aeterna obtinenda. Quamvis inter potestatem iurisdictionis et

[51] Ib. § 2 et c. 2162—2167. [52] c. 194.

ordinis sit intima relatio, cum potestas ordinis sit fundamentum iurisdictionis, tamen istae duae potestates sunt valde diversae, et quidem

a) ratione *obiecti*; potestas ordinis versatur circa administranda sacramenta sacramentaliaque et sacrificium Missae peragendum; potestas vero iurisdictionis potissimum circa regendos et iudicandos subditos.

b) ratione *subiecti*; etenim quamvis soleant esse unitae in eodem subiecto, tamen non semper est sic; e. gr. episcopus titularis habet episcopalem quidem ordinem, sed non iurisdictionem; econtra sacerdos rite confirmatus in officio episcopali habet episcopalem iurisdictionem, sed non ordinem.

c) ratione *modi, quo conferuntur*. Potestas ordinis confertur vi iuris divini per sacram ordinationem, potestas vero iurisdictionis solet potissimum conferri vi iuris ecclesiastici per missionem canonicam.

d) ratione *exsistentiae*. Potestas ordinis est inamissibilis; econtra potestas iurisdictionis restringi, immo et auferri potest.

2. **Divisio.** Iurisdictio distinguitur:

a) *fori externi* et *fori interni*. Iurisdictio fori externi (fori fori) primario et directe respicit *publicum* ordinem fidelium, e. gr. concedere potestatem praedicandi, absolvendi a peccatis et censuris etc. Iurisdictio fori interni (fori poli) respicit forum conscientiae idque vel in sacramento poenitentiae (forum sacramentale) vel extra sacramentum (forum extra-sacramentale); e. gr. quando extra sacramentum poenitentiae confessarius dispensat aliquem in ieiunio. Iurisdictio fori interni primario et directe respicit bonum *privatum* et ordinat relationes hominis ad Deum, qui est polus vitae humanae.

b) *ordinaria* et *delegata*. Iurisdictio ordinaria ea est, quae ipso iure adnexa est officio, e. gr. iurisdictio adnexa episcopatui residentiali. Iurisdictio delegata ea est, quae commissa est alicui personae ex delegatione vel iuris vel illius, qui habet iurisdictionem ordinariam, e. gr. iurisdictio, quam habent epsicopi tamquam delegati Sedis Apostolicae; iurisdictio, quae ab episcopo delegatur simplici confessario.

Iurisdictio ordinaria subdividitur in *propriam* et *vicariam*[53]. Propria iurisdictio ea est, quam quis ex proprio officio et proprio nomine exercet, e. gr. Summus Pontifex proprio nomine dispensat in omnibus legibus ecclesiasticis; iurisdictio vicaria ea est, quam quis exercet vi quidem proprii officii, sed tamquam vices gerens alterius, cuius est vicarius. Hinc e. gr. Summus Pontifex tamquam vicarius Christi dispensat aliquando in iure divino, e. gr. in matrimonio rato, in votis etc. Ex quibus dictis sequitur, ut omnis quoque iurisdictio delegata sit vicaria, quia exercetur nomine alterius; sed non omnis iurisdictio vicaria est delegata. Nam in utroque exemplo allato Summus Pontifex exercet iurisdictionem ordinariam, utpote coniunctam cum officio suo.

In iure ecclesiastico nomine Ordinarii, qui habet iurisdictionem ordinariam, intelliguntur praeter Summum Pontificem episcopus residentialis eiusque vicarius generalis, abbas vel praelatus nullius eiusque vicarius generalis, administrator dioecesis, abbatiae vel praelaturae nullius, vicarius et praefectus apostolicus, itemque ii qui, praedictis deficientibus, interim ex iuris praescripto aut ex probatis constitutionibus succedunt in regimine. Superiores maiores in religionibus clericalibus exemptis sunt quidem pro suis subditis Ordinarii habentes iurisdictionem ordinariam, sed in iure non veniunt nomine Ordinarii *loci* vel locorum, sicut alii praedicti omnes[54]. Ita de iure communi; nam de iure particulari etiam superiores regulares locales (qui non censentur inter superiores maiores[55]) aliquando pollent iurisdictione vere ordinaria, cum sint praelati[56].

c) *voluntaria* et *contentiosa*. Iurisdictio voluntaria, ut iam verbum satis innuit, in volentes exercetur, et est ea, qua (exclusa forma iudiciali) superior concedit favores seu gratias, e. gr. dispensationes, indulgentias, privilegia etc. Vocatur quoque iurisdictio extraiudicialis et aliquando gratiosa. Iurisdictio contentiosa seu iudicialis ea est, quae exercetur in stricta forma iudiciali et aliquando in invitos. Hac iurisdictione solvuntur e. gr. causae matrimoniales, criminales; infliguntur poenae graviores, quae excedunt correctionem paternam.

d) *universalis* et *particularis*. Iurisdictio universalis est illimitata et hodie perfecte non convenit nisi Summo Pontifici. Iurisdictio particularis est limitata e. gr. ad certas personas, ad certas materias, ad certum locum etc.

Q. 87. *Quid specialiter notandum sit de iurisdictione delegata?*

R. 1. Delegatio fit vel a iure vel ab homine, ut iam quaest. praec. dictum est. Delegatio a iure praesertim usuvenit in episcopis tamquam delegatis Apostolicae Sedis. Qui iurisdictionem ordinariam possidet, potest eam alteri delegare sive ex toto sive ex parte, nisi aliud expresse iure caveatur[57]. Sic e. gr. episcopus habens iurisdictionem ordinariam potest eam delegare, prohibetur autem mandato generali delegare vicarium suum generalem ad erigendas confraternitates. Poenitentiarius canonicus, quamvis habeat potestatem ordinariam, eam nullatenus delegare potest[58]. Parochus, vicarii parochorum aliive sacerdotes delegati ad universitatem causarum nequeunt delegare iurisdictionem ad audiendas confessiones[59].

2. Iurisdictio delegata ordinarie nequit subdelegari, exceptis tribus casibus: a) si quis ab Apostolica Sede accepit iurisdictionem delegatam. Ita propter eminentiam auctoritatis delegantis[60]. Sic e. gr. episcopi ordinarie possunt subdelegare facultates apostolicas. Per se patet delegationem acceptam non posse subdelegari, si id expresse fuit prohibitum, e. g. quoad benedictiones. Proinde diligenter inspicienda et adamussim observanda est forma rescripti apostolici[61]. Pariter subdelegatio est prohibita, si ab Apostolica Sede electa fuit industria personae; quod praesumitur fieri, si in rescripto vel habentur verba

[53] c. 197; optime et fuse disserit de hac materia *Ph. Maroto* l. c. I 696 sqq.

[54] c. 198. [55] c. 488, n. 8. [56] c. 110. [57] c. 199, § 1.
[58] c. 401, § 1. [59] Acta Ap. Sed. XI (1919) 477.
[60] c. 199, § 2. [61] Cf. S. Offic. d. 14 Dec. 1898 et S. Poenit. d. 10 Nov. 1926.

haec aut similia: „per te ipsum", „personaliter exsequaris", vel committitur nudum ministerium seu mera exsecutio dispensationis a S. Sede datae[62]. b) si quis est delegatus ab aliquo habente ordinariam potestatem (non a Sede Apostolica), *ad universitatem causarum* seu negotiorum potest subdelegare, non quidem habitualiter, sed in singulis casibus[63]. Ad universitatem causarum dicitur aliquis delegatus, qui accepit potestatem non pro uno alteroque casu, sed simpliciter. Sic e. gr. solet vicarius a parocho (in casu absentiae) delegari ad omnes casus, qui occurrunt in iurisdictione paroeciali. c) si specialem concessionem subdelegandi accepit. Per se patet. Iudices delegati possunt subdelegare (etiam sine accepta expressa facultate subdelegandi), si agitur de aliquo articulo non iurisdictionali[64], e. gr. de examine testium.

Nulla autem subdelegata potestas potest iterum subdelegari, nisi id expresse concessum fuerit[65].

3. Pro eodem negotio plures possunt delegari. Sic e. gr. pro aliqua dispensatione matrimoniali in foro interno solet S. Poenitentiaria delegare omnem confessarium, quem poenitens dispensandus elegerit. Si plures sunt delegati, hoc potest fieri vel *in solidum,* si unusquisque solus totum negotium tractare potest; vel *collegialiter,* si omnes simul uniti debent negotium peragere. Sin autem dubitatur, utrum delegatio facta fuerit in solidum an collegialiter, distinctione opus est; si iurisdictio exercenda est in *re voluntaria,* praesumitur concessa in solidum; sin autem in *re iudiciali* seu contentiosa, praesumitur data collegialiter[66]. Pluribus in solidum delegatis, is, qui antea negotium occupavit, alios ab eodem excludit, nisi tamen posthac aut impediatur aut nolit ulterius in negotio procedere[67]. Hinc in exemplo supra allato confessarius, qui primus a poenitente eligitur, potest dispensationem Poenitentiariae fulminare; quodsi iste sit impeditus aut nolit dispensationem exsequi, poenitens potest libere adire alium confessarium. Pluribus collegialiter delegatis, omnes *simul* in negotio expediendo procedere debent, secus acta sunt invalida. Quare e. gr. si unus ex collegio delegato moritur, reliqui iam nequeunt delegationem acceptam exercere, nisi tamen id expresse concessum sit[68].

4. Delegatus, qui sive circa res sive circa personas mandati sui fines excedit, invalide agit. Si tamen excessus est valde levis, e. gr. quantum ad modum procedendi, pro nihilo reputatur[69].

5. Potestas delegata exstinguitur: a) expleto mandato; b) elapso tempore aut exhausto numero casuum, pro quo concessa fuit. Hinc e. gr. si confessarius habet iurisdictionem ad triennium, vel potestatem absolvendi quinquies a casibus reservatis, elapso triennio iurisdictio, vel absolutione quinquies data, delegatio cessat; nihilominus si agitur de potestate pro foro interno, actus, qui *per inadvertentiam* positus fuit, elapso iam tempore vel exhausto casuum numero, validus est[70]. c) cessante causa *finali* delegationis, non autem si cessat solummodo causa motiva accidentalis; d) revocatione delegantis delegato *directe intimata.* Revocatio enim, quamvis facta, non censetur vim atque effectum producere, donec legitime intimata sit; e) renuntiatione delegati directe intimata deleganti et ab eodem acceptata[71]; f) morte *delegati,* ita saltem si delegatio fuit personalis; nam, si delegatio fuit realis, i. e. commissa non personae sed illi qui obtinet officium, transit in successores. Quare e. gr. facultates a S. Sede delegatae episcopo non exspirant morte episcopi, sed in eius successorem transeunt; g) resoluto iure *delegantis,* e. gr. per mortem, per amotionem ab officio etc., delegatio concessa non exspirat, nisi α) data est sub formula hac vel aequivalenti: „ad beneplacitum nostrum", β) res sit adhuc integra eaque fuit gratia per delegatum concedenda peculiaribus personis determinatis.

6. Potestas *ordinis,* a legitimo superiore ecclesiastico sive adnexa officio sive commissa personae, nequit aliis demandari, nisi id expresse fuerit iure vel indulto concessum[72]. Ideo e. gr. praefecti apostolici (sacerdotes) habentes potestatem confirmandi, nequeunt valide delegare hanc potestatem alii sacerdoti, nisi id fuit expresse concessum a S. Sede.

Q. 88. *Quomodo interpretanda sit potestas iurisdictionis?*

R. *Late* interpretanda est potestas iurisdictionis solummodo in duobus casibus: 1. si est potestas ordinaria; 2. si est delegata ad universitatem negotiorum[73]. Nihilominus etiam in aliis casibus potestas iurisdictionis non est *nimis* stricte interpretanda, ideoque e. gr. cui delegata est potestas quaedam, ea quoque media intelliguntur concessa, sine quibus potestas ipsa nequit exerceri.

Q. 89. *Quomodo exercenda sit potestas iurisdictionis?*

R. 1. Potestas iurisdictionis potest in solos subditos directe exerceri[74]. Indirecte i. e. ratione coniunctionis cum subditis iurisdictio aliquando exercetur in non-subditos. Sic e. gr. paganus non est subditus Ecclesiae, sed quando vult contrahere matrimonium cum parte baptizata, debet observare ea, quae ius ecclesiasticum statuit de tali matrimonio.

2. Iudicialis potestas (fori sive interni sive externi) nequit exerceri in proprium commodum iuxta illud: „nemo iudex in propria causa". Econtra potestas non-iudicialis seu iurisdictionis *voluntariae* exerceri potest in proprium commodum. Hinc e. gr. ille, qui habet potestatem dispensandi in lege ieiunii, potest etiam se ipsum dispensare. Ita iuridice; num sit moraliter melius et magis meritorium in hoc casu nihilominus petere dispensationem ab alia competenti auctoritate, pendet ex circumstantiis.

3. Iudicialis potestas ordinarie nequit exerceri *extra territorium.* Sunt tamen exceptiones. Sic e. gr. omnes, qui habent iurisdictionem *ordinariam,* ut parochus, canonicus poenitentiarius, superior religiosus etc., possunt sacramentaliter absolvere a peccatis et censuris suos

62 Cf. S. Offic. d. 1 Iun. 1904. 63 c. 199, § 3. 64 Ib. § 4. 65 Ib. § 5. 66 c. 205. 67 Ib. § 2. 68 Ib. § 3. 69 c. 203. 70 c. 207, § 2.

71 Ib. § 1. 72 c. 210. 73 c. 200. 74 c. 201, § 1.

subditos ubique terrarum[75]. Potestas non-iudicialis ordinarie potest exerceri etiam extra proprium territorium[76].

4. Actus potestatis iurisdictionis (sive ordinariae sive delegatae) collatae pro foro externo valet quoque pro interno, non autem e converso[77]. Hinc ille, qui in foro externo est absolutus ab aliqua censura, est etiam absolutus in foro interno; econtra qui est ab aliqua censura (publica) absolutus in foro interno, potest adhuc in foro externo considerari tamquam non absolutus. Potestas collata pro foro interno exerceri potest etiam in foro interno extra-sacramentali, nisi sacramentale exigatur. Ideo confessarius habens facultatem dispensandi in lege ieiunii potest dispensare etiam extra confessionale.

Si forum, pro quo potestas data est, expressum non fuerit, potestas intelligitur concessa pro utroque foro, nisi ex ipsa rei natura aliud constet[78].

Q. 90. *Quandonam suppleat Ecclesia iurisdictionem?*

R. Ecclesia supplet iurisdictionem pro foro tum interno tum externo, 1. si adfuit error communis; 2. si adfuit dubium positivum et probabile sive iuris sive facti[79].

Error communis censetur adesse, quando de exsistentia iurisdictionis errant omnes fere incolae alicuius loci; error autem est privatus, si afficit unum vel paucos. Codex iur. can. iam silet de titulo colorato vel existimato; proinde error communis etiam *solus* sufficit, ut Ecclesia suppleat iurisdictionem ecclesiasticam. In praxi tamen iste error vix potest adesse, nisi adsit simul titulus existimatus iurisdictionis obtentae. Quomodo enim potest adesse error communis, nisi omnes fere existimant, iurisdictionem esse legitime collatam?

Non quodlibet dubium, etiam parum fundatum, sufficit, sed requiritur positivum dubium, in quo solo Ecclesia supplet. Dubium quidem pro viribus prius expellendum est, sed, eo persistente, sive sit dubium iuris sive dubium facti, Ecclesia supplet. Dubium iuris exsistit, si dubitatur, num casus aliquis determinatus sub determinata lege revera contineatur; sic e. gr. dubium iuris est, num socialistae constituant sectam ab Ecclesia sub poena excommunicationis prohibitam. Dubium facti exsistit, si dubitatur, num aliquod factum revera adsit, e. gr. num praefixum tempus iurisdictionis sit elapsum.

Doctrina proposita de suppletione iurisdictionis clare solvit controversias, quae exsistebant de absolutione sacramentali data cum iurisdictione putativa, dubia, probabili.

TITULUS VI.
De reductione clericorum ad statum laicalem.

Q. 91. *Quomodo clericus possit amittere statum clericalem et reduci ad statum laicalem?*

[75] c. 401, § 1; c. 881, § 2. [76] c. 201, § 3.
[77] c. 202, § 1. [78] Ib. § 3. [79] c. 209.

R. 1. *Causae reductionis.* Quamvis sacra ordinatio semel valide recepta numquam irritari queat, tamen ex diversis causis clericus potest amittere et iura et obligationes status clericalis, et quidem

a) Clericus *minorum ordinum* reducitur ad statum laicalem α) sua ipsius voluntate loci Ordinario manifestata; β) decreto Ordinarii loci iusta de causa lato; γ) diversis causis in iure descriptis, e. gr. matrimonio contracto, depositione habitus clericalis, dimissione ex instituto religioso etc.[1]

b) Clericus *maiorum ordinum* redigitur ad statum laicalem α) rescripto S. Sedis (quod obtinendum est mediante proprio Ordinario, i. e. episcopo aut superiore religioso); β) poena degradationis; γ) sententia iudicis competentis, coram quo clericus probavit se iniusto metu gravi coactum ordinem sacrum recepisse nec postea se (explicite vel implicite) ratam habuisse ordinationem acceptam[2]. Requiritur processus proprie dictus ad probanda duo facta modo indicata, nempe iniustam coactionem et defectum ratihabitionis; qui quidem processus haud dissimilis est processibus matrimonialibus et est instituendus iuxta statuta can. 1993—1998.

2. *Effectus reductionis.* Clericus redactus ad statum laicalem, sicut amittit omnia iura, officia, beneficia status clericalis, ita etiam liber est ab omnibus obligationibus istius status. Clericus tamen maior obligatione coelibatus tenetur, nisi probet, se coacte suscepisse ordinem maiorem illumque postea ratum non habuisse[3].

3. *Sublatio reductionis.* Clericus *minor*, qui ad statum laicalem quavis de causa regressus est, ut inter clericos denuo admittatur, eget licentia Ordinarii dioecesis, cui incardinatus fuit per ordinationem. Quae quidem licentia videtur esse etiam necessaria, si talis clericus intrat in ordinem religiosum; non autem est concedenda nisi post diligens examen super vita et moribus et post congruum iudicio ipsius Ordinarii experimentum.

Clericus *maior*, qui ad statum laicalem rediit, ut inter clericos denuo admittatur, indiget licentia S. Sedis[4].

SECTIO II.
De clericis in specie.

Connexio materiae. Postquam dictum est de iis, quae spectant ad omnes clericos in communi, nunc dicendum est de diversis clericorum gradibus in specie. Praemittuntur autem nonnullae notiones de divisionibus territorialibus, et deinde agitur 1° de suprema potestate, de Summo Pontifice deque iis, qui eiusdem sunt aliqualiter ministri; 2° de potestate episcopali deque iis, qui de eadem participant.

[1] c. 211.
[2] c. 211 et 214. Codex loquitur tantum de metu gravi, sed quia asserit clericum esse *coactum* gravi metu, nemo cogitur nisi metu exterius et *iniuste* iniecto. Ideo clericus non videtur posse impugnare obligationes clericales, nisi quia passus est gravem metum iniustum. [3] c. 213. [4] c. 212.

Q. 92. *Quaenam sint divisiones territoriales in Ecclesia vigentes?*

R. 1. Distinguuntur 1) provinciae ecclesiasticae, quae comprehendunt complures dioeceses suffraganeas; 2) dioeceses, abbatiae vel praelaturae nullius, vicariatus et praefecturae apostolicae; 3) vicariatus foranei vel decanatus vel archipresbyteratus, qui comprehendunt plures paroecias eiusdem dioecesis; 4) paroeciae vel quasi-paroeciae, quae sunt distinctae partes territoriales eiusdem dioecesis vel vicariatus apostolici habentes peculiarem ecclesiam peculiaremque rectorem tamquam proprium pastorem. Quasi-paroeciae non inveniuntur nisi in vicariatibus aut praefecturis apostolicis. In erectione quasi-paroeciae observanda est Instructio S. C. Prop. Fidei data d. 25 Iul. 1920[5].

Propter speciales difficultates (pecuniarias aut politicas) aliquando nequit erigi in paroeciam aliquod peculiare territorium habens peculiarem ecclesiam et rectorem. Talia territoria solent vocari rectoratus, expositura aliisque nominibus, et inibi imprimis sunt observanda statuta particularia.

2. Ad solam Curiam Romanam pertinet erigere, aliter circumscribere, dividere, unire, supprimere provincias ecclesiasticas, dioeceses, abbatias vel praelaturas nullius, vicariatus vel praefecturas apostolicas. In iure abbatiae vel praelaturae nullius aequiparantur dioecesi; pariter episcopo abbates vel praelati nullius, nisi tamen ex natura rei vel ex contextu sermonis aliud constet[6]. Sic e. gr. abbates vel praelati nullius, qui non habent ordinem episcopalem, evidenter nequeunt conferre ordinem presbyteratus.

3. Sine speciali licentia S. Sedis nequeunt constitui paroeciae pro diversitate sermonis seu nationis fidelium in eadem civitate vel territorio degentium, nec paroeciae mere familiares aut personales. Sin autem tales paroeciae iam exsistunt, nihil est innovandum, inconsulta S. Sede[7]. Ratio huius legis est, quia ex huiusmodi paroeciis nationalibus vel personalibus aliquando oriuntur dissidia aliaque inconvenientia.

4. Si episcopus nequit suum territorium dividere in decanatus, archipresbyteratus etc. (de quibus supra) ob circumstantias infaustas, consulat S. Sedem, nisi ab eadem fuerit provisum[8].

TITULUS VII.

De suprema potestate deque iis, qui eiusdem sunt ecclesiastico iure participes.

CAPUT I.

De Romano Pontifice.

Q. 93. *Quaenam sint praerogativae Romani Pontificis?*

R. Cum Romanus Pontifex sit legitimus successor S. Petri, omnia iura principi Apostolorum collata in eum transferuntur. Haec autem iura sunt:

[5] Acta Ap. Sed. XII 331 sqq. [6] c. 215, § 2.
[7] c. 216, § 4 et Pontif. Com. d. 20 Maii 1923 (Acta Ap. Sed. XVI 113).
[8] c. 217, § 2.

1. *perfectissima potestas ordinis.* Licet quidem potestas ordinis quantum ad essentiam non sit maior in Papa quam in quolibet alio episcopo, tamen exercitium huius potestatis, quod in episcopis tam multipliciter limitatum est (e. gr. quantum ad tempus, ad locum, ad rubricas etc.), nullos *iuris ecclesiastici* limites in ipso habet. Hinc Papa potest ubique terrarum quolibet ritu potestatem ordinis exercere.

2. *perfectissima potestas iurisdictionis seu primatus iurisdictionis*[9]. Nullus omnino actus iurisdictionis eius potestatem transcendit, cum Papa sit supremus legislator, magister, iudex et rector in omnibus rebus, quae ad fidem et mores et regimen Ecclesiae in toto orbe terrarum pertinent[10]. Complures causae graviores iurisdictionis, e. gr. beatificatio, canonizatio, dispensatio in votis sollemnibus etc., exclusive reservantur iurisdictioni papali. Quaenam autem sint istae causae graviores, in singulis materiis dicetur. Haec potestas est vere episcopalis, ordinaria et immediata cum in omnes et singulas ecclesias tum in omnes et singulos pastores et fideles, a quavis humana auctoritate independens[11]. Hinc potestas Papae est super Concilium etiam oecumenicum neque dependet ab ullo gubernio civili. Ex primatu Romani Pontificis fluit etiam eius infallibilitas magisterii, quae reddit ipsum infallibilem, quoties pro universa Ecclesia in rebus fidei et morum ex cathedra loquitur, sive declarando doctrinam catholicam, sive damnando haereses.

Romanus Pontifex, legitime electus, *statim* ab acceptata electione obtinet iure divino hanc plenam *iurisdictionis* potestatem[12]. Profecto si quis eligitur, qui non est episcopus, prius debet episcopus consecrari, quam habeat potestatem ordinis episcopalis. Si contingat, ut Romanus Pontifex renuntiet officio suo, ad eiusdem renuntiationis validitatem non est necessaria cardinalium aliorumve acceptatio[13]. Deus igitur, qui contulit dignitatem papalem, ipse quoque renuntiationem acceptat. Coelestinus V revera resignavit.

3. *primatus honoris seu summa dignitas honorifica*, quae nulli alii homini debetur, sc. tituli, insignia et signa reverentiae.

a) **Tituli.** Vocatur Summus Pontifex, Papa[14], Vicarius Christi, Sanctissimus Pater, Sanctitas Sua; se ipsum autem in sollemnioribus litteris vocat „servum servorum Dei"; episcopos appellat fratres, alios autem fideles omnes (etiam cardinales) vocat filios vel filias.

b) **Insignia.** Romanus Pontifex gestat in aliquibus sollemnioribus functionibus *tiaram* (sive triregnum), quae significat triplicem eius potestatem, sc. *paternam* in omnes fideles, *pontificiam* in omnia sacra, *temporalem* in ditione ecclesiastica. Portat semper in Missa sollemni *pallium* ad significandam plenitudinem potestatis. Papa non gestat baculum episcopalem, cuius forma curva in superiore parte videtur significare iurisdictionem limitatam, sed ei praefertur *pedum* rectum, quod in summitate crucem habet, i. e. vexillum Christi morientis et regnantis. Papa iter faciens secum ducere solet ss. Eucharistiam.

[9] Cf. Conc. vat. de Eccl. c. 1 2 3. [10] c. 218, § 1.
[11] Ib. § 2. [12] c. 219. [13] c. 221.
[14] Antiquis temporibus episcopi quoque appellabantur nomine papae.

c) **Signa reverentiae.** Nomen Papae in canone Missae et in publicis orationibus commemoratur. Illi, qui eum visitant, osculantur crucem fixam super sandalia; hodie autem osculatio manus haud raro substituitur. Medio aevo reges et imperatores exhibebant officium *strepae et stratoris*, quando Papa ascendebat equum. Papa agnoscitur ut primus inter principes catholicos, eiusque Legati aut Nuntii in aulis principum solent primum locum obtinere.

Praeter primatum in universam Ecclesiam alias quoque dignitates obtinet Romanus Pontifex, sc. est a) *Patriarcha Occidentis*, sic vocatus iam a primis saeculis aerae christianae; b) *Primas Italiae*, quatenus in Italia obtinet eum gradum, quem in reliquis terris primates adipiscuntur; c) *Metropolita provinciae Romanae*, ad quam pertinent omnes episcopi, qui inter pisanam et capuanam provinciam sedent, omnes totius mundi archiepiscopi, qui non habent suffraganeos, sicuti etiam omnes episcopi directe subiecti S. Sedi, omnes abbates nullius; d) *Episcopus dioecesis Romanae*, quae comprehendit urbem Romam et territorium circumiacens; e) *Princeps civilis* in sic dicto „Patrimonio Petri". Nullum dubium est, quin Papa ius ad hoc regimen civile etiam nostris diebus retineat, etsi propter occupationem iniquam laicam illud exercere nequit.

Q. 94. *Quid notandum sit de electione Summi Pontificis?*

R. 1. Quamvis probabilius *iure divino* episcopus Romanus succedat S. Petro[15], ita ut episcopus Romanus semper sit Summus Pontifex, et quidem ex institutione Christi, tamen, quonam modo, utrum electione an nominatione etc., Summus Pontifex sit instituendus, nihil est statutum iure divino, atque in revelationis divinae fontibus nihil invenitur de modo constituendi Summum Pontificem.

2. Certissimum est, nullam civilem potestatem posse se ingerere in electione Summi Pontificis. Etenim Ecclesia est societas perfecta, quae se ipsa regit independenter a quocumque alio homine. Praeterea eligere Summum Pontificem pertinet ad hierarchiam ecclesiasticam, a qua laici excluduntur[16].

3. Utrum Summus Pontifex possit sibi ipse successorem designare, valde controvertitur[17]. Omnes quidem concedunt, Summum Pontificem excedere potestatem suam, si velit eligere suum successorem absque urgentissima necessitate; sed in casu extraordinario, cur id fieri nequeat,

[15] Cf. *De Groot*, Summa apol. q. 15, a. 5.

[16] Nonnulla quidem capita regni (Galliae, Hispaniae, Austriae) ex licentia tacita, non autem ex concessione auctoritativa, potuerunt cardinalem minus gratum excludere, per sic dictum „Veto" ne eligeretur, sed haec licentia nunc est expresse revocata. Pius X enim (const. „Commissum nobis" d. 20 Ian. 1904) statuit: „In virtute sanctae obedientiae, sub interminatione divini iudicii et poena excommunicationis latae sententiae speciali modo reservatae futuro Pontifici, omnes et singulos S. R. E. cardinales tam praesentes quam futuros pariterque secretarium S. Collegii cardinalium aliosque omnes in Conclavi partem habentes prohibemus, ne quovis praetextu a quavis civili potestate munus recipiant ‚Veto' sive ‚Exclusivam', etiam sub forma simplicis desiderii, proponendi, ipsumve hoc Veto qualibet ratione sibi cognitum patefaciant."

[17] In longum et latum de hac controversia disserit *Fel. Cappello*, De Curia Romana II, lib. 3, c. 1, a. 12.

nulla videtur adduci posse ratio convincens. Felicem III (IV) (526—530) revera suum successorem sc. Bonifatium II designasse vix negari potest[18].

4. Cum ex iure divino electio Summi Pontificis neque pertineat ad Concilium oecumenicum neque ad Collegium cardinalium, neque alius modus determinatus sit, Papa potest ex iusta causa libere mutare leges de electione Summi Pontificis.

Modus eligendi Summum Pontificem varius pro variis temporibus fuit:

a) Usque ad Constantinum Imperatorem electio Summi Pontificis facta est, sicuti tunc temporis fiebat electio aliorum episcoporum, sc. petitione populi, electione cleri et vicinorum episcoporum.

b) A Constantino usque ad saeculum VIII imperatores suam auctoritatem haud raro immiscuerunt electioni cum detrimento libertatis eligentium. Sic Odoacer, Theodoricus, Iustinianus sibi usurparunt ius confirmandi electionem Summi Pontificis.

c) A S. Zacharia (a. 741) usque ad Alexandrum II (a. 1179), translato imperio romano ad reges Francorum et imperatores Germaniae, electio Summi Pontificis magis quidem libera fuit et immunis a concursu populi, sed etiam magis pendebat a voluntate imperatorum, qui sibi arrogaverunt ius nominandi Summum Pontificem, ita ut electio quasi illusoria esset.

d) Alexander III in Concilio lateranensi III a. 1179 statuit, ut ad valorem electionis Summi Pontificis duae tertiae partes praesentium cardinalium requirerentur et sufficerent. Gregorius X (a. 1274) disciplinam „Conclavis" instituit ad impediendam longiorem vacationem Sedis Apostolicae[19]. Rigorem vero de parcimonia cibi a Gregorio X praescriptum mitigavit Clemens VI[20]. Iulius II[21] et Concilium lateranense V[22] statuerunt omnem electionem simoniacam esse non solum illicitam, sed prorsus invalidam. Hinc propter vitium simoniae electionem Alexandri VI fuisse invalidam putaverunt quidam, e. gr. *Grauert*[23]. Pius X const. „Vacante Sede Apostolica" d. 25 Dec. 1904 n. 79 constitutionem Iulii II partialiter revocavit, statuens, electionem simoniacam esse quidem graviter illicitam, sed non invalidam. Constitutione modo allegata Pius X sapienter et accurate modum electionis papalis determinavit; quae quidem constitutio unice nunc observanda est[24] et propterea inserta est in novo Codice iuris canonici.

5. Electione Summi Pontificis rite facta et acceptata, iurisdictio super totam Ecclesiam electo statim confertur, non a Collegio cardinalium, sed immediate a Deo. Unde optimo iure Innocentius III declaravit: „Potestas nostra non est ex homine, sed ex Deo."[25]

6. Ius eligendi Romanum Pontificem iuxta disciplinam vigentem exclusive pertinet ad cardinales S. R. E., idque etiam tempore oecu-

[18] „Deum quibus possum precibus exorando, hoc mihi ipso fateor aspirante compertum, ut, si me Deus pro voluntate sua de hac luce, sicut habet humana conditio, transire praeceperit, ut Bonifatius archidiaconus, qui ab ineunte aetate sua in nostra militavit Ecclesia, episcopatus honore suscepto, in qua proceditis, Deo adiuvante, Romanam gubernet Ecclesiam" (Lib. pontificalis ed. *Duchesne* I, 1886, 282).

[19] c. 3, I 6 in VI°. [20] Const. „Licet" d. 6 Dec. 1351.

[21] Const. „Cum tam divino" d. 14 Ian. 1506. [22] Sess. 5.

[23] Hist. Jahrb. XIX 827 sqq. [24] c. 160. [25] c. 13 X 2, 1.

menici Concilii (quod morte Papae est suspensum, donec novus Pontifex illud resumi et continuari iusserit)[26]. Cardinales absentes vocandi sunt, eorum autem adventus non est necessario exspectandus; hinc die 16 post vacationem Sedis electio fieri potest et die 19 fieri debet[26a]. Absentes cardinales nequeunt eligere per procuratorem. Electio Summi Pontificis fieri quidem potest sive per inspirationem sive per compromissum sive per scrutinium, sed iam diu non usuvenit nisi electio per scrutinium. Si quando electio Summi Pontificis esset celebranda extra Urbem, tunc observanda sunt ea, quae Leo XIII statuit const. „Praedecessores nostri" d. 25 Maii 1882[27].

7. In Summum Pontificem valide eligi potest quilibet christianus masculus (etiam laicus); ad *licitam* autem electionem requiritur, ut electus praestet cum sanctitate vitae tum rerum gerendarum peritia[28].

Q. 95. *An potestas Summi Pontificis possit restringi aut amitti?*

R. 1. *Potestas* Summi Pontificis non semel fuit restricta in conclavi per sic dictas „Capitulationes"; e. gr. eligendus debuit iurare se non creaturum esse novos cardinales absque consensu aliorum cardinalium. Huiusmodi Capitulationes feliciter cessaverunt inde ab Innocentio XII, illasque fuisse non solum illicitas sed etiam invalidas tenuit probabilior sententia[29]. Quod quidem nunc est certum, cum Pius X const. „Vacante Sede Apostolica" n. 83 eas expresse declaraverit nullas et irritas, quamvis iuramento fuerint confirmatae.

2. *Exercitium* potestatis sibi ipse restringit Summus Pontifex aliquando in Concordatis cum guberniis civilibus. Ad bonum enim alicuius regni procurandum et ad pacem cum guberniis servandam Papa haud raro facit magnas concessiones, quas iam nequit revocare sine urgentissima causa.

3. *Amittitur* potestas Summi Pontificis: a) *morte ipsius.*

Cum autem tempore Sedis Apostolicae vacantis nihilominus Ecclesia sit administranda, Pius X in saepe citata constitutione „Vacante Sede Apostolica" accurate determinavit, quomodo sit agendum. Sic retinent officium suum Cardinalis Poenitentiarius maior et Cardinalis Camerarius. Item legatorum, nuntiorum et delegatorum apostolicorum officium et potestas non cessant Sede vacante. Sacrae Congregationes nullam potestatem habent in iis, quae Sede plena facere et expedire non potuerunt nisi „facto verbo cum SS^mo^ vel ex auctoritate SS^mi^", vel vigore specialium et extraordinariarum facultatum (e. gr. dispensandi super matrimonio rato). Facultates vero propriae et ordinariae harum Congregationum non exstinguuntur morte Pontificis[30].

b) *resignatione propria,* de qua iam supra sermo fuit.

[26] c. 229. [26a] Pius XI Motu proprio d. 1 Mart. 1922.

[27] Cf. Pii X const. „Vacante Sede Apostolica" n. 54 sqq.

[28] Nulla lex hodie exsistit praescribens, ut Romanus Pontifex ex clero romano aut italo vel ex Collegio Cardinalium assumatur. At inde a Hadriano VI (1522—1523), qui fuit Batavus, omnes Summi Pontifices fuerunt Itali.

[29] Cf. *Benedict. XIV*, De syn. dioec. l. 13, n. 20.

[30] Cf. *Benedict. XIV*, De syn. dioec. l. 13, n. 22—26.

c) *Amentia perpetua* et *haeresi formali ipsius.* Ita saltem probabiliter.

Et primo quidem Papa amittit officium, si cadit in amentiam perfectam et perpetuam. Ratio est, quia is, qui cadit in perfectam amentiam, iam non est capax actus humani ac proinde nec actus iurisdictionis. Neque quis dicat, in hoc casu posse designari vicarium generalem Summi Pontificis; nam, si Summus Pontifex revera maneret Papa, tunc ille vicarius non haberet primatum iurisdictionis nec a fortiori donum infallibilitatis, cum nonnisi unus his praerogativis a Christo ornatus sit. Hoc autem vergeret in maximum detrimentum Ecclesiae. — Per haeresim certam et notoriam Papam amittere suam potestatem auctores quidem communiter docent, sed utrum iste casus revera possibilis sit, merito dubitatur. Supposito autem quod Papa ut *homo privatus* (nam ut Papa nequit errare in fide, cum sit infallibilis) in haeresim incideret, quomodo tunc privaretur sua potestate, a diversis diversae sententiae sunt excogitatae; quae tamen omnes non excedunt limites probabilitatis[31]. Certum est, hucusque nullum exemplum in tota historia inveniri, quod verus Papa inciderit etiam ut homo privatus in manifestam haeresim formalem. — Summum Pontificem non posse propter alia vitia quantumvis enormia amittere suam potestatem nec deponi, certum est apud omnes scriptores catholicos.

CAPUT II.

De Concilio oecumenico (remissive).

Supra q. 21 tractavimus, quomodo Concilia sive oecumenica sive alia sint fontes iuris. Nihil addendum esse videtur iis, quae ibi dicta sunt.

CAPUT III.

De S. Romanae Ecclesiae Cardinalibus.

Q. 96. *Unde nomen et officium Cardinalium originem duxerint?*

R. 1. *Nomen* Cardinalis derivatum est a cardine. Cardo autem significabat antiquis temporibus ecclesiam episcopalem vel aliam ecclesiam principalem, cui clerici adscribebantur; isti autem clerici (sive episcopi, sive presbyteri, sive diaconi) huiusmodi ecclesiis adscripti vocabantur incardinati seu Cardinales[32]. Nomen Cardinalis ante tempora S. Silvestri Papae exstitisse non constat[33]. Progrediente tempore, sicut nomen Papae, olim omnibus episcopis commune, factum est proprium episcopi romani, ita nomen Cardinalis reservatum est primis consiliariis Romani Pontificis. Tandem S. Pius V[34] expresse prohibuit, ne clerici non solum aliarum ecclesiarum, sed nec etiam romanae Ecclesiae praeter 6 episcopos suburbicarios, 50 presbyteros et 14 diaconos gestarent

[31] Videsis *Caietan.*, De auctorit. Papae et Concilii tract. 1, c. 17; *Billot*, De Ecclesia q. 14, thes. 19; *Wernz*, Ius Decr. II, n. 615.

[32] Papa Zacharias in epistula ad Pipinum a. 748 loquitur de aliquo canone Concilii neocaesareensis quarto saeculo celebrati, in quo agebatur „de presbyteris agrorum, quam oboedientiam debeant exhibere episcopis et presbyteris cardinalibus" (*Migne*, P. l. 89, 933; *Jaffé*, Regesta n. 2277).

[33] Cf. *Ferraris*, Prompta Bibl. s. v. Cardinalis a. 1, n. 3.

[34] Const. d. 17 Febr. 1568.

nomen Cardinalis. Usque ad Honorium II (1124—1130) exsistebant etiam Cardinales subdiaconi, acolythi, clerici. — Numerus Cardinalium non semper idem fuit. Ante saeculum duodecimum videntur fuisse circiter 50 Cardinales, a. 1331 non erant nisi 20 Cardinales; Paulus IV statuit numerum 40, Gregorius XIII 76. Sixtus V[35] ad instar 70 seniorum in Vet. Testamento statuit, ut numerus Cardinalium non excedat 70. Et ita adhuc est nostris diebus[36], nempe 6 pertinent ad ordinem episcopalem, 50 ad ordinem presbyteralem, 14 ad ordinem diaconalem. Raro tamen omnes tituli cardinalitii revera occupantur.

2. *Officium* Cardinalium primis decem saeculis erat administrare ecclesias, quibus incardinati erant. A Nicolao II (a. 1059) et ab Alexandro III (a. 1179) receperunt exclusivum ius eligendi Summum Pontificem. Saeculo duodecimo episcopi quoque residentes extra Urbem in collegium Cardinalium primo assumpti sunt, e. gr. Conradus, archiepiscopus moguntinus, a. 1165. Saeculo vero octavo iam episcopi sic dicti suburbicarii ad collegium Cardinalium pertinebant. Liber enim pontificalis[37] dicit de Stephano III (a. 769): „Hic statuit, ut omni die dominico a septem episcopis Cardinalibus hebdomadariis, qui in ecclesia Salvatoris observant Missarum sollemnia, super altare B. Petri celebraretur et Gloria in excelsis Deo ediceretur."

Iuxta vigentem disciplinam Cardinales constituunt senatum Romani Pontificis eiusdemque in regenda Ecclesia praecipui consiliarii et adiutores sunt[38]. Quam ob rem debent residere Romae, neque inde recedere sine licentia Papae; sed hac licentia non indigent sex Cardinales episcopi suburbicarii. Cardinales, qui sunt episcopi aliarum dioecesium, debent quidem in propriis dioecesibus residere, sed cum Romam venerint, Papam adeant, a quo debent obtinere licentiam, antequam Roma iterum discedant[39].

Officium cardinalatus esse iuris divini, nonnulli auctores putaverunt[40]. Quae quidem sententia eo sensu sustineri potest, quod Papa ex iure divino debeat habere in regimine totius Ecclesiae coadiutores et consiliarios permanentes, idque praeter episcopos propriis dioecesibus praepositos. Est enim plane impossibile, Papam totam administrationem Ecclesiae per se ipsum solum gerere; pariter est impossibile, episcopos propriis dioecesibus praepositos posse sufficienter adiuvare Papam in regimine universae Ecclesiae. At si quis eousque procedit, ut asserat, Cardinales esse veros successores Apostolorum, immo Apostolos fuisse Cardinales Christi et post Christi ascensionem illos fuisse Cardinales S. Petri, vel: „Senatui Apostolorum succedit collegium sacrum Cardinalium quantum ad illum statum, quo Apostoli consistebant Petro, antequam fierent particularium ecclesiarum episcopi"[41], tunc tales locutiones sunt potius lepidae comparationes quam veritates solide probatae. *Wernz*[42] opinionem asserentem Cardinales esse institutionis divinae vocat merito plane improbabilem; „nam neque in S. Scriptura neque in

[35] Const. „Postquam verus" d. 3 Dec. 1586. [36] c. 231, § 1.
[37] Ed. *Duchesne* I 478. [38] c. 230.
[39] c. 238. [40] Cf. *Bouix*, De Curia Rom. 47.
[41] *Ferraris* l. c. s. v. Cardinalis a. 1, n. 2. [42] Ius Decr. II 624.

Traditione divina ullum habet solidum fundamentum, immo dignitas cardinalitia ne institutionibus quidem Apostolorum adnumerari potest".

Q. 97. *Quomodo Cardinales creentur?*

R. 1. Ius creandi Cardinales est penes solum Romanum Pontificem, qui illos „ex omnibus christianitatis nationibus, quantum commode fieri poterit, assumet"[43]. Romanus Pontifex prorsus liber est in creatione Cardinalium; quare neque a collegio Cardinalium neque ab aliquo gubernio civili consensum vel propositionem quaerere tenetur. Quodsi nihilominus Papa ante creationem interrogat Cardinales praesentes: „Quid vobis videtur?" hoc est mera caerimonia; vel si quando Papa illos Cardinales creat, qui sunt praesentati a gubernio civili, haec mera liberalitas est.

2. Forma creationis Cardinalium nulla essentialiter requiritur, sed sufficit sola manifestatio voluntatis Papae; solent tamen Cardinales creari in Consistorio. Hinc simpliciter statuitur: „Cardinales creantur et publicantur a Romano Pontifice in Consistorio sicque creati et publicati obtinent ius ad electionem Romani Pontificis et privilegia."[44] Aliquando autem Papa non publicat nomen Neo-Cardinalis, sed eum, uti dicitur, „in pectore reservat" (Cardinale in petto). Ratio huius reservationis communiter est aliquod impedimentum dissuadens publicationem nominis, e. gr. aliquis clericus valde dignus quodam officio occupatus est, quod non potest congrue dimittere, quod tamen deberet dimittere, si esset publice creatus Cardinalis. Si nunc creatur Cardinalis „in pectore", habet sic dictum privilegium „anciennitatis", i. e. nunc quidem nullis gaudet iuribus aut privilegiis Cardinalium, sed, postquam a Romano Pontifice eius nomen publicatum fuerit, iisdem fruitur a publicatione, iure vero praecedentiae a reservatione in pectore[45]. Sin autem Papa moritur sine publicatione nominis, creatio in pectore reservata nullum effectum producit, et taliter creatus non habet vocem in electione Papae. Aliquando sat magnae difficultates ortae sunt ex reservatione in pectore[46].

3. *Qualitates* eorum, qui Cardinales creandi sunt, debent esse plane egregiae. Nihil enim magis Ecclesiae Dei est necessarium, quam ut Romanus Pontifex lectissimos tantum Cardinales adsciscat[47]. Cardinales debent esse viri saltem in ordine presbyteratus constituti, doctrina, pietate ac rerum agendarum prudentia egregie praestantes. A cardinalatus dignitate arcentur: a) illegitimi, etiamsi per subsequens matrimonium fuerunt legitimati; itemque alii irregulares vel a sacris ordinibus impediti secundum canonicas sanctiones, etsi cum ipsis antea legitime fuit dispensatum ad ordines vel etiam ad dignitatem episcopalem suscipiendam. Qui igitur aliquo modo irregularis fuit, eget speciali dispensatione ad suscipiendam dignitatem cardinalitiam. b) qui

[43] Conc. trid. sess. 24, c. 1 de reform.; c. 232, § 1. [44] c. 233, § 1.
[45] Ib. § 2. [46] Cf. *Santi*, Praelect. iur. can. l. 1, tit. 31, n. 24.
[47] Conc. trid. sess. 24, c. 1 de reform.

fuerunt matrimonio iuncti et adhuc habent prolem vel nepotem ex hoc matrimonio; c) qui primo aut secundo gradu consanguinitatis alicui Cardinali viventi coniuncti sunt [48]. Duo igitur fratres aut consobrini non possunt esse insimul Cardinales, nisi Papa specialiter dispensavit.

4. Promotus absens a Curia debet in recipiendo birreto rubro iurare, se intra annum, nisi legitimo detineatur impedimento, aditurum esse Summum Pontificem [49].

5. Nisi aliter in casibus particularibus fuerit a S. Sede provisum, per promotionem ad cardinalatum non solum ipso facto vacant dignitates omnes, ecclesiae, beneficia, quae promotus possideat, sed etiam pensiones ecclesiasticae amittuntur [50]. Ratio huius statuti est cardinalatus eminens dignitas, quae est aliqualiter incompatibilis cum aliis dignitatibus et beneficiis. Nihilominus episcopi residentiales (non suburbicarii), qui creantur cardinales, possunt retinere suum episcopatum [51]. Cardinales Romae residentes recipiunt a temporibus Pauli II (1464 ad 1471) quotannis pensionem 4000 scudi = circa 22 000 francorum (piatto cardinalizio). Praeterea recipiunt ex massa communi rotulum cardinalitium, qui quotannis circiter ad 1500 francos ascendit; deinde 500 francos pro expeditione litterarum. Nonnulli Cardinales, ut secretarius status, praefectus Congregationis de Prop. Fide, praeterea alios reditus habent.

6. Cardinales habent *ius optionis*, accedente tamen in unoquoque casu approbatione Summi Pontificis. De hoc iure optionis sint haec breviter dicta: a) Hoc ius regulatur iuxta prioritatem ordinis et promotionis. Sic si moritur Cardinalis ex ordine diaconali, alius antiquior promotione potest optare locum defuncti; si iam per decem annos in ordine diaconali fuit, potest optare etiam transitum ad ordinem presbyteralem; quo transitu facto locum obtinet ante omnes illos Cardinales presbyteros, qui post ipsum ad s. purpuram assumpti sunt. Si suburbicaria sedes vacat, Cardinales ex ordine presbyterali, qui momento vacationis sunt in Curia vel ab ea solummodo ad tempus absentes, possunt optare hanc sedem, servata prioritate promotionis. b) Cardinales episcopi suburbicarii non habent ius optionis. Cardinalis autem decanus, i. e. antiquior inter episcopos suburbicarios, praeter suam propriam sedem semper occupat quoque sedem ostiensem [52]. Cardinalis decanus est quidem primus, sed nullam exercet iurisdictionem in alios Cardinales [53].

Q. 98. *Quaenam sint privilegia Cardinalium?*

R. 1. Cardinales (etiam diaconalis ordinis) habent *praecedentiam* super omnes alios praelatos ecclesiasticos etiam Primates et Patriarchas et tantum subsunt Papae.

Quare Eugenius IV [54] edixit, post caput Ecclesiae, quod est Papa, contigua membra sui corporis, quae sunt fratres eius, Cardinales, prae ceteris Ecclesiae membris ac partibus honorari debere, et cardinalatus dignitatem esse maiorem

[48] c. 232, § 2. [49] c. 234 et 2397. [50] c. 235. [51] c. 238, § 3.
[52] c. 236. [53] c. 237. [54] Const. „Non mediocri" a. 1428.

et sublimiorem episcopali, archiepiscopali et patriarchali dignitate. Unde Cardinales assecuti sunt titulum Eminentiae vel Eminentissimorum. Cardinalis Legatus a latere, cum sit vicesgerens Summi Pontificis, extra Urbem praecedit omnes alios etiam Cardinales [55]. — Cum Cardinales sint et censeantur veri *principes*, etiam in curiis saecularibus solent locum tenere inter principes regnantes.

2. Cardinales habent specialia *insignia*, e. gr. purpurea vestimenta cum cappa magna, galerum, crucem pectoralem, mitram, baculum pastoralem etc. Cardinales ex ordinibus religiosis assumpti retinent colorem vestimentorum proprii ordinis, habent tamen galerum, birretum et pileolum rubrum.

3. Cardinales (etiam diaconalis ordinis) habent *omnia fere privilegia episcoporum*, idque ubique terrarum. Hinc possunt extra Urbem in omnibus ecclesiis pontificalia cum throno et baldachino peragere; debent tamen praemonere Ordinarium loci, si volunt pontificalia peragere in eius ecclesia *cathedrali*; illis debentur honores locorum Ordinariis tribui soliti, quocumque se conferant; ubique habent privilegium altaris portatilis; possunt celebrare Missam in mari; possunt benedicere populo more episcoporum; possunt consecrare vel benedicere ecclesias (cum consensu Ordinarii [56]), altaria, sacram supellectilem, calices, abbates. Excipitur tamen oleorum sacrorum consecratio, si Cardinalis charactere episcopali caret [57].

4. Cardinales (etiam diaconalis ordinis) possunt a) ubique terrarum audire confessiones omnium (etiam religiosorum utriusque sexus) et absolvere ab omnibus peccatis et censuris, exceptis solis [4] censuris Sedi Apostolicae specialissimo modo reservatis et illis, quae adnexae sunt revelationi secreti S. Officii. b) sibi suisque familiaribus eligere confessarium etiam non approbatum, qui tunc absolvendi facultatem obtinet, sicuti ipsi Cardinales. c) ubique terrarum verbum Dei praedicare. d) celebrare vel alii permittere, ut coram se celebret unam Missam fer. V in Coena Domini ac tres Missas in nocte Nativitatis Domini. e) benedicere ubique, solo crucis signo, cum omnibus indulgentiis a S. Sede concedi solitis, rosaria, numismata, cruces etc.; scapularia possunt imponere sine onere inscriptionis. f) sub unica benedictione erigere stationes Viae Crucis. g) celebrare ubique iuxta proprium calendarium. h) fruuntur altari privilegiato cotidiano. i) lucrari in propriis sacellis indulgentias, ad quas secus requisita est visitatio alicuius loci, in quo Cardinalis actu commoratur; quo privilegio etiam eorum familiares frui possunt. k) libere disponere etiam per testamentum de reditibus beneficiariis [58]; debent tamen res omnes divino cultui stabiliter destinatas non dare laicis [59]. Cardinales etiam ligati voto paupertatis videntur habere hanc liberam dispositionem redituum beneficiariorum. l) conferre primam tonsuram et ordines minores, dummodo

[55] c. 239, n. 18. [56] c. 1157. [57] c. 239, n. 20.
[58] Ib. n. 19. [59] c. 1298.

promovendus habeat proprii Ordinarii litteras dimissorias; item ministrare sacramentum confirmationis. m) concedere indulgentias 200 dierum.

5. Cardinales omnes habent vocem deliberativam, i. e. decisivam in Concilio oecumenico, et ipsi soli possunt Summum Pontificem eligere, ut iam supra dictum est.

6. Cardinales omnes possunt ingredi clausuram monialium[60]; non adstringuntur ecclesiastica librorum prohibitione[61]; a nemine nisi a Summo Pontifice possunt iudicari[62]; non comprehenduntur sub lege poenali, nisi expresse nominentur[63]. Quare ordinarie non incurrunt censuras aut irregularitates ex delicto. De privilegiis Cardinalium in suis titulis vel diaconiis aliisque ecclesiis Romae observandus est can. 240.

CAPUT IV.

De Curia Romana.

Q. 99. *Quid nomine Curiae Romanae intelligatur?*

R. 1. Curia Romana sumitur in sensu vel stricto vel lato. In sensu stricto Curia Romana est complexus omnium Congregationum, Tribunalium et Officiorum, quibus Summus Pontifex utitur ad *universalem* Ecclesiam regendam[1]. In sensu lato ad Curiam Romanam (quae melius Aula Romana, La Corte di Roma, vocatur) pertinent quoque administratio Status pontificii et omnes illi, qui sunt de „Famiglia pontificia". Cum ea, quae pertinent stricte ad hanc Familiam pontificiam, non sint magni momenti pro iure communi, Codex iur. can. de ea silet[2].

2. In singulis Congregationibus, Tribunalibus, Officiis servanda est disciplina et tractanda sunt negotia secundum normas cum generales tum particulares, quae a Romanis Pontificibus ipsis praestitutae sunt et notanter per Pium X[3]. Omnes, qui ad Congregationes, Tribunalia, Officia pertinent, ad secretum servandum tenentur intra fines et secundum modum ex disciplina unicuique propria determinatum[4].

3. Quamvis istae Congregationes, Tribunalia, Officia habeant competentiam singulis propriam et determinatam, tamen nihil grave aut extraordinarium in iis agi potest nisi certiorato Summo Pontifice, cuius

---

[60] c. 600, n. 3. [61] c. 1401. [62] c. 1557, § 1, n. 2.
[63] c. 2227, § 2. [1] c. 242.
[2] Nomen „Curia Romana" primo occurrit saec. decimo in Ordinibus Romanis (cf. *Mabillon*, Museum italicum II 67). De Curia Romana scripserunt praeter alios: *Io. Bapt. de Luca*, Relatio Curiae Romanae forensis eiusque Tribunalium et Congregationum, Coloniae Agrippinae 1685; *Lega*, Praelectiones II, De ordinatione Curiae Romanae (Romae 1898); *Baumgarten*, Der Papst, die Regierung und die Verwaltung der heiligen Kirche in Rom, mit Lebensbeschreibung Pius' X; *Hilling*, Die römische Kurie[2]; *Ortolan*, La Cour Romaine (Dict. de théol. par Vacant et Mangenot). Cum utilitate leguntur hac in re libri quotannis publici iuris facti, quibus nomen „Annuario Pontificio", „Annuaire pontifical catholique" par Battandier.
[3] Const. „Sapienti consilio" d. 29 Iun. 1908. [4] c. 243.

approbatio (ordinarie) requiritur pro gratiis vel resolutionibus dandis. Codex silet de approbatione in forma specifica et in forma communi, ac proinde iam non videtur usuvenire nisi una approbatio. Sententiae iudiciales Romanae Rotae et Signaturae Apostolicae non accipiunt approbationem Summi Pontificis[5]. Si controversia exoritur in casu particulari de competentia inter Congregationes, Tribunalia, Officia, eam dirimit specialis coetus Cardinalium, quem Summus Pontifex singulis vicibus designat[6].

Nunc agendum est singillatim: 1. de S. Congregationibus; 2. de Tribunalibus; 3. de Officiis.

ARTICULUS I.

De Sacris Congregationibus.

Q. 100. *Quaenam sit origo Congregationum Romanarum?*

R. Congregationes Romanae Cardinalium videntur originem ducere ex antiquo *presbyterio romano*, quod Romanos Pontifices adiuvabat in negotiis ecclesiasticis expediendis et in administratione Ecclesiae perficienda. Quod quidem presbyterium componebatur ex clericis romanae Ecclesiae; non raro autem suburbicarii quoque aliique in provincia romana residentes episcopi adsciscebantur, qui omnes constituebantur quasi σύνοδος δημοῦσα, i. e. synodus permanens. Istud autem presbyterium, crescente in dies multitudine negotiorum, non valuit perfecte omnia expedire. Quare Pontifices statutis temporibus Cardinales convenire iusserunt ad causas discutiendas et solvendas. Ex quibus conventibus paulatim duxerunt ortum *Consistoria Cardinalium.* Innocentius III ter in hebdomada coadunavit Cardinalium Consistorium, in quo omnes causae summa cum prudentia definiri solebant[7]. Sed nec Consistoria Cardinalium immensam multitudinem negotiorum pertractare valuerunt, ideoque Summi Pontifices instituerunt *permanentes* Congregationes Cardinalium et Tribunalia. Paulus III[8] instituit Congregationem S. Inquisitionis tamquam omnium primam. Similia fecerunt Pius IV, S. Pius V, Gregorius XIII, usquedum Sixtus V[9] totam administrationem Curiae Romanae inter 15 Congregationes distribuit. Postea alii Pontifices, e. gr. Clemens VIII, Clemens IX, Pius VII, alias Congregationes addiderunt; alii vero Pontifices quasdam Congregationes suppresserunt vel cum aliis coadunaverunt. Pius X[10] maximas mutationes circa Curiam Romanam induxit; Benedictus XV iterum aliquas Congregationes mutavit, ita ut iuxta vigentem disciplinam sint 11 vel 12 Congregationes, de quibus infra singillatim tractabitur; insuper habentur Consistorium Cardinalium, tria Tribunalia et quinque Officia.

Q. 101. *Quid sit Consistorium Cardinalium iuxta modernam praxim?*

R. 1. Consistorium (iuxta modernam praxim; nam aliter fuit medio aevo) est conventus totius Collegii Cardinalium in Curia praesentium coram Summo Pontifice ad quosdam actus sollemniores celebrandos.

---

[5] c. 244. [6] c. 245. [7] Cf. *Migne*, P. l. 214, 80.
[8] Const. „Licet ab initio" d. 21 Iulii 1542.
[9] Const. „Immensa Dei aeterni" d. 22 Ian. 1587 (1588).
[10] Const. „Sapienti consilio" d. 29 Iun. 1908.

2. Distinguuntur Consistoria *publica, semipublica, secreta.* Ad Consistorium *publicum* praeter Cardinales accessum habent episcopi Romae commorantes, praelati, proceres romani, corpus diplomaticum etc.; celebratur non saepe, sed tantum propter maiores sollemnitates, e. gr. ad sollemnem traditionem galeri novis Cardinalibus. Consistorium *semipublicum,* ad quod non solent habere accessum nisi Cardinales et episcopi, aliquando celebratur ante canonizationem beatorum. Ad Consistorium *secretum* soli Cardinales habent accessum; Papa in illo solet creare novos Cardinales, episcopos, dismembrare episcopatus, facere allocutiones magni momenti etc. Saeculis elapsis Consistoria secreta statutis intervallis, e. gr. quolibet mense, celebrabantur, sed nostra aetate nullum determinatum intervallum observatur.

Q. 102. *Quot et quid sint Romanae Congregationes Cardinalium?*

R. 1. Sunt undecim: 1. Congregatio S. Officii; 2. Congregatio Consistorialis; 3. Congregatio de disciplina Sacramentorum; 4. Congregatio Concilii; 5. Congregatio negotiis religiosorum sodalium praeposita; 6. Congregatio de Propaganda Fide; 7. Congregatio Sacrorum Rituum; 8. Congregatio caerimonialis; 9. Congregatio pro negotiis ecclesiasticis extraordinariis; 10. Congregatio de Seminariis et studiorum Universitatibus; 11. Congregatio pro Ecclesia orientali. — Nonnulli addunt Congregationem *reverendae Fabricae S. Petri,* sed ista Congregatio, cum solam rem familiarem Basilicae Vaticanae curet, non ita pertinet ad ius commune, proindeque eius mentio non fit in Codice iuris canonici; indicatur autem in officiali „Annuario Pontificio".

Praeter istas Congregationes exsistunt complures Commissiones Cardinalium in Curia Romana.

2. Congregationes Romanae sunt speciales Cardinalium coetus a Summo Pontifice *permanenter* instituti ad certa negotia ecclesiastica tractanda. Dico *permanenter* instituta, nam aliquando instituit Summus Pontifex modo transeunte coetus Cardinalium ad aliquod grave negotium discutiendum et perficiendum. De competentia singularum Congregationum infra singillatim agetur; hic generatim animadvertimus:

a) Congregationes non tractant nisi negotia fori *externi,* e. gr. institutionem episcoporum, leges disciplinares et liturgicas, beatificationem et canonizationem Sanctorum etc. Omnia autem, quae *forum internum* (sive sacramentale sive non-sacramentale) attingunt, reservantur S. Poenitentiariae. Quae autem pertinent ad *forum contentiosum,* reservantur S. Rotae vel Signaturae. Nonnulla tamen delicta iudicantur a S. Officio, ut quaest. seq. dicetur.

b) Omnia *decreta generalia* (non autem particulares responsiones) istarum Congregationum habent vim legis ecclesiasticae. Hinc non datur appellatio proprie dicta contra decisionem Romanae Congregationis. Nihilominus, si quis putat se esse iniuste oneratum aliqua decisione, potest petere „beneficium novae audientiae", quod Cardinalis praefectus Congregationis potest concedere vel denegare. Quodsi huiusmodi beneficium concessum est, denuo totum negotium tractatur et ultimo ponitur quaestio: „An sit standum vel recedendum a decisis in casu?", et responsio datur affirmativa vel negativa. Affirmativa responsio solet exprimi hoc modo: „In decisis." Aliquando etiam respondetur: „In decisis et amplius", quod significat, amplius non admitti hac in re novam petitionem vel quaestionem. — Antiquis temporibus prohibitum erat, ne quis excommunicatus vel alia censura irretitus aliquam gratiam obtinere posset, et proinde semper in concessione alicuius gratiae vel dispensationis prius dabatur ad cautelam absolutio ab omnibus censuris forsan incursis; iuxta modernam autem disciplinam „gratiae ac dispensationes omne genus a S. Sede concessae etiam censura irretitis validae sunt", nisi de iis agatur, qui sunt α excommunicati vitandi aut excommunicati per sententiam declaratoriam vel condemnatoriam; β) personaliter interdicti aut suspensi post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam[11].

c) Congregationes Romanae (et non S. Rota) exclusive tractant recursus factos contra Ordinariorum *decreta*[12]. Hinc e. gr. si quis parochus amotus a proprio episcopo vult facere recursum, debet adire S. Congregationem Concilii et non S. Rotam. Econtra recursus contra sententiam iudicialem Ordinarii faciendus est apud S. Rotam; cf. infra q. 104.

Q. 103. *Quid sit breviter notandum de singulis Congregationibus Romanis?*

R. 1. **S. Congregatio S. Officii.**

Origo. Paulus III[13] fundavit Congregationem compositam ex sex Cardinalibus, eo fine ut supremam iurisdictionem exerceat contra haereticos. Propterea vocata est quoque „Sacra et universalis Inquisitio". Usque ad id tempus Inquisitio haereticae pravitatis principaliter (non unice) demandata erat ordini Praedicatorum, qui inde multas persecutiones pertulit et haud paucos martyres protulit. Sixtus V hanc Congregationem tamquam *primam* et *supremam* omnium aliarum Congregationum ratam habuit et confirmavit. Pariter in novo Codice primo loco indicatur.

Organizatio. Praefectus huius Congregationis est ipse Summus Pontifex, qui tamen, cum ipse raro praesideat conventibus, hoc praesidium confert alicui Cardinali, qui vocatur *secretarius S. Officii.* Praeter istum secretarium complures alii Cardinales tamquam Inquisitores pertinent ad hanc Congregationem. Post Cardinales primum locum obtinet *assessor S. Officii,* qui solet esse praelatus ex clero saeculari. Munus eius est: praeparare negotia, praesidere in sessionibus consultorum etc. Secundum locum obtinet *commissarius S. Officii,* qui solet assumi ex ordine Praedicatorum, sicut et duo eius socii. Praeterea adsunt *promotor iustitiae,* qui est accusator publicus et „interesse fisci legemque tuetur"; *advocatus* reorum, summista, notarius aliique officiales. Omnes officiales tenentur initio sui officii emittere „iuramentum de fidelitate et silentio" atque incurrunt excommunicationem specialissime Papae reservatam[14], si hoc secretum iuratum non servant. Praeter officiales in hac Congregatione tamquam *consultores* funguntur complures clerici saeculares

[11] c. 36. [12] c. 1601.
[13] Const. „Licet ab initio" d. 21 Iulii 1542. [14] c. 239, § 1, n. 1.

et religiosi doctrina et scientia praeclari. Tamquam consultores nati habentur magister generalis ordinis Praedicatorum, magister S. Palatii et quidam alii.

Competentia. S. Officium est simul *tribunal iudicans* et *forum gratiae*. Tamquam tribunal (sive primae instantiae sive appellationis) iudicans iudicat de omnibus, quae pertinent ad fidem et mores, e. gr. de delictis haereseos, apostasiae, superstitionis, spiritismi etc.; de delictis confessarii sollicitantis ad turpia, de libris pravis, de propositionibus damnandis, de privilegio Paulino. — Tamquam forum gratiae haec Congregatio dat dispensationem super impedimentis disparitatis cultus vel mixtae religionis; dispensat *sacerdotes* celebrantes Missam (non autem laicos) super ieiunio eucharistico [15]; concedit facultatem legendi libros prohibitos; ad eam devoluta est ea res de indulgentiis, quae *doctrinam* spectat. Usus autem et concessio indulgentiarum pertinet ad S. Poenitentiariam [16].

Auctoritas S. Officii est quidem magna atque obligat omnes, pro quibus eius decisiones datae sunt. Verumtamen hae decisiones non solent esse leges generales, neque a fortiori sunt definitiones dogmaticae, nisi Summus Pontifex id expresse statuat in casu particulari per infallibilitatem magisterii et primatum iurisdictionis. Ex quibus patet, quid sit sentiendum de iudicio S. Officii in causa Galilei et de Commate Ioanneo.

2. **Congregatio Consistorialis.**

Origo. Fundata est haec Congregatio a Sixto V [17].

Organizatio. Ipse Summus Pontifex est praefectus, aliquis Cardinalis est secretarius. Secretarius S. Officii, praefectus Congregationis de Seminariis, secretarius status ipso iure ad hanc Congregationem pertinent. Inter consultores eiusdem semper sunt assessor S. Officii, secretarius Congregationis pro negotiis ecclesiasticis extraordinariis, secretarius Congregationis de Seminariis.

Competentia. Duas haec Congregatio easque distinctas partes complectitur. Ad primam spectat non solum parare agenda in Consistoriis, sed praeterea, *in locis Congregationi de Prop. Fide non obnoxiis*, novas dioeceses ac provincias et capitula tum cathedralia tum collegialia constituere; erigere vel supprimere dignitates in Capitulis; dioeceses iam constitutas dividere; episcopos, administratores apostolicos, coadiutores et auxiliares episcoporum constituendos proponere; canonicas inquisitiones seu processus super promovendis indicere actosque diligenter expendere; electos episcopos examinare quoad doctrinam. At si de viris eligendis vel de dioecesibus constituendis dividendisve agendum est cum guberniis civilibus, id pertinet ad Congregationem pro negotiis ecclesiasticis extraordinariis [18]. — Altera pars ea omnia comprehendit, quae ad singularum dioecesium regimen *universim* referuntur, e. gr. ad obligationes episcoporum, ad reditus et bona mensae episcopalis. Disciplina autem seminariorum demandata est Congregationi de Seminariis. Ad Congregationem Consistorialem pertinet quoque examinare relationes, quas episcopi de suis dioecesibus singulis quinquenniis debent mittere ad Curiam Romanam; pariter mittere visitatores apostolicos.

3. **Congregatio de disciplina Sacramentorum.**

Origo. Instituta est haec Congregatio a Pio X [19].

[15] c. 247, § 5. [16] c. 258, § 2.
[17] Const. „Immensa Dei aeterni" d. 22 Ian. 1587 (1588).
[18] c. 248, § 2. [19] Const. „Sapienti consilio" d. 29 Iunii 1908.

Organizatio. Congregationi huic, quemadmodum ceteris omnibus quae sequuntur (excepta Congregatione pro Eccl. orient.), est Cardinalis praefectus, cui adiunguntur secretarius aliique necessarii administri et consultores.

Competentia. Huic Congregationi demandata est universa legislatio circa disciplinam Sacramentorum; excipiuntur tamen tria: 1. ea, quae spectant ad dogmaticam doctrinam Sacramentorum, matrimonia mixta et ieiunium eucharisticum pro *sacerdotibus* Missam celebrantibus. Haec enim omnia pertinent ad S. Officium, ut iam supra dictum est. 2. ea, quae spectant ad caerimonias. Ea pertractantur a Congregatione S. Rituum. 3. illa omnia, quae *ordine iudiciario* tractanda sunt, e. gr. processus de divortio perfecto obtinendo. Illa spectant ad S. Rotam. Congregatio de disciplina Sacramentorum concedit: dispensationes matrimoniales (pro foro externo), licentiam binandi, dispensationes pro ordinibus suscipiendis etc.

4. **Congregatio Concilii.**

Origo. Pius IV [20] instituit Congregationem octo Cardinalium, quibus officium incubuit urgendi exsecutionem et observantiam decretorum Concilii tridentini. Pius V „oraculo vivae vocis" huic Congregationi concessit potestatem *authentice* interpretandi decreta *disciplinaria* Concilii tridentini. Idem confirmavit Sixtus V; sed Pius X videtur hanc potestatem tacite retractasse. Quare hodie iam nulla Congregatio, neque ullum Tribunal, valet authentice interpretari decreta disciplinaria Concilii tridentini. Ceterum hoc non est ultra necessarium, cum Benedictus XV [21] instituerit commissionem Cardinalium ad authentice interpretandos canones novi Codicis iuris ecclesiastici.

Organizatio. Cardinalis aliquis est praefectus, cui assistit secretarius (qui solet esse episcopus vel archiepiscopus titularis). Adiutores secretarii sunt subsecretarius, auditor, alii officiales compluresque consultores ex utroque clero. Adiunctum est huic Congregationi sic dictum Studium („studio"), in quo clerici iuniores iam laureati in utroque iure et a propriis episcopis commendati instruuntur a secretario et auditore in iure practico. Insuper huic Congregationi adiuncta est Congregatio *lauretana*, tractans de rebus pertinentibus ad Basilicam lauretanam.

Competentia huius Congregationis noviter circumscripta est post Pium X a Benedicto XV. Regula generalis est: Congregationi Concilii commissa est *universa disciplina* cleri saecularis populique christiani [22]. Quare ipsius est curare, ut christianae vitae praecepta serventur, qualia sunt ieiunium (excepto ieiunio eucharistico, quod pertinet vel ad S. Officium vel ad Congregationem de Sacramentis), abstinentia, decimae, observatio dierum festorum. Potest haec Congregatio opportune dispensare cum fidelibus in istis legibus; insuper moderatur ea, quae spectant ad parochos et canonicos, ad pias sodalitates et uniones (etiam in ecclesiis Religiosorum erectas), ad pia opera et legata, ad beneficia, officia et bona ecclesiastica, ad Missarum stipes, ad tributa dioecesana etc. Eidem reservata est facultas a) admittendi ad compositionem eos, qui occupaverunt bona ecclesiastica, etiam pertinentia ad Religiosos; b) permittendi, ut fideles acquirant bona ecclesiastica a gubernio civili usurpata. — Ad eandem pertinent ea omnia, quae ad Conciliorum celebrationem et recognitionem atque ad episcoporum coetus seu conferentias referuntur, extra tamen loca, quae subsunt Congregationi de Prop. Fide [23].

[20] Motu proprio „Alias nos" d. 2 Aug. 1564.
[21] Motu proprio „Cum iuris canonici" d. 15 Sept. 1917.
[22] c. 250, § 1. [23] Ib. § 4.

Etiam ea, quae respiciunt sacerdotes saeculares (sive alumnos sive magistros) in scholis *laicalibus*, pertinent ad hanc Congregationem [24].

Nota. Haec Congregatio solummodo procedit modo *disciplinari*; si est necessarius *processus iuridicus*, res deferenda est ad Tribunal competens, e. gr. ad S. Rotam.

5. **Congregatio negotiis religiosorum sodalium praeposita.**

Origo. Sixtus V [25] instituit Congregationem super consultationibus regularium et [26] aliam Congregationem iam sub Gregorio XIII exsistentem „pro consultationibus episcoporum et aliorum praelatorum" noviter ordinavit. Quae quidem duae Congregationes mox (ante a. 1610) in unam coaluerunt sub titulo: „super negotiis episcoporum et regularium". Pius X constitutione „Sapienti consilio" saepe iam allegata commisit negotia episcoporum Congregationi consistoriali; ea autem, quae ad religiosos utriusque sexus pertinent, demandavit Congregationi negotiis religiosorum sodalium praepositae.

Organizatio est eadem, quae communiter habetur in ceteris Congregationibus, quarum praefectus est aliquis Cardinalis. Adsunt tres adiutores, quorum primus curat ea, quae pertinent ad ordines religiosos proprie dictos; secundus ea, quae pertinent ad alia instituta religiosa virorum; tertius ea, quae respiciunt instituta religiosa mulierum.

Competentia. Haec Congregatio dicitur „occupatissima", quia ad illam pertinent negotia disciplinaria totius status religiosi utriusque sexus. Pariter ad illam pertinent negotia Tertiorum ordinum saecularium et sodalitatum piarum, quae sine votis vitam communem ducunt. Illi reservata est concessio *omnium* fere dispensationum religiosis sodalibus dandarum [27]. Excipitur sola dispensatio super ieiunio eucharistico a S. Officio concedenda [28]. Praecipue ad illam pertinent probatio novi instituti, fundatio novi conventus, indulta saecularizationis, appellationes contra superiores religiosos, dispensationes ab irregularitatibus religiosorum ordinandorum etc.

Ea autem, quae spectant ad validitatem ordinationis religiosorum vel ad obligationes Ordinibus maioribus adnexas, pertinent ad S. Officium vel ad S. Congregationem de sacramentis [29].

Nota. 1. Haec Congregatio omnia negotia solo modo *disciplinari* tractat; si quae negotia tractanda sunt ordine *iudiciario*, debent ad Tribunal competens et notanter ad S. Rotam deferri.

2. Religiosi ritus latini in locis missionum tamquam missionarii laborantes subiciuntur Congregationi de Prop. Fide, in quantum sunt *missionarii*; in quantum autem sunt religiosi, subiciuntur huic Congregationi [30]. Religiosi autem *ritus orientalis* subiciuntur novae Congregationi pro Ecclesia orientali, de qua infra.

6. **Congregatio de Propaganda Fide.**

Origo. Gregorius XV [31] est proprius fundator huius Congregationis, licet iam Gregorius XIII et Clemens VIII Commissionem Cardinalium instituerint pro fovendo catholicismo apud Graecos. Pius X aliquantum restrinxit et

[24] Coetus S. R. E. Card. d. 7 Dec. 1922 (Acta Ap. Sed. XV 39).
[25] Const. „Romanus Pontifex" d. 27 Maii 1587.
[26] Const. „Immensa Dei aeterni" d. 22 Ian. 1587.
[27] Cf. Decretum d. 24 Martii 1919 (Acta Ap. Sed. XI 251). [28] c. 251, § 3.
[29] Coetus S. R. E. Card. d. 7 Dec. 1922 (Acta Ap. Sed. XV 39). [30] c. 252, § 5.
[31] Const. „Inscrutabili" d. 22 Iunii 1622 et Motu proprio „Cum inter multiplices" d. 14 Dec. 1622.

territorium [32] et negotia huius Congregationis, a qua Benedictus XV omnia seiunxit, quae pertinent ad Ecclesiam rituum orientalium.

Organizatio. Iam non sunt duo Cardinales praefecti, alter praefectus generalis, alter praefectus rei oeconomicae curandae, sed unus est praefectus generalis. Accedit magnus numerus Cardinalium et consultorum; praeterea secretarius eiusque substitutus, protonotarius apostolicus, cui incumbit colligere ex terris missionum acta martyrum.

Competentia. Haec Congregatio habet facultatem tractandi, agendi et exsequendi ea omnia, quae sunt necessaria aut opportuna ad praedicandam doctrinam catholicam in locis missionum [33]. Hinc curat ea omnia, quae in istis locis ad conciliorum celebrationem et recognitionem pertinent; eidem subsunt societates ecclesiasticorum ac seminaria, quae *exclusive* fundata sunt ad instruendos missionarios pro exteris missionibus; quare etiam dispensationes ad ordines suscipiendos necessarias istis alumnis concedit. Haec autem Congregatio tenetur ad competentes alias Congregationes deferre ea negotia, quae aut fidem attingunt, aut causas matrimoniales, aut generales normas circa s. rituum disciplinam tradendas vel interpretandas [34].

Huic Congregationi nonnulla alia instituta connexa sunt, e. gr. Collegium Urbanum, Agentia generalis Reverendae Camerae spoliorum.

7. **Congregatio Sacrorum Rituum.**

Origo. Fundata est haec Congregatio a Sixto V per constitutionem „Immensa" iam saepe citatam.

Organizatio. Constituitur Cardinali praefecto, compluribus Cardinalibus, secretario, qui solet esse archiepiscopus titularis, et nonnullis officialibus, inter quos sacrista Sanctitatis Suae, magister S. Palatii, promotor fidei, magister caerimoniarum etc.

Competentia. Haec Congregatio habet ius videndi et statuendi ea omnia, quae *proxime* spectant ad liturgiam Ecclesiae latinae, non autem ea, quae latius ad liturgiam pertinent, ut e. gr. praecedentiam in processionibus. Concedit dispensationes opportunas super leges liturgicas, elargitur insignia et honoris privilegia tam personalia quam localia, quae ad s. ritus vel caerimonias pertinent. Praesertim autem ea omnia exsequi debet, quae ad beatificationem et canonizationem servorum Dei vel ad sacras Reliquias quoquo modo referuntur [35].

Auctoritas huius Congregationis est valde magna; quare eius decreta generalia in re liturgica habent vim legis ecclesiasticae universalis et solent publicari sub titulo: „urbi et orbi". Decreta autem eius particularia non obligant universaliter, ut per se patet.

8. **Congregatio caerimonialis.**

Origo. Fundata est a Sixto V per constitutionem saepe citatam „Immensa". Nihil speciale dicendum est de eius organizatione.

Competentia huius Congregationis versatur circa moderationem caerimoniarum in Sacello Aulaque pontificali servandarum, et sacrarum functionum quas Cardinales extra pontificale Sacellum peragunt; itemque cognoscit quaestiones de praecedentia Cardinalium et legatorum, quos variae nationes ad S. Sedem mittunt [36].

[32] Separavit enim Angliam, Scotiam, Hiberniam, Hollandiam, Luxemburg, Canadam, Status foed. Americae septentrionalis et Terram Novam (Neufundland).
[33] c. 252, § 1. [34] Ib. § 4. [35] c. 253, § 2. [36] c. 254.

9. **Congregatio pro negotiis ecclesiasticis extraordinariis.**

Origo. Pius VI a. 1793 fundavit Congregationem super negotiis ecclesiasticis regni Galliarum. Pius VII a. 1805 hanc Congregationem alio nomine vocavit, sc. „a negotiis ecclesiasticis extraordinariis".

Organizatio. Ante Pii X constitutionem „Sapienti consilio" haec Congregatio non habuit Cardinalem praefectum, sed dirigebatur a Cardinali secretario status. Nunc autem omnes Congregationes (praeter tres) habent Cardinalem praefectum. Cardinalis secretarius status habet maximum influxum in hac Congregatione; praeterea adsunt secretarius, subsecretarius aliique officiales, complures consultores. Insuper illi clerici iuniores, qui pontificalis diplomatiae cursum amplecti volunt, admittuntur tamquam „apprendisti" vel „aspiranti" et post examina feliciter peracta collocantur in diversis nuntiaturis pontificalibus.

Competentia huius Congregationis versatur praecipue circa ea negotia, quae inter Ecclesiam et diversa gubernia civilia tractantur, e. gr. in Concordatis faciendis vel mutandis, in novis dioecesibus constituendis dividendisve, in idoneis viris promovendis ad vacantes dioeceses, quoties de hisce cum civilibus guberniis agendum est. Insuper Congregatio tractat ea negotia, quae illi specialiter demandantur a Summo Pontifice per Cardinalem secretarium status.

10. **Congregatio de Seminariis et studiorum Universitatibus.**

Origo. Sixtus V per constitutionem „Immensa" saepe citatam fundavit Congregationem quinque Cardinalium „pro Universitate Studii Romani", cui insuper commisit curam aliarum orbis catholici Universitatum, e. gr. parisiensis, bononiensis, oxoniensis, salmanticensis etc. Leo XII[37] erexit Congregationem, cui incumbebat dirigere omnes omnino scholas tam Romae quam in ditione pontificia. Benedictus XV competentiam huius Congregationis valde ampliavit.

Organizatio. Constat haec Congregatio Cardinali praefecto, nonnullis Cardinalibus, secretario, officialibus et consultoribus. Secretarius et assessor Congregationis consistorialis semper sunt membra huius Congregationis.

Competentia. Vigilat haec Congregatio super omnibus, quae ad regimen, disciplinam, temporalem administrationem[38] et studia seminariorum pertinent, sed non nisi in locis, quae non subduntur Congregationi de Prop. Fide. Eidem pariter commissa est moderatio regiminis ac studiorum in Universitatibus et Facultatibus ab ecclesiastica auctoritate dependentibus; facultatem concedit academicos gradus in istis Universitatibus vel Facultatibus conferendi; ipsa quoque potest gradus academicos conferre viro singulari doctrina commendato[39]. Connexi sunt cum hac Congregatione coetus studiis provehendis et Sacrae Scripturae et historiae. Uterque coetus fundatus est a Leone XIII. Pius X d. 26 Febr. 1904 concessit priori coetui facultatem dandi gradus academicos in S. Scriptura.

11. **Congregatio pro Ecclesia orientali.**

Origo. Pius IX[40] tamquam propriam partem Congregationis de Prop.

[37] Const. „Quod divina sapientia" d. 24 Aug. 1824.
[38] Concessio quoque facultatis alienandi bona, quae spectant ad Seminaria dioecesana, pertinet ad hanc Congregationem. Ita Coetus S. R. E. Card. d. 7 Dec. 1922. (Acta Ap. Sed. XV 40).
[39] c. 256. [40] Const. „Romani Pontifices" d. 6 Ian. 1862.

Fide instituit Congregationem pro negotiis ritus orientalis. Benedictus XV[41] eam separavit et seorsum constituit sub titulo „S. Congregatio pro Ecclesia orientali" inde a 1 Dec. 1917 oriundam.

Organizatio. Ipse Summus Pontifex est praefectus, adsunt aliquot Cardinales, ex quibus unus est secretarius, cui adiunguntur assessor, complures officiales et consultores rerum orientalium periti.

Competentia. Haec Congregatio pro Ecclesiis ritus orientalis potitur omnibus facultatibus, quas aliae Congregationes, e. gr. Consistorialis, de Sacramentis, Rituum etc., pro Ecclesiis ritus latini obtinent; excipiuntur sola negotia, quae pertinent ad S. Officium, ut Privilegium Paulinum, doctrina dogmatica etc.[42] Si negotia sunt *mixta*, i. e. si partim ad Ecclesiam orientalem partim ad Ecclesiam latinam pertinent, haec Congregatio nihilominus est competens. Omnes autem controversias non dirimit nisi *via disciplinari;* quas vero *ordine iudiciario* dirimendas iudicavit, ad Tribunal remittet, quod ipsa Congregatio determinavit[43]. — Subditur quoque huic Congregationi „Institutum studiis rerum orientalium provehendis", quod Benedictus XV d. 15 Oct. 1917 fundavit.

ARTICULUS II.

De Tribunalibus Curiae Romanae.

Q. 104. *Quaenam Tribunalia habeantur in Curia Romana?*

R. Tria: S. Poenitentiaria, S. Rota Romana, S. Signatura Apostolica.

1. **S. Poenitentiaria,** cui praeficitur Cardinalis poenitentiarius maior, habet iurisdictionem amplissimam *in foro interno* cum sacramentali tum extra-sacramentali. Quare largitur gratias, absolutiones, dispensationes, commutationes, sanationes, condonationes; excutit et dirimit quaestiones conscientiae; iudicat de iis, quae ad usum et concessionem indulgentiarum spectant. Pars autem dogmatica indulgentiarum pertinet ad S. Officium, item novae orationes et devotiones iudicandae[44]. — Sede Apostolica vacante non cessat officium Poenitentiarii maioris. Petitiones dirigendae ad S. Poenitentiariam (All' Eminentissimo, Cardinale Penitenziere maggiore, Roma, Palazzo del S. Uffizio) possunt quidem scribi in qualibet lingua vulgari, sed rescriptum solet citius advenire, si in petitione adhibita fuit lingua latina. Petitiones faciendae sunt tecto nomine, si adest periculum laedendi sigillum sacramentale[45].

[41] Motu proprio „Dei providentis" d. 1 Maii 1917.
[42] c. 257, § 2. [43] Ib. § 3. [44] c. 258.
[45] Quantum ad historiam Tribunalis S. Poenitentiariae videsis *Göller*, Die päpstl. Poenitentiarie von ihrem Ursprung bis zu ihrer Umgestaltung unter Pius V. (Rom 1907—1908), 2 vol. Cum ex toto orbe christiano ad limina Apostolorum fideles solerent peregrinationes sanctas facere ibique conscientiam suam purgare vellent a peccatis et censuris, Romani Pontifices instituerunt Poenitentiarios, quibus amplissimas facultates absolvendi dispensandique dederunt. Inter tales Poenitentiarios Apostolicos eminet S. Raymundus de Peñaforte, qui in usum confessariorum primus scripsit „Summam de poenitentia et matrimonio", librum, qui mox ubique divulgatus est, commentariis auctus et ab aliis auctoribus adhibitus. Poenitentiariis iam saec. decimo tertio datus est praefectus, qui vocabatur Poenitentiarius maior et erat Cardinalis. Hodie in Tribunali S. Poenitentiariae

2. **S. Rota Romana.** Tribunal S. Rotae olim celeberrimum, deinde autem paulatim obsolescens, pristinum splendorem recuperavit per Pium X in saepe citata constitutione „Sapienti consilio". S. Rota est tribunal ordinarium pro appellationibus recipiendis constans certo auditorum numero, cui praesidet decanus, qui primus est inter pares [46]. Adsunt quoque nonnulli officiales, e. gr. promotor iustitiae, defensor vinculi et multi advocati rotales. Auditores debent esse sacerdotes et laurea doctorali praediti saltem in utroque iure; eorum electio reservatur Summo Pontifici; habent multa et magna privilegia, e. gr. privilegium immunitatis personalis a iurisdictione Ordinarii, non tenentur ad abstinentiam a carnibus et lacticiniis, possunt portare Mitram etc. [47] S. Rota ordinarie est tribunal *appellationis* in causis minoribus, nam *causae maiores* (sive tales sunt ratione obiecti sive ratione personarum, e. gr. si agitur de iudicio principis) penitus excluduntur ab ambitu competentiae huius Tribunalis [48]. Hinc iudicat in secunda instantia causas, quae a quorumvis Ordinariorum tribunalibus in prima instantia diiudicatae erant et ad S. Sedem per legitimam appellationem sunt delatae. Aliquando iudicat in *ultima* instantia causas, quae a se ipsa (sed in alio turno) et ab aliis tribunalibus in secunda vel ulteriore instantia iam cognitae sunt, sed nondum in rem iudicatam transierunt.— In non paucis casibus S. Rota non est tribunal appellationis, sed in prima instantia iudicat causas, et notanter eas, quas Romanus Pontifex illi commisit [49].

De modo iudicandi S. Rotae Pius X sapientissima statuta edidit, inter quae dignum est notatu, sententiam esse latine conscribendam et *rationes* tam in facto quam in iure *sub poena nullitatis* esse afferendas. Sic enim unusquisque potest videre, utrum error irrepserit.

Nota. S. Rota non recipit appellationes: 1. contra causas, quae pertinent ad S. Officium vel ad Congregationem Rituum [50]; 2. contra Ordinariorum decreta disciplinaria vel administrativa. Si huiusmodi appellatio seu recursus videtur necessarius, dirigendus est ad Congregationes Romanas, ad quarum competentiam materia pertinet [51].

3. **S. Signatura Apostolica** constat nonnullis Cardinalibus, quorum unus praefecti munere fungitur; est supremum tribunal et praesertim est tribunal *cassationis* contra sententias a S. Rota emanatas, e. gr. ob exceptionem suspicionis contra aliquem Rotae auditorem; concedit restitutionem in integrum adversus Rotae sententiam, quae in rem iudicatam transit; iudicat de conflictu competentiae, qui enatus est inter tribunalia inferiora [52]. Recursus ad Signaturam Apostolicam fieri potest infra *tres menses* ab accepto documento vel a cognita causa. Sententiae huius

complures officiales collaborant, e. gr. theologus, canonista, secretarius etc. Aliquo modo ad S. Poenitentiariam pertinent etiam *Poenitentiarii minores* in Basilicis Vaticana (Conventuales Minoritae), Lateranensi (Franciscani), S. Maria Maiore (Dominicani), licet isti in „La Gerarchia cattolica" non enumerentur.

[46] c. 1598, § 1. [47] Ita ex audientia Pii X d. 26 Iulii 1913.
[48] c. 1600. [49] c. 1559. [50] c. 259. [51] c. 1601. [52] c. 1603, § 1.

tribunalis vim habent, quamvis rationes in facto et in iure non contineant [53]. Est igitur aliter, ac supra pro Rotae sententiis dictum est. Aliquando etiam Signatura Apostolica, sive ad instantiam partis sive ex officio, exponit rationes praedictas. Sententiae latae ab hoc tribunali publici iuris fieri solent in Actis Apostolicae Sedis.

ARTICULUS III.

De Officiis Curiae Romanae.

Q. 105. *Quaenam sint Officia in Curia Romana iuxta vigentem disciplinam?*

R. Pius X constitutione saepe citata „Sapienti consilio" quinque Officia in Curia Romana statuit eorumque munia circumscripsit:

1. **Cancellaria Apostolica,** cui praeest Cardinalis Cancellarius S. Romanae Ecclesiae, habet proprium munus expediendi apostolicas litteras seu bullas pro beneficiorum et officiorum consistorialium provisione, novarum provinciarum, dioecesium, capitulorum institutione ac pro aliis maioribus Ecclesiae negotiis conficiendis [54]. Istae autem litterae aut bullae nequeunt expediri nisi aut de mandato Congregationis Consistorialis (si agitur de negotiis ad eius competentiam spectantibus) aut de expresso mandato Summi Pontificis (si agitur de aliis negotiis) [55].

Cum inde ab initio aerae christianae Summi Pontifices multas litteras miserint ad diversas ecclesias, ad episcopos, ad reges etc., et istae litterae procul dubio in aliqua cancellaria scriptae fuerint, recte dici potest, Cancellariam Apostolicam natam esse simul cum Curia Romana. Quae quidem litterae scribebantur in duplo, quarum alterae mittebantur ad personas destinatas, alterae conservabantur in Romanae Ecclesiae archivo (quod etiam vocabatur scrinium, chartarium, chartularium, bibliotheca). Officiales istius archivi nominabantur scriniarii, chartularii, notarii, eorumque praefectus vocabatur protoscriniarius, primicerius notariorum, et inde a saec. nono *cancellarius.* Cancellarii officium ab initio erat commissum non solum Cardinalibus, sed etiam aliis clericis; inde autem a saec. octavo non committebatur nisi Cardinali. Cardinalis cancellarius nunc etiam est notarius in Consistorio Cardinalium.

2. **Dataria Apostolica,** quam moderatur Cardinalis Datarius S. Romanae Ecclesiae, habet munus a) cognoscendi de idoneitate promovendorum ad beneficia non-consistorialia Apostolicae Sedi reservata, e. gr. dignitates in capitulis ecclesiae cathedralis; b) conficiendi et expediendi apostolicas litteras pro eorum collatione; c) dispensandi in collatione beneficii a conditionibus requisitis, quoties haec collatio non ad Ordinarium pertinet; d) curandi pensiones et onera, quae Summus Pontifex in his beneficiis conferendis imposuit [56]. — Dataria, cuius nomen deductum est a *datando* (datum tali die apud S. Petrum) et non a dando talem favorem, videtur originem duxisse saec. decimo tertio.

[53] c. 1605, § 1. [54] c. 260, § 1. [55] Ib. § 2. [56] c. 261.

3. **Camera Apostolica,** cui praesidet S. Romanae Ecclesiae Cardinalis Camerarius (Camerlengo), administrat bona ac iura temporalia S. Sedis, praesertim tempore vacationis; insuper praeparat omnia, quae sunt necessaria pro conclavi iuxta constitutionem Pii X „Vacante Sede Apostolica" d. 25 Dec. 1904. Camerarium in suo officio adiuvant complures officiales.

4. **Secretaria Status,** cuius moderator est Cardinalis Secretarius Status, est quasi ministerium pontificium pro diplomatia externa; constat triplici parte. Prima pars, cui praesidet Secretarius Congregationis pro negotiis ecclesiasticis extraordinariis, versatur circa negotia, quae eidem Congregationi submitti debent iuxta superius dicta. Alia autem negotia forte occurrentia remittenda sunt ad respectivas alias Congregationes. Secunda pars, cui praeest Substitutus, incumbit in ordinaria negotia; ad eam inter cetera pertinet, honoris insignia quaeque concedere cum ecclesiastica tum civilia (e. gr. ordines S. Silvestri, Gregorii etc., titulum Protonotarii honorarii etc.). Quaedam tamen insignia conferenda reservantur Antistiti Palatii Vaticani. Tertia pars, quam dirigit Cancellarius Brevium Apostolicorum, vacat expeditioni Brevium[57]. Maximi momenti est officium Cardinalis Secretarii. Illius est, relationes diplomaticas Sedis Apostolicae cum guberniis civilibus dirigere, dare instructiones Nuntiis Apostolicis in diversis mundi partibus constitutis et vicissim eorum relationes acceptare; responsa mittere ad innumeras litteras et telegrammata, quae Summo Pontifici in signum honoris et fidelitatis destinari solent. Non raro etiam alia negotia ecclesiastica graviora ex speciali mandato Papae a Secretario Status expediuntur. Per obitum Pontificis cessat munus Secretarii Status, eoque munere, sede vacante, fungitur Praelatus S. Collegii Secretarius.

5. **Secretaria Brevium ad principes et epistularum latinarum** habet munus latine scribendi acta Summi Pontificis ab eodem ipsi commissa[58].

Forma procedendi in Secretaria Brevium haec solet esse: Secretarius cum suis officialibus post seriam deliberationem sic dictam „Minutam" componit, quam Substitutus in ordinaria audientia praebet Sanctissimo, qui subscribit cum verbo „Placet" et prima littera sui nominis, e. gr. B (= Benedictus). Minuta sic approbata transcribitur et in forma Brevis expeditur. Litterae latinae, quae non in forma Brevis expediuntur, et quae solent tractare negotia non ita gravia, conficiuntur in Secretaria epistularum latinarum. In omnibus apostolicis litteris iam non ducitur initium anni a die Incarnationis Domini, i. e. a d. 25 Martii, sed a calendis Ianuariis.

Secretaria Brevium primo instituta fuit ab Innocentio XI[59]. Benedictus XIV[60] competentiam huius officii accurate determinavit, et sic adhuc nostris diebus est.

---

[57] c. 263. [58] c. 264.
[59] Const. „Romanus Pontifex" d. 1 Apr. 1678.
[60] Const. „Gravissimum Ecclesiae" d. 26 Nov. 1745.

CAPUT V.

De Legatis Romani Pontificis.

Q. 106. *Quid sit munus Legatorum et Nuntiorum Apostolicae Sedis?*

R. 1. Legati, Nuntii, Delegati etc. vocantur illi Sedis Apostolicae ministri, qui sive ordinaria sive extraordinaria potestate instructi vices Summi Pontificis aliqualiter gerunt in regnis, ad quae mittuntur. Variis temporibus variis nominibus sunt appellati, velut Apocrisiarii, Responsales, Missi, Nuntii, Vicarii apostolici, Delegati, Ablegati etc. Quantum ad eorum historiam videsis Benedictum XIV[1] et Thomassinum[2].

2. *Legati a latere* sic dicuntur, quia assumpti sunt e numero Cardinalium, qui assistunt Summo Pontifici et velut unum corpus cum eo efficiunt; proinde ab eo mittuntur tamquam alter ego[3]. Aliquando vocati sunt quoque legati a facie, ἐξ προσώπου. Mittuntur ad maiora negotia exercenda vel ad repraesentandum Summum Pontificem in aliqua magna sollemnitate. Sic antiquis temporibus Summi Pontifices miserunt Legatos a latere, qui praesiderent Conciliis oecumenicis, e. gr. Ephesi, Chalcedone etc. Sic Leo X misit Cardinalem De Vio Caietanum ad recipiendam abiurationem Lutheri. Legati a latere dignitate et praerogativis eminent super omnes alios praelatos, episcopos, archiepiscopos, Cardinales in illis provinciis, ad quas mittuntur. Ad fines suae provinciae devenientes sunt sollemniter recipiendi; Legato praesente, crux non praefertur archiepiscopo, episcopus populo non benedicit. Praeterea amplissima solent gaudere iurisdictione etiam in exemptos; quam iurisdictionem accurate definiunt litterae apostolicae, quibus instituuntur. — Summum Pontificem posse legatos cuiusvis generis mittere in quaecumque regna totius orbis, nullo modo in dubium vocari potest; Summus Pontifex enim habet in toto orbe christiano iurisdictionis primatum eumque independentem a quacumque alia potestate sive civili sive ecclesiastica[4]. Aliquando, sed rarissime, etiam alii praelati non fulgentes dignitate cardinalitia mittuntur Legati a latere, qui tunc solent vocari: Nuntii missi cum potestate Legati a latere; limites autem eorum iurisdictionis videndi sunt ex litteris suae institutionis.

3. *Legati missi*, qui et *Nuntii* vel *Internuntii apostolici* vocantur, sunt praelati (non Cardinales), qui in certa regna a Romano Pontifice mittuntur, ut ibi repraesentent pontificiam auctoritatem. Eorum munus est fovere, secundum normas a S. Sede receptas, relationes inter Sedem Apostolicam et civilia gubernia; in territorio sibi assignato advigilare in ecclesiarum statum et de eodem Romanum Pontificem certiorem reddere[5]; perniciosos libros deferre ad censuram[6]; exercere eas facul-

---

[1] De syn. dioec. l. 2, c. 10.
[2] Vetus et nova discipl. p. 1, l. 1, c. 18 sq. Cf. etiam *E. Königer*, Studien zur Geschichte des päpstlichen Gesandtschaftswesens, 1910.
[3] c. 266. [4] c. 265. [5] c. 267. [6] c. 1397.

tates, quae ipsis specialiter sunt demandatae. Potestas Nuntiorum non cessat morte Summi Pontificis, ut iam supra q. 95 dictum est. Eorum procurationem i. e. sustentationem ipse Romanus Pontifex in se suscipit; iis debentur et conceduntur speciales honores cum inter clericos tum intra corpus diplomaticum, e. gr. Nuntii solent esse decani corporis diplomatici in aulis principum catholicorum; praecedunt omnibus Ordinariis, qui non sunt cardinalitia dignitate insigniti; si charactere episcopali sunt aucti, possunt sine Ordinariorum licentia in omnibus eorum ecclesiis, excepta cathedrali, populo benedicere et officia divina etiam in pontificalibus, adhibito quoque throno et baldachino, peragere[7]. Debent autem Ordinariis locorum prorsus liberum relinquere suae iurisdictionis exercitium[8].— *Internuntii* vocantur Legati a Summo Pontifice missi, in locis ubi non exsistit propria Nuntiatura apostolica.— Nuntius elevatus ad dignitatem cardinalitiam solet vocari *Pronuntius*.

4. *Legati nati* sunt quidam episcopi residentiales eminentes, qui ratione sedis suae episcopalis obtinent dignitatem Legati nati. Eo ipso igitur, quo creantur episcopi talis sedis, nascuntur Legati S. Sedis. Tales Legati sunt e. gr. archiepiscopus coloniensis, gnesnensis, strigoniensis, remensis etc. Ordinarie isti Legati nati non habent praeeminentiam iurisdictionis[9].

Urbanus II a. 1098 Rogerium I, comitem Calabriae et Siciliae, suum Legatum a latere fecit, quae Legatio celeberrima effecta et vocata est „*Monarchia Sicula*". Papam posse alicui laico viro concedere iurisdictionem ecclesiasticam, docet sententia communissima. Nihilominus Monarchia Sicula fuit privilegium exorbitans, quod, quia tam multis et tam acerbis controversiis per complura saecula ansam dedit, tandem abolitum est a Pio IX[10].

CAPUT VI.

De Patriarchis, Primatibus, Metropolitis.

Q. 107. *Quid sint Patriarchae eorumque praerogativae?*

R. Patriarcha vi nominis videtur significare principem Patrum; qui quidem titulus concessus est paucis episcopis habentibus quandam eminentiam et supervisionem super ceteros episcopos alicuius regionis[11]. Quinque Patriarchae *maiores* distingui solent, qui hoc dignitatis ordine ab Innocentio III dispositi sunt: Romanus, Constantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus, Hierosolymitanus. Plures ex his iam non sunt nisi Patriarchae titulares. In Oriente complures exsistunt Patriarchae

[7] c. 269. [8] Ib. § 1.

[9] c. 270. Archiepiscopo autem strigoniensi tamquam Legato nato omnes exempti Benedictini, Praemonstratenses et Cistercienses per totam Hungariam subiciuntur. Cf. *Aichner*, Compend. iur. eccl.[10] § 112.

[10] Const. „Suprema" data d. 28. Ian. 1864 et publicata d. 10 Oct. 1867. Cf. *Sentis*, Die „Monarchia Sicula" (Friburgi 1869).

[11] De origine et historia huius denominationis videsis *Devoti*, Inst. can. l. 1, sect. 3, § 33 sqq.; *Wernz*, Ius decr. II, n. 716; Kirchenlexikon s. v. Patriarch.

diversi ritus, e. gr. Armeni, Chaldaei, Melchitae, Maronitae. In Occidente exsistunt quoque Patriarchae *minores*, e. gr. Venetus, Ulissiponensis, Indicus in Hispania etc. Hodiernis temporibus Patriarchae aut Primatis titulus praeter praerogativam honoris et ius praecedentiae nullam secum fert specialem iurisdictionem, nisi iure particulari de aliquibus aliud constet[12]. Patriarcha autem praecedit Primati, Primas archiepiscopo, hic episcopis; in suo tamen territorio episcopus praecedit omnibus archiepiscopis, Primatibus, Patriarchis, exceptis proprio Metropolita, Cardinalibus, Legatis pontificiis[13].

Q. 108. *Quid sint Primates eorumque praerogativae?*

R. Primates (qui aliquando et Exarchae, Vicarii Apostolici, Legati nati appellati sunt) non semper eundem dignitatis et potestatis ambitum habuerunt. Hodie quaelibet natio vel quodlibet regnum solet habere Primatem, sic e. gr. Primas Belgii est archiepiscopus mechliniensis, Primas Hungariae est archiepiscopus strigoniensis. Aliquando exsistunt controversiae et dubia, cuinam competat titulus Primatis in aliquo regno.

Salvo iure particulari nulla specialis iurisdictio competit Primati, ut iam supra de Patriarchis dictum est. Quantum ad ius praecedentiae Primas immediate post Patriarchas venit. Alia privilegia, ut ius consecrandi Metropolitas et ab iis exigendi professionem oboedientiae canonicae, convocandi Concilia plenaria etc., iam amplius illi ex iure communi non conveniunt.

Q. 109. *Quid sint Metropolitae eorumque iura?*

R. Metropolita seu archiepiscopus praeest alicui provinciae ecclesiasticae. Provincia autem ecclesiastica vocatur complexus plurium dioecesium, quarum episcopi dicuntur suffraganei.

Metropolita vi nominis significat episcopum ecclesiae matricis. Cum autem ecclesia Metropolitae non semper sit ecclesia matrix, sed tantum ecclesia dignior, hodie Metropolitae saepe vocantur archiepiscopi. Originem Metropolitarum nonnulli veteres et moderni auctores a temporibus Apostolorum ducunt, allegantes exemplum et S. Titi, qui praefectus fuit a S. Paulo tamquam Metropolita insulae Cretae, et S. Timothei, qui praefuit toti provinciae Asiae. Quidquid est de hac sententia, certe fit mentio Metropolitarum in can. 4 Conc. nicaen. I (a. 325).

Iuxta praesentem Ecclesiae disciplinam iura Metropolitarum ad haec reducuntur:

Metropolita 1. habet omnia iura episcopalia, in sua archidioecesi, ut patet; debet tamen intra tres menses a consecratione vel provisione canonica petere pallium[14].

2. convocat Concilium provinciale illique praesidet[15].

3. concedere potest etiam in dioecesibus suffraganeorum indulgentiam 100 dierum[16]; inibi in omnibus ecclesiis etiam exemptis (Ordinario loci praemonito, si ecclesia sit cathedralis) potest peragere pontificalia,

[12] c. 271. [13] c. 280. [14] c. 273. [15] c. 284. [16] c. 274, n. 2.

populo benedicere, cruce ante se delata incedere, non autem alia exercere, quae iurisdictionem important[17]; potest vigilare, ut fides ac disciplina ecclesiastica accurate serventur, ac de abusibus Romanum Pontificem certiorem facere[18]; appellationem recipere potest a sententiis definitivis aut interlocutoriis definitivarum sententiarum vim habentibus, prolatis in curiis suffraganeis[19]; potest in prima instantia dirimere controversias de iuribus aut bonis temporalibus episcopi aut mensae vel curiae dioecesanae suffraganeae[20].

4. exercere potest *ius devolutionis* in tribus casibus: a) quando Capitulum neglexit deputare Vicarium capitularem intra 8 dies post vacationem sedis episcopalis cognitam[21]; b) quando episcopus suffraganeus neglexit canonicam visitationem suae dioecesis, Metropolita eam peragere potest, causa tamen prius ab Apostolica Sede probata. Durante autem tali visitatione gaudet amplissima iurisdictione[22]; c) quando episcopus suffraganeus neglexit a patronis ad beneficia legitime praesentatos infra duos menses canonice instituere, Metropolita id facere potest[23].

5. habet *iura honorifica*, sc. a) praecedentiam super episcopos; b) facultatem deferendi ante se crucem gestatoriam per totam suam provinciam; c) usum pallii in sua provincia.

Pallium est ornamentum (sc. fascia lanea candida), quod Metropolita (et idem valet de Patriarcha et Primate) tenetur intra tres menses a consecratione vel canonica provisione in Consistorio petere per se vel per procuratorem a Romano Pontifice. Archiepiscopi autem et patriarchae *titulares* nec tenentur nec possunt petere pallium. Pallium dicitur „de corpore B. Petri assumptum", quia mos est, ut pallia in vigilia SS. Apostolorum Petri et Pauli deferantur ad confessionem S. Petri, usquedum inde suscipiantur a primo Cardinali diacono, qui ea tradit archiepiscopis vel illorum procuratoribus. Pallium datur non solum decoris causa, sed etiam ad significandam iurisdictionem archiepiscopalem[24]. Hinc archiepiscopus ante pallii impositionem (excluso speciali indulto apostolico) illicite ponit actus sive iurisdictionis metropolitanae sive etiam episcopalis, in quibus ad normam legum liturgicarum usus pallii requiritur[25]. Metropolita uti potest pallio intra quamlibet ecclesiam etiam exemptam suae provinciae in Missarum sollemniis, diebus in Pontificali Romano designatis aliisque forte sibi concessis; nullatenus vero extra provinciam, etsi Ordinarii loci consensus accedat[26]. Usus pallii est prorsus *personalis*; ideoque archiepiscopus nequit suum pallium alteri commodare; si transfertur in aliam archidioecesim, debet pallium secum asportare; tenetur tamen pro hac nova ecclesia in signum novae iurisdictionis novum pallium petere. Quando moritur archiepiscopus, debet sepeliri indutus suo pallio; si habuit alia pallia, ea quoque cum eodem sunt sepelienda[27].

---

[17] c. 274, n. 6. [18] Ib. n. 4. [19] Ib. n. 7.
[20] Ib. n. 8 et c. 1572, n. 2. [21] c. 274, n. 3. [22] Ib. n. 5.
[23] Ib. n. 1. Si episcopus neglexit beneficia (quaecumque) conferre intra semestre post habitam certam vacationis notitiam, collatio iam non devolvitur ad Metropolitam, sed ad Sedem Aopstolicam. c. 1432, § 3.
[24] c. 275. [25] c. 276. [26] c. 277. [27] c. 278 et 279.

Nota. Aliquando pallium conceditur simplicibus episcopis vel archiepiscopis titularibus; sed tunc est merum signum honoris et nullam ampliorem iurisdictionem confert[28].

CAPUT VII.

De Conciliis plenariis et provincialibus (remissive).

Supra tractatum est sufficienter de hac materia, ubi sermo fuit de fontibus iuris, q. 29.

CAPUT VIII.

De Vicariis et Praefectis Apostolicis.

Q. 110. *Quid sint Vicarii et Praefecti Apostolici?*

R. Vicarii Apostolici vocantur *in lato sensu* omnes illi praelati, qui a Sancta Sede deputantur, ut alicuius territorii spirituale regimen nomine Summi Pontificis suscipiant. Antiquis temporibus Vicarii Apostolici potius habuerunt munus Legati vel Nuntii[29]. In hoc lato sensu Vicarii Apostolici sunt quoque Administratores Apostolici, qui ob graves rationes mittuntur a S. Sede ad aliquam dioecesim regendam, sede sive vacante sive plena. De huiusmodi Administratoribus Apostolicis in capite sequenti sermo erit. Vicarii Apostolici *in stricto sensu* iuxta vigentem Ecclesiae disciplinam exercent nomine Summi Pontificis spirituale regimen in territoriis, quae nondum erecta sunt in dioeceses[30]. Solius S. Sedis est vicariatus apostolicos et praefecturas apostolicas erigere, aliter circumscribere, dividere, unire, supprimere[31].

Praefecti Apostolici quantum ad iurisdictionem aequiparari solent Vicariis Apostolicis, sed mittuntur in territoria nondum tam bene organizata, sicuti sunt vicariatus apostolici. Proinde in locis paganorum primo solet fundari praefectura apostolica, quae postea, crescente religione christiana, mutatur in vicariatum apostolicum. Vicarius et Praefectus Apostolicus possessionem sui territorii capiunt: ille quando litteras apostolicas, hic quando decretum seu patentes litteras S. Congregationis de Prop. Fide per se vel per procuratorem ostendit ei, qui territorium regit, nempe Pro-Vicario vel Pro-Praefecto[32].

Praefectus Apostolicus ordinarie caret charactere episcopali, econtra Vicarius Apostolicus solet esse episcopus titularis.

Q. 111. *Quaenam sint iura Vicarii vel Praefecti Apostolici?*

R. 1. „Vicarii et Praefecti Apostolici iisdem iuribus et facultatibus in suo territorio gaudent, quae in propriis dioecesibus competunt episcopis residentialibus, nisi quid Apostolica Sedes reservaverit."[33] Sunt enim veri Ordinarii locorum[34]. Cum haec lex sit prorsus universalis

---

[28] Cf. *Benedict. XIV*, De syn. dioec. l. 13, c. 15, n. 9, et Acta Ap. Sed. XV (1923) 261.
[29] *Benedict. XIV*, De syn. dioec. l. 2, c. 10. [30] c. 293, § 1.
[31] c. 215, § 1. [32] c. 293, § 2. [33] c. 294, § 1. [34] c. 198.

et eodem modo statuat de Vicario et de Praefecto Apostolico, iura amborum sunt revera episcopalia. Quantum ad privilegia honorifica vide infra n. 3. Nomen autem eorum non est in canone Missae inserendum, „quia, de iure adhuc vigente, in canone Missae post verba *Antistite nostro* exprimendum est tantum nomen Patriarchae, archiepiscopi et episcopi, qui sunt Ordinarii loci, et in propria dioecesi“ [35]. Etiam ii Vicarii et Praefecti Apostolici, qui charactere episcopali carent, possunt intra sui territorii fines ac perdurante munere omnes benedictiones episcopis reservatas (una pontificali excepta) impertire, calices, patenas et altaria portatilia cum sacris oleis ab episcopo benedictis consecrare, indulgentias 50 dierum concedere, confirmationem, primam tonsuram et ordines minores conferre [36]. Praeter istas facultates ex iure communi concessas solent habere adhuc alias iuxta diversa formularia, ad quorum normam facultates a Propaganda impertiri consueverunt.

2. Vicarii et Praefecti Apostolici habent amplissimam iurisdictionem (sive ordinariam sive delegatam) in omnes sui territorii missionarios, etiam religiosos exemptos. Quare ab omnibus missionariis possunt et debent exigere, ut suas patentes seu alias quasvis eorum missionis, destinationis, constitutionis ac deputationis litteras exhibeant, easque exhibere recusantibus exercitium cuiusvis ministerii ecclesiastici prohibere [37]. Ab iis omnes missionarii licentiam sacri ministerii exercendi petant; quae licentia tamen non est neganda nisi ob gravem causam. Nec potest haec licentia negari omnibus missionariis alicuius instituti religiosi, sed nonnisi aliquibus singulariter [38]. Etiam missionarii regulares exempti subiciuntur Vicarii et Praefecti Apostolici iurisdictioni, visitationi et correctioni in iis, *quae pertinent ad missionum regimen, curam animarum, sacramentorum administrationem, scholarum directionem, oblationes intuitu missionis factas, implementum piarum voluntatum in favorem eiusdem missionis* [39]. Immo quamvis Vicariis et Praefectis Apostolicis nullo modo liceat (praeter raros casus in iure praevisos) se *in disciplinam religiosam* ingerere, quae a Superiore religioso dependet, tamen, si circa ea quae pertinent ad missionem et ea quae pertinent ad disciplinam religiosam, conflictus oriatur inter mandatum Vicarii aut Praefecti Apostolici et mandatum Superioris, prius i. e. mandatum Vicarii et Praefecti Apostolici praevalere debet, salvo tamen iure recursus in devolutivo (non in suspensivo) ad S. Sedem et salvis peculiaribus statutis a S. Sede probatis [40]. Ratio huius praevalentiae

[35] S. R. C. d. 8 Mart. 1919 (Acta Ap. Sed. XI 145). Nihilominus S. Congregatio de Prop. Fide aliquando concedit facultatem inserendi nomen Vicarii apostolici in canone et in precibus ferialibus (Form. III maior n. 50).
[36] c. 294, § 2. [37] c. 295, § 1. [38] Ib. § 2.
[39] c. 296, § 1. Omnes oblationes fidelium intuitu missionis factae sunt proprietas missionis et non missionariorum etiam exemptorum. Oblationes autem fidelium datae ipsis missionariis non sunt proprietas missionis.
[40] Ib. § 2.

est, quia Vicarius aut Praefectus Apostolicus directe repraesentant supremam S. Sedis auctoritatem. — Deficientibus e clero saeculari sacerdotibus, Vicarii et Praefecti Apostolici possunt cogere religiosos *(etiam exemptos)* vicariatui vel praefecturae addictos, audito eorum Superiore, ad animarum curam exercendam, salvis pariter peculiaribus statutis a Sede Apostolica probatis [41]. Quae quidem obligatio exercendi curam animarum non solum ex caritate sed etiam ex iustitia oritur, quoniam originem ducit ex quasi-contractu; religiosi enim non deputantur a Congregatione de Prop. Fide ad missiones, nisi se obligant ibi curam animarum se executuros esse [42]. Hinc religiosi missionarii possunt cogi, ut assumant officium parochi, nisi habeant speciale privilegium S. Sedis. Religiosi missionarii qui exercent munus parochi vel rectoris alicuius ecclesiae, amoveri possunt aequo iure tam a superiore religioso quam a Vicario aut Praefecto Apostolico [43].

Si qua dissidia in iis, quae ad curam animarum pertinent, sive inter singulos missionarios, sive inter diversas religiones, sive inter missionarios et alios quoslibet, oriri contigerit, ea quam primum componere curent Vicarii vel Praefecti Apostolici, qui huiusmodi quaestiones, ubi opus fuerit, dirimant, integro tamen iure recursus (in devolutivo) ad S. Sedem [44]. Ratio est, quia in istis dissitis regionibus missionum maxima incommoda orirentur, si talia dissidia non possent componi nisi prius recurrendo ad S. Sedem.

3. Vicariis et Praefectis, charactere episcopali auctis, privilegia honorifica competunt, quae ius concedit episcopis titularibus; si autem charactere episcopali carent, habent tantum, durante munere et in proprio territorio, insignia et privilegia Protonotariorum de numero participantium [45].

Ista privilegia Protonotariorum sunt: habitus praelatitius, annulus gemmatus portandus etiam in missis privatis, usus pontificalium excluso tamen throno et baculo pastorali; possunt autem adhibere faldistorium etc. Amplior explicatio horum privilegiorum habetur in Motu proprio Pii X „Inter multiplices“ d. 21 Febr. 1905 [46].

Q. 112. *Quaenam sint obligationes Vicarii vel Praefecti Apostolici?*

R. Sicuti Vicarii et Praefecti Apostolici fere aequiparantur episcopis residentialibus quantum ad iura, ita etiam est quantum ad obligationes. Sunt tamen nonnullae differentiae. Speciatim haec notentur: habent obligationem:

1. *Residentiae* in regione sibi commissa [47].

2. *Visitationis*, quam in territorio suo per se vel, si legitime impediti fuerint, per alium peragere debent, quandocumque opus est [48]. Ergo non est determinatum tempus istius visitationis.

[41] c. 297.
[42] Cf. *Clemens IX*, Const. „Speculatores“ d. 13 Sept. 1669, in Collectan. de Prop. Fide n. 186.
[43] c. 454, § 5. [44] c. 298. [45] c. 308.
[46] Analecta eccl. XIII (1905) 54. [47] c. 301, § 1. [48] Ib. § 2.

3. *Applicationis Missae pro populo*. Attamen non stricte tenentur, sicuti episcopi residentiales, applicare Missam omnibus diebus dominicis et festivis, sed tantum 11 diebus, sc. diebus Nativitatis Domini, Epiphaniae, Paschatis, Ascensionis, Pentecostes, SS. Corporis Christi, Immaculatae Conceptionis et Assumptionis B. M. V., S. Iosephi eius sponsi, SS. Apostolorum Petri et Pauli, Omnium Sanctorum[49].

4. *Relationis quinquennalis* de statu sui territorii. Quolibet enim quinquennio tenentur exhibere plenam accuratamque relationem de suo pastorali officio, deque omnibus, quae ad statum vicariatus vel praefecturae, ad missionarios, ad religiosos, ad populi disciplinam, ad scholarum frequentiam, ad fidelium denique ipsorum curae commissorum salutem quavis ratione pertinent iuxta Litteras S. C. de Prop. Fide d. 16 April. 1922[50]; quae relatio scripta esse debet et subscripta cum ab ipso Vicario aut Praefecto tum ab uno saltem consiliario.

Immo etiam sub cuiusque anni exitum debent mittere ad S. Sedem elenchum seu numerum conversorum, baptizatorum annuaeque Sacramentorum administrationis una cum aliis notatu dignioribus[51].

5. *Constituendi Consilium* ex tribus saltem antiquioribus et prudentioribus missionariis, quorum sententiam (saltem per epistulam) audiant in gravioribus et difficilioribus negotiis[52]. Est igitur consilium solummodo consultativum. Insuper congregentur (prout siverit opportunitas) missionarii saltem praecipui cum religiosi tum saeculares, saltem semel in anno, ut ex singulorum experientia et consilio possint deduci, quae sint ordinanda perfectius[53].

6. *Constituendi Archivum*, sicuti praescriptum est pro episcopis.

7. *Celebrandi synodum et concilia*. Quae de Conciliis plenaribus et provincialibus praescribuntur, debent quoque applicari in regionibus missionum. Item Vicarius Apostolicus debet convocare synodum ad instar synodi dioecesanae. Praefectus Apostolicus autem non obligatur convocare talem synodum. Nullum tempus est praefinitum pro Concilii provincialis et synodi celebratione; sed canones Conciliorum, antequam promulgentur, recognosci debent a S. Congregatione de Prop. Fide[54].

8. *Procurandi clericorum vocationem*. Studiosissime debent curare Vicarii et Praefecti Apostolici, onerata graviter eorum conscientia, ut ex christianis indigenis seu incolis suae regionis probati clerici rite instituantur ac sacerdotio initientur[55].

9. *Deputandi Pro-Vicarium vel Pro-Praefectum*. Ubi primum Vicarii et Praefecti in territorium suum advenerunt, deputent ex clero vel regulari vel saeculari Pro-Vicarium vel Pro-Praefectum idoneum[56], nisi

[49] c. 306. [50] Acta Ap. Sed. XIV 287 sqq.
[51] c. 300. [52] c. 302. [53] c. 303.
[54] c. 304. [55] c. 305.
[56] *Benedictus XV* d. 6 Nov. 1919 concessit, ut Ordinarii Missionum possint unum vel plures Vicarios generales instituere, sicut ceteri Ordinarii (*Vermeersch*, De formulis S. C. de Prop. Fid. n. 33).

tamen Coadiutor cum futura successione iam datus est a S. Sede. Iste Pro-Vicarius aut Pro-Praefectus nullam habet, vivente Vicario aut Praefecto, potestatem, nisi quae fuit ab eodem sibi commissa; sed, deficiente Vicario aut Praefecto, vel eorum iurisdictione impedita e. gr. per captivitatem, exsilium, totum debet regimen assumere et in hoc munere permanere, donec a S. Sede aliter fuit provisum[57]. Pari modo Pro-Vicarius aut Pro-Praefectus, qui titulari successit, i. e. postquam ipse Vicarius aut Praefectus iurisdictionem exercere nequit, statim deputet ecclesiasticum virum, qui sibi in munere succedat, si et ipse impeditus fuerit[58]. Sin autem forte contingat, ut nemo sive a titulari sive a protitulari fuerit designatus tamquam administrator, tunc senior in vicariatu vel praefectura, is nempe, qui est praesens in territorio et suas destinationis litteras in eodem prius exhibuit, censetur delegatus a S. Sede, ut regimen assumat, et inter plures aeque seniores antiquior sacerdotio[59]. Ii, ad quos hoc modo cura vicariatus vel praefecturae devenit, debent quamprimum certiorem facere S. Sedem; interim autem uti possunt omnibus facultatibus (sive ordinariis sive extraordinariis), quibus Vicarius vel Praefectus pollebat. Excipiuntur solae eae facultates, quae commissae fuerunt non officio sed personae, seu, ut dicitur, quae commissae fuerunt ob industriam personae[60]. Sin autem quis praepositus est vicariatui vel praefecturae ad certum tempus, e. gr. ad annum, debet remanere in regimine cum omnibus facultatibus sibi concessis, quamvis hoc definitum tempus fuerit elapsum, donec successor canonicam sui muneris possessionem ceperit[61]. S. Sedes enim non vult relinquere territorium missionis sine legitimo Superiore; pariter non vult, ut missionarii relinquant missionem sine expressa sua licentia. Quare nec Vicario aut Praefecto Apostolico licet, inconsulta S. Sede, concedere missionariis ab ea missis veniam, *in perpetuum* deserendi vicariatum aut praefecturam, nec eos quoquo modo expellere. Solummodo in casu publici scandali possunt Vicarii aut Praefecti Apostolici missionarium statim removere. Requiritur autem tunc auditio Consilii, vel, si agitur de religioso expellendo, praemonitio Superioris, quantum fieri potest; insuper S. Sedes statim est certior facienda[62]. Nihil obstat, ne missionarius *ad tempus* relinquat propriam missionem, praehabita legitima licentia proprii Superioris.

Nota. Vicarii Apostolici (non item Praefecti) tenentur facere peregrinationem ad Limina Apostolorum eadem prorsus lege qua episcopi residentiales, nempe quolibet quinquennio (vel decennio, si sunt extra Europam[63]); cui tamen muneri si quid graviter obstet, ne per se ipsi illud expleant, satisfacere possunt per procuratorem sive specialiter missum sive etiam degentem in Urbe[64].

[57] c. 309, § 1 2. [58] Ib. § 3. [59] Ib. § 4.
[60] c. 310. [61] c. 311. [62] c. 307.
[63] c. 341, § 2. [64] c. 299.

CAPUT IX.

De Administratoribus Apostolicis.

Q. 113. *Quid sit Administrator Apostolicus iuxta praesentem Ecclesiae disciplinam?*

R. Administrator Apostolicus iuxta praesentem Ecclesiae disciplinam est clericus, qui a Summo Pontifice ob graves et speciales causas mittitur ad regimen alicuius dioecesis canonice erectae gerendum vel in perpetuum vel ad tempus, vel sede plena vel sede vacante[65].

Tales causae graves et speciales sunt e. gr. infirmitas gravis episcopi, graves dissidiae in populo, difficultates graves exortae cum gubernio civili. Sede plena, officium Administratoris initium sumit, postquam iste praesens in dioecesi litteras suae nominationis ostendit cum episcopo (si sit mentis consiliique compos) tum etiam Capitulo ecclesiae cathedralis. Sede autem vacante vel episcopo mente capto aut absente, Administrator Apostolicus possessionem sumit solummodo ostendendo litteras institutionis Capitulo cathedrali[66].

Iura, officia ac privilegia Administratoris Apostolici desumuntur ex litteris suae deputationis; vel, nisi in iisdem aliud caveatur, expresse valet regula generalis: Administrator *permanenter* institutus iisdem iuribus et honoribus fruitur iisdemque obligationibus tenetur ac episcopus residentialis; *ad tempus* autem institutus eadem iura ac officia habet sicut Vicarius capitularis, non tamen tenetur in hoc ultimo casu (sede plena) applicare Missam pro populo. De *honorificis privilegiis* valet idem, quod supra dictum est de Vicariis et Praefectis Apostolicis, sc. si Administrator est charactere episcopali insignitus, habet privilegia sicut episcopus titularis; secus sicut Protonotarius Apostolicus de numero participantium. Episcopus, qui ad aliam sedem translatus prioris retinet administrationem, in hac quoque omnia episcoporum residentialium honorifica privilegia habet[67]. Quaenam sint privilegia honorifica episcopi residentialis et titularis, dicetur infra in titulo sequenti. Si, sede plena, Administrator Apostolicus dioecesi praeficitur, tota iurisdictio episcopi eiusque Vicarii generalis suspenditur; sed Administrator non debet se immiscere causis personam episcopi spectantibus neque Vicarium generalem iudicare aut punire ob praeteritam eius administrationem[68]. Hoc enim esset quid odiosum; sed posset de gravibus defectibus commissis S. Sedem certiorem reddere.

Si iurisdictio Administratoris Apostolici impedita sit sive ob eius mortem sive ob exsilium aliasque rationes, S. Sedes statim moneatur. Interim autem, si dioecesis vacat aut si episcopus non est sui compos, regimen dioecesis incumbit Vicario generali vel alii clerico ab Administratore delegato; secus autem ipse episcopus iterum dioecesim regit, nisi aliud Sedes Apostolica antea statuerit[69]. Administratoris Apostolici iurisdictio non cessat obitu episcopi aut Romani Pontificis;

[65] c. 312. [66] c. 313. [67] c. 315. [68] c. 316. [69] c. 317.

cessat autem, cum novus episcopus legitime ceperit regimen dioecesis[70]. Quando igitur sedes vacat per mortem episcopi, Capitulum nequit deputare Vicarium capitularem, sed Administrator Apostolicus remanet in officio suo, donec S. Sedes aliter statuerit.

CAPUT X.

De Praelatis inferioribus.

Q. 114. *Quinam sint Praelati inferiores?*

R. 1. Praelati inferiores intelliguntur clerici illi, qui ex auctoritate Summi Pontificis habent ordinariam iurisdictionem quasi-episcopalem, eamque exemptam a iurisdictione episcopi residentialis.

2. Solent distingui triplicis generis Praelati inferiores: a) Praelati „nullius", qui praesunt territorio proprio separato ab omni dioecesi, cum clero et populo proprio[71]. b) Praelati, qui praesunt cum ordinaria iurisdictione quasi-episcopali et exemptione clero et populo, sed sine territorio separato a dioecesi, quales sunt episcopi castrenses et superiores religiosorum institutorum clericalium exemptorum. c) Praelati Domus pontificiae.

Circa Praelatos Domus pontificiae standum est privilegiis, regulis et traditionibus istius Domus[72]. De Praelatis religiosis sermo erit infra, ubi dissereretur de statu religioso. De episcopis castrensibus nihil ex iure communi statutum est. Attendenda igitur sunt statuta particularia, quibus Summus Pontifex pro diversis regnis huiusmodi episcopos castrenses instituit[73]. Restat igitur dicendum de solis Praelatis vel Abbatibus nullius.

Q. 115. *Quid sit Abbatia vel Praelatura nullius?*

R. Abbatia vel Praelatura nullius sumitur vel in lato vel in stricto sensu. In lato sensu est aliqua ecclesia vel monasterium gaudens sic dicta exemptione *activa*, i. e. quod omnino non subditur iurisdictioni episcopali. In stricto sensu est aliquod territorium constans saltem tribus paroeciis prorsus independentibus a iurisdictione episcopi dioecesani. Singulari iure (quod dignoscitur ex institutione pontificia) reguntur Abbatiae et Praelaturae nullius in lato sensu acceptae. Iuxta praesentem disciplinam distinguuntur Abbates triplicis generis: 1. Abbates nullius in stricto sensu; 2. Abbates nullius in lato sensu; 3. Abbates de regimine, i. e. Abbates omnium monasteriorum. Quae sequuntur, valent pro solis Abbatiis et Praelaturis in stricto sensu acceptis. Nihil autem refert, utrum sint regulares an saeculares. Numerus talium Abbatiarum vel Praelaturarum hodie minor est quam antiquis temporibus. Enumerabantur enim a. 1925 in toto orbe terrarum nonnisi 32. Per se patet Abbatiam vel Praelaturam nullius non posse constitui nisi a Summo Pontifice, cuius est dioeceses circumscribere.

[70] c. 318. [71] c. 319.
[72] c. 328. [73] c. 451, § 3.

Q. 116. *Quid statuat ius de institutione Abbatum vel Praelatorum nullius?*

R. 1. Abbates vel Praelati nullius a solo Romano Pontifice canonice instituuntur aut nominantur. Nihil autem obstat, ne ab aliis eligantur, e. gr. a monachis, vel praesententur e. gr. a patrono [74].

2. Assumendi ad Abbatiam vel Praelaturam nullius iisdem qualitatibus ornati esse debent, quas ius in episcopis requirit [75]. Quaenam sint istae qualitates episcoporum, dicetur infra q. 120.

3. Si isti Abbates vel Praelati eliguntur ab aliquo collegio, debent ex iure communi obtinere suffragiorum numerum *absolute* maiorem, demptis suffragiis nullis; ex iure particulari aliquando requiritur maior numerus suffragiorum [76]. Abbates vel Praelati electi nullo prorsus modo possunt se ingerere in regimen Abbatiae vel Praelaturae, antequam eiusdem possessionem ceperint praesentes, ostendendo litteras institutionis apostolicas Capitulo ecclesiae [77].

4. Abbates vel Praelati nullius, qui ex praescripto apostolico vel ex propriae religionis constitutionibus benedici debent, *intra tres menses* a receptis litteris apostolicis, cessante legitimo impedimento, benedictionem ab episcopo, *quem maluerint*, accipiant [78]; secus sunt ipso facto a iurisdictione suspensi [79].

5. Abbates vel Praelati nullius amittunt sua iura, sicut episcopi residentiales, de quibus infra. Hinc quoque, Abbatia vel Praelatura nullius vacante, succedit Capitulum religiosorum vel canonicorum, prout agitur de Abbatia vel Praelatura religiosa vel saeculari. Utrumque autem Capitulum infra octiduum debet Vicarium capitularem deputare, qui Abbatiam vel Praelaturam regat usque ad novi Abbatis vel Praelati institutionem [80].

Q. 117. *Quaenam sint iura et obligationes Abbatis vel Praelati nullius?*

R. Generatim dici potest: Abbas vel Praelatus nullius easdem potestates ordinarias easdemque obligationes cum iisdem sanctionibus habet, quae competunt episcopis residentialibus in propria dioecesi [81]. Sunt enim veri Ordinarii in territorio suo [82]. Hinc, licet charactere episcopali careant, utuntur in proprio territorio insignibus pontificalibus cum throno et baldachino; item iure ibidem celebrandi officia divina ritu pontificali; etiam extra suum territorium possunt gestare annulum cum gemma, pileolum violaceum, crucem pectoralem; possunt consecrare ecclesias, altaria (sive mobilia sive immobilia), patenas, calices [83]; possunt concedere indulgentiam 50 dierum; possunt confirmationem, primam tonsuram et ordines minores conferre; habent vocem in Conciliis oecumenico [84], plenario [85], provinciali [86]; possunt et debent Vicarium generalem instituere [87] etc. Si charactere episcopali sunt insigniti,

[74] c. 320, § 1. [75] Ib. § 2. [76] c. 321. [77] c. 322, § 1 et c. 2394. [78] c. 322, § 2. [79] c. 2402. [80] c. 327. [81] c. 323, § 1. [82] c. 198. [83] c. 323, § 2. [84] c. 223, § 1, n. 3. [85] c. 282. [86] c. 285 et 292. [87] c. 323, § 3.

valent in proprio territorio ea omnia peragere, quae valet episcopus residentialis in sua dioecesi, e. gr. notanter valent suis subditis clericis vel litteras dimissorias concedere vel ordines etiam maiores conferre.

Abbatia vel Praelatura nullius, quae est religiosa, semper debet Capitulum habere, quod regitur propriis legibus et constitutionibus; sin autem Abbatia vel Praelatura nullius, quae est saecularis, habet Capitulum, hoc regitur iure communi, sicut Capitula canonicorum; quodsi Capitulum non adest, debent eligi consultores, eodem prorsus modo, ac id fieri debet in dioecesibus, quae carent Capitulo canonicorum [88].

TITULUS VIII.

De potestate episcopali, deque iis qui de eadem participant.

Connexio materiae. In titulo praecedenti tractatum fuit de Summo Pontifice et de omnibus illis clericis, qui ex solo iure ecclesiastico plus minusve participant potestatem pontificiam, uno verbo de omnibus vicariis Papae. Quando autem in isto titulo sermo fuit de clericis, qui charactere episcopali fuerunt insigniti, character episcopalis fuit quasi per accidens neque dedit potestatem propriam; quod quidem notanter valet de Cardinalibus. In titulo praesenti tractabitur de potestate *episcopali*, quae est iuris divini neque mere vicario modo a Summo Pontifice committitur. Pariter sermo erit de omnibus clericis adiutoribus episcopi.

CAPUT I.

De episcopis.

Q. 118. *Quid sint episcopi?*

R. Episcopi (qui et vocantur principes, praesules, pontifices, summi sacerdotes, dioecesani, ordinarii, pastores, aliisque nominibus) sunt „Apostolorum successores atque ex divina institutione peculiaribus ecclesiis praeficiuntur, quas cum potestate ordinaria regunt sub auctoritate Romani Pontificis“ [1]. Quare episcopi in hierarchia ordinis supremum gradum obtinent; in hierarchia vero iurisdictionis subduntur Romano Pontifici, quamvis in Apostolorum locum successerint et positi sint a Spiritu Sancto regere Ecclesiam Dei [2].

Divisiones. Episcopi distinguuntur: 1. *residentiales* seu *dioecesani*, qui alicui determinatae dioecesi canonice erectae praepositi sunt, et *titulares* (antiquitus vocabantur „in partibus infidelium“), qui solam consecrationem episcopalem, non autem iurisdictionem ordinariam receperunt.

2. Metropolitae seu *archiepiscopi*, qui praesunt alicui provinciae ecclesiasticae; episcopi *suffraganei*, qui subsunt metropolitae; episcopi *exempti*, qui immediate subsunt S. Sedi; episcopi *coadiutores* vel *auxiliares*, qui residentiales episcopos in regimine adiuvant.

[88] c. 324 326 423—428. [1] c. 329. [2] Conc. trid. sess. 23, c. 4.

3. Episcopi *electi*, post legitimam electionem; *praeconizati*, post legitimam confirmationem a S. Sede factam; *consecrati*, post consecrationem episcopalem acceptam.

Q. 119. *Quomodo episcopi instituantur?*

R. 1. Facultas constituendi episcopos proprio et nativo iure est penes Romanum Pontificem; quare Codex iur. can. c. 329, § 2 simpliciter statuit: „eos (episcopos) libere nominat Romanus Pontifex“[3]. Episcopi olim eligebantur a clero, accedente praesentia et consensu populi (exempla sunt electio S. Ambrosii et S. Nicolai)[4]. Non raro etiam principes laici vel Capitulum cathedrale habuerunt et habent ius eligendi episcopum; attamen hoc ius illis competit *ex sola concessione* Romani Pontificis, non vero ex natura rei; neque ex tali electione laicali aliqua vera potestas seu iurisdictio ecclesiastica oritur. Episcopi enim iurisdictionem non habent immediate a Deo, ut volunt quidam auctores[5]. „Ratio siquidem *monarchici* regiminis, quod Christus in sua Ecclesia constituit, videtur exposcere, ut totius Ecclesiae iurisdictionis fons et origo resideat in eiusdem Ecclesiae visibili capite, qui est Romanus Pontifex, atque ab eo profluat in cetera membra.“[6] Quare episcopi non vi suae electionis neque consecrationis habent iurisdictionem, sed vi creationis a Summo Pontifice factae. Attamen ex altera parte episcopi non sunt meri vicarii Papae etiam quantum ad

[3] Cf. c. 332.

[4] Optime, ut assolet, de historia episcopalis electionis disserit *Devoti*, Ius can. univ. II, l. 1, tit. 6, § 3 sqq., ubi tractat quoque de dolendis abusibus, qui ex sic dicta „investitura laicali“ oriri solebant.

[5] Utrum iurisdictio episcoporum sit immediate a Deo an immediate a Papa, acriter disputatam est in Concilio tridentino, sed tunc nihil definitum fuit. In Concilio vaticano haec quaestio ne proposita quidem fuit. Ceterum haec controversia non est magni momenti practici, dummodo admittatur, iurisdictionem episcopalem non esse *mere* iuris ecclesiastici. Nam si ita esset, Papa posset (saltem *valide*) iurisdictionem episcopalem generaliter tollere et in Ecclesia constituere aliam hierarchiam iurisdictionis. Hoc tamen non videtur posse admitti. — Iurisdictionem episcoporum derivari non immediate a Christo sed a Papa, docent S. Thomas, S. Bonaventura, S. Antoninus, Lainez, Benedictus XIV (De syn. dioec. l. 1, c. 4, n. 2) aliique. Contrarium tenent Vasquez, Alphonsus de Castro etc. (cf. *De Groot*, Summa apol. q. 15, a. 4; *Billot*, De Ecclesia Christi q. 15, § 1). A Bolgenio, Phillips, Vering propugnata est sententia docens iurisdictionem particularem episcopi in suam dioecesim derivari quidem a Papa, sed iurisdictionem quandam universalem, sc. quando episcopi sunt coadunati in Concilio oecumenico, derivari immediate a Christo; sed merito reicitur haec sententia tamquam nova et infundata. Si enim haec sententia vera esset, ad Concilium oecumenicum *necessario* vocandi essent omnes episcopali charactere insigniti (etiam episcopi titulares), quod tamen pluries non est factum; praeterea clerici ordinis sacerdotalis, e. gr. nonnulli Cardinales, non possent ibi habere vocem decisivam; quod iterum est falsum. — In sic dicto *systemate episcopali*, quod docuerunt Gallicani, Febroniani, Iosephiniani, asseritur, iurisdictionem episcopalem esse ita a iure divino stabilitam, ut sit independens a Romano Pontifice; proindeque episcopos coadunatos in Concilio oecumenico esse supra Papam. Quod quidem systema episcopale pluries damnatum est ab Ecclesia.

[6] *Benedictus XIV* l. c. Cf. *Pii VI* const. „Super soliditate“ d. 28 Nov. 1786; *Billuart*, Diss. de primatu R. Pontif. a. 3, obiect. 4.

iurisdictionem, ut quidam Protestantes calumniati sunt, sed vi officii sui et vi institutionis divinae sunt *in actu primo proximo* ad determinatam iurisdictionem. Ideo sicut Papa nequit officium episcopatus abolere, ita nec iurisdictionem episcopalem; potest tamen eam limitare et *„causas maiores“* sibi reservare, sicuti etiam quasdam personas (e. gr. regulares) eximere a iurisdictione episcopali.

2. Quamvis episcoporum canonica institutio ad solum Romanum Pontificem pertineat iuxta vigentem Ecclesiae disciplinam, tamen exsistunt in diversis regionibus diversi modi eligendi vel praesentandi episcopum. Praecipui modi sunt sequentes:

a) *Praevia commendatio aliquorum (ordinarie trium) candidatorum* facta ab episcopis comprovincialibus vel ab aliis viris ecclesiasticis conspicuis. Ita est mos in America septentrionali, Anglia, Hibernia etc. Haec commendatio nullo modo est electio canonica, ideoque nemo potest conqueri de vitio electionis. Etsi Papa solet instituere episcopum aliquem ex designatis, minime tamen ad hoc tenetur[7].

b) *Praevia nominatio vel praesentatio principis vel praesidis regni.* Hic modus, qui nititur privilegio vel Concordato, usuvenit in Austria, Bavaria, Hispania, Lusitania, Helvetia aliisque regionibus[8].

c) *Praevia electio vel postulatio Capituli cathedralis.* Ita in Borussia, in archidioecesi olmucensi, salisburgensi aliisque dioecesibus. In Borussia libertas huius electionis arctata est, cum nemo possit episcopus eligi, qui sit persona minus grata gubernio civili. Quando ibi agitur de electione, tunc religiose et ad integrum perlegatur „Instructio pro Capitulis Germaniae, quibus competit electio episcoporum circa modum hoc munus peragendi“, a cardinali Rampolla d. 20 Iul. 1900 auctoritate S. Sedis edita[9]. In hac instructione (quae pro norma directiva haberi potest etiam in aliis regionibus) determinatur modus, quo interventus commissarii civilis sit intelligendus. „Speciatim admittere nequit Apostolica Sedes, ut canonici, dum electionem peractam commissario significant, approbationem seu ratihabitionem quodammodo expostulent aut exquirere videantur civilis potestatis. Nec permitti potest, ut adstanti populo statim notificetur electio velut *completa et perfecta.* Sed comitiorum exitus ita publicandus erit, ut simul declaretur, capitularem actum suos canonicos effectus non sortiri, nisi cum a Summo Pontifice fuerit confirmatus.“

Facta confirmatione a Summo Pontifice receptisque bullis pontificiis episcopi solent inthronizari cum magna sollemnitate. Aliquando etiam

[7] S. Cong. Consist. d. 30 Mart. 1910 statuit, ut dioecesani consultores et parochi ius habentes ad suffragium ferendum pro prima candidatorum propositione, vulgo „terna“, teneantur iureiurando se obligare ad strictum secretum circa nomina candidatorum (Acta Ap. Sed. II [1910] 286).

[8] Pro territorio Canadiensi, insulis Terrae Novae, Scotia S. Congregatio Consist. d. 19 Mart. 1919 et d. 20 Nov. 1920 specialia statuta edidit de proponendis sacerdotibus aptis ad episcopatum (Acta Ap. Sed. XI 124 sqq.; XIII 13 sqq.).

[9] In Analect. eccl. IX 413 sq.

tenentur facere iuramentum fidelitatis erga principem civilem; semper autem tale iuramentum requiritur erga S. Sedem, sicuti etiam professio fidei[10].

Q. 120. *Quisnam sit idoneus ad suscipiendum episcopatum?*

R. Ut quis sit idoneus ad episcopatum, requiritur, ut 1. sit natus ex legitimo matrimonio; nec sufficit legitimatio etiam per subsequens matrimonium;

2. sit natus saltem annos triginta completos;

3. sit a quinquennio saltem in s. presbyteratus ordine constitutus;

4. sit praeditus bonis moribus, pietate, animarum zelo, prudentia ceterisque dotibus, quae ipsum aptum efficiunt ad gubernandam dioecesim, de qua agitur. In nonnullis dioecesibus sunt speciales difficultates gubernandi, ideoque etiam speciales aptitudines requiruntur in earum episcopo;

5. sit laurea doctoris vel saltem licentia in theologia aut iure canonico potitus in aliqua Universitate vel in Instituto studiorum a S. Sede probatis, vel saltem earundem scientiarum vere peritus.

Disputant auctores, quaenam scientia magis requiratur, utrum theologia an scientia iuris canonici. Sententia communior respondet scientiam iuris canonici magis necessariam esse, quia episcopus nequit bene administrare dioecesim sine perfecta scientia iuris canonici. Episcopi assumpti ex institutis religiosis debent habere vel similem titulum (doctoris, licentiati) vel a suis superioribus testimonium verae peritiae[11].

Nota. 1. Antequam quis in episcopum assumatur, solet diligens inquisitio institui de eius idoneitate. Ad solam autem S. Sedem pertinet iudicare, num quis sit revera idoneus[12]. 2. Promotus ad episcopatum debet intra tres menses a receptis apostolicis litteris consecrationem suscipere et saltem intra quattuor menses ad suam dioecesim pergere[13]. De iure communi consecratio episcopalis reservatur Romano Pontifici ita ut nulli episcopo (sub poena suspensionis) liceat quemquam consecrare in episcopum, nisi ex speciali mandato S. Sedis[14].

Q. 121. *Quaenam sint iura et privilegia episcoporum?*

R. Ut iam supra dictum est, potestas iurisdictionis competit episcopo *vi sui officii*, ideoque illam exercere potest statim post confirmationem S. Sedis acceptam et Capitulo ecclesiae cathedralis exhibitam,

[10] c. 332, § 2. [11] c. 331.
[12] c. 330 et 331, § 3; cf. Decretum S. C. Consist. d. 29 Febr. 1924 (Acta Ap. Sed. XVI [1924] 161).
[13] c. 333.
[14] c. 953 et 2370. Pro America Latina concessit Leo XIII (const. „Trans Oceanum" 18 Apr. 1897, quae quidem constitutio extensa ad Insulas Philippinas iterum confirmata fuit a Pio X: Act. Ap. Sed. II 216), „ut electi episcopi, postquam promotionis litteras apostolicas acceperint, (nisi aliter in praefatis litteris praescriptum sit) a quocumque maluerint catholico antistite, accitis et assistentibus, si alii episcopi assistentes absque gravi incommodo reperiri nequeant, duobus vel tribus presbyteris in ecclesiastica dignitate constitutis consecrationis munus accipere valeant".

licet nondum sit consecrationem episcopalem consecutus. Antiquis temporibus complura iura competebant episcopis tamquam Sedis Apostolicae delegatis vel vi facultatum quinquennalium etc., sed Codex iur. can. iam non loquitur de iis. Proinde sequentia iura et privilegia de iure communi pertinent ad potestatem *ordinariam* episcoporum.

1. **Potestas legislativa,** quam episcopus exercere potest cum intra tum extra synodum dioecesanam. Per se patet, episcopum non posse leges ferre contra ius commune, neque eius leges territoriales obligare extra dioecesim. Leges episcopales statim a promulgatione obligare incipiunt, nisi aliud in ipsis caveatur; modus autem promulgationis ab ipsomet episcopo determinatur[15]. Istae leges non exspirant morte episcopi, sed tunc solum, quando revocantur. Obiectum legum dioecesanarum debet esse bona administratio dioecesis; quare generatim loquendo episcopus ea omnia lege statuere potest, quae ad bonam administrationem et ad bonum spirituale suae dioecesis necessaria sunt. — Potestas ferendi leges includit facultatem dispensandi in lege, ideoque in legibus dioecesanis episcopus libere et valide dispensare potest.

Quantum ad alias leges dispensandas haec brevissime notentur: 1. Episcopus nequit dispensare a generalibus Ecclesiae legibus, nisi a) agatur de legibus dubiis (etiam irritantibus)[16]; b) sit difficilis recursus ad S. Sedem et simul in mora sit periculum gravis damni, dummodo agatur de dispensatione, quae a S. Sede concedi solet[17]. Hinc episcopus in casibus singularibus ex iusta causa potest dispensare a lege communi de observantia festorum, abstinentiae, ieiunii[18]. 2. Episcopus nequit dispensare in decretis Concilii plenarii aut provincialis, nisi in casibus particularibus et iusta de causa[19].

2. **Potestas iudiciaria et coactiva**[20]. Episcopus enim, qui leges ferre potest, debet etiam habere potestatem iudicandi delicta contra leges, et transgressores legis coercendi et puniendi. In nonnullis casibus episcopus est iudex etiam de religiosis exemptis, e. gr. in delictis haereseos, sollicitationis ad turpia etc. Potestatem iudicialem habet episcopus in foro cum interno tum externo. Hinc potest subditos suos in tribunali absolvere non tantum a peccatis, sed etiam a compluribus censuris (cf. infra de censuris); ipse potest quoque infligere censuras. Contra sententiam iudiciariam episcopi licet quidem appellare ad Metropolitam vel ad S. Sedem, sed appellatio interposita saepe non habet effectum *suspensivum*, i. e. exsecutio sententiae episcopalis non suspenditur, appellatione pendente; sed solum habet effectum *devolutivum*. Potestas coactiva episcopi valet infligere poenas etiam *pecuniarias;* attamen, saltem quoad laicos, hoc rarissime expedit. Episcopus potest coercere clericos dyscolos, statuendo ut in aliqua domo determinata (quae solet vocari domus demeritorum) vel in aliquo conventu propter poenam luendam habitent.

3. **Potestas magisterii.** Ex iure divino episcopi sunt pastores et doctores gregis sibi commissi; sunt enim successores Apostolorum,

[15] c. 335, § 2. [16] c. 15. [17] c. 81.
[18] c. 1245. [19] c. 291, § 2. [20] c. 335.

qui munus praedicationis adeo suum proprium agnoverunt, ut Paulus asseruerit, se non ad baptizandum, sed ad evangelizandum esse missum[21]. Antiquis temporibus episcopi fere soli munus exercuerunt praedicationis, ita ut magna admiratio orta sit, quando Valerius, episcopus hipponensis, permisit S. Augustino presbytero, ut praedicare posset. Adhuc saec. decimo tertio S. Dominicus non parvas difficultates passus est, quando voluit fundare Praedicatorum ordinem, cuius principalis finis est praedicare verbum Dei, quia praedicare reputabatur officium episcopale. Etiam nunc episcopi tenentur saepe per se ipsos praedicare, nisi legitime impediantur. Quantum ad explicationem doctrinae christianae, episcopi munus est supervigilare catechizationem iuventutis et rudium in scholis et ecclesiis, dare licentiam catechizandi magistris, dare missionem canonicam professoribus theologiae. Episcopi ius habent concionandi in qualibet sui territorii ecclesia quamvis exempta[22]. Nemo autem alius clericus sive saecularis sive regularis potest in ecclesiis publicis praedicare nisi praehabita licentia (saltem tacita) episcopi[23]. Quantum ad defensionem fidei episcopi nunc sunt *Inquisitores nati*, et ad eos pertinet crimina haereseos punire atque conversos ex haeresi in gremium Ecclesiae recipere.

4. **Potestas administrationis et supervisionis.** Episcopi est administrare (non autem possidere) bona ecclesiastica ad dioecesim pertinentia iuxta normas in Codice iur. can.[24] indicatas. Hinc episcopus lege ordinaria potest omnes determinare expensas, quae ad cultum divinum, ad sustentationem vicariorum, seminarii, ecclesiae cathedralis etc. necessariae sunt, e. gr. potest exigere sic dictum „cathedraticum"[25]; potest imponere tributum pro sustentatione seminarii[26]; immo potest, necessitate impellente, imponere omnibus in dioecesi beneficiariis (etiam religiosis) extraordinariam exactionem[27]. Generatim autem loquendo episcopus abstineat a nimiis taxis imponendis, illasque ne imponat nisi vera exsistente necessitate. Administrativa potestas episcopi non solum in temporalibus, sed maxime in spiritualibus versatur; unde episcopus, servatis tamen quibusdam conditionibus (de quibus suo loco sermo est), potest nova officia et beneficia erigere, confraternitates dirigere, synodum dioecesanam convocare, congregationes religiosas quae non sunt exemptae supervigilare etc.

Quantum ad *supervisionem* episcopi est supervigilare omnia, quae pertinent ad administrationem sacramentorum et sacramentalium, ad cultum Dei et Sanctorum, ad praedicationem verbi Dei, ad indulgentias, ad implementum piarum voluntatum etc.[28]

5. **Privilegia** episcoporum sunt:

a) *usus pontificalium* in tota dioecesi in omnibus ecclesiis et oratoriis etiam exemptis; non autem extra dioecesim sine expresso vel saltem rationabiliter praesumpto consensu Ordinarii loci, et, si agitur de

[21] 1 Cor. 1, 17. [22] c. 1343, § 1. [23] c. 1337. [24] c. 1519 sqq.
[25] c. 1504. [26] c. 1505. [27] Ib. [28] c. 336.

ecclesia exempta extradioecesana, de consensu superioris religiosi[29]. Exercere pontificalia est sacras functiones peragere, quae ex legibus liturgicis requirunt insignia pontificalia, i. e. baculum et mitram, e. gr. in Missa sollemni, in Vesperis, in Ordinibus conferendis. Episcopus, licentiam concedens pontificalia exercendi in suo territorio, potest quoque permittere usum throni cum baldachino[30]. A fortiori ipse potest sibi elevare thronum cum baldachino in omnibus ecclesiis suae dioecesis.

b) *Nomen episcopi* dioecesani debet ab omnibus dicentibus Missam nominari in canone non a die electionis aut praeconizationis, sed a die *captae possessionis* vel per ipsum episcopum vel per suum procuratorem[31].

c) *Insignia episcopalia*, e. gr. annulus, mitra, usus proprii sigilli etc. Episcopi autem et Cardinales prohibentur in suis sigillis et insignibus (vulgo armis) exprimere titulos saeculares nobilitatis propriae familiae vel gentis[32].

d) *Privilegium altaris portatilis et privilegiati* terra marique; ideoque possunt in quolibet loco decenti Missam celebrare vel etiam permittere, ut alia Missa, ipsis adstantibus, celebretur. Fideles autem tali Missae assistentes adimplent praeceptum audiendi Missam diebus dominicis et festivis. Episcopi possunt ubique dicere Missam iuxta proprium calendarium[33]; possunt quoque dicere Missam privatam fer. V in Coena Domini[34].

e) *Facultas remittendi omnes poenas et censuras* latae sententiae iure communi statutas in omnibus (et non solum in urgentioribus) casibus *occultis*, exceptis censuris specialissimo vel speciali modo S. Sedi reservatis[35]. Potest autem episcopus hanc facultatem exercere per se vel per delegatum.

f) *Facultas praedicandi verbum Dei* ubique. Sin autem praedicant extra propriam dioecesim, requiritur saltem praesumptus consensus Ordinarii.

g) *Facultas percipiendi reditus mensae episcopalis, concedendi indulgentiam 50 dierum* in suae iurisdictionis locis. Hanc duplicem facultatem non habent episcopi nisi a die captae possessionis sedis episcopalis; alias autem facultates et privilegia honorifica habent statim ac confirmati sunt a Romano Pontifice, nisi aliud expresse sit statutum. Hinc sacerdos, electus et confirmatus episcopus, potest etiam ante consecrationem episcopalem acceptam uti pileolo violaceo in divinis Officiis et Missa, annulo, cruce pectorali etc.[36]

h) *Facultas benedicendi* ubique (ritibus servatis), cum omnibus indulgentiis a S. Sede concedi solitis, rosaria aliasque coronas precatorias, cruces, numismata, statuas, scapularia a S. Sede approbata eaque imponendi sine onere inscriptionis, pariter erigendi viam crucis vel bene-

[29] c. 337. [30] Ib. § 3.
[31] S. R. C. d. 4 Iul. 1879 (Decr. auth. n. 3500).
[32] S. C. consist. d. 15 Ian. 1915 (Acta Ap. Sed. VII 172).
[33] c. 349, § 1, n. 1 et S. R. C. d. 8 Iun. 1896. [34] c. 349, § 1, n. 1.
[35] c. 2237, § 2. [36] S. C. consist. d. 2 Maii 1910.

dicendi icones crucifixi. Nequeunt autem neque *habitualiter* neque per modum actus delegare has facultates sacerdotibus suae ditionis[37].

De aliis privilegiis episcoporum sermo erit in propriis locis.

Q. 122. *Quaenam sint praecipuae obligationes episcoporum?*

R. Obligationes episcopi sunt multae, cum supra allata iura episcoporum saepe sint onerosa. Omnes autem obligationes derivari videntur ex eo, quod episcopus est proprius et primus pastor tam cleri quam laicorum suae dioeceseos, atque debet omnes in via virtutis adducere ad salutem aeternam. Nemo autem apte ducere potest in via virtutis, nisi ipse iam sit praeditus magnis virtutibus. Quapropter, praeeunte S. Thoma, auctores communiter docent, episcopum esse in statu perfectionis acquisitae ac proinde convenientissime debere habere omnes virtutes christianas in statu perfecto. Ideo prima et principalis obligatio episcoporum est vita perfecte religiosa. Praeterea iis incumbit:

1. **Obligatio residentiae** in propria dioecesi.

Lex residentiae episcopis inculcata est iam a primo Concilio nicaeno (a. 325) et postea multoties. Longam seriem canonum de hac re adducit Barth. Carranza in opusculo: De residentia episcoporum, c. 7. In Concilio tridentino acriter disputatum est, utrum haec obligatio sit iuris divini an tantum iuris ecclesiastici. Cum autem dissidentes inter se Patres haudquaquam invicem conciliari potuerint, tandem deliberatum est, ut novo quidem decreto adigerentur cuncti animarum pastores ad residentiam atque severae poenae infligerentur contumacibus; nihil tamen definiretur de iure, quo iidem continuo inter suas oves versari tenerentur. Benedictus XIV[38] asserit, sententiam, quae tenet episcopos obligari *ex iure divino* ad residentiam, esse communiorem eique omnes calculum adiecisse, qui post Tridentinum scripserunt, tam theologos quam canonistas, inter quos Dom. Soto, Bellarminus, Vasquez, Lessius, Azor, Carranza, Navarrus, Gonzalez, Fagnanus, Pirhing aliique innumeri. Intrinseca autem ratio, quare episcopi teneantur ad residentiam, est cura animarum ipsis vi officii et iuris divini incumbens. Etenim paene impossibile est, episcopum posse perfecte gerere curam animarum, si per longum tempus a sua dioecesi abest[39].

Ius ecclesiasticum[40] statuit: Ex „aequa causa" episcopus dioecesanus potest abesse a sua dioecesi singulis annis non ultra duos vel ad summum tres menses sive continuos sive intermissos. Nisi adsit gravis et urgens causa, haec absentia ne cadat in tempora Adventus, Quadragesimae, dierum Nativitatis, Resurrectionis Domini, Pentecostes et Corporis Christi; quibus temporibus episcopus non solum sit praesens in dioecesi, sed etiam apud ecclesiam cathedralem. Si diuturnior absentia a dioecesi est necessaria, requiritur non solum gravis causa, sed etiam (nisi periculum sit in mora) licentia S. Sedis[41].

[37] S. Poenit. d. 18 Iul. 1919 et 10 Nov. 1926 (Acta Ap. Sed. XI 332 et XVIII 500).
[38] De syn. dioec. l. 7, c. 1, n. 7. [39] Cf. *S. Thom.*, S. th. 2, 2, q. 185, a. 5.
[40] Conc. trid. sess. 23, c. 1 de reform.; c. 338.
[41] *Urbanus VIII*, Const. „Sancta Synodus" d. 12 Dec. 1634; *Benedictus XIV*, Const. „Ad universae" d. 3 Sept. 1746. In hac constitutione Summus Pontifex totam fere doctrinam et disciplinam residentiae epicopalis complectitur.

Causae sufficientes absentiae sunt: visitatio Sacrorum Liminum, praesentia in Concilio oecumenico, plenario aut provinciali, gravia negotia tractanda. Praecisa licentia expressa S. Sedis, episcopus numquam potest licite abesse a sua dioecesi ultra tres menses; neque etiam potest licite pro hoc anno abesse mensibus octobri, novembri, decembri et statim pro sequenti anno mensibus ianuario, februario, martio[42]. Per se patet, episcopum debere curare, ne ex sua absentia dioecesis quidquam impedimenti capiat. — Episcopus peccans contra legem residentiae sequentes poenas incurrit:

a) pro rata temporis absentiae illegitimae privatur eo ipso omnibus fructibus beneficii sui. Haec poena incurritur eo ipso absque ulla declaratione neque remitti potest[42a]. Ita ex c. 2381, ubi indiscriminatim omnes beneficiarii illegitime non residentes hac poena plectuntur. Sententia opposita, propugnata ab Augustine[43], eximens episcopos illegitime non residentes ab hac poena, vix probabilis esse videtur.

b) Si ultra sex menses a dioecesi illegitime abfuit, episcopum Metropolita, Metropolitam autem antiquior suffraganeus residens Sedi Apostolicae denuntiet[44]. Sedes autem Apostolica tunc alias poenas decernet, e. gr. privationem ecclesiae, privationem gratiae alternativae etc[45]

2. **Obligatio applicandi Missam pro populo** omnibus diebus dominicis aliisque festis diebus de praecepto, etiam suppressis[46]. Circa hanc obligationem, quae incipit non post praeconizationem, sed post captam sedis episcopalis possessionem, sequentia notentur:

a) in festo Nativitatis Domini, et si quod festum in diem dominicam incidit, satis est ut episcopus unam Missam pro populo applicet[47].

b) Si festum transfertur non solum cum officio sed etiam pro foro externo, Missa applicanda est die huius translationis; si solummodo exterior sollemnitas transfertur, Missa applicanda est die, quo recitatur officium[48].

c) Episcopus Missam pro populo diebus supra indicatis per se ipse applicare debet; sin autem a celebratione legitime impeditur, e. gr. infirmitate, statis diebus debet applicare per alium; si ne id quidem praestare potest, quamprimum vel per se ipse vel per alium applicet alio die[49].

d) Episcopus regens duas vel plures dioeceses satisfacit suae obligationi, si unam Missam applicat pro universo populo sibi commisso[50].

e) Episcopus, qui huic obligationi applicandi Missam non satisfecit, quam citius debet supplere Missas omissas[51].

Episcopi *titulares* non quidem stricte tenentur applicare Missam pro populo, sed, „si aequitatis caritatisque episcopalis ratio habeatur, non potest non consentaneum videri, eos etiam interdum sacrificium offerre,

[42] c. 338, § 2. [42a] Cf. Acta Ap. Sed. XII 361 sq.
[43] Com. on Canon Law VIII 463. [44] c. 338, § 4.
[45] Cf. *Benedictus XIV*, Const. „Ad universae" d. 3 Sept. 1746.
[46] c. 339, § 1. (S. C. C. d. 28 Dec. 1919.)
[47] Ib. § 2. [48] Ib. § 3. [49] Ib. § 4.
[50] Ib. § 5. [51] Ib. § 6.

ut respiciat Deus miseram ecclesiarum illarum conditionem, quarum titulo et nomine ipsi honestantur" [52].

3. **Visitatio Liminum SS. Apostolorum.** Episcopi ante suam consecrationem iurare debent, se statis temporibus visitaturos esse Limina Apostolorum, deferentes Summo Pontifici et debitam reverentiam oboedientiamque et claram relationem de propria dioecesi. Quae quidem visitatio debet fieri quolibet quinquennio; sed, ut ea fiat quolibet decennio, permittitur episcopis extra Europam degentibus [53]. Ut iam indicatum est, tres actus includit haec visitatio; nempe debet fieri a) visitatio personalis coram Papa et relatio oralis de statu dioecesis; b) visitatio et oratio ad sepulcra Apostolorum in basilicis S. Petri et S. Pauli; c) relatio latine scripta (iuxta formulam ab Apostolica Sede datam per S. C. Consist. d. 4 Nov. 1918 aut, pro locis Missionum, per litt. S. Congr. de Prop. Fide d. 16 Apr. 1922 [54]). Quae quidem relatio scripta debet offerri S. Congregationi Consistoriali, vel, si episcopi veniunt ex locis missionum, S. Congregationi de Propaganda Fide. — Tempus quinquennale est fixum et computatur a die 1 Ian. 1911; si tamen annus pro exhibenda relatione assignatus inciderit ex toto vel ex parte in primum *biennium* ab inito regimine dioecesis, episcopus pro ea vice a conficienda et exhibenda relatione abstinere potest [55]. Episcopus debet visitare s. Limina, per se vel per coadiutorem, si quem habet, aut saltem, ex iustis causis a S. Sede probatis, per idoneum sacerdotem, qui in eiusdem episcopi dioecesi residet [56].

4. **Visitatio propriae dioecesis.** Cum episcopus nequeat bene regere dioecesim, nisi eam perfecte cognoscat, atque haec perfecta cognitio sit vix possibilis, nisi ipse personaliter eam visitet, praescribitur [57]: „Ad sanam et orthodoxam doctrinam conservandam, bonos mores tuendos, pravos corrigendos, pacem, innocentiam, pietatem et disciplinam in populo et clero promovendam ceteraque pro ratione adiunctorum ad bonum religionis constituenda tenentur episcopi obligatione visitandae *quotannis* dioecesis vel ex toto vel ex parte, ita ut saltem singulis quinquenniis universam vel ipsi per se vel, si fuerint legitime impediti, per Vicarium generalem aliumve lustrent." Si episcopus hanc obligationem neglexit, Metropolita debet id denuntiare S. Sedi et cum eius approbatione ipse facere visitationem praescriptam [58]. In visitatione episcopus potest sibi adsciscere duos clericos, etiam canonicos ecclesiae cathedralis vel collegialis, tamquam comites et adiutores. Canonici sic adiuvantes episcopum, quamvis non assistant officio divino chorali, percipiunt fructus praebendae et distributiones cotidianas [59]. Circa hanc visitationem adhuc sequentia notentur:

a) Episcopi studeant eam peragere diligenter quidem, sed etiam breviter.

[52] *Leo XIII*, Const. „In suprema" d. 10 Iun. 1882; cf. c. 348.
[53] c. 341, § 2. [54] Acta Ap. Sed. X 487—503; XIV 287.
[55] c. 340, § 3. [56] c. 342. [57] c. 343.
[58] Ib. § 3 et c. 274, n. 4 et 5. [59] c. 420, § 1, n. 12.

b) Caveant, ne superfluis sumptibus onerosi sint parochis aliisque personis visitationi obnoxiis. Praesertim autem ne petant aut accipiant pro se suisque quodvis donum.

c) Circa victualia sibi suisque ministranda vel procurationes et expensas itineris servetur legitima locorum consuetudo [60].

d) Debent procedere *forma paterna*, i. e. strenue quidem, sed simul caritative. Ab eorum praeceptis ac decretis datur recursus *in devolutivo* tantum. Nihil tamen obstat, ne tempore visitationis episcopus etiam instruat processum iuridicum, si qualitas causae id exigit [61].

e) Obiectum huius visitationis sunt: α) *loca*, i. e. ecclesiae, oratoria publica et semipublica, coemeteria, scholae catholicae aliaque loca ad ecclesiam pertinentia et non speciali exemptione fruentia [62]; β) *personae*, i. e. clerus, mulieres religiosae, et quadantenus omnes fideles; γ) *res*, i. e. vasa sacra, supellex sacra, reliquiae, administratio rerum temporalium ad ecclesiam pertinentium [63].

Quantum ad visitationem locorum, personarum et rerum religiosarum, Ordinarius loci per se vel per alium *quoque quinqennio* visitare debet:

α) singulas domos religiosas iuris dioecesani.

β) singulas domos congregationis *laicalis* iuris pontificii, e. gr. domos Alexianorum, domos sororum religiosarum.

γ) singula monasteria monialium, quae sibi vel S. Sedi immediate sunt subiecta; monasteria autem monialium subiecta regularibus debet visitare solum quantum ad observantiam *clausurae*, circa alia autem tunc solum, si superior regularis haec monasteria non visitavit inde a quinque annis.

δ) singulas domos congregationis *clericalis* iuris pontificii etiam exemptas in iis, quae pertinent ad ecclesiam, sacrarium, oratorium publicum, sedem ad sacramentum poenitentiae [64]. Tales congregationes clericales sunt e. gr. Redemptoristae, Congregatio S. Spiritus et multae Congregationes missionariorum. — Ordinarius loci non videtur amplius habere neque obligationem neque ius visitandi ecclesias *ordinum religiosorum*.

Visitator ius et officium habet interrogandi religiosos de iis, quae ad visitationem spectant; omnes autem religiosi debent respondere secundum veritatem; nec superioribus fas est quoquo modo eos ab hac obligatione avertere aut visitationis scopum aliter impedire [65]. Ratio horum omnium est, quia secus visitatio nequit producere omnes effectus utiles [66].

5. **Specialis cura de ordinandis.** S. Alphonsus [67] merito dicit, hoc esse gravissimum munus episcoporum, et sanctissimos praesules praesertim in hac re timuisse rationem, quam de ea Deo reddere debeant.

[60] c. 346. [61] c. 345. [62] c. 1382 1491.
[63] c. 344. Cf. Card. Melchers, De canonica dioecesium visitatione (Coloniae 1893).
[64] c. 512. Cf. infra q. 187. [65] c. 513.
[66] Cf. *M. Brandys* O. F. M., Kirchl. Rechtsbuch (Paderborn 1918) Nr. 144.
[67] Hom. apost. tr. 7, n. 47.

Hanc curam exercet episcopus praesertim supervigilando seminarium clericorum (sive maius sive etiam minus, si adest).

6. **Cura de monialibus** aliisque feminis religiosis praecipue in confessariis deputandis et in clausura stricte observanda. De hac re erit sermo infra in parte secunda huius libri q. 190 sqq.

De obligationibus episcopi relate ad curiam dioecesanam tractabitur infra q. 128 sqq.

Scholion. De iuribus et obligationibus nonnullorum episcoporum.

1. Episcopi titulares habent complura privilegia sicut episcopi residentiales, sed nequeunt exercere ullam potestatem in sua dioecesi titulari, cuius ne possessionem quidem capiunt [68]. Pariter nequeunt exercere pontificalia neque iurisdictionem in foro utroque sine praevia licentia episcopi loci. Episcopus titularis, qui est canonicus, praecedit cum quoad stallum tum quoad omnia alia omnibus dignitatibus et canonicis in presbyterali tantum ordine constitutis [69].

2. Episcopi assumpti *ex Ordinibus religiosis*, cum maneant religiosi, speciales habent obligationes, de quibus sermo erit infra in parte secunda huius libri q. 249.

De episcopis coadiutoribus et auxiliariis statim erit sermo in capite sequenti.

Q. 123. *Quid notandum sit de translatione episcopi?*

R. 1. Translatio est episcopi legitimus transitus ab una sede ad aliam.

2. Cum inter episcopum et suam ecclesiam seu dioecesim ineatur quasi matrimonium spirituale et indissolubile, episcopus deserens suam ecclesiam sine licentia S. Sedis committit adulterium spirituale, gravibus poenis plectitur atque carebit utraque ecclesia, sc. illa quam habuit et illa ad quam praesumpsit accedere, „ut sic nec illis praesideat quos per superbiam sprevit, nec illis quos per avaritiam concupivit“ [70]. Requiritur licentia S. Sedis in translatione non solum episcopi consecrati et actualiter dioecesim gubernantis, sed etiam episcopi solummodo confirmati post electionem.

3. Translatio est vel *libera*, quae sponte acceptatur a translato, vel *coacta*, quae imponitur translato contra eius voluntatem, sive id fiat propter eius culpam, sive propter alias rationes. Translatio fieri potest inter duas ecclesias fere aeque dignas, vel ex ecclesia minus digna ad digniorem, vel vicissim ex ecclesia digniore ad minus dignam.

4. Translatio coacta est saepe (non tamen semper), praesertim si est ad ecclesiam minus dignam, mitior quaedam forma amotionis vel privationis.

5. Translatio episcoporum secundum canones atque usum veteris Ecclesiae non debet fieri nisi *ob ecclesiae necessitatem vel maiorem utilitatem*; neque enim institutae sunt ecclesiae propter episcopos, sed episcopi propter ecclesias [71]. Ratio est, quia nimis faciles translationes detrimentum animarum causant, cum episcopi minus diligere soleant ecclesiam, quam brevi se deserturos esse sperant, ut ad aliam commodiorem et ditiorem transeant. Hodiernis temporibus translationes a sedibus

[68] c. 348. [69] c. 408. [70] Decretal. c. 3, X 1, 7.
[71] Ita Card. Bellarminus apud *Benedict. XIV*, De syn. dioec. l. 13, c. 13, n. 5.

episcopalibus ad sedes archiepiscopales sunt frequentes, quia sedes archiepiscopalis videtur requirere pastorem, qui iam alibi experientia pastorali est edoctus atque opere et doctrina est plenissime probatus. — Cum translatio sit revera provisio canonica, illa omnia observari debent, quae supra de institutione, electione, praesentatione episcopi dicta sunt.

6. A certa et authentica translationis notitia habita episcopus debet intra *quattuor menses* ad novam dioecesim accedere eiusdemque canonicam possessionem assumere. Qua possessione assumpta prima dioecesis plene vacat. Ante hanc autem possessionem episcopus retinet in priore dioecesi sequentes facultates: a) obtinet *Vicarii capitularis* potestatem et obligationes, cessante qualibet Vicarii generalis potestate, seu breviter: episcopus fit suae prioris dioecesis Vicarius capitularis cum omnibus iuribus et obligationibus. b) conservat in priore dioecesi α) omnia privilegia *honorifica* episcoporum residentialium; β) integros fructus mensae episcopalis [72].

Q. 124. *Quid notandum sit de renuntiatione episcopi?*

R. 1. Renuntiatio est libera dimissio episcopatus ex causis legitimis acceptata a Summo Pontifice. Dividi solet in *expressam*, quae verbis vel scriptis clare enuntiatur, et in *tacitam* vel *praesumptam*, quae est factum liberum, quod habet annexam renuntiationem, e. gr. ingressus in religionem. Insuper dividitur in renuntiationem *loci* tantum, quando episcopus ob adversam valetudinem vel ob persecutionem renuntiat episcopatui in manus Papae, dimittendo dioecesim dumtaxat, titulum autem et dignitatem retinendo; et renuntiationem *loci et dignitatis*, quando episcopus renuntiat non tantum dioecesi, sed etiam omni exercitio ordinis episcopalis, e. gr. ingrediendo in religionem. Ut per se patet, episcopus numquam potest resignare ipsi characteri episcopali, quippe qui sit indelebilis.

2. *Causae*, ob quas episcopus potest renuntiare episcopatui, enumerantur in iure sex: conscientia criminis, debilitas corporis, defectus peritiae, malitia populi, grave scandalum populi, irregularitas; quae causae solebant exprimi his versiculis:

„Debilis, ignarus, male conscius, irregularis,
Quem mala plebs odit, dans scandala cedere possit.“

Quae quidem causae debent a S. Sede probari, ideoque nulla renuntiatio aliquem effectum producit, nisi sit acceptata a Papa.

3. *Effectus* renuntiationis rite acceptatae sunt sequentes: a) sedes episcopalis vacat; b) fructus beneficii amplius non obveniunt renuntianti; c) episcopus, qui *loco* tantum resignavit, usum pontificalium (cum consensu Ordinarii) retinet et cum eodem consensu potest (servatis servandis) conferre sacramenta Ordinis et Confirmationis; episcopus autem, qui *loco et dignitati* resignavit, de iure usum pontificalium amittit, neque valet ordines maiores conferre, etiamsi consensus Ordinarii accessit. Ceterum casu occurrente, Summus Pontifex solet

[72] c. 430, § 3.

accurate determinare, quae post resignationem episcopo permissa sint et quae non.

4. Episcopi religiosi, qui cum consensu Papae renuntiaverunt episcopatui, tenentur redire ad religionem suam, ex qua assumpti fuerunt[73]. Potest tamen talis episcopus (vel Cardinalis) religiosus quamlibet suae religionis domum eligere, in qua degat; sed caret voce activa et passiva[74].

Q. 125. *Quid notandum sit de depositione episcopi?*

R. Depositio est poena vindicativa, quae nequit infligi nisi in casibus iure expressis[75], idque a solo Summo Pontifice vel eius auctoritate, minime vero a gubernio civili, sicuti saepe attentatum est in persecutionibus catholicae religionis. Iuxta hodiernam praxim Curiae Romanae, si causa depositionis est sufficienter probata, episcopus invitatur ad spontaneam resignationem sui officii; quam si dare nolit, etiam invitus deponitur.

CAPUT II.

De coadiutoribus et auxiliaribus episcoporum.

Q. 126. *Quid sint coadiutores et auxiliares episcoporum?*

R. In sensu lato omnes sacerdotes curam animarum in dioecesi gerentes sunt coadiutores et auxiliares episcopi; in sensu autem stricto (hic usitato) iuxta hodiernam praxim distinguendi sunt administratores apostolici, coadiutores, auxiliarii. Omnes quidem isti solent esse episcopi titulares, sed *Administrator apostolicus*[76] proprie est delegatus S. Sedis et solet dioecesim administrare auctoritate S. Sedis, ita ut omnes alii ab eo dependeant. Episcopus *coadiutor* deputatur a S. Sede vel personae episcopi *cum iure successionis* vel nonnumquam alicui dioecesi[77]. Episcopus *auxiliaris* a S. Sede solet deputari in magnis dioecesibus personae episcopi, qui solus nequit omnia officia pontificalia peragere. Episcopus auxiliaris deputatur sine iure successionis[78] et nihil aliud est quam vicarius episcopi non habens aliam potestatem nisi ab episcopo delegatam.

Q. 127. *Quaenam sint iura et obligationes episcopi coadiutoris?*

R. 1. Iura et obligationes episcopi coadiutoris imprimis desumantur ex litteris apostolicis, quibus constituitur. Proinde episcopus coadiutor debet istas litteras ostendere cum episcopo (si adhuc est humani actus capax) tum Capitulo ecclesiae cathedralis[79].

2. Nisi aliud in his litteris caveatur, coadiutor, qui datur episcopo prorsus *inhabili*, habet omnia iura ac officia episcopalia; coadiutor autem dioecesi (non directe personae episcopi) datus potest in territorio ea, quae sunt ordinis episcopalis, exercere, excepta sacra ordinatione; aliis in rebus tantum potest, quantum eidem a S. Sede vel ab

[73] *Benedictus XIV*, Const. „Custodes" d. 7 Mart. 1725, § 7.
[74] c. 629, § 2. [75] c. 2303, § 3. [76] De quo supra q. 113.
[77] c. 350. [78] Ib. § 3. [79] c. 351 et 353.

episcopo fuit commissum[80]. Sacrae igitur ordinationes reservantur proprio episcopo, sed nihil obstat, ne iste deleget coadiutorem ad ordinationes peragendas.

3. Coadiutor, iusto impedimento non detentus, debet, quoties fuit ab episcopo coadiuto requisitus, pontificalia et alias functiones obire, ad quas episcopus ipse teneretur[81]. Ex alia parte, quae coadiutor potest et vult exercere, episcopus alteri ne deleget, saltem habitualiter[82]. Hoc enim esset offensio coadiutoris.

4. Coadiutor habet obligationem *residentiae* sicut episcopus residentialis, ac proinde illi non licet abesse a dioecesi nisi a) tribus mensibus vacantiae, b) ad breve tempus ex speciali permissione episcopi adiuti[83].

5. Coadiutor habet ius ad competentem sustentationem, qualem S. Sedes vel legitima consuetudo determinavit.

6. Coadiutor cum iure successionis legitime institutus, sede vacante, e. gr. per mortem episcopi, statim sine ulla nova collatione evadit Ordinarius dioecesis[84]. Econtra episcopus auxiliaris amittit suum officium, statim ac episcopus proprius moritur aut amovetur, nisi tamen aliud in litteris apostolicis caveatur[85]. Si coadiutor datus est sedi seu dioecesi (et non personae episcopi), eius officium perdurat etiam sede vacante[86].

CAPUT III.

De synodo dioecesana (remissive).

Supra q. 30 sufficienter dictum est de hac materia.

CAPUT IV.

De curia dioecesana.

Q. 128. *Quid sit curia dioecesana?*

R. 1. Curia dioecesana est complexus earum personarum, quae episcopo (aliive, qui loco episcopi dioecesim regit) opem praestant in regimine *totius* dioecesis. Quare ad eam pertinent vicarius generalis, officialis, cancellarius, promotor iustitiae, defensor vinculi, synodales iudices et examinatores, parochi consultores, auditores, notarii, cursores, apparitores[1].

Inde a primis saeculis Ecclesiae episcopi sibi adsciscebant presbyteros et diaconos. Iuxta numerum Apostolorum et diaconorum, quorum fit mentio in Act. c. 6, numerus presbyterorum adiuvantium fuit duodenarius; numerus autem diaconorum fuit septenarius. Omnes isti efformabant senatum ecclesiae et consilium episcopi. Vocabantur quoque „presbyterium", „collegium", „capitulum". Si quando necesse erat impendi sacrum ministerium extra civitatem episcopalem, mittebatur unus ex presbyteris vel diaconis, qui, expleto ministerio vel habita ad convertendos gentiles ruri degentes concione,

[80] c. 352. [81] c. 351, § 4. [82] Ib. § 3. [83] c. 354.
[84] c. 355. [85] Ib. § 2. [86] Ib. § 3. [1] c. 363.

redibat ad episcopum; atque is modo unum modo alium ad huiusmodi ministerium deputabat. Nullus autem clericus ruri habitualiter degebat, sed fideles ruri habitantes (qui pauci tunc temporis erant) ad coetum episcopalem in civitatem conveniebant[2].

2. Nominatio eorum, qui ad curiam episcopalem pertinent, *scripto* consignetur. Nominati vero debent:

a) in manibus episcopi iusiurandum praestare de munere fideliter exercendo, quavis personarum acceptione posthabita;

b) negotia ad se spectantia sub auctoritate episcopi tractare ad normam iuris;

c) secretum (professionale) servare intra fines et secundum modum a iure vel ab episcopo determinatum[3].

De officiali, promotore iustitiae, defensore vinculi, iudicibus synodalibus, auditoribus, cursoribus et apparitoribus, utpote omnibus pertinentibus ad iudicia, infra q. 463 sqq. sermo erit, quando tractabitur de iudiciis ecclesiasticis. Restat hic dicendum 1. de Vicario generali; 2. de cancellario aliisque notariis et de archivo episcopali, ubi istorum officialium acta conservantur; 3. de examinatoribus synodalibus et parochis consultoribus.

ARTICULUS I.

De Vicario generali[4].

Q. 129. *Quid sit Vicarius generalis episcopi et unde sit huius officii origo?*

R. Tres distingui possunt Vicarii generales: *in spiritualibus, in pontificalibus, in temporalibus.* Pauca sint dicta de duobus posterioribus.

Vicarius generalis in pontificalibus in nonnullis magnis dioecesibus instituitur, qui ex delegatione episcopi dioecesani administret in diversis partibus dioecesis Sacramentum confirmationis, consecret ecclesias et altaria, conferat Sacramentum ordinis etc. Talis Vicarius in pontificalibus creatur a Summo Pontifice, praevia supplicatione episcopi dioecesani, et nunc vocatur episcopus titularis vel auxiliaris. Potestas eius est mere delegata, determinatur ab episcopo dioecesano, cessat morte vel amotione delegantis; sede vacante eget nova facultate vel a S. Sede vel a Vicario capitulari; potest ex Indulto pontificio possidere praebendam et canonicatum. Quando in habitu episcopali adest in choro vel in Capitulo canonicorum, praecedit omnibus canonicis et dignitatibus, ut iam supra dictum est. In Concilio oecumenico habere solet suffragium; item in Conciliis plenariis et provincialibus.

Vicarius generalis in temporalibus est oeconomus generalis pro administratione bonorum temporalium dioecesis. Antiquis temporibus, quibus episcopi non raro fuerunt etiam magni domini in temporalibus, hoc officium fuit arduum et momentosum; hodie autem administratio temporalium bonorum dioecesis demandatur consilio administrationis[5], et Ordinarius loci instituit diversos officiales, qui bonis temporalibus invigilant, e. gr. Iustitiarium, Architectum, Rendantem, Syndicum etc.

[2] *Bouix*, De capitulis 4. [3] c. 364.
[4] De Vicario generali iuxta novum ius bene tractat *U. Stutz*, Der Geist des Codex iuris canonici 281—338 (Stuttgart 1918).
[5] c. 1520.

Vicarius generalis in spiritualibus est sacerdos deputatus ab episcopo cum potestate generali, ut vices eius plenarie gerat *in exercitio iurisdictionis.* Vicarius generalis non habet beneficium, sed officium. Origo huius officii videtur esse saeculo decimo tertio, tempore inter Gregorium IX et Bonifatium VIII. Etenim in Decretalibus Gregorii IX editis 1234 nulla eius vestigia inveniuntur, dum vero in Libro Sexto et in Clementinis frequenter commemoratur atque eius officium ordinatur novis legibus. — Auctores communiter docent Vicarium generalem esse quasi successorem Archidiaconi[6]. Pristini Archidiaconi paulatim sibi arrogaverant iura exorbitantia. Cui abusui mederi volentes episcopi iurisdictionem Archidiaconi suppresserunt, consentiente S. Sede; loco autem eorum instituerunt Vicarios generales ad nutum amovibiles. In aliquibus dioecesibus Galliae Vicarius generalis adhuc nostris diebus vocatur archidiaconus. Sin autem Archidiaconus non est simul Vicarius generalis, eius officium iuxta modernam praxim in plerisque regionibus vigentem est reductum ad meram dignitatem vel melius ad personatum in capitulis canonicorum. Cf. infra q. 140.

Q. 130. *Num episcopus teneatur instituere Vicarium generalem in spiritualibus?*

R. Si episcopus omnia munera per se ipse valet recte obire, non tenetur instituere Vicarium generalem. Ratio patet, quia Vicarius generalis est tantum in adiutorium episcopi institutus, quando ille indiget auxilio propter multitudinem negotiorum[7]. Quare in parvis dioecesibus non est necesse Vicarium generalem instituere. Communiter autem tenetur episcopus instituere Vicarium generalem, cum id ad bonum regimen dioecesis soleat esse valde utile. Quodsi episcopus negligat instituere Vicarium generalem, quando id est necessarium, potest cogi a S. Congregatione Consistoriali, quae et ipsa valet instituere Vicarium generalem in aliqua dioecesi. — Vicarius generalis libere designatur ab episcopo et ab eo etiam libere ad nutum amoveri potest[8].

Ordinarie episcopus ne instituat nisi unum Vicarium generalem; si tamen rituum diversitas vel amplitudo dioecesis id exigit, episcopus potest quoque plures Vicarios generales instituere[9].

Q. 131. *Quaenam dotes requirantur in Vicario generali?*

R. 1. *Ut sit sacerdos e clero saeculari*[10]. Si tamen dioecesis est commissa alicui Religioni, Vicarius generalis potest esse eiusdem Religionis alumnus[11]. In locis missionum saepe accidit, ut Vicarius generalis institutus a Vicario Apostolico sit ex clero religioso.

2. *Ut sit aetatis sufficientis.* Iuxta vigentem disciplinam requiritur aetas ad minus 30 annorum completorum[12].

3. Ut sit *scientia et peritia haud mediocri praeditus.* Hinc debet esse aut doctor in theologia et iure canonico aut licentiatus aut saltem

[6] Cf. *Icard*, Prael. iur. can. I 189; *Devoti*, Inst. can. l. 1, tit. 3, § 77; *Santi*, Prael. l. 2, tit. 28; *Wernz*, Ius decr. II 800; *Sägmüller*, Kirchenrecht § 99.
[7] c. 366, § 1. [8] Ib. § 2. [9] Ib. § 3.
[10] c. 367, § 1. [11] Ib. § 2. [12] Ib. § 1.

earum scientiarum vere peritus; pariter sit commendatus sana doctrina, probitate, prudentia ac rerum gerendarum experientia[13].

4. *Ut non habeat aliud officium incompatibile.* Hinc Vicarii generalis munus ne committatur canonico poenitentiario, parocho aliisque curam animarum gerentibus[14]. In casu tamen necessitatis parochus aliusque curam animarum gerens potest suscipere munus Vicarii generalis.

5. *Ut non sit consanguineus episcopi*, praesertim in primo gradu vel in secundo mixto cum primo[15].

Q. 132. *Quaenam sit potestas Vicarii generalis?*

R. 1. Multum disputatum est inter canonistas, utrum potestas et iurisdictio Vicarii generalis sit ordinaria an delegata. Quidam putant, eam esse *ordinariam* (Leurenius, Bouix, Wernz, Huguenin etc.); alii tenent, eam esse *quasi-ordinariam* (Scherer, Hinschius, Sägmüller); alii docent, eam esse neque ordinariam neque delegatam, sed *vicariam* et mandatam (Aichner, Friedle); alii tenent, eam esse *sui generis*, i. e. simul ordinariam et delegatam (Santi, Kober). Tota haec controversia in praxi nullius fere est utilitatis et secundum maximam partem est lis de nomine[16].

Novo Codici iuris can. videtur esse conformius, si iurisdictio Vicarii generalis vocetur *ordinaria, sed vicaria*[17]. Etenim c. 197 definitur potestas iurisdictionis ordinaria ea, „quae ipso iure adnexa est officio; delegata, quae commissa est personae". Iamvero potestas commissa Vicario generali est adnexa eius officio et non solummodo commissa eius personae. Haec autem potestas ordinaria in Codice subdividitur in propriam et vicariam. Proinde iurisdictio Vicarii generalis est quidem *ordinaria, sed vicaria,* sicut iam ex nomine Vicarii satis luculenter apparet. Ceterum in iure nomine *Ordinarii loci* intelliguntur Vicarii generales (episcopi residentialis, abbatis vel praelati nullius). Excipiuntur solummodo causae beatificationis et canonizationis, in quibus nomine Ordinarii non intelliguntur Vicarii generales, nisi habuerint mandatum speciale[18]. Cum Vicarius generalis habeat iurisdictionem ordinariam, eam etiam delegare potest non quidem in toto, sed in casu particulari.

2. Ambitus iurisdictionis Vicarii generalis his duabus regulis generalibus videtur convenienter circumscribi:

a) *Vicarius generalis censetur esse „alter ego" episcopi ac proinde est plenipotentialis vicesgerens iurisdictionis episcopalis ordinariae et etiam delegatae.*

b) *Vicarii generalis potestas limitatur per restrictiones, quas aut ius ipsum aut episcopus expresse facit.*

[13] c. 367, § 1. [14] Ib. § 3. [15] Ib.

[16] *Berardi* (Comment. in ius eccl. I 211) merito scribit: „Qui disputant an Vicariorum iurisdictio ordinaria dicenda sit an delegata, mihi videntur de vocabulis litem inferre, quando alias in rem, in causam inque effectus omnes consentiunt."

[17] Cf. Stutz l. c. 325 sqq. [18] Cf. c. 198, § 2 et c. 2002.

Quae quidem duae regulae hoc modo exprimuntur in Codice iur. can. c. 368: „Vicario generali vi officii ea competit in universa dioecesi iurisdictio in spiritualibus ac temporalibus, quae ad episcopum iure ordinario pertinet, exceptis iis quae episcopus sibi reservaverit, vel quae ex iure requirant speciale episcopi mandatum. Nisi aliud expresse cautum fuerit, Vicarius generalis exsequi potest rescripta apostolica, quae episcopo vel praecedenti rectori dioecesis remissa sint, ac generatim ad ipsum quoque pertinent facultates habituales Ordinario loci a S. Sede concessae."

3. Ex iure reservata sunt episcopo, ac proinde Vicario generali *sine speciali delegatione* ab episcopo facienda[19] non conveniunt sequentia:

a) exercere pontificalia, etiamsi est charactere episcopali insignitus[20];

b) concedere indulgentias vel reliquias authenticas edicere[21];

c) concedere litteras dimissorias ad suscipiendos ordines, nisi tamen episcopalis sedes sit impedita[22];

d) conferre beneficia officiaque ecclesiastica vel privare illis[23];

e) visitare dioecesim[24];

f) decernere in aliis causis gravioribus, quales censentur: cogere synodum dioecesanam[25], erigere confraternitates[26], concedere incardinationem vel excardinationem[27], nominare canonicos honorarios[28], reservare peccata[29], permittere matrimonium conscientiae[30], consecrare loca[31], consensum praestare pro ecclesiae aedificatione[32], erigere[33], unire[34], permutare beneficia[35], infligere poenas ecclesiasticas[36] etc. — Vicarius generalis referat praecipua acta curiae semper ad episcopum, quem certiorem faciat de iis, quae gesta aut gerenda sunt ad tuendam in clero et in populo disciplinam[37]. Hoc salutare monitum sicuti etiam supradictas limitationes iurisdictionis ius ecclesiasticum tulit, ne abusus veterum Archidiaconorum renascantur neve oblivioni detur, episcopum ipsum esse proprium pastorem et rectorem dioecesis.

4. Vicarius generalis constituit cum episcopo unum idemque tribunal. Hinc non datur appellatio iuridica a sententia Vicarii generalis *tamquam Officialis* ad tribunal episcopi. Ordinarie tamen Vicarius generalis non debet exercere munus Officialis; etenim Codex iur. can.[38] statuit: „Quilibet episcopus tenetur Officialem eligere cum potestate ordinaria iudicandi a Vicario generali distinctum, nisi parvitas dioecesis aut paucitas negotiorum suadeat hoc officium Vicario generali committi." — Gratia a Vicario generali denegata et postea, nulla facta

[19] Quidquid est de validitate, tamen videtur esse contra mentem legislatoris, ut haec specialis delegatio detur habitualiter et universaliter pro omnibus casibus. Melius videtur esse, ut haec specialis delegatio detur ab episcopo sin minus pro singulis, tamen non pro omnibus casibus.

[20] c. 370. [21] c. 1283, § 2. [22] c. 958 sq. et c. 429, § 1.
[23] Ib. c. 152 455 477, § 1. [24] Cf. c. 343. [25] c. 357, § 1.
[26] c. 686, § 4. [27] c. 113. [28] c. 406, § 1. [29] c. 893, § 1.
[30] c. 1104. [31] c. 1155, § 1. [32] c. 1162, § 1.
[33] c. 1414, § 3. [34] c. 1423, § 1. [35] c. 1487, § 1.
[36] c. 2220, § 2. [37] c. 369. [38] c. 1573, § 1.

huius denegationis mentione, ab episcopo impetrata *invalida* est; gratia autem ab episcopo denegata nequit valide, etiam facta denegationis mentione, a Vicario generali, non consentiente episcopo, impetrari[39]. Nemo non videt, quam iustum sit hoc statutum iuris, quia, „cum quid una via prohibetur alicui, ad id alia non debet admitti"[40].

Si Vicarius generalis delinquit, non potest iuridice puniri ab episcopo; nemo enim punitur a proprio tribunali; posset tamen tunc episcopus Vicarium generalem prius officio suo privare et tunc contra illum iudiciali ordine procedere, non quidem propter delicta in officio commissa, sed propter delicta personalia. Vicarius generalis, officio suo amisso non tenetur ad *„syndicatum"*, i. e. ad reddendam rationem administrationis successori episcopi, ut expresse declaravit Gregorius XIII a. 1578[41].

5. Vicarius generalis habet ius ad congruum salarium, quod quidem in diversis dioecesibus diverso modo illi solvitur. — Quoad *praecedentiam* Vicarius generalis (etiam praesente episcopo) publice privatimque praecedit omnibus dioecesis clericis, non exclusis dignitatibus et canonicis ecclesiae cathedralis, etiam in choro et actibus capitularibus, nisi tamen aliquis clericus charactere episcopali praefulgeat et Vicarius generalis eodem careat[42]. Ergo vetus controversia de praecedentia Vicarii generalis nunc est finita. Post episcopum Vicarius generalis, utpote primus clericus totius dioecesis, ubique primum locum obtinet inter omnes clericos, qui non sunt maioris ordinis quam ipse. Hinc e. gr. si adest episcopus auxiliaris, ipse praecedit Vicarium generalem, qui non fulget ordine episcopali. Si Vicarius generalis est episcopus, omnia honorifica privilegia episcoporum titularium obtinet; secus, *durante munere*, habet tantum privilegia et insignia Protonotarii apostolici titularis. Quaenam sint ista privilegia et insignia, determinavit Pius X[43].

6. *Exspirat* Vicarii generalis iurisdictio: a) morte, amotione, renuntiatione ipsius episcopi et generatim quoties sedes episcopalis vacat. Quotiescumque igitur iurisdictio episcopi cessat, exspirat quoque iurisdictio sui Vicarii generalis. Etiam in casu, quo episcopus translatus ad aliam sedem retinet iurisdictionem prioris sedis tamquam Vicarius capitularis (per 4 menses ad summum), cessat iurisdictio Vicarii generalis[44]. Si Vicarius generalis est simul Officialis, retinet hoc munus sede etiam vacante[45]. b) Ipsius Vicarii renuntiatione acceptata aut revocatione ab episcopo intimata. — *Suspenditur* vero eius iurisdictio, quoties suspenditur iurisdictio ipsius episcopi[46].

[39] c. 44, § 2. [40] Reg. iur. 84 in VI°.
[41] Cf. *Ferraris*, Prompta Bibl. s. v. Vic. gen. a. 4, n. 11. [42] c. 370, § 1.
[43] Motu proprio „Inter multiplices" d. 21 Febr. 1905, n. 62 64 65 76. (Annal. eccl. XIII [1905] 50 sqq.)
[44] c. 430, § 3. Iurisdictio Cardinalis in Urbe vicarii non exspirat morte Romani Pontificis. Const. „Vacante Sede Apostolica" c. 3, n. 19, d. 25 Dec. 1904.
[45] c. 1573, § 5. [46] c. 371.

ARTICULUS II.

De cancellario aliisque notariis et archivo episcopali.

Q. 133. *Quid sit officium cancellarii et notarii in curia episcopali?*

R. 1. Officium *cancellarii* est: a) acta curiae in archivo custodire; b) ea ordine chronologico disponere; nihil tamen obstat, ne etiam ordo systematicus observetur; c) de omnibus istis actis conficere tabulam indicis, ita ut unumquodque facile inveniri queat.

Cancellarius curiae episcopalis debet esse sacerdos et eo ipso etiam est notarius (de quo infra). Poscente necessitate propter multitudinem laboris, adiutor ei dari potest, cui nomen est vice-cancellarii seu vicetabularii[47].

2. Officium *notarii* in curia episcopali est: a) conficere quaelibet acta vel negotia ipsi commissa; b) in scriptis fideliter redigere, quae geruntur, eaque cum significatione loci, diei, mensis et anni subsignare (vulgo: Protokoll führen); c) acta vel instrumenta ex regesto (servatis servandis) exhibere et eorum exemplaria cum autographo conformia declarare. Eius enim scriptura aut subscriptio publicam fidem facit[48].

Per se patet, cancellarium atque notarios debere esse integrae famae et omni suspicione maiores; si clerici desint, possunt e laicis assumi; sed notarius in causis criminalibus clericorum debet esse *sacerdos*. Parum enim decet, ut clericus reus compareat in tribunali, in quo laici assident. Cum notarii tum cancellarius possunt removeri aut suspendi ab episcopo, non autem a Vicario capitulari, nisi de consensu Capituli[49].

Q. 134. *Quid statuat novum ius de archivo dioecesano?*

R. 1. Episcopus in loco tuto et commodo archivum (seu tabularium) dioecesanum erigat, in quo instrumenta et scripturae omnes, quae negotia dioecesana tam spiritualia quam temporalia spectant, apte dispositae et diligenter clausae custodiantur. Tale archivum nunc exsistit in regionibus civilizatis apud quamlibet administrationem bene ordinatam et est perquam necessarium. Praeter istud archivum habeatur aliud archivum *secretum*, vel saltem in communi archivo sit speciale armarium seu scrinium omnino clausum et obseratum, quod de loco amoveri nequeat (Geheimarchiv). In hoc archivo secreto cautissime custodiantur scripturae secreto servandae, e. gr. testimonia de matrimoniis conscientiae, documenta causarum criminalium[50].

2. Unus cancellarius instituatur archivarius, qui clavem archivi non secreti habeat. Archivum autem secretum *duabus* clavibus inter se diversis aperiatur, quarum altera apud episcopum vel Administratorem apostolicum, altera apud Vicarium generalem, vel, eo deficiente, apud cancellarium asservetur[51]. *Solus* episcopus (vel Administrator apostolicus) repetita altera clave *nemine adstante* archivum vel armarium

[47] c. 372. [48] c. 373 et 374. [49] c. 373, § 3 sq. [50] c. 379. [51] Ib. § 3.

secretum, ubi opus fuerit, aperire et inspicere potest, quod deinde utraque clave iterum claudatur [52]. Statim a capta possessione episcopatus episcopus designet sacerdotem, qui, sede vacante aut impedita, clavem archivi vel armarii secreti, quae apud episcopum erat, assumat [53]. Talis sacerdos debet, sede impedita vel vacante, clavem sumptam tradere Administratori apostolico, si forte adsit. Si vero non adest, debet clavem tradere illi, cui demandatum est regimen dioecesis. Si tamen ipsi Vicario generali demandatum est regimen dioecesis, sacerdos debet retinere clavem, ne Vicarius generalis habeat duas claves. Quodsi adest Vicarius capitularis, ipsi debet sacerdos tradere clavem; tunc autem Vicarius generalis vel cancellarius alteram clavem a se retentam tradere debet primae dignitati Capituli vel consultori dioecesano antiquiori. Antequam autem duae claves sic tradantur, Vicarius generalis (vel cancellarius) et sacerdos ut supra ab episcopo designatus armarium seu archivum secretum sigillis curiae obsignent [54]. Si nihilominus tunc archivum secretum est aperiendum, id ne fiat nisi urgente necessitate et ab ipso Vicario capitulari coram duobus canonicis vel dioecesanis consultoribus, qui evigilent, ne qua scriptura ex archivo auferatur ab aliquo (nec etiam a Vicario capitulari). Archivum autem, post inspectionem, iterum sigillis obsignetur, et advenienti novo episcopo Vicarius capitularis rationem urgentis necessitatis reddat, quare archivum inspexerit [55]. Ex statutis modo indicatis clare apparet, quam diligenter sit servandum secretum istius archivi. Ratio autem est, quia ibi conservari solent nonnulla documenta, quorum divulgatio bonam famam aliquorum laedere possit. Et ne bona fama laedatur, praeterea statuitur, ut singulis annis comburantur documenta causarum criminalium, quae mores directe attingunt, si rei aut e vita cesserunt aut si iam decennium elapsum est a sententia condemnatoria. Debet tamen retineri breve summarium facti et textus sententiae definitivae [56].

3. Omni diligentia ac sollicitudine conficiatur *inventarium* seu catalogus documentorum (cum brevi eorum synopsi), quae in archivo sive ordinario sive secreto continentur [57]. Sine tali enim inventario, quod posset vocari „Regesta", perquam difficile, ne dicam impossibile, est cognoscere et invenire singulas scripturas, quae in archivo continentur. Quotannis primo bimestri, i. e. mense Ianuario aut Februario, inventario seu catalogo illae scripturae adiungantur, quae anno praecedenti confectae vel alias neglectae fuerunt. Si haec adiunctio fit statim ac scripturae habentur, est adhuc melius. Praeterea Ordinarii sedulo inquirant chartas et scripturas forte alibi distractas atque dispersas, et quaelibet necessaria remedia adhibeant, ut eaedem scripturae archivo restituantur [58].

4. Archivum clausum sit oportet, et nemini illud ingredi liceat sine episcopi aut Vicarii generalis et cancellarii licentia [59].

[52] c. 379, § 4. [53] c. 380. [54] c. 381. [55] c. 382.
[56] c. 379, § 1. [57] c. 375, § 2 et c. 379, § 2. [58] c. 376. [59] c. 577.

Ex archivo secreto non licet umquam scripturas efferre; ex archivo vero ordinario id non licet sine consensu episcopi vel Vicarii generalis. Ergo archivarius nequit talem licentiam concedere. Scripturae autem ordinarie *post triduum* et nonnisi cum speciali (moderate concedenda) licentia episcopi vel Vicarii generalis post longius tempus referantur. Omnis, qui aliquam scripturam ex archivo effert, debet cancellario relinquere syngrapham sua manu signatam, in qua accurate significatur scriptura commodata [60]. — Praescribat episcopus, ne documenta originalia etiam ex aliis archivis suae dioecesis, e. gr. ex archivis ecclesiarum cathedralium, collegiatarum, paroecialium, confraternitatum, piorum locorum etc., efferantur nisi ad triduum, et syngrapha commodationis relicta [61]. Diligenter etiam ista alia archiva dioecesis custodiantur, inventaria seu catalogi *duobus* exemplaribus conficiantur, quorum alterum in proprio archivo, alterum in archivo episcopali servetur [62].

5. Quamvis ingressus in archivum prohibeatur extraneis, tamen documenta, quae *non sub secreto sunt servanda*, in omnibus archivis possunt inspici a quolibet, cuius intersit; pariter possunt transcribi expensis illius, qui ea petit. Observanda autem sunt statuta lata ab episcopo hac in re [63].

6. Vicarius capitularis aliive *omnes*, qui documentum quodlibet ad curiam episcopalem pertinens (sive per se sive per alium) subtraxerunt vel destruxerunt vel celaverunt vel substantialiter mutaverunt, incurrunt ipso facto in excommunicationem Sedi Apostolicae simpliciter reservatam, et ab Ordinario etiam privatione officii, beneficii, plecti possunt [64].

ARTICULUS III.

De examinatoribus synodalibus et parochis consultoribus.

Q. 135. *Quid sint examinatores synodales?*

R. Examinatores synodales sunt sacerdotes (ad minus quattuor et ad summum duodecim) propositi ab episcopo et approbati in synodo dioecesana [65]. Si synodus dioecesana non habetur, vel si examinatores synodales a munere cessant ob mortem aliamve causam, examinatores prosynodales instituantur ab episcopo de consilio Capituli cathedralis [66]. Munus examinatorum est magni momenti in regimine dioecesis; inserviunt enim in amotione parochi, in processibus contra clericos non residentes, concubinarios etc., possunt adhiberi in examinibus clericorum ad ordinationem, ad curam animarum etc. Post *decennium* ab incepto munere, vel etiam prius, si nempe advenit nova synodus dioecesana, ab officio cadunt; possunt tamen non solum negotium aliquod iam coeptum, e. gr. processum, ad exitum perducere, sed etiam denuo constitui [67]; removeri ab episcopo nequeunt nisi ex gravi causa et de consilio Capituli cathedralis [68]. Idem potest esse examinator et parochus

[60] c. 378. [61] c. 383, § 2. [62] c. 383. [63] c. 384. [64] c. 2405.
[65] c. 385. [66] c. 386. [67] c. 387. [68] c. 388.

consultor, non tamen in eadem causa[69]. Non expedit, ut Vicarius generalis sit examinator synodalis vel prosynodalis.

Q. 136. *Quid sint parochi consultores?*

R. Parochi consultores minime confundendi sunt cum consultoribus dioecesanis, ut iam supra q. 30 dictum est. Isti parochi *idem munus habent quod examinatores*, de quibus in q. praec. Examinatores non necessario debent esse parochi, econtra consultores debent esse parochi vel saeculares vel religiosi, vel dioecesani vel extradioecesani[70]. De collatione, duratione, cessatione, amotione muneris ipsorum valent eadem, quae de examinatoribus synodalibus et prosynodalibus dicta sunt q. praec. Parochi consultores adiuvant episcopum praecipue in iis causis, quae attingunt paroecias; cum enim ipsi sint parochi eminentes, apprime cognoscunt ea, quae sunt necessaria pro bono regimine paroeciae.

CAPUT V.

De Capitulis canonicorum.

Q. 137. *Quid sit Capitulum canonicorum?*

R. Capitulum canonicorum est clericorum collegium ideo a S. Sede[1] institutum, ut sollemniorem cultum Deo in ecclesia exhibeat et, si agatur de Capitulo cathedrali, ut episcopum ad normam sacrorum canonum tamquam eiusdem senatus et consilium adiuvet; ac, sede vacante eius vices suppleat in dioecesis regimine[2]. Praecipuus igitur finis omnis Capituli canonicorum est sollemnis cultus liturgicus fovendus in ecclesia. Capitulum *cathedrale* insuper pro fine habet adiutorium episcopi.

Q. 138. *Quaenam sit origo Capituli canonicorum?*

R. Non abs re docet Bouix, Capitulum canonicorum esse originis apostolicae, quamvis hoc stricte probari nequeat. Etenim primis saeculis fuit clericis commune canonicorum nomen, cum clerici fuerint adscripti *canoni* seu *matriculae* ecclesiae[3].

In Occidente S. Eusebius Vercellensis († circa 371) et S. Augustinus Hipponensis († 430) clericos suos congregaverunt et cum illis vitam communem duxerunt. Quae quidem coadunationes clericorum aliquando nominatae quoque sunt „monasterium". Saeculo octavo S. Chrodegangus († 766) episcopus metensis hanc vitam communem clericorum in peculiarem formam redegit et multum promovit[4]. Postea saeculo undecimo distinguebantur

[69] c. 390. [70] S. C. Consist. d. 3 Oct. 1910. (Acta Ap. Sed. II [1910] 854.)

[1] Solius S. Sedis est erigere, innovare aut supprimere Capitula (c. 392).

[2] c. 391, § 1.

[3] Cf. *Devoti*, Inst. sect. 7, § 55. Canonis nomine iam utuntur in hoc sensu Concilium nicaenum I (a. 325) c. 19 et Concilium antiochenum (a. 341) c. 1. *S. Cyrillus* hierosol. Praefat. catech. n. 4) κανονικῶν παρουσίαν significat clericorum praesentiam. Ceterum adhuc non ita constat, quid significaverit antiquis temporibus nomen canonici.

[4] Cf. *Bouix*, De Capitulis 13, et Regulam Chrodeg. apud Harduin IV, 1181.

canonici saeculares et regulares (immo et canonicae regulares et saeculares)[5]. Canonici regulares, ut e. gr. Praemonstratenses, Lateranenses etc., solebant sequi regulam S. Augustini. A saeculo duodecimo Capitula ecclesiarum cathedralium non raro praestabant magno honore et potestate; ad ipsa spectabat episcopos eligere, dioecesim, sede vacante, gubernare; et copiosi reditus ipsis affluebant. Nequit negari in nonnullis Capitulis graves abusus irrepsisse[6], etsi non omnia scandala sunt putanda vera, quae narrantur a scriptoribus sequioris notae. Concilium tridentinum[7] optima statuta edidit ad reddendam pristinam dignitatem Capitulis canonicorum. In novo quoque Codice iuris can. multae leges inveniuntur de iuribus et obligationibus canonicorum.

Q. 139. *Quaenam sint praecipuae divisiones Capitulorum canonicorum?*

R. 1. Capitulum ecclesiae *cathedralis* vel ecclesiae *collegiatae*, prout sedem habet apud ecclesiam vel cathedralem (episcopalem) vel collegiatam. Ecclesia collegiata ea dicitur, quae ut talis a S. Sede erigitur, et cui servit aliquod collegium.

Capitula collegiata subdividuntur in *insignia* (perinsignia) et *non-insignia*. Insignia sunt, quae ut talia a S. Sede (aut immemorabili consuetudine) decorata sunt ob dignitatem ecclesiae vel numerum canonicorum. Cetera Capitula collegiata non sunt insignia. In ecclesiis collegiatis fulgentibus praerogativa insignitatis Dignitates primae ordinarie non possunt conferri nisi doctoribus aut licentiatis in theologia vel in iure canonico. — Iuxta vigentem disciplinam quodlibet Capitulum obligatione tenetur cotidie divina officia in choro rite persolvendi, salvis fundationis legibus[8] aut legitimis dispensationibus.

2. Capitula *saecularia* et *regularia*, prout in illis degunt canonici saeculares vel regulares.

3. Capitula *exempta* et *non-exempta*, prout sunt exempta a iurisdictione episcopali vel non.

4. Capitula *numerata* (clausa) et *non-numerata* (non-clausa), quatenus numerus canonicorum est determinatus vel variatur secundum quantitatem redituum. In Capitulis non-numeratis tot canonici nominantur, quot ex proventibus decenter sustentari posse iudicavit episcopus, audito Capitulo[9].

Q. 140. *Ex quibusnam personis coalescat Capitulum?*

R. 1. Quamvis episcopus sit caput totius Capituli, tamen (proprie loquendo) non est de Capitulo neque membrum Capituli. Quare Leurenius[10] dicit: „Episcopus spectat ad ecclesiam, non autem ad Capitulum ecclesiae." Idem valet de Vicario generali, qui est quasi unum tribunal cum episcopo. Sin autem Vicarius generalis simul est canonicus (ut saepe est), tunc utique est membrum Capituli. De praecedentia Vicarii generalis super omnibus dignitatibus et canonicis etiam in choro et in actibus capitularibus iam supra dictum est[11]. Quod dictum

[5] c. 43, 1 6 in VI°; c. 4, X 3, 35.

[6] Cf. *Sägmüller*, Kirchenrecht § 96.

[7] Sess. 24, c. 12 de reform. [8] c. 413, § 1.

[9] c. 394, § 1. [10] For. eccl. l. 3, tit. 11, q. 125. [11] q. 132, n. 5.

est de Vicario generali, valet etiam de episcopo auxiliari, qui non est de Capitulo, nisi est canonicus.

2. In Capitulis solent distingui: Dignitates, Personatus, Officia, Praebendae.

Dignitas in Capitulis (quae Praelaturis minoribus aequiparatur) est canonicatus, cui competit praecedentia et cui competebat antiquis temporibus iurisdictio in foro externo, e. gr. archidiaconatus. Prima saltem dignitas in Capitulo cathedrali (quantum fieri potest et ceteris paribus) laurea doctorali in s. theologia vel iure canonico polleat [12].

Personatus in Capitulis est canonicatus, cui antiquitus quidem competebat quaedam praecedentia, sed non iurisdictio in foro externo, e. gr. custos. Iuxta vigentem disciplinam de iure communi iam non videtur esse distinctio inter Dignitates et Personatus. Attendenda autem sunt statuta particularia.

Officia canonicalia sunt canonicatus, quibus adnexum est aliquod munus seu officium sine ulla praecedentia, e. gr. canonicus theologus, poenitentiarius. De officiis canonicalibus infra n. 3 sermo redibit.

Praebendae sunt omnes canonicatus, quibus adnexum est aliquod beneficium. Praebenda per se nihil aliud est nisi portio canonicalis seu reditus illi, qui ex bonis Capituli singulis canonicis proveniunt. Quamvis nomen beneficii et praebendae aliquando promiscue sumatur, tamen iuxta vigentem praxim in Capitulis distinguuntur praebendae canonicales et praebendae beneficiales [13].

3. Principaliora officia canonicalia obtinent:

a) *Archidiaconus*, qui proximum locum post episcopum aliquando habet. Olim erat amplissima potestas archidiaconi, qui erat episcopi vicarius et eius etiam „oculus" dicebatur. Non raro praetergressi sunt archidiaconi limites suae potestatis, et episcopi non parvas lites inde passi sunt. Hodie potestas archidiaconi translata est in Vicarium generalem, attamen in Italia plerumque adhuc obtinet archidiaconus primam dignitatem in Capitulo, quam in Germania solet habere decanus vel praepositus. De archidiacono dicit Benedictus XIV [14]: „Huius dignitatis sive officii, veteribus quidem temporibus gravissimi, nunc munus omne eo redactum est, ut episcopo ordinationes generales celebranti, cum ipsi commodum fuerit, assistat, promovendos ad ipsam ordinationem evocaturus." De attestatione, quam facit archidiaconus in ordinatione ad quaestionem episcopi: „Scis illos dignos esse?" scribit idem Benedictus XIV [15]: „Praedicta archidiaconi attestatio nunc merus ritus et caerimonia est, cum iam aliunde ordinandi vitam et mores episcopus ante exploravit: idcirco Innocentius III culpa vacare dicit archidiaconum, illum dignum affirmantem, quem indignum esse non novit, quamvis ignoret, an revera dignus sit." [16]

[12] c. 396, § 3. [13] Cf. Acta Ap. Sed. I 280; c. 403 sqq.
[14] Const. „Ex quo dilectus" d. 14 Ian. 1747.
[15] De syn. dioec. l. 5, c. 3, n. 4.
[16] Cf. S. C. Consist. d. 8 Apr. 1848 apud *Lingen-Reuss*, Caus. selectae 708 sqq. Nomen archidiaconi primo occurrit apud Optatum Milev. (De schismat. Donat. l. 1, 16. *Migne*, P. l. 11, 916). Ante hoc tempus munus archidiaconi videtur esse expletum a sic dicto „diacono episcopi", cuius erat episcopum adiuvare in administratione rerum temporalium et in cura pauperum. Labente tempore archidiaconorum officium et potestas magis magisque excreverunt usque ad saec. XII. In compluribus dioecesibus tunc iam non ab episcopo instituebantur, sed eligebantur vel a clero vel a principe civili. Post Concilium tridentinum eorum potestas ubique fere evanuit.

b) *Archipresbyter*, licet ordine supra archidiaconum, iurisdictione et potestate illi inferior fuit. Archipresbytero incumbit interna cura Capituli et praesertim servitii divini. Olim distinguebantur archipresbyteri urbani, qui in *civitate*, et archipresbyteri rurales, qui in minoribus *oppidis* suum officium exercebant [17]. Archipresbyter videtur fuisse primus inter sacerdotes adiuvantes episcopum. Quando paroeciae rurales incipiebant erigi, plures earum coadunatae sunt in uno archipresbyteratu seu „christianitate", cui praeerat archipresbyter vel decanus. Nostris temporibus officium archipresbyteri (archiprêtre, Erzpriester) vel est mere honorificum vel est ad modum decani (cui assistunt sic dicti definitores vel camerarii) praesidere conferentiis sacerdotum decanatus, libros parochorum inspicere, cuncta necessaria scitu de rebus in toto decanatu actis denuntiare episcopo etc. Propria quidem iurisdictio illi non competit, habet tamen ex concessione episcopi complura privilegia honoris et potestatis [18].

c) *Primicerius*. Vi nominis primicerius significat primum inter plures eiusdem ordinis. *Leurenius* [19] dicit: „Primicerius sic dictus ab ordine cerae, quo nimirum primus descriptus est in catalogo seu tabulis ceratis. In genere primicerius ille vocatur, qui in quibusvis officiis, quae pluribus communicantur, primum locum tenet. S. Stephanus a divo Augustino vocatur primicerius martyrum. Pari modo in ordine secundus dicitur secundocerius, tertius tertiocerius etc. Sensu magis stricto primicerius vocabatur ille, qui clericis inferioribus instruendis praepositus fuit in ecclesia episcopali; quod quidem officium non raro quoad scholas translatum fuit in ‚Fratrem scholae' vel in ‚Scholasticum' sive ‚Scholastrum'." — Iuxta alios [20] primicerius dicitur primus cantor in choro, qui alio nomine vocatur *praecentor*. Qui vero secundum locum obtinet vel vices primicerii gerit, vocatur succentor. Officium eius erat et est docere ordinem modumque canendi et psallendi, dirigere psalmodiam in choro, seu uno verbo: esse directorem chori [21].

d) *Sacrista*, qui et vocatur thesaurarius vel scevophylax, debuit sub directione archidiaconi gerere curam de sacristia atque custodire ornamenta, instrumenta, vestimenta ad ecclesiam pertinentia. Illi adiungebatur *custos* tamquam minister [22].

e) *Punctator* dicitur canonicus (vel alius deputatus), qui absentes a choro adnotare debuit. Hoc nomen videtur illi esse tributum, quia solebat inscribere punctum post nomen absentis. Istud officium adhuc nostris temporibus exsistit. Quare praescribitur: „Ab unoquoque Capitulo, secundum sua cuiusque statuta, unus vel plures censores, seu *punctatores* nominentur, qui absentes a divinis officiis quotidie notent, praestito prius coram Capitulo vel eius praeside iureiurando de suo munere fideliter obeundo; quibus (punctatoribus) episcopus alium addere potest punctatorem. Quodsi abfuerint punctatores, senior e canonicis, qui adsunt, illorum vices suppleat." [23]

[17] Pro historia officii archipresbyteri videsis *Sägmüller* (Die Entwicklung des Archipresbyterats und Dekanats) et *Eke* (Catholic Encyclopaedia s. v. Archpriest).
[18] Cf. *Vogt*, Kirchl. Vermögensrecht § 34 et 60. [19] For. benef. l. 1, q. 664.
[20] Cf. *Ferraris*, Prompta Bibl. s. v. Primicerius.
[21] Vulgo Chordirigent. [22] Vulgo Küster. [23] c. 395, § 4.

f) *Canonicus theologus.* „In nulla ecclesia cathedrali desit officium canonici theologi." Ita statuit (post Conc. trid.[24]) Codex iur. can.[25] Rarissime et solum ad tempus S. Congregatio Concilii dispensationem ab hac lege concedit. Etiam in ecclesiis collegialibus (praesertim insignibus) officium canonici theologi constitui potest[26]. *Qualitates* eius, cui hoc munus concreditur, sunt imprimis vitae morumque integritas atque scientia comprobata. Non quidem stricte exigitur (sicut antea praesertim ex iure particulari usuvenit), ut canonicus theologus sit doctor (aut magister) in theologia, sed ceteris paribus praeferantur doctores in theologia[27]. — *Officium* canonici theologi est, diebus et horis ab episcopo cum Capituli consilio designatis, publice in ecclesia explanare S. Scripturam; sed episcopus, si id utilius iudicet, potest eidem alia doctrinae catholicae argumenta *in ecclesia* explicanda committere[28]. Gravi vero exsistente causa episcopus potest quoque committere canonico theologo, ut, loco lectionum in ecclesia, sacras disciplinas in Seminario (proprio vel interdioecesano) doceat[29]. Ergo canonicus theologus, qui ab episcopo instituitur professor in Seminario, satisfacit muneri suo. Nihilominus episcopo tunc incumbit obligatio, ut sufficiens expositio doctrinae christianae habeatur in ecclesia cathedrali. Canonicus theologus debet munus suum explere ipse per se vel, si ultra sex menses fuerit impeditus, *propriis expensis* per alium sacerdotem ab episcopo deputandum[30]. Quantum ad *numerum* lectionum, quas in ecclesia debet habere canonicus theologus, neque Concilium tridentinum neque Codex iur. can. aliquid determinavit. Concilium romanum a. 1725 sub Benedicto XIII celebratum statuit pro Italia, ut canonicus theologus saltem 40 lectiones per annum haberet. Quod quidem statutum potest haberi ut norma directiva pro universa Ecclesia. Canonicus theologus non tenetur facere ministerium diaconi et subdiaconi in Missis ordinariis Capituli (aliud est in Missis extraordinariis, e. gr. pontificalibus)[31]; diebus, quibus dat lectiones, excusatur a servitio chori et nihilominus percipit cum fructus suae praebendae tum distributiones cotidianas[32]; durantibus autem feriis scholasticis debet praestare idem quod ceteri canonici, nisi habeat speciale indultum[33]; si est negligens in suo munere obeundo, ab episcopo compellatur gradatim monitionibus, comminatione poenarum, subtractione portionis fructuum assignandae iis, qui illius vices suppleant; et, perdurante per integrum annum negligentia post monitionem, suspensione a beneficio plectatur; negligentia autem producta per aliud semestre, ipso beneficio privetur[34]. Ergo si canonicus theologus post monitionem neglexit munus per $1^1/_2$ annum, privetur beneficio suo.

g) *Canonicus poenitentiarius.* De institutione et qualitatibus canonici poenitentiarii valent eadem, quae supra dicta sunt de canonico theologo. Expedit praeterea, ut canonicus poenitentiarius annum aetatis *tricesimum* expleverit[35]. Modificatum est igitur statutum Concilii tridentini sess. 24, c. 8 de reform. exigens aetatem 40 annorum. *Officium* canonici poenitentiarii est, in sede excipiendis confessionibus sibi in capitulari ecclesia destinata residere tempore ad fidelium commoditatem (iudicio episcopi) opportuniore, et praesto esse iis, qui ad confitenda sua peccata accedunt ipso quoque divinorum

[24] Sess. 5, c. 1 de reform. [25] c. 398, § 1. [26] Ib. § 2. [27] c. 399.
[28] c. 400, § 1. [29] Ib. § 3 et S. C. C. d. 13 Ian. 1923. [30] Ib. § 2.
[31] c. 416. S. C. C. d. 14 Febr. 1920 et d. 10 Mart. 1923 (Acta Ap. Sed. XV 590).
[32] c. 420, § 1, n. 2. [33] S. C. C. d. 13 Ian. 1923 (Acta Ap. Sed. XVII 22).
[34] c. 2384. [35] c. 399, § 1.

officiorum tempore[36]. Canonicus poenitentiarius habet a iure *potestatem ordinariam* absolvendi etiam a peccatis et censuris episcopo reservatis tam incolas quam extraneos; immo etiam extra dioecesim in toto orbe terrarum valet in foro interno absolvere proprios dioecesanos[37], nequit autem hanc suam potestatem aliis delegare[38]. Ad praecavendum vel minimum periculum laedendi sigilli canonicus poenitentiarius prohibetur ab officio habente iurisdictionem in foro externo et notanter ab officio Vicarii generalis[39]; a ministerio subdiaconi et diaconi eximitur sicuti supra dictum est de canonico theologo; pariter excusatur a servitio chorali, quando audit confessiones, ac nihilominus recipit fructus praebendae et distributiones cotidianas; negligens autem in officio suo puniendus est, sicut supra dictum est de negligentia canonici theologi.

Nota. Cum et Concilium tridentinum et Codex iur. can.[40] expresse statuant, ut canonicus poenitentiarius instituatur in ecclesiis cathedralibus et collegiatis, *„ubi id (commode) fieri poterit"*, in compluribus ecclesiis cathedralibus et collegiatis usus invaluit, ut loco canonici aliquis confessarius regularis instituatur poenitentiarius.

h) *Canonicus curatus* ille est, cui tamquam vicario paroeciali commissa est cura animarum adnexa ecclesiae cathedrali[41]. Quaenam sint iura et obligationes talis vicarii paroecialis, aliqualiter ex iure communi erui potest; potius autem attendendae sunt leges particulares et consuetudines legitimae. Infra q. 145 specialiter tractabitur de relationibus iuridicis inter Capitulum et parochum ecclesiae cathedralis vel collegialis.

i) *Canonici honorarii* non solent habere nisi quaedam *iura honorifica*, e. gr. induendi vestes canonicales, sedendi in choro post ultimum canonicum titularem etc.[42] Ceterum attendenda sunt statuta particularia et legitimae consuetudines. Sic e. gr. in ditione borussica canonici honorarii ex bulla „De salute animarum" (a. 1821) habent ius suffragii in electione episcopi necnon percipiunt quandam pensionem a gubernio. Nominare canonicos honorarios (sive dioecesanos sive extra-dioecesanos) pertinet ad solum episcopum cum consilio Capituli, cui canonicus est adscribendus; sed episcopus raro et caute nominet canonicos honorarios, quia secus graves abusus ambitionis, invidiae etc. occurrent[43]. Vicarius generalis vel capitularis nequit nominare canonicos honorarios[44]. Si episcopus vult nominare canonicum honorarium aliquem sacerdotem *alienae dioecesis*, tunc requiritur: 1. praeter consilium proprii Capituli assensus illius Ordinarii, cui subiectus est nominandus. Qui quidem assensus est necessarius sub poena nominationis irritae. Eundem Ordinarium episcopus insignia edoceat ac privilegia, quorum usum nominandus exinde habiturus sit[45]. 2. ut numerus talium canonicorum honorariorum extra dioecesim commorantium sit minor quam tertia pars omnium canonicorum titularium[46].

Canonici honorarii alicuius basilicae vel ecclesiae collegialis almae Urbis nequeunt uti privilegiis et insignibus extra ambitum eiusdem basilicae vel collegiatae ecclesiae eiusque filialium ecclesiarum; canonici vero honorarii aliarum ecclesiarum extra Urbem privilegiis et insignibus utantur in dioecesi

[36] c. 401, § 2. [37] Ib. § 1; c. 873, § 2. [38] c. 401, § 2.
[39] c. 399, § 3; c. 367, § 3. [40] c. 398, § 1. [41] c. 402.
[42] c. 407, § 2. Cf. S. R. C. d. 21 Febr. 1905 et 21 Iul. 1906. (Decr. auth. n. 4154 et 4187.)
[43] c. 406. [44] Ib. [45] Ib. § 2. [46] Ib. § 3.

tantum, ubi nominati sunt; extra hanc dioecesim his privilegiis et insignibus tunc solummodo uti possunt, quando comitantur episcopum vel repraesentent episcopum aut Capitulum in Conciliis aliisve sollemnitatibus[47]. Aliqualiter igitur modificatum est in hoc ultimo puncto, quod statuit Leo XIII lit. apost. „Illud est proprium" d. 29 Ian. 1894[48].

Canonici honorarii ex iure communi non habent vocem in Capitulis.

Nota. Canonici honorarii minime confundendi sunt cum canonicis *supranumerariis*, qui habent simplicem canoniam seu canonicatum sine praebenda canonicali. Tales canonicatus supranumerarii nequeunt quidem de novo institui sine speciali concessione Apostolicae Sedis[49], sed de facto exsistunt in plurimis dioecesibus. Usus invaluit, ut tales canonici supranumerarii evadant praebendarii, quando locus in Capitulo vacat. Minime autem isti canonici supranumerarii habent strictum ius ita succedendi, cum sic dictae „exspectativae" a Concilio tridentino fuerint abolitae[50].

Praeter officia hucusque recensita exsistebant in Capitulis complura alia, e. gr. portarii, infirmarii, camerarii, mansionarii etc., quae explicare non vacat. Iuxta vigentem disciplinam Capitulorum membra non solent esse nisi Dignitates et canonici. Proinde tamquam membra Capituli suppressi sunt inferiores beneficiarii seu mansionarii, qui canonicis auxilium praestant[51]. Nihil autem obstat, ut in ecclesiis capitularibus praeter canonicatus alia beneficia et officia minora erigantur[52]. Hinc saepe adsunt cantores ad augendum splendorem psalmodiae vel mansionarii[53].

Q. 141. *Ad quem pertineat collatio canonicatuum?*

R. 1. Collatio Dignitatum in Capitulis tam cathedralibus quam collegialibus semper reservatur Sedi Apostolicae[54].

2. Collatio omnium aliorum canonicatuum (et a fortiori beneficiorum, si quae sint) in ecclesiis cathedralibus et collegialibus pertinet ad episcopum, audito tamen Capitulo, „reprobata quavis contraria consuetudine et revocato quolibet contrario privilegio"[55]. Sunt tamen quinque exceptiones: a) si ex fundationis lege aliter est statutum; b) si aliquis canonicatus obtentus erat a Cardinali, legato, officiali maiore Congregationum, Tribunalium, Officiorum Romanae Curiae; c) si canonicus alicuius ecclesiae non Romanae obiit Romae; d) si canonicatus invalide collatus fuit ob simoniae vitium; e) si Romanus Pontifex ad aliquem canonicatum in casu particulari manum apposuit, i. e. si eius collationem sibi reservavit[56].

3. Prohibetur quaevis sic dicta optio sive ad dignitates sive ad alios canonicatus et reprobatur consuetudo contraria forte alicubi

[47] c. 407. [48] Anal. eccl. II (1894) 55. [49] c. 393, § 3.
[50] Cf. Votum consultoris S. C. Consist. d. 25 Apr. 1914 (Acta Ap. Sed. VII [1914] 384 sq.).
[51] c. 393, § 2. [52] Ib. § 1.
[53] Sic. e. gr. octo mansionarii a Benedicto XV instituti sunt in Capitulo noviter erecto in Rio de Janeiro d. 16 Maii 1919 (Acta Ap. Sed. XI 338).
[54] c. 396, § 1. Pontif. Com. d. 1 Iul. 1922 (Acta Ap. Sed. XIV 406).
[55] c. 403. Si agitur de canonicatibus aut beneficiis in ecclesiis collegiatis episcopus debet audire solum Capitulum collegiale. Pontif. Com. d. 10 Nov. 1925 (Acta Ap. Sed. XVII 582).
[56] c. 1435.

exsistens. Talis optio solummodo viget, si est statuta ab ipsa fundationis lege[57].

Q. 142. *Quaenam qualitates requirantur in promovendis canonicis?*

R. Requiritur: 1. *Ordo sacerdotalis*, ac proinde iam non licet canonicatum conferre clerico nondum sacerdoti[58].

2. *Morum integritas et doctrinae praestantia.* In canonicatuum collatione, ceteris paribus, ratio habeatur illorum, qui doctores in s. theologia vel iure canonico renuntiati fuerunt in aliqua Universitate, vel laudabiliter ministerium ecclesiasticum aut magisterium exercuerunt[59]. Prima saltem dignitas in Capitulo cathedrali (quantum fieri potest et ceteris paribus) laurea doctorali in s. theologia vel iure canonico polleat[60].

De iure particulari requiruntur haud raro insuper aliae qualitates.

Q. 143. *Quaenam sint praecipuae obligationes Capituli canonicorum?*

R. De obligationibus nonnullorum canonicorum, e. gr. canonici poenitentiarii, theologi, iam supra dictum est.

Obligationes ipsius Capituli possunt dividi in duas classes:

1. obligationes erga ecclesiam,
2. obligationes erga episcopum.

I. Obligationes erga ecclesiam.

1. Quodlibet Capitulum canonicorum in ecclesiis sive cathedralibus sive collegiatis tenetur sub gravi cotidie totum officium divinum choraliter dicere, nisi adsit specialis licentia S. Sedis[61].

Divinum officium comprehendit non solum psalmodiam horarum canonicarum, sed etiam celebrationem *cum cantu* Missae conventualis. Tunc solum licet Missam conventualem sine cantu celebrare, quando ritu pontificali Missa in ecclesia celebratur ab episcopo eiusve vicesgerente[62]. Aliquando ex rubricis vel ex piis fundationibus praeter Missam conventualem etiam aliae Missae sunt celebrandae a Capitulo.

Episcopus non valet propria auctoritate dispensare ab hac obligatione (etiam partialiter); ideoque semper requiritur licentia S. Sedis[63].

Canonici, qui sine legitima causa excusante absunt ab officio chorali, non solum peccant graviter vel leviter iuxta diuturnitatem absentiae[64], verum etiam non lucrantur „distributiones cotidianas". Neque tolerari potest consuetudo contraria[65]. Canonici non tantum *materialiter* debent assistere officio chorali, sed etiam tenentur psallere et cantare; secus non faciunt fructus suos et obligantur, si nihilominus acceperint, eos

[57] c. 396, § 2; Pontif. Com. d. 16 Oct. 1919; d. 24 Nov. 1920. (Acta Ap. Sed. XI 777; XII 573.)
[58] c. 404, § 1. [59] Ib. § 2. [60] c. 396, § 3. [61] c. 413. [62] Ib. § 3.
[63] Cf. S. C. Consist. d. 25 Apr. 1918. (Acta Ap. Sed. X 235.)
[64] Cf. nostr. Man. theol. mor. II 366.
[65] Cf. S. C. Conc. d. 10 Iul. 1920. (Acta Ap. Sed. XII 357.) Tota fere doctrina de obligatione chorali canonicorum in hoc loco a S. Congregatione explicatur.

restituere[66]. Nihil tamen obstat, quominus a) alii cantores coadiuvent canonicos in cantu et psalmodia; b) in ecclesiis, in quibus non omnes simul choro intersunt, aliquis canonicus sibi substituat in casu particulari ex iusta et rationabili causa alium canonicum eiusdem ecclesiae hic et nunc non obligatum ad chori servitium[67].

Legitimae causae excusantes sunt duplicis generis: alterae excusant quidem a peccato, sed canonicus absens non percipit distributiones cotidianas; alterae tam perfecte excusant, ut canonicus absens ex fictione iuris censeatur praesens in choro ideoque recipiat distributiones cotidianas, nisi tamen ex litteris fundationis tales distributiones sint „stricte inter physice praesentes".

Causae excusantes primi generis sunt:

a) Munus docendi scientias theologicas aut canonisticas ex licentia Ordinarii loci exercitum in scholis ab Ecclesia recognitis[68].

b) Studium theologiae aut iuris canonici, quod de licentia Ordinarii peragitur in publicis scholis ab Ecclesia approbatis.

c) Munus Vicarii capitularis, Vicarii generalis, officialis ac cancellarii, quod exercet canonicus durante officio chorali.

d) Servitium, quod duo canonici possunt praebere episcopo in ecclesiastico ministerio[69].

Nota: Si praebenda canonicalis consistit totaliter in distributionibus cotidianis, vel si est ita tenuis, ut tertiam distributionum partem non attingat, tunc canonici excusati a choro non recipiunt nisi duas tertias partes distributionum easque cumulatas ex fructibus praebendae ac distributionibus[70].

Causae excusantes alterius generis sunt ita, ut taliter excusati neque fructum praebendae neque distributiones cotidianas neque fallentias amittant[71].

Taliter excusati sunt sequentes 14 classes canonicorum, sc.

a) Canonici *iubilati*, qui post continuum et laudabile 40 annorum[72] servitium chorale peractum (in eadem vel in diversis ecclesiis eiusdem dioecesis) indultum „iubilationis" a S. Sede obtinuerunt. Tales canonici iubilati recipiunt omnes omnino fructus praebendae et distributiones (etiam inter praesentes, uti dicunt), nisi obstent expressa fundatorum vel oblatorum voluntas, ecclesiae statuta aut consuetudo[73]; sunt quoque exempti ab omni servitio altaris pro sua vice praestando, non obstante contraria consuetudine[74].

---

[66] *Benedictus XIV*, Const. Dilecte fili, d. 19 Ian. 1748.

[67] c. 419, § 1 et Pontif. Com. d. 25 Iul. 1926 (Acta Ap. Sed. XVIII 393).

[68] Pontif. Com. d. 24 Nov. 1920 (Acta Ap. Sed. XII 573).

[69] c. 421. [70] Ib. § 2.

[71] Fallentiae sunt illae distributiones cotidianae, quae detrahuntur absentibus a choro et distribuuntur praesentibus.

[72] Ex speciali privilegio conceditur aliquando indultum iubilationis iam ante 40 annos servitii choralis, e. gr. post 30 annos (cf. Acta Ap. Sed. IX 339).

[73] c. 422. [74] Pontif. Com. d. 16 Oct. 1919 (Acta Ap. Sed. XI 477).

b) Canonicus theologus singulis diebus, quibus suo munere fungitur. Diebus igitur, quibus e. gr. praedicat aut lectiones dat in Seminario, est exemptus ab officio chorali.

c) Canonicus poenitentiarius, dum tempore chori vacat confessionibus audiendis. Eius igitur exemptio non est tanta, quanta est canonici theologi. Hinc e. gr. Canonicus poenitentiarius amittit distributiones cotidianas, si tempore chori docet theologiam moralem in Seminario[75].

d) Vicarius paroecialis. aliusve e Capitulo sive parochus sive coadiutor ab episcopo deputatus, dum paroecialibus vacat officiis, e. gr. audiendi confessiones, visitandi infirmos etc.

e) Qui pontificia legatione alibi funguntur aut personae Romani Pontificis actu inserviunt, ut eius capellani.

f) Qui piis exercitiis vacant; quo tamen indulto semel tantum in anno chori servitio liberantur et percipiunt etiam distributiones sic dictas inter praesentes, nisi obstet fundatorum expressa voluntas[76].

g) Accedentes una cum episcopo aut eiusdem vice ad visitanda Limina Apostolorum.

h) Qui ab episcopo vel Capitulo mittuntur ad Concilium (oecumenicum vel plenarium vel provinciale) vel ad synodum dioecesanam.

i) Qui de Capituli consensu, non contradicente episcopo, absunt a choro ob Capituli seu propriae ecclesiae utilitatem. Sic e. gr. Capitulum potest permittere, ut canonicus oeconomus, dum curat res materiales Capituli, absit a choro et nihilominus percipiat distributiones cotidianas.

k) Qui episcopo sacra peragenti, i. e. pontificalia exercenti, assistunt, recipiunt distributiones etiam inter praesentes.

l) Qui episcopum comitantur in visitatione dioecesis vel visitationem ipsam eius nomine et mandato peragunt.

m) Qui operam navant conficiendis processibus in causis canonizationis et beatificationis vel uti testes in his causis vocati sunt, pro diebus et horis, quibus hoc officium praestant, recipiunt distributiones etiam inter praesentes, sicuti ii, qui sub b) g) l) enumerati sunt.

n) Parochi consultores, examinatores et iudices synodales, dum proprio munere funguntur.

o) Qui infirmitate aliove *physico* impedimento choro prohibentur assistere[77]. Quaenam infirmitas excuset ab assistentia chorali, nequit

---

[75] S. C. C. d. 9 Iunii 1923 (Acta Ap. Sed. XVII 511). [76] c. 420, § 2.

[77] c. 420, § 1, n. 1—14. Distributiones cotidianas primus Ivo Carnutensis dicitur excogitasse, et quidem eo fine ut canonici diligentius incumberent officio chorali (*Benedictus XIV*, Instit. eccl. 107, n. 40). Cum ius Decretalium tum Concilium trid. tum Codex iur. can. hanc disciplinam ad auctoritatem legis communis elevavit. Codex iur can. c. 395 statuit: „In ecclesiis tam cathedralibus quam collegialibus, in quibus nullae sunt cotidianae distributiones vel ita tenues, ut verisimiliter negligantur, episcopi tertiam partem separent fructuum, proventuum, obventionum, quae ex dignitatibus, canonicatibus, officiis aliisque illius ecclesiae beneficiis percipiuntur, et in distributiones cotidianas convertant." Uno verbo: Tertia pars omnium proventuum totius Capituli designetur pro distributionibus cotidianis. Sin autem distributiones quavis de causa introduci nequeant, episcopus

accurate determinari. Videtur certe sufficere tanta infirmitas, quanta excusat ab auditione Missae dominicalis.

2. *Residentia* est altera obligatio. Concilium trid.[78] statuit: „Obtinentibus in cathedralibus aut collegiatis (ecclesiis) dignitates, canonicatus, praebendas aut portiones non liceat vigore cuiuslibet statuti aut consuetudinis *ultra tres menses* ab iisdem ecclesiis quolibet anno abesse." Quod quidem fuit confirmatum in Codice iur. can.[79]: „Reprobata contraria consuetudine, canonici et beneficiarii quotidiano choro adstricti possunt singuli abesse tres tantum menses in anno sive continuos sive intermissos, dummodo propriae ecclesiae statuta aut legitima consuetudo servitium diuturnius non requirant." Ergo ad summum conceduntur quolibet anno tres menses absentiae et in nonnullis capitulis minus tempus indulgetur. Sine causa legitima et speciali episcopi licentia canonici nequeunt a choro abesse tempore Quadragesimae, Adventus et in praecipuis anni sollemnitatibus, i. e. diebus Nativitatis, Resurrectionis Domini, Pentecostes, Corporis Christi. Deinde numquam possunt abesse capitulares ultra tertiam partem totius Capituli[80]. Quando absunt canonici a choro tempore vacationum, amittunt omnes distributiones, neque alii canonici possunt illis libero consensu concedere has distributiones. Si tamen omnes proventus praebendae consistunt in distributionibus, canonici recipiunt tempore vacationum duas tertias partes ($^2/_3$)[81]. Ex dictis sequitur, ut canonici teneantur quolibet anno saltem *per novem menses* assistere officio chorali, neque possunt huic obligationi satisfacere per substitutum. Si tamen in aliqua ecclesia (cathedrali vel collegiali) statutum est lege particulari, ut non omnes, sed solum determinati canonici intersint choro, tunc in casu particulari ex iusta et rationabili causa potest canonicus substituere alium eiusdem ecclesiae canonicum, qui hoc die non tenetur choro interesse[82]. Canonici, qui ad chorum non adstringuntur sive propter vacantias sive propter alias causas excusantes supra enumeratas, non tenentur residere in loco beneficii, sed possunt alibi peregrinari[83]. — Contra canonicos illegitime non residentes eodem modo procedendum est ac contra parochos aliosque clericos beneficiarios residentiales[84].

3. *Obligatio assistendi Capituli deliberationibus et varia officia Capituli acceptandi.* Omnes et singuli canonici tenentur, nisi adsit legitima causa excusans, interesse deliberationibus Capituli. Tales autem

in dignitates, canonicos ac beneficiarios negligentes constituat mulctas pecuniarias, quae distributionibus respondeant earumque locum teneant. Summa pecuniae, quae destinata est distributionibus (inclusis mulctis pecuniariis, de quibus supra, et illis partibus, quae non percipiuntur ab absentibus), distribuatur inter canonicos, qui choro interfuerunt. Si vero in aliquo Capitulo dignitates habeant proventus a massa seu bonis aliorum canonicorum diversos et separatos, distributiones ab iis amissae cedunt aliis dignitatibus in choro praesentibus, si adsint; secus fabricae ecclesiae, quatenus indigeat, aut alii pio loco iuxta arbitrium episcopi.

[78] Sess. 24, c. 12 de reform. [79] c. 418, § 1. [80] Ib. § 2. [81] Ib. § 3.
[82] c. 419, § 1. [83] Ib. [84] Cf. c. 2168—2175 et infra q. 157 et 603.

deliberationes seu conventus necessarii sunt ad prudens regimen ecclesiae. Pariter tenentur canonici varia officia Capituli acceptare, quae ipsis prudenter imponuntur. Sic e. gr. iusta designetur norma, ad quam canonici et beneficiarii in servitio altaris fungantur per turnum cum officio celebrantis tum etiam ministerio diaconi et subdiaconi. A ministerio autem diaconi et subdiaconi eximuntur dignitates, canonicus theologus et poenitentiarius; immo, si distinctae adsint praebendae ordinis *presbyteralis*, omnes istae quoque eximuntur[85].

4. *Obligatio emittendi professionem fidei* (et iuramentum antimodernisticum) coram loci Ordinario eiusve delegato et coram Capitulo[86]. Quodsi canonicus sine iusto impedimento neglexit hanc professionem emittere ante beneficii ineundi possessionem, moneatur ab episcopo, et fructus praebendae non facit suos, ita ut eos forte perceptos restituere debeat; immo, si post monitionem remanet contumax, privetur beneficio suo[87].

II. Obligationes erga episcopum.

1. *Honor.* Episcopo debetur in choro, in Capitulo, in processionibus aliisque actibus publicis *prima sedes* et praecipua omnium rerum agendarum auctoritas. Canonici episcopo sollemniter Missam celebranti aut alia pontificalia exercenti (etiam in aliis ecclesiis civitatis aut suburbii), ab eodem invitati, assistere et inservire debent, dummodo *iudicio episcopi* sufficiens canonicorum et ministrorum in ecclesia numerus maneat, et eundem accedentem ad ecclesiam cathedralem et redeuntem comitari, prout indicat caerimoniale episcoporum[88]. Immo episcopus potest duos canonicos assumere et retinere, ut sibi in quocumque ecclesiastico ministerio ac dioecesis servitio, e. gr. in sollemniore collatione baptismi, assistant[89]. Cum episcopus vult exercere pontificalia tam in ecclesia cathedrali quam in aliis ecclesiis civitatis vel suburbii, gratis subministranda sunt a canonicis e sacristia cathedralis paramenta sacra aliaque necessaria[90].

2. *Oboedientia canonica* exercenda est a canonicis:

a) quando episcopus approbat statuta capitularia vel ea imponit legitime[91];

b) quando episcopus visitationem Capituli peragit[92];

c) quando episcopus iusta praecepta edit aut iudicialiter procedit;

d) quando episcopus duos canonicos sibi retinet pro ecclesiastico ministerio ac dioecesis servitio, e. gr. etiam durante visitatione dioecesis[93].

Q. 144. *Quaenam sint praecipua iura Capituli canonicorum?*

R. Iura, quae canonicis competunt, distinguuntur in iura, quae *singulis* et quae *Capitulo* conveniunt.

[85] c. 416. [86] c. 1406, § 1, n. 5. [87] c. 2403. [88] c. 412.
[89] Ib. § 2 et S. C. C. d. 9 Febr. 1924 (Acta Ap. Sed. XVII 247).
[90] c. 1303, § 1. [91] c. 410.
[92] Conc. trid. sess. 6, c. 4 et sess. 25, c. 6 de reform. [93] c. 412, § 2; c. 343, § 2.

I. Iura, quae competunt singulis canonicis.

1. Canonicus ius habet ad praebendam, i. e. ius percipiendi proventus beneficii et distributiones cotidianas, ut supra dictum est. Canonicatus sine adnexis emolumentis ne instituantur sine speciali Apostolicae Sedis concessione[94]. Canonici *honorarii* autem non recipiunt praebendam neque distributiones cotidianas, quando sunt praesentes in choro.

2. *Votum in Capitulo*. Excluduntur canonici honorarii[95].

3. *Scamnum* seu sedes in choro. Etiam canonici honorarii huiusmodi scamnum obtinent[96], sed post canonicos titulares, nisi sint charactere episcopali ornati[97].

4. *Praecedentia*. Canonicis nulla praecedentia debetur, quando non incedunt *capitulariter* nec a Capitulo deputati. Quando autem proprium episcopum comitatu honestant, sedent (etiam in ecclesiis alterius dioecesis) ante simplices clericos, immo et ante parochum in ipsius propria ecclesia, quia considerantur tamquam uniti cum episcopo. Idem valet de canonicis honorariis. Inter ipsos in eodem Capitulo praecedentia canonicorum saepe regulatur particularibus statutis vel legitima consuetudine. Secus dignitates (servato inter se praecedentiae ordine) praecedunt canonicis; canonici antiquiores, qui nempe prius possessionem ceperunt, posterioribus; canonici titulares honorariis, honorarii beneficiariis. Semper autem illi, qui charactere episcopali sunt ornati, praecedunt omnibus aliis dignitatibus et canonicis in presbyterali tantum ordine constitutis[98]. Vicarius generalis praecedit ubique omnibus dignitatibus et canonicis charactere episcopali non insignitis[99], ut iam dictum est.

5. *Insignia quaedam honorifica*, e. gr. specialia indumenta, aliquando cappa magna, usus pontificalium, titulus: „Admodum Reverendus" vel „Reverendissimus", „Perillustris" etc. Canonici (sive titulares sive honorarii) nequeunt extra dioecesim, in qua nominati sunt, uti suis insignibus honorificis, nisi vel episcopum comitentur vel episcopum aut Capitulum repraesentent in Conciliis aliisve sollemnitatibus[100]. — Privilegia canonicorum, cum quandam diminutionem videantur afferre dignitati episcopali, idcirco sunt de iure strictissime interpretanda[101]. In choro canonici debent deferre vestem sibi in bulla erectionis assignatam vel apostolico indulto concessam; *secus censentur tamquam absentes*, i. e. non recipiunt distributiones cotidianas[102]. Sin autem aliquis canonicus dignitate episcopali ornatus est, debet sub eadem poena portare habitum episcopalem, i. e. rochettum supra subtanam et mantelettum violacei coloris[103].

[94] c. 393, § 3. [95] c. 411, § 3. [96] c. 407, § 2.
[97] c. 408. [98] c. 408, § 1. [99] c. 370.
[100] c. 407; c. 409, § 2.
[101] Cf. *Pii X* Motu proprio „Inter multiplices" n. 80, d. 21 Febr. 1905.
[102] c. 409, § 1.
[103] S. C. C. d. 20 Iunii 1925 (Acta Ap. Sed. XVII 540).

II. Iura, quae competunt Capitulis canonicorum.

Iura, quae competunt Capitulis canonicorum, in duas classes possunt dividi, sc. in iura interna seu internam administrationem spectantia, et in iura externa, quae respiciunt externam gubernationem.

I. Iura interna Capituli.

Capitula canonicorum sunt vera collegia ecclesiastica et iuridica atque tamquam talia agnita a iure ecclesiastico et saepe etiam a iure civili. Hinc habent omnia iura, quae competunt talibus collegiis iuridicis, sc.:

a) *Ius celebrandi coetus capitulares*. Capitulum sub duplici aspectu considerari potest, nempe ut consilium vel senatus episcopi, et ut collegium sui iuris. Quatenus est *collegium sui iuris*, potest convocari a proprio praeside et etiam absque praevia licentia episcopi. Stato tempore ac loco conveniat canonicorum coetus de suae ecclesiae et Capituli negotiis acturus. Praeter istos coetus ordinarios possunt haberi extraordinarii, quoties id aut episcopo aut Capituli praesidi aut maiori canonicorum parti expedire videtur[104]. Ergo non solum episcopus et Capituli praeses, sed etiam maior canonicorum pars talem coetum extraordinarium convocare potest. Quatenus Capitulum est *senatus seu consilium episcopi*, convocatur ab ipso episcopo vel ab eius Vicario generali. — Vocandi sunt ad coetum omnes capitulares praesentes in civitate (exclusis canonicis honorariis). Ad habendum coetum ordinarium non est necessaria specialis convocatio. In capitulis vocem habent omnes canonici capitulares, non autem canonici honorarii, neque alii beneficiati aut mansionarii, nisi id ipsis competit ex lege fundationis aut ex indulto S. Sedis[105]. Ceterum hac in re, sicuti etiam in suffragiis ferendis, observanda sunt statuta capitularia legitime approbata. Canonicus capitularis, qui legitime est impeditus quominus veniat ad coetum, potest votum suum dare per substitutum (sed ex gremio capitularium electum, cum Capitulum non teneatur ad sua comitia admittere extraneum).

b) *Ius condendi sibi statuta capitularia*. Capitula eo ipso, quod sunt corporationes legitimae, possunt sibi statuta particularia condere, quae tamen nequeunt esse contra ius commune, ut per se patet. Obiectum horum statutorum est regimen internum Capituli, non autem generalis status dioecesis vel iura episcopi; e. gr. Capitulum potest particulares normas statuere de cotidiano servitio chori, de administratione suorum bonorum temporalium etc. Statuta capitularia rite condita egent approbatione episcopi, sine cuius auctoritate postea nec abrogari possunt nec mutari. Si, episcopo edicente ut statuta capitularia conficiantur, Capitulum id praestare neglexerit, exacto sexto ab intimatione mense, episcopus ipse talia statuta conficiat atque imponat Capitulo[106].

[104] c. 411.
[105] Ib. § 3; Pontif. Com. d. 24 Nov. 1920 (Acta Ap. Sed. XII 573).
[106] c. 410, § 3. S. C. C. d. 25 Iul. 1923 (Acta Ap. Sed. XV 453).

c) *Ius possidendi et administrandi bona temporalia.* Patet ex eodem principio. Cum bona Capituli sint bona ecclesiastica, Capitulum eiusque oeconomus debent omnia accurate praestare, quae iure communi statuta sunt de administratione et alienatione bonorum ecclesiasticorum. Episcopus ex propria auctoritate et sine consensu Capituli nequit disponere de bonis Capituli[107].

d) *Nonnulla iura liturgica,* sc., nisi aliud caveatur in statutis capitularibus, dignitatibus et canonicis secundum ordinem praecedentiae ius et officium est: 1. episcopi vicem supplere in peragendis functionibus sacris in sollemnioribus anni festivitatibus; 2. episcopo celebranti in pontificalibus aspersorium in ingressu ecclesiae porrigere et presbyteri assistentis fungi officio; 3. eidem decumbenti administrare sacramenta; defuncto iusta funebria persolvere[108].

II. Iura externa Capituli.

Haec iura versantia circa administrationem dioecesis non eadem sunt sede vacante et sede plena. Unde claritatis causa primo dicendum est de iuribus Capituli sede plena et deinde sede vacante.

Sede plena Capitulum cathedrale est senatus seu consilium episcopi[109]. In nonnullis causis episcopus indiget Capituli consensu, sine quo episcopus nequit procedere; in aliis vero causis non requiritur nisi Capituli consilium, quod episcopus ex iusta causa potest non sequi[110].

a) *Consilium* Capituli debet episcopus quaerere generatim in omnibus negotiis arduis, quia capitulares cathedrales ponuntur ab ipso iure consiliarii episcopi. Sunt complures casus, in quibus ius expresse iubet, ut episcopus consilium Capituli cathedralis audiat, e. gr. in unione, translatione, divisione, dismembratione beneficiorum[111] (ante novum Codicem in his casibus requirebatur *consensus* Capituli); in creandis praebendatis Capitulorum non numeratorum[112]; in eligendis membris consilii administrationis bonorum[113]; in nominatione canonici honorarii Capituli Cathedralis[114].

b) *Consensus* Capituli non requiritur nisi in casibus a iure expressis. Ratio est, quia ordinaria administratio dioecesis soli episcopo committitur. Iuxta vigentem disciplinam rarissime tenetur episcopus consensum Capituli exquirere, nempe si agitur de alienatione et locatione bonorum ecclesiasticorum, quorum pretium est inter 1000 et 30 000 libellarum[115]. Quae enim in antiquo iure de consensu Capituli fieri debuerunt, nunc de eius consilio statuuntur.

Capitulum cathedrale nonnulla quoque iura habet in Concilio provinciali et in synodo dioecesana. Sic Capitula cathedralia cuiusvis dioecesis, cuius Ordinarius ad Concilium provinciale vocari debet, mittant duos ex capitularibus, qui tamen obtinent votum tantum consultivum[116]. Ad synodum autem dioecesanam vocandi sunt et venire debent canonici ecclesiae cathedralis[117].

[107] Cf. Caus. Cordubens. d. 1 Febr. 1915 (Acta Ap. Sed. VII 131 sqq).
[108] c. 397. [109] c. 391, § 1. [110] c. 105. [111] c. 1428. [112] c. 394.
[113] c. 1520, § 1. [114] c. 406, § 1. [115] c. 1532, § 3, et c. 1541, § 2.

Sede vacante per mortem episcopi vel per eius renuntiationem a Romano Pontifice acceptatam vel per translationem ac privationem episcopo intimatam regimen totius dioecesis ad Capitulum ecclesiae cathedralis devolvitur, nisi tamen adfuerit administrator apostolicus, vel aliter a S. Sede provisum fuerit[118]. Sicubi ex speciali Sanctae Sedis dispositione archiepiscopus aliusve episcopus administratorem dioecesis vacantis designet, hic omnes et solas facultates habet, quae Vicario capitulari competunt, iisdem obligationibus et poenis obnoxius[119]. Capitulum nequit per se ipsum administrare dioecesim, nisi durantibus octo diebus post habitam vacationis notitiam. Intra hoc tempus Capitulum debet constituere Vicarium capitularem, qui loco sui dioecesim regat, et insuper (si fructuum percipiendorum ei munus incumbat) oeconomum unum vel plures[120]. Nihil autem obstat, ne Capitulum eandem personam eligat ut Vicarium capitularem et ut oeconomum[120a]. Si sedes episcopalis vacat per *translationem* episcopi, Capitulum nequit eligere Vicarium capitularem, sed episcopus translatus obtinet officium Vicarii capitularis omnesque fructus mensae episcopalis percipit, usquedum possessionem alterius dioecesis canonice assumpserit; quod quidem fieri debet intra quattuor menses[121]. De modo eligendi Vicarium capitularem infra c. VII sermo erit. Si Capitulum intra praescriptum tempus Vicarium et oeconomum *quavis de causa* non elegerit, deputatio ad metropolitam devolvitur; si autem ecclesia ipsa metropolitana fuerit vacans, vel metropolitana simul et suffraganea fuerint vacantes, deputatio pertinet ad antiquiorem ex episcopis suffraganeis[122]. Rite constituto Vicario capitulari, integra iurisdictio dioecesis in eum transfertur, ideoque Capitulum nihil sibi reservare potest, nec gerendo muneri tempus praefinire aliasve restrictiones praestituere[123].

Scholion. De sede impedita. Sedes episcopalis non quidem vacat, sed est impedita, quando episcopus propter captivitatem, relegationem, exsilium aut inhabilitatem ita impeditur, ut ne per litteras quidem cum dioecesanis communicare possit. Sede impedita regimen dioecesis, nisi S. Sedes aliter providerit, est penes Vicarium generalem aut alium virum ecclesiasticum ab episcopo delegatum. Quibus tamen forte impeditis Capitulum ecclesiae cathedralis Vicarium constituat, qui regimen dioecesis assumat cum potestate Vicarii capitularis[124].

Quando Capitulum cathedrale habet potestatem eligendi novum episcopum, observanda sunt statuta particularia.

Q. 145. *Quaenam sint iuridicae relationes inter Capitulum et parochum ecclesiae cathedralis vel collegialis?*

R. Saepe accidit, ut ecclesia cathedralis vel collegialis sit quoque paroecialis, in qua parochus curam animarum gerit. Tunc imprimis

[116] c. 286, § 3. [117] c. 358, § 1, n. 2. [118] c. 430, § 1; c. 431, § 1.
[119] c. 431, § 2. [120] c. 432. [120a] c. 433, § 3. [121] c. 430, § 3.
[122] c. 432, § 2. [123] c. 437. [124] c. 429.

attendenda sunt statuta a S. Sede particulariter lata aut conventiones legitime initae in erectione paroeciae. Quae si desint, ex iure communi sequentia valent:

I. Ad parochum spectat:

1. applicare Missam pro populo et debito tempore praedicare ac christianam doctrinam fideles edocere[125]. Nihilominus Capitulum debet cotidie Missam cantare pro benefactoribus, ut per se patet.

2. gerere et custodire libros paroeciales, e. gr. baptismorum, matrimoniorum etc.

3. omnes functiones stricte paroeciales peragere, quales sunt sollemniter baptizare, ss. Eucharistiam publice deferre ad infirmos (qui non sunt canonici aut beneficiarii Capituli) iisdemque Extremam Unctionem administrare, peragere omnia quae ad nuptias paroecianorum spectant, iusta funebria paroecianorum persolvere[126].

4. alias functiones non stricte paroeciales peragere, quae in paroeciis fieri solent, dummodo ne impediatur chorale servitium, nec Capitulum easdem functiones peragat.

5. eleemosynas in bonum paroecianorum colligere, easdem directe vel indirecte oblatas recipere, administrare et secundum offerentium voluntatem distribuere. Quantum ad istam collectionem eleemosynarum parochus libere eas colligere potest *extra* ecclesiam cathedralem aut collegialem, sed *in* ipsa ecclesia capitulari videtur non posse eas colligere, nisi consentiente Capitulo. Ecclesia enim pertinet ad Capitulum et non ad parochum. Valde autem conveniens est, ut Capitulum permittat talem collectionem eleemosynarum saltem in Missa paroeciali, quae pro populo applicatur.

II. Ad Capitulum spectat:

1. custodire ss. Eucharistiam, sed altera tabernaculi clavis apud parochum servari debet, ut iste semper Eucharistiam distribuere valeat paroecianis.

2. invigilare, ut in functionibus a parocho in capitulari ecclesia peragendis leges liturgicae observentur. Si enim istae leges graviter laederentur, id praeiudicium ferret ipsi ecclesiae et consequenter Capitulo.

3. ecclesiae curam habere eiusque bona administrare cum piis legatis. Si tamen pia legata traduntur non ipsi ecclesiae, sed paroeciae, sunt administranda iuxta voluntatem offerentium.

4. iusta funebria peragere pro defuncta dignitate vel canonico (etiam honorario) vel beneficiario ipsius Capituli.

5. fontem baptismalem sabbato sancto benedicere et processiones publicas extra ecclesiam deducere. Potest tamen Capitulum has functiones etiam parocho committere[127].

Nota. Nec parochus capitulares nec Capitulum paroeciales functiones et munera impediat; exorto autem conflictu, quaestionem dirimat loci

[125] c. 415, § 2, n. 1. [126] Ib. n. 3, et c. 462. [127] c. 462, n. 7.

Ordinarius, qui imprimis curare debet, ut catechetica instructio et evangelii explicatio hora fidelibus commodiore habeatur. Non solum impedire nequit Capitulum parochum in exercenda paroeciali cura, sed insuper sciant capitulares, se ex caritate teneri (maxime si designati coadiutores desint) parocho adiutricem operam navare secundum modum ab Ordinario loci determinandum[128].

CAPUT VI.

De consultoribus dioecesanis.

Q. 146. *Quid sit munus consultorum dioecesanorum?*

R. 1. In iis dioecesibus, in quibus nondum constitui restituive potuit cathedrale canonicorum Capitulum, instituantur ab episcopo (salvis peculiaribus S. Sedis praescriptis) consultores dioecesani, hoc est, sacerdotes pietate, moribus, doctrina ac prudentia commendati[1]. Consultores dioecesani sunt igitur nihil aliud nisi vicesgerentes Capituli cathedralis, qua episcopi senatus; quare, quae canones ad gubernationem dioecesis (sive sede plena sive ea impedita aut vacante) Capitulo cathedrali tribuunt, ea de coetu quoque consultorum dioecesanorum intelligenda sunt[2].

2. Consultores dioecesani numero sint saltem sex (in dioecesibus, ubi sunt pauci sacerdotes, saltem quattuor), iidemque omnes in civitate episcopali vel in locis vicinioribus commorentur, ita ut facile et celeriter possint ab episcopo convocari. Antequam munus suum suscipiant, debent emittere (praeter professionem fidei) iusiurandum de officio fideliter exsequendo sine ulla acceptione personarum[3]. Specialis formula istius iurisiurandi non est praescripta.

3. Officium consultorum est ad *triennium;* quo exacto, episcopus potest alios in eorum locum substituere vel etiam eos pro altero triennio confirmare. Quae quidem confirmatio fieri potest etiam post alterum, tertium etc. triennium. Deficiente, quavis de causa (e. gr. propter mortem, aegritudinem continuam, translationem etc.), aliquo consultore intra triennium, episcopus alium de consilio ceterorum consultorum substituat, isque in officio maneat usque ad expletum idem triennium[4]. Cum vero triennium excidisse contigerit *vacante sede episcopali,* consultores in officio manent usque ad accessum novi episcopi, qui tunc intra sex menses novos consultores instituere debet[5]. Sin autem, sede vacante, aliquis consultor moriatur vel renuntiet, Vicarius capitularis, *de consensu* aliorum consultorum, alium nominare debet, qui tamen, ut munere suo, etiam sede plena, fungatur, indiget novi episcopi confirmatione[6].

4. Durante munere, i. e. nondum expleto triennio, consultores nequeunt removeri, nisi ob iustam causam ac de consilio ceterorum consultorum.

[128] c. 415, § 4 et 5. [1] c. 423. [2] c. 427. [3] c. 425. [4] c. 426, § 3. [5] Ib. § 4. [6] Ib. § 5.

CAPUT VII.

De sede impedita aut vacante ac de Vicario capitulari.

Iam supra c. V dictum est, quandonam sedes episcopalis censeatur impedita aut vacans. Pariter ibi dictum est, quomodo Capitulum cathedrale tunc providere debeat administrationi dioecesis. Restat dicendum de Vicario capitulari.

Q. 147. *Quaenam requirantur, ut quis valide a Capitulo deputari possit Vicarius capitularis?*

R. Requiritur, 1. ut Capitulum intra *octo dies* ab accepta notitia vacationis sedis episcopalis Vicarium capitularem eligat; quo tempore elapso, ius Capituli cessat[7]. Haec quoque valent de electione oeconomi[8].

2. ut unus deputetur et non plures[9];

3. ut instituatur per actum capitularem, ita ut observentur leges latae de *canonica electione*. Ad validitatem huius electionis electus debet obtinere numerum suffragiorum *absolute* maiorem, demptis suffragiis nullis[10]. — Vicarius capitularis non deputatur per electionem Capituli, sed a) *ab ipso iure*, si sedes episcopalis vacat per *translationem* episcopi. Tunc enim episcopus translatus obtinet Vicarii capitularis potestatem eiusdemque obligationibus tenetur (cessante qualibet Vicarii generalis potestate), usquedum novam sedem saltem intra 4 menses occupaverit[11]. b) *a Metropolita*, vel — vacante sede metropolitana — *ab episcopo suffraganeo antiquiore*, si Capitulum cathedrale aut non intra octo dies aut non aptum elegerit[12].

4. ut eligatur persona *apta*. Excluduntur a munere Vicarii capitularis: a) qui nondum sunt sacerdotes; b) qui trigesimum aetatis annum nondum expleverunt, c) qui ad eandem sedem episcopalem fuit electus, nominatus vel praesentatus episcopus[13].

Ergo *postquam* aliquis est electus, nominatus vel praesentatus episcopus dioecesis, nequit eligi Vicarius eiusdem dioecesis tempore intermedio ante eius confirmationem per Sedem Apostolicam; sed nihil obstat, ne Vicarius capitularis iam electus, et *postea* electus, nominatus vel praesentatus episcopus eiusdem dioecesis, pergat in officio Vicarii capitularis, usquedum sit confirmatus episcopus a Sede Apostolica. Generatim enim statuitur: „Si ante suam ad episcopatum designationem Vicarii capitulares, officiales, oeconomi fuerint renuntiati, haec officia etiam post designationem retinere et exercere possunt.“[14] Nihil quoque obstat, ne idem in Vicarium capitularem et oeconomum deputetur[15].

[7] c. 432, § 2. [8] Ib. [9] c. 433, § 1. [10] Ib. § 2.
[11] c. 430, § 3. [12] c. 432, § 2; c. 434, § 3.
[13] c. 434, § 1. Sub poena excommunicationis Romano Pontifici specialiter reservatae prohibuit Pius IX (Const. „Romanus Pontifex“ d. 28 Aug. 1873), ne novus episcopus electus in Vicarium capitularem eligeretur, sed ista poena iam non exsistit.
[14] c. 334, § 2. [15] c. 433, § 3.

Quae supra sub n. 1—4 indicata sunt, requiruntur ad *validam* deputationem Vicarii capitularis. Inculcatur autem praeterea: „Vicarius capitularis sit in theologia aut iure canonico doctor vel licentiatus aut saltem earundem disciplinarum vere peritus, in eoque morum integritas, pietas, sana doctrina cum prudentiae laude conspirent.“[16]

Q. 148. *Quaenam sint obligationes et iura Vicarii capitularis?*

R. Cum Vicarius capitularis in iure consideretur tamquam Ordinarius loci[17], illi competunt quoque omnes fere obligationes et iura episcopi residentialis. Quae quidem regula generalis tamen nonnullas exceptiones admittit; quare sequentia hic breviter notentur.

Obligationes Vicarii capitularis sunt:

1. emittere professionem fidei ante muneris susceptionem. Professione fidei edita coram Capitulo cathedrali, Vicarius capitularis statim iurisdictionem obtinet, quin necessaria sit ullius confirmatio[18]; debet tamen de sua electione quantocius certiorem facere S. Sedem[19].

2. residere in dioecesi et applicare Missam pro populo, sicut episcopus dioecesanus[20].

3. assistere Concilio plenario et provinciali[21].

4. rationem reddere novo episcopo de tota sua administratione et de scripturis ad ecclesiam pertinentibus[22]. Quae quidem redditio rationis olim vocabatur *syndicatus*.

Iura Vicarii capitularis sunt:

1. percipere congruam retributionem Concilio provinciali designatam vel recepta consuetudine concedi solitam. Quae quidem retributio desumenda est ex reditibus mensae episcopalis aut ex aliis emolumentis[23]. Cetera emolumenta, quae ad episcopum, ecclesia non vacante, pertinuissent, debent reservari futuro episcopo, qui tamen ea non ad libitum, sed pro dioecesis necessitatibus impendere tenetur[24]. Si Vicarius capitularis est canonicus, recipit quidem fructus sui beneficii, sed, si non assistit choro (etiam legitime impeditus ob munus suum), non recipit distributiones cotidianas[25].

2. nonnulla *iura honorifica:* etenim durante munere Vicarius capitularis habet a) privilegia et insignia Protonotarii apostolici titularis: b) praecedentiam super omnibus dioecesis clericis, non insignitis charactere episcopali[26]; c) usum pontificalium (excluso tamen usu throni cum baldachino) in tota dioecesi, si est episcopus[27].

Vicarius capitularis *complura non potest:*

1. convocare synodum dioecesanam[28].

2. nominare canonicos honorarios[29].

3. declarare inamovibiles paroecias, quae hucusque fuerunt amovibiles[30].

[16] c. 434, § 2. [17] c. 198. [18] c. 438. [19] c. 432, § 4. [20] c. 440.
[21] c. 282, § 1, et c. 286, § 1. [22] c. 444 2405 2406. [23] c. 441.
[24] Ib. § 2. [25] c. 421, § 1, n. 3. [26] c. 370 et 439. [27] c. 435, § 2.
[28] c. 357, § 1. [29] c. 406, § 1. [30] c. 454, § 3.

4. condere congregationes religiosas [31].

5. associationes pias erigere aut consensum praebere pro earum erectione aut aggregatione [32].

6. reservare sibi casus [33]. Casus igitur, quos episcopus sibi reservavit ex propria auctoritate, cessant sede vacante.

7. determinare stipem solvendam a sacerdotibus Missam celebrantibus in aliena ecclesia [34].

8. unire ecclesias paroeciales inter se aut cum beneficio non curato [35], neque consensum praestare, ut duo beneficia permutentur [36].

9. amovere promotorem iustitiae vel vinculi defensorem [37].

10. quidpiam agere, quod vel dioecesi vel episcopalibus iuribus praeiudicium aliquod afferre possit, et notanter nequit sub poena excommunicationis Sedi Apostolicae simpliciter reservatae aliisque poenis [38] curiae episcopalis documenta quaelibet subtrahere vel destruere vel celare vel immutare. Generatim prohibentur Vicario capitulari quaelibet graves mutationes faciendae in regimine dioecesis, nisi adsit urgens necessitas. Eius officium nempe solet esse breviter transitorium; proinde valet principium: *„Sede vacante nihil innovetur."* [39] Hinc e. gr. si, sede vacante, aliquis consultor dioecesanus moriatur aut renuntiet, Vicarius capitularis potest quidem cum consensu aliorum consultorum novum nominare, sed iste indiget postea novi episcopi confirmatione ad hoc ut, sede plena, fungatur munere suo [40]. Pariter nequit concedere litteras dimissorias nisi illis ordinandis, qui sunt *„arctati"* ratione beneficii aut officii [41]. Econtra nonnisi post annum a sede vacante — quod nostris temporibus raro accidit — valet a) concedere litteras dimissorias aliis ordinandis; b) conferre paroecias liberae collationis [42]; c) concedere incardinationem et excardinationem [43].

Q. 149. *Quomodo cesset officium Vicarii capitularis?*

R. Vicarius capitularis amittit suum officium:

1. per remotionem a S. Sede praescriptam;

2. per renuntiationem authentica forma (i. e. iuxta c. 186) Capitulo exhibitam, quam Capitulum recusare nequit. Renuntiatione facta vel etiam mortuo Vicario capitulari, Capitulum debet intra octo dies novum Vicarium capitularem eligere [44].

3. per initam a novo episcopo possessionem sedis [45].

CAPUT VIII.

De vicariis foraneis.

Q. 150. *Quaenam sint iura et obligationes vicarii foranei?*

R. 1. Vicarius foraneus, qui et archipresbyter vel decanus vocatur, est sacerdos (et ordinarie rector ecclesiae paroecialis), qui ab episcopo

[31] c. 492, § 1. [32] c. 686, § 4. [33] c. 893. [34] c. 1303, § 3.
[35] c. 1423, § 1. [36] c. 1487, § 1. [37] c. 1590, § 1.
[38] c. 2405 2406. [39] c. 436. [40] c. 426, § 5. [41] c. 958.
[42] c. 455, § 2, n. 3. [43] c. 113. [44] c. 443, § 1. [45] Ib. § 2.

libere praeficitur alicui vicariatui foraneo seu decanatui, et ad nutum episcopi amoveri potest [1].

2. Vicarius foraneus habet *ius:* a) sigilli proprii vicariatus; b) praecedentiae super omnibus parochis aliisque sacerdotibus sui districtus [2]. Haec tamen praecedentia videtur esse restringenda ad sacerdotes, qui aliqualiter subduntur vicario foraneo, non autem ad eos, qui sunt exempti vel charactere episcopali aut alia dignitate sunt insigniti. Hinc e. gr. Vicarius foraneus, qui simul est canonicus capituli collegialis, in suo districtu non praecedit ceteris canonicis in choro et in actis capitularibus [3]. c) veniendi ad synodum dioecesanam [4]. d) recipiendi et subdelegandi facultatem absolvendi a casibus, quos episcopus sibi reservavit [5]. e) in casu urgenti concedendi in scripto licentiam, ut administratores bonorum ecclesiasticorum litem nomine ecclesiae incohent vel contestentur [6]. f) ea peragendi, quae ipsi specialiter commissa sunt a synodo provinciali vel dioecesana [7].

3. Vicarius foraneus habet *obligationem invigilandi:* a) num ecclesiastici viri sui districtus vitam ducant congruam suisque officiis diligenter satisfaciant, praesertim circa residentiae legem, divini verbi praedicationem, catechesim, curam infirmorum [8]. b) num decreta lata ab episcopo in sua visitatione mandentur exsecutioni; c) num materia sacrificii Missae, nempe vinum et panis, cum debita cautela puritatis adhibeantur; d) num decor et nitor ecclesiarum et sacrae supellectilis accurate serventur; an sacrae functiones secundum liturgiae praescripta celebrentur, bona ecclesiastica diligenter administrentur adnexaque illis onera (imprimis Missarum) rite impleantur, rectene conscribantur et asserventur libri paroeciales. e) debet statutis ab episcopo temporibus omnes paroecias sui districtus visitare, ut certior reddatur de omnibus sub a—d indicatis. Quae quidem visitatio se extendere videtur non solum ad paroecias, sed etiam ad omnia oratoria publica et semipublica *non exempta.* f) debet, simulac audierit aliquem sui districtus parochum graviter aegrotare, operam dare ne spiritualibus ac materialibus auxiliis honestoque funere, cum decesserit, careat. Debet insuper curare ne, parocho aegrotante vel decedente, libri, documenta, sacra supellex aliaque, quae ad ecclesiam pertinent, depereant aut asportentur [9]. g) debet, diebus ab episcopo designatis, convocare presbyteros sui districtus ad conventus seu collationes eo fine a iure [10] praescriptas ut scientia et pietas clericorum foveantur. Istis conventibus ipse vicarius foraneus vel eius vicesgerens praesidet [11]. h) debet semel saltem in anno proprii vicariatus accuratam rationem reddere Ordinario loci, exponens non solum quae intra annum bene gesta sint, sed etiam quae mala obrepserint, quae scandala exorta sint, quae remedia ad ea reparanda adhibita, et quid agendum existimet ad ea radicitus exstirpanda [12].

[1] c. 445 446 [2] c. 450.
[3] Pontif. Com. d. 10 Nov. 1925 (Acta Ap. Sed. XVII 582).
[4] c. 358, § 1, n. 4. [5] c. 899, § 2. [6] c. 1526. [7] c. 447, § 1.
[8] Ib. n. 1. [9] Ib. § 3. [10] c. 131. [11] c. 448. [12] c. 449.

CAPUT IX.

De parochis.

Q. 151. *Quae sit origo parochorum?*

R. Officium parochorum, quod iure merito ornatur magno honore, nondum exsistebat tribus primis saeculis aerae christianae[13]. Tunc enim episcopus erat unicus dioeceseos pastor et velut parochus per se ipse curam animarum gerebat. Sicubi propter multitudinem populi aliasque causas ipse solus hoc munus exercere non valebat, adsciscebat sacerdotes, pro libitu eos mittens et revocans. Nemini committebat per modum stabilis officii curam animarum in determinata dioeceseos parte. Saepe quoque una tantum erat in tota dioecesi ecclesia, ad quam christiani omnes die dominico confluebant ss. Eucharistiam suscepturi; ad absentes autem per diaconos ss. sacramentum saepe portabatur. Quare S. Ignatius scribit ad Smyrnenses: „Omnes in unum templum Dei concurrite; unum altare sicut unus episcopus cum presbyteris et diaconis.... Non licet sine episcopo baptizare nec agapen celebrare."[14] Crescente vero fidelium numero, cum una ecclesia non iam sufficeret, plures aedificatae sunt ecclesiae diversis in locis dioeceseos. Ad has ecclesias episcopi mittebant modo transitorio sacerdotes, qui propterea vocabantur: visitatores, circumcursatores, circuitores; vel — si stabiliore quodam modo alicui ecclesiae addicebantur —: cardinales, incardinati, velut cardines affixi ecclesiae[15]. Vocati quoque sunt presbyteri vicarii, vel forastici, vel plebani, vel proprii sacerdotes[16]. Quae quidem ecclesiae considerari possunt paroeciae rurales inde a quarto saeculo. Saeculo undecimo praxis introducta est etiam civitatem episcopalem dividendi in plures paroecias, sed ne ipso quidem tempore Concilii tridentini haec praxis ubique fuerat recepta. Quare hoc Concilium[17] praescripsit: „In iis quoque civitatibus ac locis, ubi parocciales ecclesiae certos non habent fines, nec earum rectores proprium populum quem regant, sed promiscue petentibus sacramenta administrant, mandat s. synodus episcopis . . ., ut distincto populo in certas propriasque paroecias unicuique suum perpetuum peculiaremque parochum assignent." — Ex quibus patet, quam falsa sit doctrina Iansenistarum, synodi pistoriensis et paucorum catholicorum, asserentium parochos ab ipso Christo esse institutos[18]. Pariter parochi nequeunt recte vocari successores septuaginta duorum discipulorum[19]. Nam hi discipuli non

[13] Cf. *Zorell*, Die Entwicklung des Parochialsystems (Archiv für kath. Kirchenrecht LXXXII 74 ff.).

[14] *Migne*, P. g. 5, 714. [15] C. 5, D. 71 (S. Greg. Magn.); c. 42, C. VII, q. 1.

[16] c. 12, X 5, 38. [17] Sess. 24, c. 13 de reform.

[18] Guilelmus a S. Amore, ut impugnaret privilegia regularium in exercenda cura animarum, primus (saec. decimo tertio) hanc doctrinam defendere conatus est; sed S. Thomas Aquinas in opusc. „Contra impugnantes Dei cultum et religionem" egregie refutavit eam.

[19] *S. Thomas* (S. th. 2, 2, q. 188, a. 4 ad 5) dicit: „Formam septuaginta duorum discipulorum non solum tenent presbyteri curati sed quicumque alii minoris

habuerunt potestatem regendi populos, neque administrabant sacramenta, cum potestas clavium, Eucharistiae consecratio, aliaque sacramenta nondum erant instituta. Unde merito cum Bouix[20] concludendum est: *„Parochi neque divinae institutionis sunt neque apostolicae, at dumtaxat ecclesiasticae."*

Q. 152. *Quid sit paroeciale officium?*

R. „Parochus (qui antiquis temporibus vocabatur quoque: curio, rector ecclesiae, persona[21], plebanus, rector curatus, aliisque nominibus) est sacerdos vel persona moralis, cui paroecia collata est in titulum cum cura animarum sub Ordinarii loci auctoritate exercenda[22]. Parochus unam tantum paroeciam habeat, nisi agatur de paroeciis aeque principaliter unitis, neque ullo modo possunt esse in eadem paroecia duo parochi territoriales[23]. Quamvis olim quilibet clericus potuerit institui parochus, tamen iuxta vigentem disciplinam nemo nisi *sacerdos* nominari potest parochus[24]. Insuper nonnullae personae morales ecclesiasticae instituuntur parochi, sc. illa capitula et monasteria aliaque instituta ecclesiastica, quibus paroeciae sunt incorporatae. Tales autem personae morales non sunt nisi parochi *habituales;* actualem enim curam animarum ipsae debent tradere alicui vicario[25]. Sine indulto Apostolicae Sedis nulla paroecia potest personae morali uniri *pleno iure*, ita nempe ut ipsamet persona moralis sit parochus[26]. Aliud est de incorporatione non pleno iure seu minus principaliter, ut infra dicetur, q. 427.

Parochis aequiparantur cum omnibus iuribus et obligationibus paroecialibus ac proinde parochorum nomine in iure veniunt:

1. *quasi-parochi*, qui quasi-paroecias regunt. Quasi-paroeciae autem vocantur illae partes vicariatus apostolici vel praefecturae apostolicae,

ordinis, qui episcopis in eorum officio subserviunt. Non enim legitur, quod septuaginta duobus discipulis Dominus aliquas determinatas parochias assignaret, sed quod mittebat eos binos et binos ante faciem suam in omnem civitatem et locum, quo erat ipse venturus."

[20] De parocho 16—41. [21] C. 7, X 3, 30; c. 3, X 3, 48.

[22] c. 451, § 1. Multum a multis disputatum est de etymologia verbi parochi. Parochi apud ethnicos olim dicebantur ii, qui legatis publice Romam missis praeparabant in itinere salem et ligna, i. e. ii, qui omnia *necessaria* legatis regum, principum ac rerum publicarum hospitio receptis suppeditabant, teste Acrone in illud Horatii l. 1, Sat. 5, 45 sq.: „Proxima Campano ponti quae villula, tectum Praebuit, et parochi, quae debent, ligna salemque." Ita *Ferraris*, Prompta bibl. s. v. Parochus a. 1, n. 1. Unde apud paganos parochus videtur esse dominus alicuius cauponae, diversorii sive hospitii (vulgo Hotelier, albergatore). Verbum parochi, prout significat sacerdotem curatum, non occurrit in fontibus iuris antiqui; et non solet usuvenire nisi temporibus Concilii tridentini. Nomen vero parochiae vel paroeciae iam antiquis temporibus occurrit, sed tunc solet significare *dioecesim*, ut patet ex c. 5, D. 93: „Si quis ordinatus episcopus ad parochiam, cuius est electus" etc., et c. 20, D 93: De parochia unius episcopi. Cf. *Heinr. Schäfer*, Pfarrkirche und Stift im deutschen Mittelalter (Stuttgart 1903) § 16.

[23] c. 460; Pontif. Com. d. 14 Iul. 1922 (Acta Ap. Sed. XIV 527).

[24] c. 453. [25] c. 452, § 2. [26] Ib. § 1.

quibus peculiaris rector est praepositus. Quasi-parochi igitur solummodo in locis missionum exsistunt[27].

2. *vicarii paroeciales*, qui *plena* potestate paroeciali sunt praediti[28]. Tali plena potestate solent esse praediti: a) vicarius actualis paroeciae incorporatae; b) vicarius oeconomus; c) vicarius adiutor, non autem vicarius cooperator. Infra latior sermo erit de vicariis paroecialibus.

Num *nonnulli militum capellani* aequiparentur parochis, videndum est ex peculiaribus S. Sedis statutis pro unaquaque regione latis.

In definitione supra ex Codice iur. can. allata dicitur, parocho esse paroeciam collatam in titulum cum cura animarum sub Ordinarii loci auctoritate exercenda. Paroeciale igitur officium est verum beneficium idque curatum, ac iurisdictio parochi non est vicaria, sed propria et ordinaria aut saltem quasi-ordinaria. Quare scite animadvertit Benedictus XIV[29] post Lugonem: „Etsi iurisdictio parochi ab episcopo pendeat eique subiaceat, non est tamen delegata, sed ordinaria; nec potest sine legitima causa aut prorsus auferri aut adeo imminui, ut fere inanis remaneat." Nihilominus haec iurisdictio ordinaria parochi minime impedit, quominus episcopus sit quoque pastor ordinarius et immediatus omnium fidelium dioecesanorum. Nihil enim obstat, ne duae vel plures iurisdictiones consistant in eandem plebem. Quare S. Thomas[30] dicit: „Super eandem plebem immediate sunt et sacerdos parochialis et episcopus et Papa." Episcopus igitur valet in omni paroecia suae dioecesis exercere omnia munia paroecialia, etiam invito parocho, idque non solum per semetipsum, sed etiam per alium sacerdotem delegatum. Hinc quoque episcopus potest iusta et gravi de causa religiosas familias et pias domos (e. gr. hospitalia, scholas, orphanotrophia), quae in paroeciae territorio sunt et a iure non sunt exemptae, nihilominus a parochi cura subducere[31]. Ex iure a iurisdictione paroeciali eximuntur non solum Religiosi exempti, sed etiam dioecesanum seminarium, excepta materia matrimoniali[32], e. gr. pro famulis seminarii.

Q. 153. *Quomodo parochi distinguantur?*

R. Relictis obsoletis distinctionibus iuxta vigentem disciplinam distinguuntur:

1. parochi *inamovibiles* et *amovibiles*, prout magis vel minus sunt stabiles. Omnis quidem parochus debet esse stabilis in suo officio, quia secus munus pastoris animarum vix fructuose potest exercere; sed ex altera parte nullus parochus est tam stabilis et inamovibilis, ut omnino nequeat amoveri. Etenim suprema lex est salus animarum; iamvero salus animarum stricte exigere aliquando potest, ut parochus a paroecia amoveatur. Ex se igitur omnes parochi sunt inamovibiles, proindeque novae paroeciae, quae eriguntur, sunt semper inamovibiles, nisi episcopus, prudenti suo arbitrio, attentis peculiaribus locorum ac personarum adiunctis, audito Capitulo, amovibilitatem magis expedire decreverit[33]. — Parochi *amovibiles* censentur a) omnes, qui regunt quasi-paroecias; b) parochi ad religiosam familiam pertinentes; qui quidem aequo iure amoveri possunt cum ab Ordinario loci tum a superiore religioso[34]. Quaenam sint observanda in amotione parochi dicitur infra q. 159.

[27] c. 216, § 3; cf. S. C. Consist. d. 1 Aug. 1919 (Acta Ap. Sed. XI 346).
[28] c. 451, § 2, n. 2. [29] De syn. dioec. l. 5, c. 4, n. 3.
[30] Suppl. q. 8, a. 5, ad 3. [31] c. 464, § 2. [32] c. 1368.

2. parochi *locales* et *personales* (gentilicii). Parochi locales vocantur ii, qui gerunt officium paroeciale in determinato territorio; parochi autem personales seu gentilicii sunt ii, qui gerunt officium paroeciale non in determinato territorio, sed super determinatas personas, quae forte in diversis paroeciis localibus habitant. Tales parochi personales sunt e. gr. parochi militum in nonnullis regionibus, parochi Germanorum Londini, Petropoli etc. Non possunt sine speciali indulto apostolico constitui tales paroeciae personales; ad constitutas autem quod attinet, nihil innovandum est inconsulta Sede Apostolica[35].

3. parochi *saeculares* et *regulares*, prout pertinent ad clerum saecularem vel regularem.

4. parochi *habituales* et *actuales*. Parochus habitualis dicitur persona moralis (e. gr. Collegium, Conventus, Capitulum), penes quam est definiti territorii cura animarum, quae tamen actu exercenda omnino debet committi alicui Vicario actuali. Parochus actualis est persona physica, cui incumbit cura paroecialis.

5. *parochi* et *quasi-parochi*. Quasi-parochi vocantur in novo iure ii, qui regunt quasi-paroeciam[36]. Quasi-parochi omnes sunt amovibiles, ut iam supra dictum est; aequiparantur quidem parochis in iuribus et obligationibus[37]; obligatio tamen applicandi Missam pro populo ipsis levior est et restringitur ad undecim dies in c. 306 assignatos.

Q. 154. *Ad quem pertineat parochos constituere?*

R. Distinguendum est, utrum paroecia sit liberae collationis, uti dicunt, an iuris patronatus.

De iure patronatus infra sermo specialis redibit.

1. Si paroecia est liberae collationis, tunc in omni casu Summus Pontifex *potest* novum parochum instituere, quia institutio parochi mere est iuris ecclesiastici. De facto autem raro sibi reservat Summus Pontifex collationem paroeciae; quod e. gr. accidit, si parochus alicuius paroeciae extra urbem Romam sitae moritur in ipsa urbe Roma, aut si paroecia fuit invalide collata ob simoniae vitium[38]. Numquam est reservata collatio paroeciae amovibilis vel iuris patronatus laicalis aut mixti, nisi id expresse dicatur[39].

2. Paroeciam liberae collationis conferre pertinet de iure communi ad Ordinarium loci electum, confirmatum, licet nondum consecratum[40]. Vicarius generalis indiget speciali delegatione, ut valeat conferre paroeciam, nisi tamen sedes episcopalis sit impedita[41]. Sede vacante aut

[33] c. 454, § 3. [34] Ib. § 5. [35] c. 216, § 4.
[36] c. 451, § 2. [37] Ib. n. 1. [38] c. 1435, § 1, n. 2 et 3.
[39] Ib. § 2. [40] c. 455, § 1; cf. tamen c. 334, § 2. [41] Ib. § 3.

impedita ad Vicarium capitularem (aliumve, qui dioecesim regit) pertinet conferre paroecias liberae collationis, sed solum in casu, quo sedes vacaverit per annum[42]. Si paroecia est iuris patronatus, non requiritur annus vacationis, ut valeat Vicarius capitularis parochum electum vel praesentatum confirmare.

3. Si paroecia est concredita religiosis, ita ut paroecia sit pleno iure religiosa, superior religiosus sacerdotem suae religionis praesentat Ordinario loci, qui eidem (dummodo sit idoneus) institutionem canonicam concedit[43]. Ordinarii loci et non superioris religiosi est, definitive iudicare, num sacerdos praesentatus sit idoneus.

4. Quasi-parochos *e clero saeculari* proprius loci Ordinarius nominat in locis missionum, audito tamen consilio constituto ex tribus saltem antiquioribus et prudentioribus missionariis[44].

5. Vacanti paroeciae curet loci Ordinarius providere de parocho *infra sex menses* post vacationem cognitam. Si tamen peculiaria locorum et personarum adiuncta adsint, Ordinarius loci ex prudenti iudicio potest collationem paroeciae differre etiam ultra sex menses[45]. Et tunc nihil refert, utrum paroecia sit liberae collationis an iuris patronatus.

Q. 155. *Cuinam possit beneficium paroeciale conferri?*

R. Loci Ordinarius, graviter onerata eius conscientia, obligatione tenetur conferendi vacantem paroeciam illi, quem magis idoneum ad eam regendam habuerit, sine ulla personarum acceptione[46]. Ad hoc, ut quis sit idoneus ad aliquam determinatam paroeciam regendam, non solum requiritur sufficiens doctrina, sed etiam vitae honestas, prudentia, valetudo corporalis aliaeque qualitates. Ad exsistentiam istarum qualitatum comprobandam Ordinarius loci ne omittat documenta, si qua sint, ex curiae tabulario desumere, quae clericum nominandum respiciunt, et notitias secretas quoque, si opportunum iudicaverit, prudenter exquirere, etiam aliquando ex locis extra dioecesim; deinde prae oculis habeat examina, quae clericus post expletum studiorum curriculum quotannis per triennium subiit; demum clericum examini super doctrina ad officium paroeciale necessaria coram se et examinatoribus synodalibus subiciat. Ab hoc examine tamen potest Ordinarius loci dispensare, si examinatores synodales consentiunt, quando agitur de sacerdote doctrinae theologicae laude commendato[47]. Hoc examen non est necessarium, si agitur aut de legitime amoto parocho inamovibili aut de alio parocho iam approbato, qui ex officio transfertur ad aliam paroeciam. Ordinarie autem non sufficit neque examen ordinandorum, neque examen, quod primo triennio sacerdotii subiri debet[48].

In regionibus, in quibus paroeciarum provisio fit per concursum sive specialem sive generalem, haec forma retineatur, donec Sedes Apostolica aliud decreverit[49].

---

[42] Ib. § 2, n. 3. [43] c. 456 et c. 1425, § 2. [44] c. 457.
[45] c. 458. [46] c. 459, § 1. [47] Ib. § 3.
[48] Pontif. Com. d. 24 Nov. 1920 (Acta Ap. Sed. XII 574). [49] c. 459, § 4.

De *concursu paroeciali* haec notentur:

a) Disciplinam concursus paroecialis introduxit Concilium tridentinum[50] et accuratius determinaverunt S. Pius V[51], Clemens XI[52] et praesertim Benedictus XIV[53]. Constitutio Benedicti XIV „Cum illud" observanda inculcatur in Codice iur. can., donec S. Sedes aliud decreverit[54].

b) Ordinarius loci, habita notitia vacationis paroeciae, statim in ea deputet vicarium oeconomum[55], et tunc publico edicto indicat concursum paroecialem. Quod quidem edictum debet praecedere ipsum concursum ad minus 10 et non ultra 20 dies[56].

c) Examen concursus fit die statuto coram Ordinario loci eiusve Vicario generali et ad minus tribus examinatoribus synodalibus (prosynodalibus) iuratis. Omnes concurrentes idem conclave ingrediantur et idiomate latino scribant responsiones ad quaestiones theologicas propositas. Insuper in lingua vernacula debent scribere brevem sermonem de aliquo textu ipsis indicato. Prorsus eadem materia examinis omnibus concurrentibus proponitur eodem tempore.

d) Examen versatur non solum circa candidatorum doctrinam litterarumque peritiam, sed etiam circa eorum prudentiam, morum probitatem ceterasque dotes ad vacantem ecclesiam bene gubernandam opportunas.

e) Gravissime prohibetur examinatoribus, ne quid muneris accipiant a candidatis.

f) Examine peracto examinatores proponant Ordinario loci omnes candidatos, quos dignos reppererunt; et tunc ex istis Ordinarius secundum suam conscientiam debet eligere eum, quem maxime dignum putat. Licet interponere intra decem dies appellationem cum effectu devolutivo tam a mala relatione examinatorum quam ab irrationabili iudicio Ordinarii[57].

g) Talis similisve concursus *specialis* ad nostros dies observatur in Italia, Portugallia, America latina etc., sed in compluribus regionibus, e. gr. in Germania, Austria, Gallia, Belgio etc., habetur concursus *generalis*, sc. semel vel bis in anno clerici habentes qualitates requisitas possunt se praesentare pro examine sic dicto paroeciali. Quo examine feliciter peracto episcopus cum consilio examinatorum eligit ex sacerdotibus examinatis in parochum eum, qui sibi magis idoneus videbitur, quando aliqua paroecia vacabit. Uterque modus sive specialis sive generalis concursus licitus est atque retinendus, donec S. Sedes aliud decreverit, ut iam supra dictum est.

Nota. Neque concursus neque examen requiritur in *translatione* parochorum[58].

Q. 156. *Quaenam sint iura stricte paroecialia?*

R. 1. Iura paroecialia vocantur eae praerogativae et functiones, quae *privative* conveniunt parocho, ita ut absque eius consensu nemo eas

---

[50] Sess. 24, c. 18 de reform.
[51] Const. „In conferendis" d. 18 Mart. 1567; const. „Apostolatus officium" d. 19 Aug. 1567.
[52] Const. „Quo parochiales" d. 10 Ian. 1721.
[53] Const. „Cum illud" d. 14 Dec. 1742; const. „Redditae nobis" d. 19 Apr. 1746.
[54] c. 459, § 4. [55] De quo infra q. 162. [56] S. Pii V const. „In conferendis" § 6.
[57] Videsis exemplum talis appellationis et longas explicationes concursus paroecialis in Acta Ap. Sed. IV 296 sqq. d. 27 Ian. 1912.
[58] S. C. Consist. d. 21 Iun. 1919 (Acta Ap. Sed. XI 321). Pontif. Com. d. 24 Nov. 1920 (Acta Ap. Sed. XII 574).

usurpare possit, nisi tamen sit parochi superior ecclesiasticus. Quidam distinguunt inter iura paroecialia et functiones paroeciales. Iura paroecialia tunc ea sunt, quae utilitatem, honorem, praeeminentiam afferunt; functiones vero paroeciales sunt eae, quae a parochis eorumve delegatis peragi possunt.

Hic sermo est insimul de iuribus et functionibus paroecialibus.

2. *Functiones,* quae parocho reservantur, enumerantur septem sequentes[59]:

a) Baptismum conferre sollemniter. Ergo Baptismus privatus conditionatus non est functio parocho reservata.

b) SS. Eucharistiam *publice* ad infirmos in propria paroecia deferre. Ergo privata delatio Eucharistiae in locis, ubi ea usuvenit, non reservatur parocho eiusve delegato.

c) SS. Eucharistiam *publice aut privatim* tamquam *Viaticum* ad infirmos deferre atque in periculo mortis constitutos Extrema Unctione roborare.

Exceptiones: Viaticum et Extremam Unctionem administrat 1. episcopo decumbenti canonicus; 2. in omni Religione *clericali* superior suis subditis aegrotis omnibusque aliis, qui in religiosa domo diu noctuque degunt famulatus aut educationis aut hospitii aut infirmae valetudinis causa; 3. in monialium domo idem ius et officium, quod competit superiori religioso sub 2. indicatum, competit confessario ordinario vel eius vicesgerenti. Ergo e. gr. famulae aegrotae degentes in monasterio monialium recipiunt Viaticum et Extremam Unctionem a confessario monialium; 4. in casu urgentis necessitatis vel cum licentia parochi saltem praesumpta quilibet sacerdos.

d) S. ordinationes et ineundas nuptias denuntiare; matrimoniis assistere; nuptialem benedictionem impertiri.

e) Iusta funebria suorum paroecianorum persolvere. Infra latius dicetur, in quibusnam casibus hoc ius paroeciale limitetur.

f) Domibus ad normam librorum liturgicorum benedicere sabbato sancto vel alia die pro locorum consuetudine. Ergo aliae benedictiones *privatae*, e. gr. camporum, puerperae etc., iam non reservantur parocho.

g) Fontem baptismalem sabbato sancto benedicere, publicam processionem extra ecclesiam ducere, benedictiones extra ecclesiam cum pompa ac sollemnitate impertiri, nisi agatur de ecclesia capitulari et Capitulum has functiones peragat. — Quantum ad processiones publicas exsistunt nonnulla privilegia, sic e. gr. conventus Dominicanorum possunt publicam processionem peragere in festo SS. Rosarii.

3. *Iura* praecipua parochorum sunt:

a) Recipere congruam sustentationem ex beneficio paroeciali et praestationes seu sic dicta „iura stolae", prout determinavit vel legitima consuetudo vel legitima taxatio dioecesana[60]. Nullo modo parochus potest potiores taxationes in casu particulari exigere et, si nihilominus fecerit, tenetur restituere id quod plus exegit[60a]. Licet autem aliquod paroeciale

[59] c. 462. [60] c. 463, § 1. [60a] Ib. § 2.

officium a vicario paroeciali vel alio vicesgerente fuerit expletum, praestationes tamen parocho cedunt, nisi de contraria offerentium voluntate certo constet circa summam, *quae taxam excedit*[61]. Quare e. gr. si vicarius paroecialis nomine parochi assistens matrimonio recipit 100 marcas, debet totam hanc summam tradere parocho, nisi offerentes dixerint, id quod excedit taxam dioecesanam competere vicario. Admonentur parochi, ut gratuitum ministerium iis praestent, qui solvendo pares non sunt[62].

b) Administrare ut curator bona ad beneficium paroeciale pertinentia[63]. Iure autem particulari, et non raro etiam iure civili, parochi potestas administrativa bonorum limitatur.

c) Dispensare in casibus singularibus et iusta de causa suos singulos subditos (etiam absentes a suo territorio) et peregrinos praesentes in suo territorio a lege de observantia festorum, ieiunii, abstinentiae[64], non autem ab aliis legibus sive generalibus sive peculiaribus[65].

d) Desumere ab ecclesiis etiam non paroecialibus et exemptis Eucharistiam pro infirmis in casu necessitatis[66].

e) Absolvere suos subditos toto tempore paschali etiam a casibus, quos quoquo modo Ordinarius sibi reservavit[67].

Q. 157. *Quaenam sint praecipuae obligationes parochorum?*

R. Cum parochus ex iure ecclesiastico deputetur pastor animarum, eius obligationes quasi sponte fluunt ex hoc officio. Sunt autem sequentes:

1. *Professio fidei* emittenda idque vel ante possessionem vel saltem in ipso possessionis capiendae actu, coram loci Ordinario eiusve delegato[68]. Abrogata est lex tridentina statuens hanc professionem fidei esse emittendam intra duos menses a die adeptae possessionis beneficii. Iusiurandum antimodernisticum addendum est, usquedum S. Sedes aliter determinaverit.

2. *Residentia* in domo paroeciali prope suam ecclesiam. Potest tamen loci Ordinarius ex iusta causa permittere, ut parochus alibi commoretur, dummodo domus ab ecclesia paroeciali non ita distet, ut paroecialium perfunctio munerum aliquid detrimenti inde capiat[69]. Ad residentiam parochus non tenetur a) tempore vacantiae, quod permittitur per *duos* ad summum intra annum menses (sive continuos sive intermissos), nisi gravis causa (iudicio ipsius Ordinarii) vel diuturniorem absentiam requirat vel breviorem tantum permittat[70]. b) diebus, quibus parochus piis exercitiis spiritualibus semel in anno vacat[71]. Per se patet, cum parochus etiam absens remaneat pastor animarum, eum debere tempore quoque absentiae providere necessitatibus fidelium et substituere vicesgerentem. Si parochus ultra *hebdomadam* abest a paroecia, debet praeter legitimam causam habere Ordinarii *scriptam* licentiam et vicarium sub-

[61] c. 463, § 3. [62] Ib. § 4. [63] c. 1476, § 1. [64] c. 1245, § 1. [65] c. 83. [66] c. 483. [67] c. 899, § 3. [68] c. 461 et c. 1406, § 1, n. 7. [69] c. 465, § 1. [70] Ib. § 2. [71] Ib. § 3.

stitutum sui loco relinquere ab eodem Ordinario probandum. Ante Ordinarii approbationem talis vicarius substitutus nequit valide gerere munera paroecialia et notanter nequit valide assistere matrimoniis [72] Quodsi parochus sit religiosus, indiget praeterea consensu superioris et substitutus vicarius probari debet cum ab Ordinario tum a superiore [73]. Si parochus repentina et gravi de causa discedere atque ultra hebdomadam cogitur abesse, quamprimum per litteras Ordinarium commonefaciat, ei indicans causam discessus et sacerdotem supplentem, eiusque (sc. Ordinarii) stet mandatis [74], praecipue quoad tempus redeundi.

Poenae contra parochum non residentem. Parochus, qui illegitime abest a sua paroecia, eo ipso privatur omnibus fructibus sui beneficii pro rata illegitimae absentiae eosque tradere debet Ordinario [75].

Parochum, qui residentiae legem negligit, Ordinarius moneat et interim eiusdem expensis provideat, ne salus animarum detrimentum patiatur. In hac monitione recolat Ordinarius poenas ecclesiasticas contra parochos non residentes et notanter animadvertat, officium paroeciale vacaturum esse ipso facto, si parochus intra congruum tempus ab Ordinario praefinitum nec paruerit nec responderit [76]. Si parochus tunc residentiam intra hoc tempus instauret, Ordinarius nihilominus *debet* pro absentia illegitima ei infligere privationem fructuum beneficii eumque etiam aliter punire [77]. Quodsi parochus residentiam non quidem instaurat, sed rationes suae absentiae affert, Ordinarius, auditis examinatoribus synodalibus (prosynodalibus), adductas rationes iudicet; quas si illegitimas invenerit, rursus parocho praefigat terminum, intra quem redire debet. Quodsi parochus *amovibilis* intra hunc terminum non redierit, statim potest privari paroecia; sin autem redierit, Ordinarius det ei praeceptum, ne rursus discedat sine scripta sua licentia sub poena privationis paroeciae ipso facto incurrenda. Sin autem parochus *inamovibilis* intra terminum praefixum non redierit, sed novas allegat deductiones, Ordinarius eas cum iisdem examinatoribus examinet; quas si illegitimas iudicaverit, parocho praecipiat, ut intra tempus denuo praescriptum redeat sub poena privationis beneficii ipso facto incurrenda. Si parochus ne tunc quidem redit, privatus declaretur beneficio; sin autem redit, Ordinarius det ei idem praeceptum, quod supra de parocho amovibili dictum est [78].

3. *Applicatio Missae pro populo.* „Cum *praecepto divino* mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas dignoscere, pro his Sacrificium offerre“ [79], omnes parochi (sive amovibiles, sive inamovibiles, sive saeculares, sive regulares, sive locales, sive personales) post captam paroeciae possessionem, i. e. post installationem corporalem, debent nonnullis diebus Missae sacrificium offerre pro populo sibi commisso.

[72] Pontif. Com. d. 14 Iul. 1922 (Acta Ap. Sed. XIV 527).
[73] c. 465, § 4. Quisnam sit iste Ordinarius, utrum Ordinarius loci, an superior maior religiosus, non ita constat. Videtur tamen esse Ordinarius loci. Cf. Pontif. Com. d. 14 Iul. 1922 (Acta Ap. Sed. XIV 527).
[74] c. 465, § 5. [75] c. 2381, n. 1. [76] c. 2168.
[77] c. 2170 2381. [78] c. 2174.
[79] Conc. trid. sess. 23, c. 1 de reform.

Dies, quibus parochus tenetur Missam applicare pro populo, sunt omnes dies dominicae et dies festivae de praecepto etiam suppressae. Quae quidem dies enumerantur in const. Urbani VIII „Universa per orbem“ d. 13 Sept. 1642, addito festo Immaculatae Conceptionis B. M. V. [80] In festo Nativitatis Domini, et si quod festum de praecepto in diem dominicam incidit, satis est, ut parochus unam Missam pro populo applicet [81]. Si festum de praecepto non solum quoad officium et Missam, sed etiam quoad obligationem abstinendi ab operibus servilibus et audiendi Missam transfertur in alium diem, Missa pro populo est solummodo applicanda in die, *ad quem* festum est translatum, secus in die *a quo* [82]. Quasi-parochi non debent applicare Missam nisi undecim diebus in can. 306 indicatis [83]. Parochus, qui plures forte paroecias aeque principaliter unitas regit aut praeter propriam paroeciam aliam vel alias in administrationem habet, unam tantum debet Missam pro populis sibi commissis applicare diebus praescriptis [84]. Ordinarius loci iusta de causa permittere potest, ut parochus Missam pro populo applicet alia die ac ea, qua iure adstringitur [85]. Sic e. gr. si parochus in festo alicuius Apostoli debet Missam applicare pro defuncto sepeliendo vel pro sponsis, potest Missam pro populo quantocius applicare alia die. Si parochus legitime abest a paroecia, *liber est,* aut ipse applicare Missam pro populo in loco in quo degit, aut Missam applicare per sacerdotem qui eius vices gerit in paroecia [86]. Si parochus habet indultum binationis, nequit alteram Missam applicare pro populo et alteram pro stipendio accepto, nisi tamen adsit specialis licentia.

4. *Instructio religiosa fidelium.* Quare parochus debet maximam curam adhibere in catholica puerorum institutione [87]. Diebus dominicis ceterisque per annum festis de praecepto debet praedicare verbum Dei. Cui quidem gravi obligationi nequit per alium *habitualiter* satisfacere, nisi ob iustam causam ab Ordinario probatam [88]. Auctores docent, parochum peccare graviter, si ex negligentia *tribus mensibus* unius anni neque per se neque per alios idoneos praedicaverit [89]. Parochus debet errantes suas oves prudenter corrigere; debet invigilare scholis, in quantum hoc est possibile; debet curare, ut saltem decimo quoque anno missiones ad populum habeantur [90].

5. *Administratio sacramentorum.* Parochus tenetur ex gravi obligatione iustitiae administrare sacramenta, quoties ea rationabiliter petuntur. Immo etiam cum periculo propriae vitae debet ea administrare illi, qui secus in periculo salutis versatur; ideoque e. gr. propter morbum graviter contagiosum aut aëris intemperiem nequit licite recusare necessaria sacramenta peccatori moribundo. Quantum ad singula sacramenta:

Quoad *Baptismum* parochus debet curare, a) ut infantes quam primum baptizentur, et de hac obligatione fideles monere; b) ut fideles, praesertim obstetrices et medici, addiscant rectum baptizandi modum; c) ut baptizandis christianum nomen imponatur [91].

[80] Cf. S. C. C. d. 28 Dec. 1919 (Acta Ap. Sed. XII 42).
[81] c. 339, § 2. [82] Ib. § 3. [83] c. 466, § 1. [84] Ib. § 2.
[85] Ib. § 3. [86] Ib. § 5. [87] c. 467, § 1; c. 1329 sqq. [88] c. 1344.
[89] Cf. *Ferraris,* Prompta Bibl. s. v. Parochus a. 2, n. 71.
[90] c. 1349. [91] c. 743 761 770.

Quoad *Confirmationem* parochus debet curare, ut fideles opportuno tempore ad eam accedant[92].

Quoad *Eucharistiam* parochus debet curare, ut nec pueri indispositi ad eam accedant, nec dispositi ab ea abstineant; ut fideles frequenter, immo et cotidie, ad eam accedant[93]; ut observentur leges liturgicae de asservatione Eucharistiae, de celebratione Missae etc.

Quoad *Poenitentiam* parochus debet praesto esse fidelibus, volentibus peccata confiteri, quoties ii audiri rationabiliter petunt[94], et libenter utatur opera religiosorum confessariorum[95].

Quoad *Extremam Unctionem* parochus curare debet, ne fideles sine ea decedant[96], ut olea sacra ab Ordinario petantur et diligenter asserventur[97].

Quoad *Ordinem* parochus debet rite facere praescriptas publicationes, transmittere litteras testimoniales de moribus ordinandi[98].

Quoad *Matrimonium* debet facere examen sponsorum, publicare banna et generatim bene praeparare sponsos ad hoc sacramentum digne suscipiendum[99].

6. *Cura infirmorum et pauperum.* Sedula cura et effusa caritate debet parochus aegrotos in sua paroecia, maxime vero morti proximos, adiuvare, eos sollicite sacramentis reficiendo eorumque animas Deo commendando[100], benedictionem apostolicam cum indulgentia plenaria in articulo mortis concedendo[101]. Pariter debet parochus pauperes et miseros paterna caritate complecti, sicuti fecit ipse Christus, bonus pastor.

7. *Conservatio librorum paroecialium et archivi paroecialis.* Ex iure communi vigentis disciplinae a parocho quinque libri paroeciales[102] habendi et tenendi sunt:

a) *liber baptizatorum*, in quo adnotentur α) nomina baptizatorum (mentione facta de ministro, parentibus ac patrinis, de loco ac die collati baptismi)[103], β) Confirmatio postea suscepta, matrimonium initum, subdiaconatus susceptus, professio religiosa sollemnis emissa[104].

b) *liber confirmatorum*, in quo adnotentur nomina ministri, confirmatorum, parentum ac patrinorum, dies et locus Confirmationis[105].

c) *liber matrimoniorum*, in quo adnotentur nomina coniugum ac testium, locus et dies matrimonii celebrati[106].

d) *liber defunctorum*, in quo scribantur nomen et aetas defuncti, nomen parentum vel coniugis, tempus mortis, quis et quae sacramenta ministraverit, locus et tempus tumulationis[107].

e) *liber de statu animarum.* In Codice iur. can. non accurate quidem determinatur, quid sit scribendum in isto libro, sed, ut iam ipsa inscriptio innuit, ibi adnotandum esse videtur, quidquid respicit statum spiritualem paroeciae, e. gr. confraternitates exsistentes, frequentia communionum, exercitia spiritualia, nativitates illegitimae etc. Cf. Rit. rom. Tit. XII, c. 6.

---

[92] c. 787. [93] c. 854 863. [94] c. 892, § 1. [95] c. 608, § 2.
[96] c. 468 514 939. [97] c. 735 946. [98] c. 998 1000. [99] c. 1019 sqq. 1101.
[100] c. 468, § 1. [101] Ib. § 2. [102] c. 470. [103] c. 777.
[104] c. 470, § 2. [105] c. 798. [106] c. 1103. [107] c. 1238.

Praeter istos libros parochus tenetur habere inventarium rerum, bonorum et redituum ecclesiae; item librum, in quo scriptae sunt fundationes forte in paroecia exsistentes; item librum administrationis bonorum beneficii. Quamvis parochus ex iusta causa possit istos libros conscribere per alios fide dignos, tamen experientia comprobatum est non parvos abusus irrepere, si parochus non attentam supervisionem exerceat. In fine cuiuslibet anni parochus authenticum exemplar (vulgo: Kopie) librorum paroecialium ad curiam episcopalem transmittat, excepto libro de statu animarum[108]. Omnes autem isti libri custodiantur in archivo paroeciali, in quo item conserventur epistulae ab episcopo receptae aliaque documenta necessitatis vel utilitatis causa servanda[109]. Ceterum in compluribus dioecesibus exsistunt salutaria statuta particularia de custodia archivorum.

8. **Poenae.** Parochum, qui officia supra enumerata graviter neglexerit aut violaverit, episcopus moneat eique in memoriam revocet et strictam obligationem, qua eius conscientia oneratur, et poenas in haec delicta iure statutas[110]. Quodsi hac monitione percepta parochus sese non emendaverit, episcopus eum corripiat et aliqua congrua poena pro gravitate culpae puniat. Debet tamen episcopus prius audire duos examinatores synodales (prosynodales) et facere parocho facultatem sese defendendi[111]. Si et correptio et punitio in irritum cesserint, ita ut parochus pergat graviter et per notabile tempus negligere officia paroecialia, episcopus potest parochum amovibilem *statim* sua paroecia privare; parochum vero inamovibilem beneficii fructibus privet pro gravitate culpae vel in totum vel ex parte atque istos fructus distribuat pauperibus[112]. Mala autem voluntate persistente ac probata, Ordinarius etiam parochum inamovibilem e sua paroecia removeat[113].

Q. 158. *Quomodo parochi transferantur?*

R. 1. Quamvis tituli de translatione et amotione parochorum in Codice iuris canonici habeantur in quarto libro[114], tamen claritatis causa de hac materia hic agimus. Supra enim egimus de institutione parochorum; ergo videtur esse consentaneum, ut in hoc capite agamus quoque de eorum translatione et amotione. Codex iur. can. potius in quarto libro, ubi agitur de processibus ecclesiasticis, tractat de hac materia, quia revera aliquis processus aliquando requiritur in translatione vel amotione parochorum. In hac quaestione tractabimus de translatione, in sequenti autem de amotione parochorum.

2. Translatio parochi, ut iam nomen indicat, habetur, si parochus a paroecia prius habita transfertur in aliam.

3. Translatio haec potest fieri, aut petente vel saltem consentiente parocho, aut ipso invito. Episcopus non valet, nisi habet speciales facultates a S. Sede, invitum parochum *inamovibilem* transferre ad aliam paroeciam[115]. Ratio est obvia; nam si parochus inamovibilis utiliter regit suam paroeciam, habet strictum ius ibi permanendi; secus iam non esset inamovibilis. — Translatio fiat necesse est ob bonum animarum. Accidere enim potest, ut parochus in alia paroecia efficacius

---

[108] c. 470, § 3. [109] Ib. § 4. [110] c. 2182. [111] c. 2183.
[112] c. 2184. [113] c. 2185. [114] Tit. 27—29. [115] c. 2163, § 1.

procurare valeat bonum animarum; e. gr. parochus optimis dotibus mentis et corporis praeditus hucusque in parva paroecia laborans potest magis laborare pro bono animarum in magna paroecia; econtra parochus debilis melius laborare potest in parva quam in magna paroecia. Si parochus petit translationem vel saltem in eam consentit, Ordinarius loci eum libere transferre potest, dummodo bono animarum consulatur. Parochus *amovibilis* etiam invitus potest transferri, a) si paroecia, ad quam transfertur, non est ordinis nimis inferioris [116]; b) si observentur sequentia statuta: α) Ordinarius debet prius suadere translationem; quodsi parochus his suasionibus non obsequitur, debet *in scriptis* rationes suae recusationis Ordinario offerre [117]. β) Ordinarius; si, non obstantibus allatis causis, iudicet, parochum amovibilem esse transferendum, debet, *ut valide agat*, super iisdem causis audire duos parochos consultores et cum iisdem expendere adiuncta, in quibus versatur cum paroecia a qua tum paroecia ad quam, et rationes, quae translationis utilitatem aut necessitatem suadent [118]. Non igitur consensus requiritur, sed solum *consilium* duorum parochorum consultorum; attamen in praxi Ordinarius non facile contra istud consilium procedat. γ) Si, auditis parochis consultoribus (praesertim consentientibus), Ordinarius translationem peragendam censet, paternas exhortationes iteret, ut parochus amovibilis voluntati sui superioris morem gerat [119]. Quodsi parochus amovibilis nihilominus non consentit in sui translationem, Ordinarius potest praecipere ei, ut intra certum tempus ad novam se conferat paroeciam, eidem *in scriptis* significans, elapso praefinito tempore, paroeciam, quam in praesens obtinet, ipso facto vacaturam esse. Quo tempore inutiliter transacto, paroeciam vacantem declaret et novum parochum eo mittat [120]. — Per se fere patet, *omnem* parochum *sponte* debere semper obtemperare suo episcopo rationabiliter desideranti eius translationem [121]. Oboedientia enim promissa in susceptione subdiaconatus non est merus flatus vocis.

In translatione parochorum non requiritur concursus neque examen, ut iam supra q. 155 dictum est.

Q. 159. *Quomodo parochi amoveantur?*

R. 1. Amotio in hoc differt a translatione, quod imprimis respicit *utilitatem paroeciae, in qua parochus residet*, neque parochus amotus ius habet ad aliam paroeciam obtinendam. Distinguenda est autem amotio parochi inamovibilis et amovibilis.

2. **Parochus inamovibilis** a sua paroecia amoveri potest ob causam, quae ipsius ministerium, etiam citra gravem suam culpam, noxium aut saltem inefficax reddit [122]. Quae quidem causa potest esse multiplex, praesertim autem a) imperitia vel permanens infirmitas mentis aut corporis, quae parochum suis muneribus rite obeundis imparem reddit. Ita saltem, si, iudicio Ordinarii, per vicarium adiutorem bono animarum

[116] c. 2163, § 2. [117] c. 2164. [118] c. 2165. [119] c. 2166.
[120] c. 2167. [121] Cf. c. 128. [122] c. 2147, § 1.

provideri nequit [123]. b) odium plebis, quamvis iniustum et non universale, dummodo tale sit, quod utile parochi ministerium impediat nec brevi cessaturum praevideatur [124]. Attamen in isto casu, si nempe odium plebis est iniustum, iustitia prorsus exigit, ut parochus ex amotione nullum damnum patiatur. c) bonae existimationis amissio penes probos et graves viros, sive haec oriatur ex levi vivendi ratione parochi (e. gr. ex ebrietate, ex gravi uti dicunt partialitate etc.) sive ex antiquo eius crimine, quod nuper detectum eximatur iam poena ob praescriptionem, sive ex facto familiarium et consanguineorum quibuscum parochus vivit, nisi per eorum discessum bonae parochi famae sit satis provisum [125]. d) probabile crimen occultum parocho imputatum, ex quo Ordinarius prudenter praevidet, magnam in posterum oriri posse fidelium offensionem [126]. e) mala rerum temporalium administratio cum gravi ecclesiae aut beneficii damno, quoties huic malo remedium afferri nequeat, sive auferendo administrationem parocho, sive alio modo, quamvis aliunde parochus spirituale ministerium utiliter exerceat [127]. — Quinque enumeratae causae amotionis sunt quidem praecipuae, sed non solae, seu taxative enumeratae. Quare etiam Decretum „Maxima cura" Pii X novem causas enumerat.

3. Quoties, prudenti Ordinarii iudicio, in unam ex indicatis causis parochus incidisse videtur, ipsemet Ordinarius, auditis duobus examinatoribus synodalibus (prosynodalibus) et veritate gravitateque causae cum iis discussa, parochum scripto vel oretenus ad paroeciae renuntiationem intra certum tempus faciendam invitet. Si tamen agatur de parocho vitio mentis laborante, i. e. amente vel demente, talis invitatio non est necessaria, utpote inutilis [128]. Invitatio continere debet causam, quae Ordinarium movet, et argumenta, quibus ipsa nititur, secus est invalida et insuper tota amotio forte secutura erit invalida. Quare Ordinarius nullo modo ex sic dicta „informata conscientia" parochum amovere potest, sed debet illi aperte manifestare et amotionis causam et causae argumenta. Valde prudenter monuit Decretum „Maxima cura" supra citatum c. 11: „In communicandis argumentis, quibus comprobatur veritas causae ad renuntiationem obtinendam adductae, caveatur, ne nomina patefiant recurrentium vel testium, si ii secretum petierint, aut, etiamsi secretum non petierint, si ex adiunctis praevideatur, eos vexationibus facile expositum iri. Item relationes ac documenta, quae sine periculo magnae populi offensionis, rixarum vel querelarum palam proferri non possunt, scripto ne patefiant; immo ne

[123] c. 2147, § 2, n. 1. [124] Ib. n. 2. [125] c. 2147, § 1, n. 3.
[126] Ib. n. 4. Verbum probabile aliquam difficultatem facessit. Mihi videtur illud esse sumendum in sensu veterum auctorum: probabile id est, quod probari potest; non autem in sensu modernorum: probabile est illud, quod est incertum. Quare sensus citati canonis videtur esse intelligendus prorsus eodem modo ac can. 1 n. 6 Decreti „Maxima cura" d. 20 Aug. 1910: „Crimen, quod, quamvis actu occultum, mox publicum cum magna populi offensione fieri posse prudenti Ordinarii iudicio praevideatur."
[127] c. 2147, § 1, n. 5. [128] c. 2148, § 1.

verbis quidem, nisi caute omnino, ne memorata incommoda eveniant." Per se patet, tempus certum, intra quod parochus debeat renuntiare paroeciae vel defensionem sui exhibere, oportere non esse nimis breve, e. gr. non esse brevius decem diebus.

4. Si parochus intra praestitutos dies neque renuntiat neque dilationem postulat neque causas ad amotionem adductas oppugnat, Ordinarius, postquam constiterit, et invitationem ad renuntiandum rite factam parocho innotuisse, et ipsum, quominus responderet, legitime impeditum non fuisse, eum statim a paroecia amoveat[129]. Et revera parochus, qui tam graviter spernit auctoritatem episcopi, nullam misericordiam meretur. Sin vero non constat de modo indicatis duobus adiunctis (sc. de notitia invitationis ad renuntiandum et de absentia impedimenti respondendi), Ordinarius opportune provideat, aut iterando invitationem ad renuntiandum aut prorogando tempus utile ad respondendum[130]. Si parochus non comparet vel si impedit, quominus monitio ad ipsum perveniat, tunc habetur pro monito[131].

5. Si parochus paroeciae renuntiat, Ordinarius paroeciam ex renuntiatione (et non ex alia causa) vacantem declaret[132]. Potest vero parochus, loco causae ab Ordinario inductae, aliam ad renuntiandum afferre sibi minus molestam vel minus gravem, dummodo vera et honesta sit[133]. Potest e. gr. dicere, se renuntiare paroeciae, quia Ordinarius id desiderat, vel quia eius vires iam non pares sunt in regenda efficaciter hac paroecia etc. In praxi praestat, ut pulveres nimii non excitentur.

6. Si parochus oppugnare vult causam in invitatione adductam, potest dilationem ad probationes afferendas postulare, quam Ordinarius pro suo prudenti iudicio concedere potest, dummodo ne sit cessura in detrimentum animarum[134].

7. Rationes a parocho contra invitationem renuntiandi adductas Ordinarius, *ut valide agat*, auditis iisdem examinatoribus, perpendat, approbet aut reiciat; et haec decisio (sive affirmativa sive negativa) parocho significetur decreto[135].

8. Contra decretum amotionis potest parochus intra decem dies recursum interponere apud eundem Ordinarium, qui, *ne invalide agat*, debet, auditis duobus parochis consultoribus (ergo iam auditis examinatoribus supra indicatis), has novas allegationes ab eodem parocho intra decem dies ab interposito recursu producendas simul cum rationibus primo allatis examinare et tunc aut approbare aut reicere, et hanc decisionem novo decreto parocho notificare[136]. Contra hoc secundum decretum amotionis definitivum parochus potest infra decem dies recurrere ad S. Congregationem Concilii[137]. Optime animadvertit Decretum „Maxima cura": „Ad renuntiationem et amotionem impediendam nefas parocho est, turbas ciere, publicas subscriptiones in sui favorem promovere, populum sermonibus aut scriptis excitare aliaque agere, quae legitimum iurisdictionis ecclesiasticae exercitium impedire possunt; secus iuxta prudens Ordinarii iudicium pro gravitate culpae puniatur", „non exclusa, si res ferat, suspensione"[138].

[129] c. 2149, § 1. [130] Ib. § 2.
[131] Pontif. Com. d. 24 Nov. 1920 (Acta Ap. Sed. XII 577).
[132] c. 2150, § 1. [133] Ib. § 2. [134] c. 2151.
[135] c. 2152. [136] c. 2153, § 1 et 3.
[137] S. C. C. d. 14 Ian. 1924 (Acta Ap. Sed. XVI 165).

9. Amoto parocho Ordinarius (examinatoribus vel parochis consultoribus, qui partem habuerunt in amotione decernenda, in consilium adscitis) pro viribus consulat, sive translatione ad aliam paroeciam vel assignatione alius officii aut beneficii (si ad haec idoneus est), sive pensione vitalitia[139], prout casus ferat et adiuncta permittant. Ceteris paribus, in provisione magis favendum est renuntianti quam amoto[140]. Negotium autem talis provisionis potest Ordinarius sive in ipso amotionis decreto sive postea, *quamprimum tamen*, expedire[141].

10. Sacerdos a paroecia amotus debet quamprimum liberam relinquere paroecialem domum atque omnia, quae ad paroeciam pertinent, novo parocho vel oeconomo ab Ordinario interim deputato tradere. Si tamen de infirmo parocho agatur, qui e paroeciali domo sine incommodo nequit alio transferri, Ordinarius eidem relinquat domus paroecialis usum etiam exclusivum, eadem necessitate perdurante[142]. Interim autem novus paroeciae rector aliquam temporariam habitationem in paroecia sibi procurare debet.

Nota. 1. Ex supradictis patet, Ordinarium in amotione parochi etiam inamovibilis numquam egere *consensu*, sed tantum consilio examinatorum synodalium (prosynodalium) vel parochorum consultorum ideoque Decretum „Maxima cura" in hac re esse abrogatum.

2. Si parochus, uti dicitur, in ius rapitur, ut reus criminis, pendente criminali iudicio (sive coram ecclesiastica sive coram civili potestate) locus non datur administrativae illius amotioni, sed exspectandus est iudicii exitus. Interim tamen, ut per se patet, si agitur de crimine infamante, Ordinarius parochum prohibere potest, ne curam animarum gerat[143].

11. **Parochus amovibilis** facilius a paroecia amoveri potest, quam parochus inamovibilis. Requiruntur quidem eaedem causae, quae supra n. 2 allatae sunt, sed Ordinarius non tenetur audire duos examinatores synodales vel prosynodales, antequam parochum invitat ad renuntiandum paroeciae. Si parochus renuit renuntiare, Ordinarius debet, *ut valide procedat*, una cum duobus examinatoribus perpendere rationes scriptas, quas parochus contra suam amotionem attulit[144]. Sin autem allatas rationes legitimas non iudicaverit, paternas iteret hortationes ad parochum, comminata amotione, si intra congruum definitum tempus paroeciam sponte non dimittat[145]. Quo tempore expleto, quod pro sua prudentia prorogare potest, Ordinarius decretum amotionis emittat,

[138] c. 2337, § 1.
[139] Cf. S. C. C. d. 11 Nov. 1922 (Acta Ap. Sed. XV 456).
[140] c. 2154. [141] c. 2155. [142] c. 2160.
[143] Cf. c. 1956. [144] c. 2161, § 1. [145] c. 2156.

quin alius recursus admittatur [146]. Parocho autem amovibili sic amoto providere debet, sicut supra dictum est de parocho inamovibili amoto [147].

Quomodo parochi amoveri possint, quando negligunt residentiae legem, dictum est supra q. 157, n. 2.

CAPUT X.

De vicariis paroecialibus.

Q. 160. *Quotuplicis generis distinguantur vicarii paroeciales?*

R. Novus Codex iur. can. distinguit vicarios paroeciales quintuplicis generis, sc.: 1. vicarios actuales in paroeciis incorporatis; 2. vicarios oeconomos; 3. vicarios substitutos; 4. vicarios adiutores; 5. vicarios cooperatores.

Q. 161. *Quid notandum sit de vicario actuali?*

R. 1. Vicarius actualis est „curatus", qui actualem curam animarum gerit in paroecia, quae pleno iure incorporata est domui religiosae, vel ecclesiae capitulari vel alii personae morali. Talem vicarium praesentat superior religiosus, Capitulum vel alia persona moralis; loci autem Ordinarius eundem, si idoneum repperérit, instituit. Aliquando tamen ex privilegio vel ex legitima consuetudine vel ex dotatione facta episcopus libere nominat tales vicarios actuales [1].

2. Ad vicarium actualem *exclusive* pertinet tota animarum cura cum omnibus parochorum iuribus et obligationibus ad normam iuris communis et secundum probata statuta dioecesana vel laudabiles consuetudines. Proinde e. gr. debet applicare Missam pro populo, sicuti alii veri parochi [2]. Ab episcopo ei assignatur congrua fructuum portio.

3. Vicarius, si est religiosus, est amovibilis aequo iure cum ab Ordinario loci tum a superiore religioso [3]. Sin autem est sacerdos saecularis, est quidem perpetuus ex parte *praesentantis*, sed ab Ordinario loci potest ad instar parochorum removeri, monito eo, qui praesentavit [4]. Hinc e. gr. si paroecia est incorporata alicui Capitulo, vicarius actualis ab eo praesentatus et ab episcopo institutus iam nequit revocari a Capitulo.

Q. 162. *Quid sit notandum de vicario oeconomo?*

R. 1. Vicarius oeconomus [5] dicitur ille, qui regit paroeciam vacantem solo tempore vacationis, usquedum novus parochus sit institutus. Talis vicarius instituitur ab Ordinario loci, et si est sacerdos religiosus, de consensu quoque superioris religiosi. Quodsi inopinate paroecia vacat, e. gr. per mortem subitaneam parochi, antequam vicarius oeconomus sit expresse institutus ab Ordinario loci, paroeciae regimen assumit interim vicarius cooperator (de quo infra q. 165); si plures vicarii cooperatores sunt in paroecia, primus; sin autem omnes sunt aequales,

[146] c. 2159. [147] Ib. § 2. [1] c. 471, § 1 et 2. [2] Ib. § 4. [3] Ib. § 3 et c. 454, § 5. [4] c. 471, § 3. [5] Pfarrverweser.

munere antiquior; si vicarii desunt, parochus vicinior; si tandem agitur de paroecia religiosis concredita, superior domus religiosae. Loci autem Ordinarius in synodo dioecesana vel extra synodum tempestive determinet, quaenam paroecia cuique paroeciae vicinior habenda sit [6]. Qui autem hoc modo paroeciae regimen assumpsit, debet loci Ordinarium de paroeciae vacatione statim certiorem facere. Ceterum hodie in nostris regionibus ope telegraphi vel telephonii Ordinarius loci valde cito certior fieri potest de vacatione paroeciae.

2. Vicarius oeconomus iisdem iuribus gaudet iisdemque officiis adstringitur sicut parochus in iis, quae animarum curam spectant (non autem in omnibus aliis materiis); nihil tamen ipsi in paroecia agere licet, quod praeiudicium afferre possit iuribus parochi aut beneficii paroecialis [7]. Oeconomus debet Missam applicare pro populo sicut parochus [8]; potest concedere alii sacerdoti facultatem assistendi matrimonio, sicuti verus parochus hoc potest; recipiat partem fructuum beneficii pro congrua sustentatione, sed non habet ius ad omnes beneficii fructus; novo parocho vel oeconomo successori coram *vicario foraneo* vel alio sacerdote ab Ordinario delegato tradat clavem archivi et inventarium librorum ac documentorum aliarumque rerum, quae ad paroeciam pertinent, et rationem reddat accepti et expensi tempore administrationis [9]. Prudenter agit oeconomus ad sibi evitanda incommoda, si, simulac incipit suum officium transitorium, coram teste facit summarium administrationis paroecialis, ita ut possit postea probare se suscepisse administrationem in tali statu.

Q. 163. *Quid notandum sit de vicario substituto?*

R. 1. Vicarius paroecialis substitutus solet ad breve tempus institui, a) quando parochus absens est a paroecia; b) quando parochus per iudicialem sententiam privatur beneficio (pendente recursu).

2. Vicarius substitutus locum parochi tenet in omnibus quae ad curam animarum spectant, nisi Ordinarius loci vel parochus aliquid exceperint [10].

3. Vicarius substitutus debet approbari ab Ordinario loci et, si est religiosus, etiam a superiore religioso [11]. Ante hanc approbationem Ordinarii iste vicarius nequit valide gerere munera paroecialia, ut iam supra q. 157 dictum est.

Q. 164. *Quid notandum sit de vicario adiutore?*

R. 1. Vicarius paroecialis adiutor est sacerdos, qui ab Ordinario loci datur parocho ob senectutem, mentis vitium, imperitiam, caecitatem aliamve *permanentem* causam suis muniis rite obeundis impari. Talis vicarius libere nominatur ab Ordinario loci; si tamen agitur de paroecia religiosis concredita, praesentatur a superiore religioso [12].

[6] c. 472. [7] c. 473, § 1.
[8] Proinde debet unam tantum Missam applicare, si plures paroecias regit. Ita Pontif. Com. d. 14 Iul. 1922 (Acta Ap. Sed. XIV 528).
[9] c. 473, § 2. [10] c. 474. [11] c. 465, §§ 4 5. [12] c. 475, § 1.

2. In litteris deputationis assignantur officia, quae talis vicarius in paroecia debet implere, sicuti etiam portio fructuum, quam debet percipere. Missae applicatio pro populo gravat parochum et non vicarium[13]. Proinde si parochus nequit hanc Missam applicare, debet alteri sacerdoti dare stipendium, ut iste applicet. Cum salus animarum sit suprema lex, si per vicarium adiutorem nequit sufficienter provideri saluti animarum, parochus est amovendus et novus parochus instituendus.

Q. 165. *Quid notandum sit de vicario cooperatore?*

R. 1. Vicarius cooperator est sacerdos ab Ordinario loci nominatus (audito parocho) ad adiuvandum parochum, qui solus propter populi multitudinem aliasve causas nequit (ita iudicante Ordinario) convenientem curam gerere paroeciae[14]. Si plures vicarii cooperatores sunt necessarii, plures nominentur. In paroeciis domui religiosae concreditis vicarios cooperatores religiosos superior (cui id ex constitutionibus competit), audito parocho, praesentat Ordinario, cuius est eosdem approbare[15]. Mutatum est igitur ius tridentinum[16] statuens, facultatem sibi adsciscendi cooperatores pertinere ad parochum.

2. Vicarius cooperator obligatione tenetur in paroecia residendi secundum statuta dioecesana vel laudabiles consuetudines aut episcopi praescriptum; immo aliquando est curandum, ut vicarius cum parocho cohabitet in domo paroeciali[17].

3. Iura et obligationes istius vicarii desumantur ex statutis dioecesanis vel ex litteris Ordinarii vel ex ipsius parochi commissione. Sed, nisi aliud expresse caveatur, ipse debet ratione officii vicem parochi supplere eumque adiuvare in universo paroeciali ministerio, excepta applicatione Missae pro populo[18]. Ergo talis vicarius potest ratione officii sui, si parochus abest, e. gr. valide et licite assistere matrimonio celebrando, si habet ad hoc delegationem generalem. Non autem pollet iurisdictione ordinaria. Quare e. gr. ille non videtur posse audire confessiones paroecianorum extra dioecesim peregrinantium, sicuti potest parochus. Opposita sententia a Bargilliat aliisque proposita non est satis fundata. Vicarius cooperator habet ius ad congruam sustentationem, quae quidem minime habenda est tamquam *pensio* imposita beneficio paroeciali, sed tamquam merum stipendium seu salarium. S. Rota d. 1 Aug. 1911 in causa salisburgensi dixit: Hanc determinationem stipendiorum cooperatorum esse actum iurisdictionis Ordinarii, nemo negare potest[19].

4. Vicarius cooperator subest suo parocho in omnibus, quae pertinent ad ministerium paroeciale. Parochus autem debet eum paterne instruere et dirigere in cura animarum, ei invigilare et saltem quotannis ad Ordinarium de eo referre[20]. Est abusus peccaminosus, si parochus tractat cooperatorem tamquam servum, qui solus portet onus diei et aestus.

---

13 c. 475, § 2. 14 c. 476, § 1 et 3. 15 Ib. § 4. 16 Sess. 21, c. 4 de reform.
17 c. 476, § 5. 18 Ib. § 6. 19 Acta Ap. Sed. III 577. 20 c. 476, § 7.

Nota. Omnes vicarii paroeciales, qui sunt delegati *ad universitatem causarum*, possunt in singulis casibus hanc potestatem subdelegare[21]. Quare e. gr. vicarius cooperator, qui ab episcopo vel a parocho est delegatus ad totum omnino ministerium paroeciale faciendum tamquam cooperator parochi, potest, absente parocho, in casu particulari alium sacerdotem subdelegare ad matrimonio assistendum in paroecia.

Q. 166. *Quomodo vicarii paroeciales possint amoveri?*

R. 1. Vicarii *actuales* seu curati possunt amoveri sicuti parochi amovibiles, monito eo, qui eos praesentavit; si tamen sunt religiosi, sunt amovibiles sicuti parochi religiosi, i. e. ad nutum cum Ordinarii loci, monito superiore, tum superioris, monito Ordinario, idque aequo iure[22].

2. Vicarii paroeciales omnes alii sunt amovibiles ad nutum episcopi aut Vicarii capitularis, non autem Vicarii generalis sine speciali mandato[23]. Nihilominus talis remotio non potest licite fieri nisi ex iusta causa; quare episcopus nequit licite agere mero arbitrio, cum Ecclesia abhorreat a mero arbitrio, et secus vicario sic arbitrarie remoto haud parva incommoda causentur. Si vicarius simul obtinet vicariam beneficialem, e. gr. capellaniam, potest amoveri (processu iuridico) non solum ob causas propter quas parochus amoveri potest, sed etiam, si graviter subiectioni defecit parocho debitae in exercitio suarum functionum[24].

Scholion. De praecedentia vicariorum paroecialium.

1. Vicarius paroecialis capituli cathedralis praecedit omnibus aliis dioecesis vicariis[25].

2. Vicarius oeconomus, cum personam parochi gerat, eundem locum obtinet, ac si esset verus parochus istius paroeciae[26]. Idem valet de vicariis actualibus ob eandem rationem, quare parochus (vel vicarius actualis) ecclesiae cathedralis praecedit omnibus aliis dioecesis parochis.

3. Vicarii substituti et adiutores, durante munere, praecedunt vicariis cooperatoribus[27].

4. Vicarii cooperatores praecedunt aliis sacerdotibus ecclesiae addictis et inter se praecedunt iuxta statuta particularia; quae si desunt, observandae sunt regulae generales de praecedentia clericorum stabilitae[28].

CAPUT XI.

De ecclesiarum rectoribus.

Q. 167. *Quid nomine rectoris ecclesiae intelligatur iuxta vigentem disciplinam?*

R. Nomine rectorum ecclesiarum veniunt sacerdotes, quibus demandatur cura alicuius ecclesiae, quae nec paroecialis est nec capitularis nec stricte religiosa, i. e. adnexa *domui communitatis religiosae*, quae in eadem officia celebrat[29]. Tales rectores sunt e. gr. rectores ecclesiae

---

21 c. 199, § 3. 22 c. 471, § 3. 23 c. 477, § 1. 24 Ib. § 2.
25 c. 478, § 1. 26 Ib. 27 Ib. § 2. 28 c. 106. 29 c. 479, § 1.

vel seminarii vel collegii puerorum vel hospitalis laicalis etc. Capellani autem mulierum religiosarum vel virorum religionis laicalis vel confraternitatis vel alius legitimae associationis specialibus statutis reguntur[30].

Q. 168. *Quomodo rectores ecclesiarum instituantur et amoveantur?*

R. 1. Rectores ecclesiarum libere nominantur ab Ordinario loci. Si tamen aliis competit ius eligendi aut praesentandi talem rectorem, Ordinarii loci est eum approbare. Idem valet, si ecclesia quaedam (non exempta) pertinet ad Religionem exemptam. Tunc enim a superiore religioso nominatur rector, sed ab Ordinario loci debet approbari[31]. Si ecclesia est coniuncta cum seminario aliove collegio, *quod a clericis regitur*, superior seminarii vel collegii est simul ecclesiae rector, nisi tamen Ordinarius loci aliter constituit[32].

2. Rectores ecclesiarum (etsi ab aliis electos aut praesentatos) potest Ordinarius loci ad nutum removere ex iusta causa; quodsi autem talis rector est religiosus, removeri potest sicut parochus vel vicarius paroecialis religiosus, i. e. aequo iure vel ab Ordinario loci vel a superiore religioso[33].

Q. 169. *Quaenam sint iura et obligationes rectorum ecclesiarum?*

R. 1. Rector ecclesiae nequit quidem in sua ecclesia peragere functiones *paroeciales* (nisi ex speciali iure aut licentia), sed potest divina officia etiam sollemnia ibidem celebrare, salvis legitimis fundationis legibus et dummodo ne noceant ministerio paroeciali. In dubio autem, utrum huiusmodi nocumentum contingat necne, Ordinarii loci est (et non alius) rem dirimere atque opportunas normas praescribere ad illud evitandum[34]. Hinc e. gr. episcopus potest prudenter determinare horam Missae aut sermonis; potest quoque, si ecclesia rectoralis ita distat ab ecclesia paroeciali, ut paroeciani non sine gravi incommodo possint in paroeciali ecclesia divinis officiis interesse, sub gravibus poenis rectori praecipere, ut horis populo commodioribus officia celebret, fidelibus festa et ieiunia denuntiet, catecheticam instructionem et evangelii explicationem tradat[35]. Parochus potest ex ecclesia rectorali SS. Sacramentum pro infirmis desumere, ut iam dictum est[36].

Sine rectoris vel alius legitimi superioris licentia saltem praesumpta nemini licet in ecclesia rectorali Missam celebrare, sacramenta ministrare aliasve functiones sacras peragere[37].

2. Obligationes rectoris solent desumi ex statutis particularibus vel ex quaesitis iuribus. Hinc rector debet curare, ut divina officia rite celebrentur, onera fideliter adimpleantur, bona recte administrentur, s. supellectilis atque aedium conservationi et decori prospiciatur, ne quidpiam fiat, quod sanctitati loci quoquo modo repugnet[38].

---

30 c. 479, § 2. 31 c. 480, § 2. 32 Ib. § 3.
33 c. 486. 34 c. 481 et 482. 35 c. 483.
36 Ib. n. 2. 37 c. 484. 38 c. 485.

PARS II.

De religiosis[1].

De natura status religiosi.

Q. 170. *Quid sit status religiosus?*

R. Aliquando sumitur status religiosus (vulgo Ordensstand, religiöse Genossenschaft, état ou ordre religieux) *in latiore sensu* pro aliquo modo stabili religiose et pie vivendi, ordinato secundum determinatam regulam a S. Sede approbatam, quin tamen adsint vota saltem publica, i. e. ab Ecclesia acceptata. Hoc sensu diversi Tertii Ordines saeculares hodie approbati sunt status religiosus[2]. Pariter societates sive virorum sive mulierum in communi viventium sine votis, de quibus infra tit. XVIII sermo erit. Sed status religiosus stricte dictus definiri potest: *„Stabilis vitae conditio a legitima ecclesiastica auctoritate approbata, in qua fideles per tria vota publica paupertatis, castitatis, oboedientiae et certam regulam tendunt ad perfectionem caritatis"*.

Explicatur. Dicitur 1. **stabilis vitae conditio,** quia status religiosus est status vitae stricte sumptus, qui requirit magnam immobilitatem cum obiectivam tum subiectivam. Antiqui theologi non distinxerunt nisi tres status ecclesiasticos, nempe episcoporum, religiosorum, coniugatorum; episcopi enim vinculo perpetuo adstringuntur obsequio suae ecclesiae, religiosi divino cultui, coniugati mutuo obsequio. Ista immobilitas condicionis oportet sit tanta, ut homo (sine legitima dispensatione) deserendo talem statum libere electum peccet contra legem cum divinam tum ecclesiasticam.

Dicitur 2. **a legitima ecclesiastica auctoritate approbata,** quia status religiosus est status ecclesiasticus, qui profecto nequit legitime exsistere sine approbatione Ecclesiae. Antiquis quidem temporibus sufficiebat approbatio episcopalis; et sic complures Religiones, ut S. Antonii, S. Basilii, S. Augustini, non fuerunt directe et explicite approbatae a Romanis Pontificibus. Iuxta vigentem autem disciplinam semper requiritur saltem aliqualis approbatio S. Sedis. Episcopi quidem possunt condere novas Congregationes religiosas, sed „eas ne condant neve condi sinant, inconsulta Sede Apostolica"[3]. Monasteria heterodoxa exsistentia in Russia, in Oriente, in Anglia (Cowley Fathers) etc. non sunt status religiosi utpote carentia ecclesiasticae auctoritatis approbatione.

---

1 Post novum Codicem editum complures libri apparuerunt tractantes de religiosis. Immo specialis publicatio mensilis editur Romae a missionariis Filiorum immaculati cordis B. M. V. sub titulo: „Commentarium pro religiosis". Inter cetera opera iuvat hic allegare: *M. Führich* S. J., De Religiosis, Oeniponte 1919; *L. Fanfani* O. Pr., De iure Religiosorum, ed. 2, Romae 1925; *J. Creusen*, Religieux et Religieuses, Bruxelles 1921; *Ch. Augustine* O. S. B., A Commentary on the new Code of Canon Law, St. Louis 1919; *Santamaria Pena*, Legislación eclesiástica acerca de los Religiosos y Religiosas, Madrid 1920; *Jos. Jansen* O. M. I., Ordensrecht, Paderborn 1920; *M. Brandys* O. F. M., Kichl. Rechtsbuch, Paderborn 1920; *R. Stadtmüller* O. Pr., Das neue Ordensrecht, Dülmen 1919.

2 Cf. *Leo XIII*, Const. „Misericors Dei Filius" d. 23 Iun. 1883.

3 c. 492, § 1.

Iuxta vigentem disciplinam Curia Romana non solet approbare nova instituta religiosa cum votis *sollemnibus*. Instituta vero votorum simplicium gradatim approbantur ita, ut concedatur decretum a) laudis, b) approbationis instituti, c) approbationis constitutionum ad experimentum, d) approbationis definitivae[4].

Dicitur 3. **in qua fideles per tria vota publica paupertatis, castitatis, oboedientiae.** Tria enim ista vota sunt essentialia pro statu religioso. Quare scite explicat Angelicus Doctor[5]: „Status religiosus potest considerari tripliciter: uno modo secundum quod est quoddam exercitium tendendi in perfectionem caritatis; alio modo secundum quod quietat animum humanum ab exterioribus sollicitudinibus secundum illud 1 Cor. 7, 32 ‚Volo vos sine sollicitudine esse'; tertio modo secundum quod est quoddam holocaustum, per quod aliquis totaliter se et sua offert Deo. Et secundum hoc ex his tribus votis integratur status religiosus. — Primo enim, quantum ad exercitium perfectionis, requiritur, quod aliquis a se removeat illa, per quae posset impediri, ne totaliter eius affectus tendat in Deum, in quo consistit perfectio caritatis. Huiusmodi autem sunt tria: primum quidem cupiditas exteriorum bonorum, quae tollitur per votum paupertatis; secundum concupiscentia sensibilium delectationum, inter quas praecellunt delectationes venereae, quae excluduntur per votum continentiae; tertium inordinatio voluntatis humanae, quae excluditur per votum oboedientiae. Similiter autem sollicitudinis saecularis inquietudo praecipue ingeritur homini circa tria: primo circa dispensationem exteriorum rerum; et haec sollicitudo per votum paupertatis homini aufertur. Secundo circa gubernationem uxoris et filiorum, quae amputatur per votum continentiae. Tertio circa dispositionem propriorum actuum, quae amputatur per votum oboedientiae, quo aliquis se alterius dispositioni committit. — Similiter etiam holocaustum est, cum aliquis totum, quod habet, offert Deo.... Habet autem homo triplex bonum... primo quidem exteriorum rerum; quas quidem totaliter aliquis Deo offert per votum voluntariae paupertatis. Secundo autem bonum proprii corporis; quod aliquis praecipue Deo offert per votum continentiae, quo renuntiat maximis delectationibus corporis. Tertium autem bonum est animae; quod aliquis totaliter Deo offert per oboedientiam, qua aliquis offert Deo propriam voluntatem, per quam homo utitur omnibus potentiis et habitibus animae. Et ideo convenienter *ex tribus votis status religiosus integratur.*" — Requiritur, ut ista vota sint publica, non sufficiunt privata. Quare si in aliquo instituto haec vota solummodo privatim emittuntur, non autem nomine Ecclesiae a legitimo superiore ecclesiastico acceptantur, tale institutum non est religio proprie dicta, neque eius membra sunt religiosi proprie dicti[6].

Nota. In nonnullis quidem Ordinibus et Congregationibus religiosis praeter haec tria essentialia vota emittuntur alia, e. gr. de infirmis curandis, de iuventute educanda, de dignitatibus non ambiendis, de stabilitate loci observanda etc., at haec vota sunt accidentalia et fere includuntur in voto oboedientiae; in novis autem institutis talia vota iam non admittuntur[7].

---

[4] Cf. Normas, secundum quas S. Congregatio procedere solet in approbandis novis institutis votorum simplicium n. 2 5 20—23. Has Normas confirmavit et novo Codici accommodavit Benedictus XV d. 6 Mart. 1921 (Acta Ap. Sed. XIII 312 sqq).

[5] S. th. 2, 2, q. 186, a. 7. [6] c. 673, § 1.

[7] Normae n. 102.

Dicitur 4. **et certam regulam.** Quamvis per se loquendo sufficiat ad statum religiosum observantia praeceptorum communium et trium votorum, tamen Ecclesia nunc non solet approbare aliquam religionem absque determinata regula, quae quidem non solum servit ad melius observanda praecepta omnibus fidelibus communia votaque religioni essentialia, sed etiam distinguit diversas religiones inter se.

Dicitur 5. **tendunt ad perfectionem caritatis.** Status enim religionis est status perfectionis christianae, quae quidem consistit in perfectione caritatis. Perfectio enim cuiuslibet entis consistit in arcta coniunctione cum suo debito fine. Per caritatem autem homo arctissime coniungitur cum Deo, qui est finis hominis. Quare eo perfectior est homo, quo maiorem habet caritatem[8]. Notandum tamen est, etiam perfectissimam caritatem nondum constituere hominem in statu religioso neque in *statu* perfectionis. Ad statum enim ecclesiasticum perfectionis requiritur talis stabilis vivendi modus, qui a) ex ipsa sua indole inducit hominem ad perfectionem; b) subministrat optima media ad perfectionem obtinendam, seu, ut S. Thomas dicit[9]: „In statu perfectionis proprie dicitur esse aliquis non ex hoc, quod habet actum dilectionis perfectae, sed ex hoc quod obligat se perpetuo cum aliqua sollemnitate ad ea, quae sunt perfectionis.... Et ideo nihil prohibet, aliquos esse perfectos, qui non sunt in statu perfectionis; et aliquos esse in statu perfectionis, qui non sunt perfecti." Potest enim homo in saeculo vivens sine iis mediis, quae status religiosus tam abundanter subministrat, maximam perfectionem et sanctitatem assequi; et contra religiosus in statu suo valde imperfecte vivere. Status religiosus vocatur a S. Thoma „disciplina vel exercitium ad perfectionem perveniendi"[10]. Potest quoque vocari *schola perfectionis.* Vota igitur et totus status religiosus non sunt ipsa perfectio christiana, sed sunt aptissima media perveniendi ad eam[11]. Ex quibus manifeste elucet, quam false et calumniose *Ritschl, Harnack*[12] aliique Protestantes imputent Catholicis, quasi isti crederent, statum religiosum esse ipsam perfectionem christianam[13].

Post *S. Thomam*[14] solent auctores distinguere statum perfectionis *acquirendae* a statu perfectionis acquisitae et exercendae. Prior est status religiosus, posterior est episcopatus. Scite dicit *S. Thomas*[15]: „Talis est differentia inter perfectionem religiosorum et Praelatorum (episcoporum), qualis inter discipulum et magistrum. Unde discipulo dicitur: Si vis addiscere, intra scholas, ut addiscas; magistro dicitur: lege et perfice." Tenetur igitur religiosus vi sui status et quidem sub gravi culpa *tendere* ad perfectionem, non autem debet iam esse perfectus. Episcopus autem vi sui status est pastor animarum, quas ducere debet ad perfectionem christianam. Quod quidem non valet (saltem convenienter), nisi ipse hanc eandem perfectionem iam acquisivit[16].

---

[8] *S. Thom.*, S. th. 2, 2, q. 184, a. 1.

[9] Ib. a. 4. [10] S. th. 2, 2, q. 186, a. 6.

[11] Cf. *S. Thom.*, S. th. 2, 2, q. 184, a. 3 ad 1; 1, 2, q. 108, a. 4; 2, 2, q. 188, a. 7; 2, 2, q. 186, a. 1 ad 3. Opusc. contra retrah. a. Relig. ingr. c. 8.

[12] Das Mönchtum, seine Ideale und seine Geschichte (Gießen 1901).

[13] Videsis optimam refutationem huius calumniae apud *Denifle*, Luther und Luthertum I, § 8.

[14] L. c. [15] Com. in Mt c. 19.

[16] Cf. *Passerinus*, De hom. stat. q. 184, a. 4, n. 9 sq.

Q. 171. *Utrum ad substantiam status religiosi requiratur vita communis?*

R. Sunt qui affirment ideoque in definitione status religiosi adiungant „stabilis in communi vivendi modus". Codex iur. can.[17] dicit: „Status religiosus seu stabilis in communi vivendi modus, quo fideles, praeter communia praecepta, evangelica quoque consilia servanda per vota oboedientiae, castitatis et paupertatis suscipiunt, ab omnibus in honore habendus est." Et revera Ecclesia quam maxime desiderat vitam perfecte communem in omnibus religionibus, ita ut iuxta vigentem disciplinam non soleat approbare novam congregationem religiosam, nisi in ea perfecta vita communis et coenobitica observetur. Attamen cum veteres eremitae veri religiosi videantur fuisse, cumque religiosi elevati ad episcopatum aliique religiosi extra communitatem religiosam cum debita licentia viventes (religiosi exclaustrati) remaneant in statu religioso, vita communis seu coenobitica non pertinet ad ipsam essentiam status religiosi.

Q. 172. *Quomodo distinguantur vota, quae ad essentiam status religiosi pertinent?*

R. Vota religiosa essentialia sunt aut sollemnia aut simplicia. Sollemnia ea sunt, quae ut talia ab Ecclesia agnoscuntur; secus habentur simplicia[18]. Ratione *voti* non videtur esse *essentialis* distinctio inter religiosa vota simplicia et sollemnia. Etenim utrumque votum est publica promissio paupertatis, castitatis, oboedientiae in obsequium Dei facta. Quare transgressio voti sollemnis accidentaliter quidem, sed non essentialiter differt a transgressione voti simplicis, seu, ut Caietanus[19] dicit, differt solummodo secundum magis et minus[20]. Ratione autem *effectuum* (praesertim iuridicorum) est essentialis distinctio inter votum simplex et sollemne. Votum enim sollemne dirimit matrimonium subsequens, immo et matrimonium antecedens ratum (non consummatum); quod quidem non efficit votum simplex, ut accuratius docetur in tractatu de matrimonio.

Mirum est, quanta varietate opinionum et quanta verborum copia sit certatum circa quaestionem, in quo praecise consistat sollemnitas votorum. Distinguenda est sollemnitas accidentalis et essentialis. *Accidentalis* sollemnitas voti sunt conditiones et qualitates requisitae ex iure positivo, ut quis possit emittere votum sollemne, e. gr. aetas, religio determinata, novitiatus, superior legitimus etc. Consentientibus omnibus huiusmodi sollemnitas „ex sola constitutione Ecclesiae est inventa"[21]. Iure enim ecclesiastico statutum est,

[17] c. 487. [18] c. 1308, § 2. [19] Com. in 2, 2, q. 88, a. 7 in fine.
[20] Haud pauci tamen theologi docent, etiam ratione voti exsistere essentialem distinctionem inter votum sollemne et simplex; e. gr. *Sylvius*, Com. in 2, 2, q. 88, a. 11; *Billuart*, De relig. diss. 4, a. 5, obi. 5; *Gonet*, Clypeus 5 8 9 27; *Soto*, De iust. l. 4, q. 2, a. 5. Sententia tamen opposita *Caietani* (l. c.), *Passerini* (De hom. stat. q. 189, a. 10, n. 602), *Donati* (De stat. rel. tr. 1, 99) videtur esse melior et inter modernos auctores communissima.
[21] *Bonifatius VIII*, Const. unic. in VI° 3, 15; *S. Thom.*, S. th. 2, 2, q. 88, a. 9.

quandonam aliquod votum ab Ecclesia agnoscatur ut sollemne. *Essentialis* sollemnitas voti est constitutivum intrinsecum ipsius. Quid autem sit istud constitutivum intrinsecum, auctores minime consentiunt. Praecipuae sententiae sunt tres: 1. Essentialis sollemnitas voti consistit in perfecta traditione voventis simul cum acceptatione eius nomine Dei per ministerium Ecclesiae habita, ita ut sollemniter vovens homo fiat perpetuo consecratus servitio Dei. Quare in religiosa professione simplici vovens promittit tantum *actus* consiliorum retinendo *facultatem* ad actus oppositos; in religiosa autem professione sollemni vovens promittit non solum actus suos, sed tradit irrevocabiliter (per se loquendo) ipsam suam facultatem ad istos actus; quae quidem traditio ab Ecclesia acceptatur nomine Dei. Quamvis autem haec traditio et acceptatio sint undequaque perfectae, tamen Vicarius Christi, sicuti nomine Dei acceptavit holocaustum voventis, ita potest ex gravissima causa illud reddere seu relaxare in dispensatione voti sollemnis. Ita Thomistae communiter. Iuxta hanc sententiam vota simplicia haud incongrue possunt comparari sponsalibus, vota vero sollemnia matrimonio rato. Sicut enim in sponsalibus sponsa promittit futurum matrimonium atque intimam unionem cum sponso, in matrimonio vero rato revera hanc unionem init seque et sua omnia tradit marito, ita in professione simplici anima promittit intimam unionem cum Deo, in professione autem sollemni se suaque omnia tradit Deo, ita ut nec valide possit disponere de se suisque bonis. 2. Essentialis sollemnitas voti consistit in *peculiaribus effectibus moralibus*. Ita Suarez, Wernz aliique. 3. Sollemnitas votorum consistit *in iuridica authentia voti*. Ita praesertim *Vermeersch*[22], qui dicit: „Votum sollemne est votum plene authenticum in facie Ecclesiae"[23]. Sententia prima videtur esse verior, immo et pulchrior, si intelligitur de tribus votis religiosis sollemnibus. Etenim tertia sententia non solum laborat nova terminologia, quae neque in fontibus iuris neque in usu doctorum invenitur, sed etiam infundate asseritur; non enim apparet, quare vota sollemnia post triennium in quibusdam religiosis institutis emissa sint magis authentica quam vota simplicia in iisdem institutis antea emissa. Secunda sententia non videtur tangere nodum quaestionis. Etenim libentissime conceditur, vota sollemnia habere peculiares effectus, sed quaestio in eo praecise versatur, qua de causa habeant istos effectus. Prima sententia indicat causam intimam horum effectuum, asserens vota sollemnia religiosa esse perfectissimam traditionem, immo et consecrationem voventis in obsequium Dei, ita ut taliter vovens sit perfectum holocaustum totaliter (i. e. secundum facultates et actus) Deo dicatum.

Q. 173. *Utrum ad statum religiosum (in stricto sensu acceptum) necessaria sint vota sollemnia?*

R. Quamvis nonnulli id affirmarint, negativa sententia hodie est certa. Quare iam Gregorius XIII[24] declaravit: „scholares et coadiutores Soc. Iesu vere et proprie religiosos exsistere eorumque vota, tametsi simplicia, ut substantialia religionis vota ab hac Apostolica Sede fuisse admissa, illaque emittentes in statu religionis vere constitui". Vota igitur sollemnia non sunt de essentia status religiosi.

[22] De rel. institutis et personis Suppl. II.
[23] *Wernz*, Ius decr. IV, n. 376, nota 8 optime refutat hanc sententiam.
[24] Const. „Ascendente Domino" d. 26 Maii 1584.

De origine status religiosi.

Q. 174. *Quisnam instituerit statum religiosorum?*

R. Christus ipse est auctor status religiosi *quoad substantiam.* Etenim:

Christus commendavit tria sic dicta consilia evangelica, quibus consistit status religiosus. Ad rem dicit S. Bernardinus Senensis[25]: „Ubi Christus consulit et commendat assumptionem evangelicorum consiliorum propter perfectionis amorem, semper intelligit et satis innuit, illa assumenda esse sub voto. Nam Mt 19 dans consilium de paupertate ait: ‚Si vis perfectus esse, vade et vende omnia, quae habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in coelo, et veni, sequere me'. Non enim perfecte reliquit omnia, qui sibi retinuit licentiam reacquirendi illa; quod satis aperte patet. — Item in eodem Mt 19 tribuens consilium de castitate: ‚Sunt eunuchi, qui se castraverunt propter regnum coelorum.' Sed manifeste patet, quod non se perfecte castravit, qui sibi retinuit facultatem nubendi. — Mt quoque 16 dans consilium de perfecta oboedientia ait: ‚Qui vult venire post me, abneget semetipsum et tollat crucem suam et sequatur me.' Quis dubitat, quod, qui, quantum potuit, libertati suae non renuntiaverit, quod perfecte libertatem suam non abnegavit? Nec insuper perfecte sequitur Christum, qui hanc sequelam seu subiectionem ac discipulatum voto non est professus." Idem adhuc uberius docet *S. Thomas*[26] dicens: „Ad perfectionem vitae Dominus pertinere dixit, quod aliquis eum sequatur non qualitercumque, sed ut ulterius retro non abiret.... Haec autem immobilitas sequelae Christi firmatur voto." Quare vel ipsi apostoli veri religiosi fuere, quia consilia evangelica non tantum observaverunt, sed etiam censentur se per vota obligasse ad ea[27]. Inde a temporibus Apostolorum semper fuerunt homines utriusque sexus, qui tria vota religiosa emiserunt[28].

Status igitur religiosus quoad substantiam est ab ipsomet Christo institutus; quoad *peculiares autem formas* originem habuit et habet ab Ecclesia, quia de essentia cuiuslibet status religiosi est approbatio Ecclesiae, ut supra dictum est.

Scholion. De historia institutorum religiosorum. Est prorsus impossibile in parvo Manuali texere historiam status religiosi. Vel sola enumeratio millenorum institutorum religiosorum, quae inde ab initio Ecclesiae usque ad nostros dies exstiterunt et exsistunt, impleret multas paginas. Consuli possunt opera specialiter hac de historia scripta a *L. Holstenio*[29], *Helyot*[30], *Montalembert*[31], *M. Heimbucher*[32]. Sed etiam omnia ista opera sunt incompleta et non semel haud accurata. Brevissime sint notata sequentia: In historia institutorum religiosorum possunt distingui tres epochae, nempe 1ª usque ad saec. duodecimum; 2ª a saec. decimo tertio usque ad saec. decimum sextum; 3ª a saec. decimo sexto usque ad nostra tempora.

[25] Serm. 24, a. 3, Op. II 135.
[26] Cont. gent. l. 3, c. 131; S. th. 2, q. 186, a. 6 ad 1.
[27] *S. Thom.*, S. th. 2, 2, q. 88, a. 4 ad 3.
[28] Scribit *Holsten-Brockie* Cod. reg. I 7; „Ex primis Ierosolymitanis Christianis status monasticus sumpsit exordium, cuius quidem primaria et praecipua principia cognoscuntur ipsa evangelica consilia. Nec minus certum est, alios Christianos hanc evangelicam vivendi formam amplexos fuisse; Metaphrastes enim initio vitae S. Pauli, primi eremitae, refert, primis duobus Ecclesiae saeculis plurimos exstitisse vitae monasticae professores. Vita quoque S. Eudoxiae martyris, quae temporibus Traiani imperatoris floruit, monasteriorum iam tum institutorum meminit." Videsis *Montalembert*, Les moines de l'Occident I.

1. Postquam Christus verbo et exemplo tria consilia evangelica commendavit, vita religiosa praesertim in desertis Aegypti in forma cum eremitica tum coenobitica floruit. Ibi tamquam dux eremitarum habetur *S. Paulus Anachoreta*[33]; pater autem vitae coenobiticae colitur *S. Pachomius*[34]. Vitam coenobiticam vel institutum monachorum ad maximam perfectionem adduxerunt in Oriente S. Basilius († 379), in Occidente S. Benedictus († 543). S. Augustinus quoque vitam communem clericorum instituit atque fovit. Regula S. Benedicti plus minusve modificata ab omnibus fere monasteriis et institutis religiosis est adoptata, e. gr. a Camaldulensibus, Vallumbrosianis, Carthusianis, Cisterciensibus etc. Nonnulla tamen instituta religiosa sunt amplexa regulam S. Augustini, quorum complura facta sunt saeculo duodecimo *canonici regulares*, e. gr. canonici Lateranenses, Praemonstratenses. Propter frequentia bella cum infidelibus fundati sunt quoque ordines religiosi militares, e. gr. Templarii, equites Melitenses, equites Teutonici.

2. In secunda epocha *ordines* sic dicti *mendicantes* fundati sunt et suis studiis, praedicationibus, exemplis optimos fructus produxerunt. Tales ordines mendicantes sunt Praedicatores seu Dominicani (approbati 1216) Franciscani (approbati 1219 et 1223), Carmelitani (approbati 1226), Eremitae S. Augustini (approbati 1255). Quattuor istae religiones vulgo nuncupantur quattuor magnae religiones mendicantium, quibus postea accesserunt Ordo servorum B. M. V. (1256) et Minimi Eremitae S. Francisci de Paula (1454). In eadem epocha fundata sunt complura alia instituta religiosa, e. gr. Trinitarii, Mercedarii, Fratres Hospitalarii, Fratres Cellitae, qui omnes incumbebant operibus misericordiae corporalis.

3. In tertia epocha praeterquam plurimas et fere innumeras congregationes mulierum, — quas non vacat enumerare — fundata sunt diversa instituta *clericorum regularium*, e. gr. Theatini (a. 1524), Somaschae (1532), Barnabitae (1533), Iesuitae (1540), Camilliani (1591), Clerici scholarum piarum, a S. Iosepho Calasanctio fundati, Redemptoristae, fundati a S. Alphonso de Ligorio, Lazaristae, Eudistae, Pallotini, Salesiani, Maristae, Salvatoriani, complures alii, quos longum est enumerare.

De necessitate et utilitate status religiosi.

Q. 175. *Utrum sit necessarius et utilis status religiosus?*

R. 1. Status religiosus est necessarius, si spectatur *quoad substantiam*, i. e. quoad observationem consiliorum evangelicorum; non vero,

[29] Codex regularum monast. et canon., ed. M. Brockie (Aug. Vindel. 1759).
[30] Histoire des ordres monastiques ... (Paris 1714—1719) 8 vol.; postea pluries edita et a Migne digesta ordine alphabetico.
[31] Les moines de l'Occident (Paris 1860—1867) 5 vol.
[32] Die Orden und Kongregationen der kath. Kirche² (1907—1908) 3 vol.
[33] circa 234—357. [34] circa 292—345.

si consideratur *quoad modum*. Etenim ipse Dominus Christus commendavit consilia evangelica, ut supra q. praec. ostensum est. Ergo necesse est, ut sint semper in Ecclesia nonnulli fideles, qui observant ista consilia; secus Ecclesia iam non esset secundum cor Salvatoris. Porro fere nullibi nisi in statu religioso haec consilia perfecte observantur. Ergo status religiosus est necessarius quoad substantiam; non tamen est necessarius quoad modum, i. e. quoad particulares formas nunc in Ecclesia exsistentes. Nam initio Ecclesiae non videtur exstitisse certa et determinata regula seu certus modus impositus ab Ecclesia iis, qui volebant consilia evangelica implere. Quapropter quoad modum status religiosus non est quidem necessarius, sed est utilissimus.

2. Utilitas status religiosi saepe negata fuit ab inimicis Ecclesiae, quae propterea saepe quoque proscribere debuit propositiones falsas, e. gr.: „Sancti instituentes religiones privatas sic instituendo peccaverunt"; „Religiosi viventes in religionibus privatis non sunt de religione christiana"; „Peccant fundantes claustra et ingredientes sunt viri diabolici"; „Omnes de ordine mendicantium sunt haeretici, et dantes eis eleemosynam sunt excommunicati". Sunt errores *Wicleff*[35]. Statuit autem Codex iur. can.[36]: „Status religiosus seu stabilis in communi vivendi modus, quo fideles praeter communia praecepta, evangelica quoque consilia servanda per vota oboedientiae, castitatis et paupertatis suscipiunt, ab omnibus in honore habendus est." Utilitas status religiosi est multiplex, sc. religiosi:

a) suis orationibus et mortificationibus implorant misericordiam divinam super mundum;

b) suis exemplis, praedicationibus, exercitiis spiritualibus, missionibus vitam vere christianam in populo et clero fovent;

c) non parvum scientiis tam ecclesiasticis quam profanis, immo et artibus liberalibus et agriculturae afferunt commodum, libros scribendo, academias erigendo, iuventutem docendo, infirmis inserviendo, agros colendo etc.

Quantam utilitatem attulerit status religiosus labentibus saeculis, omnes paginae historiae ecclesiasticae demonstrant.

De varietate status religiosi.

Q. 176. *Utrum sit utilis varietas status religiosi?*

R. Affirmative, dummodo ne nimis excrescat ista varietas. Quare damnavit Pius VI propositionem Synodi pistoriensis asserentis „multiplicationem ordinum ac diversitatem naturaliter inferre perturbationem et confusionem"[37]. Varietas autem necessaria est, quia a) idem vivendi modus nequit competere omnibus hominibus propter diversas eorum indoles; b) una religio nequit sufficienter servire Ecclesiae in ministeriis tam diversis; c) ipse Dominus Iesus videtur innuere exemplo Mariae

[35] *Denz.* n. 602 603 611 614; cf. etiam ib. 615 624 680 1692.
[36] c. 487. [37] *Denz.* n. 1582.

et Marthae, saltem duplex genus hominum presse ipsum sequentium debere exsistere, sc. vitam contemplativam et vitam activam ducentium.

Q. 177. *Quaenam sint principaliora genera religionum?*

R. 1. Imprimis distinguuntur religiones praecipue ducentes vitam a) *contemplativam*, e. gr. Carthusiani, complura instituta mulierum religiosarum; b) *activam*, e. gr. Hospitalarii, ordines militares; c) *mixtam* consistentem ex contemplatione et exterioribus actibus, e. gr. Dominicani, Franciscani, Iesuitae etc.

Vita contemplativa simpliciter melior est quam vita activa, cum Dominus dixerit: „Maria [quae est typus vitae contemplativae] optimam partem elegit, quae non auferetur ab ea."[38] Sed vita mixta melior est vita contemplativa, cum sit a) magis conformis vitae episcoporum, Apostolorum et ipsius Christi; b) „sicut maius est illuminare quam lucere solum, ita maius est contemplata aliis tradere quam solum contemplari". Ita Angelicus Doctor[39], qui concludit: „Sic ergo summum gradum in religionibus tenent, quae ordinantur ad docendum et praedicandum, quae et propinquissimae sunt perfectioni episcoporum." Demum autem scite animadvertit idem Doctor: „Non est potior religio ex hoc, quod habet arctiores observantias, sed ex hoc, quod ex maiore discretione sunt eius observantiae ordinatae ad finem religionis, sicut ad continentiam efficacius ordinatur maceratio carnis per abstinentiam cibi et potus, quae pertinent ad famem et sitim, quam per subtractionem vestium, quae pertinent ad frigus et nuditatem, et quam per corporalem laborem."[40]

Quantum ad praecedentiam *iuridicam* hoc valet statutum: Religiosi praecedunt laicis; religiones clericales laicalibus; canonici regulares monachis; monachi ceteris regularibus; regulares congregationibus religiosis; congregationes iuris pontificii congregationibus iuris dioecesani; inter varias autem religiones eiusdem speciei illa praecedit, quae est in pacifica quasi possessione praecedentiae, et, si de hoc non constat, quae prius in loco, ubi quaestio oritur, instituta est. Clerus saecularis praecedit tam laicis quam religiosis extra eorum ecclesias, atque etiam in eorum ecclesiis, si agitur de religione laicali; Capitulum vero cathedrale vel collegiale iisdem praecedit ubique, ideoque etiam in propriis ecclesiis[41].

[38] Luc 10, 42. [39] S. th. 2, 2, q. 188, a. 6.
[40] Melius est in praxi, nullam comparationem instituere inter diversas religiones particulares, sed potius membra diversarum religionum nitantur pro viribus proficere et crescere in gratia coram Deo et hominibus. Haec enim sit sola aemulatio hominis totaliter Deo consecrati. Altercationes innumeras de praecedentia unius ordinis prae alio non semel revera scandalosas fuisse, probat satis superque historia ecclesiastica. Cui malo finem imponendo statuit Concilium trid. sess. 25, c. 13 de regular.: „Controversias omnes de praecedentia, quae persaepe maximo cum scandalo oriuntur inter ecclesiasticas personas tam saeculares quam regulares, episcopus, amota omni appellatione et non obstantibus quibuscumque, componat."
[41] c. 491; cf. c. 106, n. 5 et 6; cf. quae supra q. 57 generatim dicta sunt de praecedentia personarum physicarum et moralium.

2. Ratione *principalis eorum finis* possunt distingui quinque religiosorum species:

1) *Monachales,* qui principaliter ducunt vitam contemplativam et occupantur in sollemni recitatione chorali officii divini, ut e. gr. Benedictini, Cistercienses, Carthusiani etc.[42]

2) *Clericales,* qui principaliter ministeriis ecclesiasticis seu spiritualibus, e. gr. praedicatione, studiis, scholis occupantur, quin observantias monachales habeant, ut e. gr. Iesuitae, omnes clerici regulares, canonici regulares, ut canonici Lateranenses etc. In novo tamen Codice iur. can.[43] religio clericalis in latiore sensu sumitur, prout nempe distinguitur contra religionem laicalem. In religione clericali sic sumpta plurima pars membrorum sunt clerici; in religione autem laicali plurima pars membrorum sunt laici, i. e. sine ordinibus clericalibus.

3) *Mendicantes,* qui vitam activam contemplativae coniungentes incumbunt servitio chorali et operibus activis clericorum regularium. Hoc autem peculiare habent, quod vivunt ex eleemosynis a fidelibus collectis seu oblatis. Tales sunt Dominicani, Franciscani, Carmelitae, Servitae, Eremitae S. Augustini, Minimi. Nonnullae aliae religiones, quamvis non sint ordines mendicantes, tamen eorum privilegiis participant. Mendicantes, qui *nec in communi* possident bona, vocantur stricte tales.

4) *Militares,* qui principaliter ordinabantur pro armata defensione Ecclesiae, ut Ioannenses, Teutonici.

5) *Hospitalarii,* qui principaliter instituti sunt ad exercenda opera misericordiae corporalis et notanter curae infirmorum, ut e. gr. Alexiani, Fratres de caritate, Bethlemitae et quamplurima instituta religiosarum feminarum.

Nota. Consideranti facile patet hanc divisionem quinque specierum non esse, uti dicunt philosophi, per opposita. Nam quandoque unus idemque ordo religiosus ad diversas species pertinet. Sic e. gr. Dominicani inter mendicantes recensentur, sunt tamen etiam veri monachi, cum habeant vitam monachalem; insuper — saltem iuxta primaevam institutionem — inter canonicos regulares numerantur, et eorum fundator S. Dominicus fuit canonicus regularis.

Q. 178. *Quaenam determinaverit novus Codex iur. can. circa significationem nonnullorum verborum in iure religiosorum?*

R. Antiquis temporibus terminologia in iure regularium et religiosorum haud semel fuit ambigua, nunc autem sequentia valent:

1. Nomine *religionis* venit quaeque societas, a legitima ecclesiastica auctoritate approbata, in qua sodales, secundum proprias ipsius societatis leges, vota publica (perpetua vel temporaria, elapso tamen tempore renovanda) nuncupant, atque ita ad evangelicam perfectionem tendunt[44].

[42] De monachis complures canones tractant, e. gr. c. 491 § 1 494 § 1 501 § 3 510 516 625 632 633 § 3 635 647 § 1 655 § 1.

[43] c. 488, § 4. [44] Ib. n. 1.

Ergo vel ipsa instituta dioecesana, dummodo sint legitime ab episcopo approbata et ipsorum vota temporanea elapso tempore renoventur, obtinent nomen religionis. Antiquitus non fuit sic.

2. Nomine *ordinis* venit religio, in qua vota *sollemnia* nuncupantur. Haec terminologia iam a saeculis fuit satis universaliter in usu.

3. Nomine *congregationis monasticae* venit coniunctio plurium monasteriorum sui iuris sub eodem superiore. De iurisdictione talis superioris vide c. 501, § 3. Tales congregationes monasticae usuveniunt e. gr. in ordine Benedictinorum.

4. Nomine *religionis exemptae* venit religio votorum sive sollemnium sive simplicium, quae subducta est a iurisdictione Ordinarii loci. Omnia fere instituta virorum a S. Sede definitive approbata gaudent tali exemptione saltem partiali, satis pauca autem instituta mulierum gaudent exemptione.

5. Nomine *congregationis religiosae* vel etiam congregationis simpliciter intelligitur religio, in qua vota dumtaxat simplicia (sive perpetua sive temporaria) emittuntur. Eadem terminologia hucusque usuvenit.

6. Nomine *religionis iuris pontificii* intelligitur religio, quae vel approbationem vel saltem „decretum laudis" ab Apostolica Sede est consecuta. Decretum laudis est primus actus, quo S. Sedes ad instituti religiosi opus manum ita apponit, ut cesset esse simpliciter dioecesanum. Hoc autem decretum laudis solet concedi, si post elapsum a prima fundatione congruum tempus satis diffusum est institutum et uberes dedit fructus pietatis, regularitatis et spiritualis emolumenti[45].

7. Nomine *religionis iuris dioecesani* venit religio, quae ab Ordinario loci quidem est legitime erecta, sed nondum obtinuit decretum laudis supra dictum.

8. Nomine *religionis clericalis* intelligitur religio, cuius *plerique* sodales, i. e. maior pars sodalium[46], sacerdotio augentur; secus est *religio laicalis,* ut e. gr. religio Alexianorum.

9. Nomine *domus religiosae* venit quaelibet domus *rite fundata* alicuius religionis sive iuris pontificii sive iuris dioecesani. Non videntur esse domus religiosae domus rurales, quas habent nonnullae religiones recreationis vel oeconomiae causa, nisi tamen adsit privilegium. Nomine domus *regularis* venit rite fundata domus ordinis religiosi.

10. Nomine *domus formatae* intelligitur domus religiosa, in qua

[45] Quomodo sit procedendum, ut obtineatur hoc decretum laudis, indicatur in Normis editis a S. Congregatione de Rel. d. 6 Mart. 1921. (Acta Ap. Sed. XIII 312 sqq.) Imprimis mittere oportet ad S. Congr. de Rel. cum libello supplici subsignato a superiore generali et assistentibus litteras testimoniales Ordinariorum in quorum dioecesibus institutum operatur, decem exemplaria constitutionum (typis impressa et lingua vel latina, vel italica, vel gallica conscripta), accuratam expositionem status personalis et materialis. Cf. S. C. d. Rel. d. 24 Mart. 1914 (Acta Ap. Sed. VI 190).

[46] Nonnulli canonistae sumunt verbum plerique non pro maiore sed tantum pro magna parte sodalium. Et revera Congregatio Marianitarum, in qua non maior pars sodalium sunt sacerdotes, declarata est religio clericalis.

sex saltem religiosi professi degunt, quorum, si agitur de religione clericali, quattuor saltem sunt sacerdotes. Hucusque exsistebant hac in re strictiores conditiones, quae videntur nunc abrogatae[47].

11. Nomine *provinciae* intelligitur coniunctio plurium religiosarum domorum inter se sub eodem superiore maiore. Numerus igitur requisitus ad provinciam ex iure communi non est determinatus; observanda sunt statuta uniuscuiusque instituti religiosi, cum regulae et constitutiones particulares singularum religionum, quae iuri communi non sunt contrariae, vim suam servent[48]. Notanda est differentia inter provincias religiosas et congregationes monasticas supra dictas, quae coalescunt ex pluribus monasteriis *sui iuris*. Domus autem religiosae coalescentes in unam provinciam non solent esse sui iuris saltem perfecti.

12. Nomine *religiosorum* veniunt omnes *professi* vel *professae* in aliqua religione approbata. Ergo novitii ante votorum emissionem non sunt proprie religiosi, quorum privilegiis tamen gaudent. Religiosi *votorum simplicium* vocantur sodales professi in congregatione votorum simplicium; *regulares* autem nuncupantur omnes sodales professi ordinum religiosorum. Ergo iam post professionem simplicem sodales ordinum sunt veri regulares. — Religiosae votorum simplicium vocantur *sorores*; votorum autem sollemnium appellantur *moniales*; pariter censentur esse moniales (nisi ex rei natura vel ex contextu sermonis aliud constat) illae religiosae, quarum vota ex instituto quidem sunt sollemnia, sed pro aliquibus locis ex Apostolicae Sedis praescripto sunt simplicia, e. gr. in Gallia, in Belgio.

13. Nomine *superiorum maiorum* intelliguntur sequentes: 1. supremus religionis moderator eiusque vicarius; 2. superior provincialis vel ille, qui ad instar provincialium potestatem habet, vel vicarius provincialis; 3. abbas primas[49]; 4. abbas superior congregationis monasticae; 5. abbas monasterii sui iuris, licet hoc monasterium ad aliquam congregationem monasticam pertineat; 6. Superiorissae generales et provinciales, abbatissae.

Hoc schemate potest verborum significatio facile perspici:

Religiones,

quae sunt: 1. vel clericales vel laicales; 2. exemptae vel non exemptae; 3. iuris pontificii vel dioecesani; quarum domus sunt formatae vel non formatae; quarum membra vocantur religiosi, distinguuntur

in

ordines,	congregationes religiosas,
in quibus sunt vota sollemnia; quorum membra vocantur regulares vel moniales; quorum domus sunt regulares vel monasteria.	in quibus non sunt vota nisi simplicia; quarum membra vocantur religiosi vel sorores votorum simplicium.

[47] Cf. *Innocent. XII* Const. „Nuper" d. 23 Dec. 1697. [48] c. 489.

[49] Abbas primas et superior congregationis monasticae non habent omnem potestatem et iurisdictionem, quam ius commune tribuit superioribus maioribus, sed eorum potestas et iurisdictio desumenda est ex propriis constitutionibus et ex peculiaribus S. Sedis decretis; c. 501, § 3.

Nonnullae religiones dividuntur

in

provincias,	congregationes monasticas,
quarum superior eiusve vicesgerens habet praerogativas alicuius superioris maioris.	quae sunt coniunctio plurium monasteriorum sub uno superiore.

TITULUS IX.

De erectione et suppressione religionis, provinciae, domus.

Q. 179. *Quaenam requirantur ad erectionem alicuius religionis?*

R. Religio materialiter quidem fundatur et erigitur a fundatore vel a fundatrice; formaliter autem et iuridice erigitur per legitimae ecclesiasticae auctoritatis approbationem. Ut per se patet, Curia Romana talem approbationem concedere potest. Episcopi quoque vel praelati quasi-episcopalem iurisdictionem in territorio separato exercentes (non autem Vicarius capitularis aut Vicarius generalis) fundare aut per formale decretum recognoscere[1] possunt congregationem religiosam; attamen id ne faciant neve fieri permittant nisi a) prius consulta S. Sede[2]; b) si agitur de tertiariis in communi viventibus, aggregatione obtenta a supremo moderatore ordinis[3]. Ergo e. gr. si tertiarii Dominicani saeculares volunt formare congregationem religiosam, debent adire episcopum, qui de hac re refert ad Congregationem de religiosis. Favorabili responso accepto debent adire magistrum generalem ordinis Praedicatorum, ut ipse aggreget suo ordini congregationem fundandam. Quibus obtentis episcopus potest approbare congregationem, quae fit iuris dioecesani et talis remanet, quamvis postea in plures dioeceses sit diffusa, usquedum obtinet a Curia Romana decretum approbationis aut saltem laudis[4]. — Nova religio nequit assumere nec nomen nec habitum alterius religionis iam constitutae; sicut generaliter nemo, qui

[1] Cf. Decretum S. Congregationis de Rel. d. 30 Nov. 1922 (Acta Ap. Sed. XIV 644 sqq.).

[2] Cf. Normae, secundum quas S. Congregatio de Religiosis in novis religiosis Congregationibus approbandis procedere solet, datae d. 6 Mart. 1921 (Acta Ap. Sed. XIII 312 sqq.). Episcopi consulentes hac in re S. Sedem debent indicare a) nomen fundatoris (fundatricis) et instituti; b) motivum fundationis; c) opera, quae novum institutum sibi proponit; d) descriptionem habitus; c) modum acquirendi necessaria ad vitam; f) num iam similia instituta exsistant in dioecesi (cf. *Pius X*, Motu proprio d. 16 Iul. 1906). Ceterum, ut iam monuit *Leo XIII* (Const. „Conditae" d. 8 Dec. 1900), episcopi ne facile permittant fundationem novi instituti, sed potius appellent in suam dioecesim instituta iam a longo tempore comprobata. Nam revera non expedit, ut numerus institutorum religiosorum nimis excrescat.

[3] c. 492, § 1. Ex tali aggregatione ordo aggregans non quidem obtinet iurisdictionem in congregationem aggregatam, sed oritur communicatio indulgentiarum et gratiarum spiritualium (non autem aliorum privilegiorum, e. gr. exemptionis).

[4] c. 492, § 2.

ad aliquam religionem non pertinet, eius nomen vel habitum assumere licite potest[5].

Iuxta vigentem Ecclesiae disciplinam iam non solet permitti fundatio novae religionis cum votis *sollemnibus,* ut supra dictum est.

Q. 180. *Quaenam requirantur ad erectionem novae provinciae religiosae?*

R. *Ex iure communi* requiritur licentia S. Sedis, saltem si agitur de religionibus iuris pontificii[6]. Eadem licentia necessaria est, si agitur de divisione alicuius provinciae iam exsistentis vel de nova circumscriptione vel de coniunctione plurium provinciarum.

Ex iure particulari debent observari statuta uniuscuiusque religionis.

Q. 181. *Quaenam requirantur ad erectionem novae domus religiosae?*

R. 1. Quae infra dicentur de erectione novae domus religiosae, valent quoque de translatione ab una parte loci in aliam partem, saltem si in hac alia parte aperienda est ecclesia aut oratorium publicum[7]; de conversione eius in alios usus, *nisi isti pertinent dumtaxat ad internum regimen et disciplinam religiosam*[8]; immo et de reassumptione alicuius domus religiosae dirutae vel relictae. Ita saltem, si non est moralis unio inter novam et antiquam domum religiosam. Cum domus religiosae semel legitime fundatae sint verae personae morales, non censentur totaliter exstinctae nisi post spatium 100 annorum[9]. Quare e. gr. religiosi galli e domibus ab iniquo gubernio eiecti eas reassumere possunt iure postliminii sine formalitatibus iuridicis infra dicendis; econtra si domus religiosa saecularizata ante 100 annos sub Napoleone I est reassumenda, ea omnia sunt necessaria, quae requiruntur pro erectione novae domus religiosae.

Contraria sententia (a paucis propugnata) quae docet religiosis a laicali potestate violenter expulsis semper idque etiam post longissimum tempus remanere plenum ius redeundi in locum pristinum absque consuetis licentiis et formalitatibus pro erectione domus religiosae requisitis, videtur esse opposita et praxi Curiae Romanae et canoni 102, qui statuit, ut omnis moralis persona sit exstincta, si per centum annorum spatium esse desierit.

2. Novum ius distinguit erigendas a) domus iuris dioecesani; b) domus iuris pontificii, sed non exemptas; c) domus exemptas, quibus aequiparantur monasteria monialium et in locis S. Congr. de Prop. Fide subiectis omnes omnino domus religiosae.

a) Si agitur de erigendis religiosis domibus *iuris dioecesani,* requiritur licentia (Ordinarii) episcopi loci, ubi est domus princeps et insuper licentia Ordinarii (episcopi) istius loci, in quo nova domus est erigenda. Attamen Ordinarius loci domus principis ne deneget hanc licentiam sine gravi causa[10]. Si congregatio religiosa iuris dioecesani in diversis

[5] c. 492, § 3. [6] c. 494, § 1. [7] c. 1162, § 4.
[8] c. 497, § 4. [9] c. 102, § 1.
[10] c. 495, § 1. Putat cl. *Alb. Blat* O. P. (Commentarium textus Codicis iur. can. l. 2, n. 549), licentiam Ordinarii loci domus principis non requiri nisi *in primo*

dioecesibus domus habet, nihil de ipsius legibus mutari liceat nisi de consensu (unanimi) *singulorum* Ordinariorum (episcoporum), quorum in dioecesibus domus exsistunt. Cum facile oriri possit dissensus inter diversos Ordinarios hac in re, praestat, ut aliqua congregatio religiosa in diversis dioecesibus exsistens evadat quantocius iuris pontificii per „decretum laudis", quod non ita difficulter obtineri potest.

b) Si agitur de erigendis domibus religiosis *non exemptis* iuris pontificii, requiritur et sufficit licentia Ordinarii (episcopi) loci[11].

c) Si agitur de domibus religiosis *exemptis* (sive formatis sive non formatis), pariter si agitur de monasteriis *monialium,* et demum si agitur de quacumque domo religiosa erigenda *in locis S. Congr. de Prop. Fide* subiectis, requiritur α) beneplacitum Apostolicae Sedis; β) consensus Ordinarii (episcopi) loci *in scriptis datus*[12]. Quamvis Codex iur. can. nihil dicat de conditionibus, sub quibus Ordinarius loci hunc consensum praestare valeat, tamen videntur in vigore permanere veteres ordinationes, utpote in ipsa natura rei fundatae. Debet igitur Ordinarius loci, antequam istum consensum praestet, audire superiores vel procuratores aliarum domorum religiosarum, parochum aliosque „interesse habentes" ad informationem, num domus vel ecclesia religiosa noviter erigenda aliis causet indebitum nocumentum[13]. Ordinarius non tenetur quidem cedere iudiciis et reclamationibus illegitimis illorum, quorum interest, sed secundum proprium iudicium et propriam conscientiam rem decernit. Si domui religiosae adiungitur ecclesia vel oratorium publicum, Ordinarius loci debet (sub poena invalidae concessionis) *audire*[14] rectores vicinarum ecclesiarum, sed non tenetur eorum votis acquiescere. Aliquando parochus erectioni domus religiosae se opponit, quia timet imminutionem aut concursus populi in ecclesia paroeciali aut oblationum spontanearum, sed Curia Romana identidem declaravit, has rationes insufficientes esse[15].

3. Nulla domus religiosa erigatur, nisi iudicari prudenter possit, vel ex reditibus propriis vel ex consuetis eleemosynis vel alio modo,

ingressu in aliam dioecesim, non iam quando in ea multiplicandae sint domus; sed cum Codex c. 495 simpliciter, sine ulla exceptione, statuat: „Congregatio religiosa iuris dioecesani in alia dioecesi *domos* constituere non potest nisi consentiente utroque Ordinario", videtur esse necessarius consensus utriusque Ordinarii, etiamsi agitur de multiplicatione domuum in altera dioecesi.

[11] c. 497, § 1. [12] Ib.
[13] Cf. de actionibus ex novi operis nuntiatione c. 1676 sqq. et c. 1162, § 3. Sic dictum privilegium cannarum, vi cuius ordines Mendicantes aliaeque religiones in aliquo loco exsistentes potuerunt prohibere, ne alia religio erigeret domum vel ecclesiam vel oratorium publicum intra ambitum 140 vel 300 cannarum, videtur adhuc subsistere, cum nullibi sit revocatum. (Canna aequivalet 2,23 metris.) Proinde e. gr. si conventus Praedicatorum exsistit in aliquo loco, nequit alia religio (nisi habeat privilegium aut indultum) ibidem erigere oratorium publicum in distantia (per aerem mensuranda) 500 metr. (Const. „Ad consequendum" Clem. IV; Const. „Exponi nuper" Iulii II; cf. *Piat,* Prael. iur. reg. II 285).
[14] c. 1162, § 3; c. 105, n. 1.
[15] Cf. S. C. Consist. d. 19 Dec. 1772.

congruae sodalium habitationi et sustentationi provisum iri[16]. Ratio huius statuti est obvia, cum ex historia satis superque constet, magnos abusus irrepsisse ex eo, quod domus religiosae caruerunt necessaria sustentatione. Ceterum hoc statuto multum mitigatum est decretum Congr. de Rel. d. 30 Iulii 1909[17], statuens ut nulla fundatio monasterii vel domus nullaque fundationis amplificatio vel mutatio fiat, si pecunia solvenda non habeatur vel obligationes oeconomicae contrahendae sint; nec sufficiat promissio pecuniae etiam in magna quantitate ab uno vel pluribus benefactoribus tribuendae.

4. De iure particulari necnon de iure civili nonnullarum regionum haud pauca alia requiruntur, de quibus hic non vacat loqui.

5. Licentia concessa ad constituendam domum eo ipso secum fert pro religionibus *clericalibus* facultatem a) habendi ecclesiam vel publicum oratorium domui adnexum[18], b) peragendi sacra ministeria, e. gr. praedicandi, audiendi confessiones etc. Pro omnibus autem religionibus haec licentia includit facultatem exercendi ea opera pia, quae sunt unicuique religioni propria[19]. Nonnumquam episcopi apponunt conditiones determinatas in concessione licentiae. Si istae conditiones legitime acceptatae sunt a nova domo construenda, oritur contractus onerosus, qui utique fideliter observandus est. Notandum tamen est, nonnullas conditiones laedere posse pontificiam exemptionem religiosorum et non esse acceptandas nisi praehabita licentia S. Sedis.

Ut aedificentur et aperiantur schola, hospitium vel similis rationis aedes *separata* a domo etiam exempta, necessaria est et sufficit specialis Ordinarii scripta licentia[20]. Si talia instituta non sunt separata a domo religiosa, et si constituunt opera religionis propria, non requiritur *specialis* licentia, sed sufficit licentia concessa ad erigendam novam domum. Hinc e. gr. si data est licentia ad erigendam domum religiosam, non requiritur nova licentia, si superiores religiosi in hac domo volunt erigere scholam, uti dicunt, apostolicam ad educandos pueros, tirones proprii instituti.

Q. 182. *Quaenam requirantur ad suppressionem religionis, provinciae, domus?*

R. 1. Nulla prorsus *religio* legitime condita, etiamsi est solius iuris dioecesani, supprimi potest nisi a S. Sede, cui etiam reservatur de bonis in casu statuere, semper tamen salva offerentium voluntate[21]. Quare e. gr. si benefactor dedit summam pecuniae alicui religioni cum expressa stipulatione, ut haec pecunia adhibeatur pro bonis libris divulgandis, suppressa religione haec pecunia reddenda est benefactori vel eius heredibus vel saltem adhibenda est pro fine a benefactore statuto.

[16] c. 496. [17] Acta Ap. Sed. I 697, n. 8.
[18] Nihilominus requiritur specialis licentia Ordinarii loci, ut talis ecclesia vel oratorium possit aedificari in determinato loco. Cf. infra q. 357.
[19] c. 497, § 2. [20] Ib. § 3. [21] c. 493.

2. Nulla *provincia* religiosa iuris pontificii legitime exsistens supprimi potest nisi a S. Sede. Exstincta provincia, de eius bonis statuere, salvis iustitiae legibus et fundatorum voluntate, spectat, nisi constitutiones aliud caveant, ad capitulum generale, vel, extra tempus capituli, ad moderatorem generalem cum suo consilio[22].

3. a) *Domus religiosa exempta* (sive formata sive non formata) supprimi iam nequit sine beneplacito apostolico, sine quo nec etiam fundari potuit. b) Domus religiosa non exempta sed *iuris pontificii* supprimi potest a supremo moderatore, consentiente Ordinario loci. Si tamen in hac suppressione necessaria est alienatio bonorum ecclesiasticorum excedentium valorem 30 000 francorum, requiritur beneplacitum apostolicum[23]. c) Domus religiosa *iuris dioecesani* supprimi potest sola Ordinarii loci auctoritate, audito tamen congregationis moderatore. Si tamen haec domus est unica, ita ut ea suppressa tota congregatio supprimatur, requiritur licentia S. Sedis, ut supra n. 1 dictum est. Contra suppressionem alicuius domus iuris dioecesani factam ab Ordinario loci permittitur recursus *in suspensivo* ad S. Sedem, ita ut sententia Ordinarii nullum effectum producat, antequam S. Sedes recursum reiecerit[24].

Nota. Cum religio, provincia religiosa, domus religiosa exempta etc. sint personae morales, ea, quae supra q. 56 (2) de duratione et exstinctione personarum moralium dicta sunt, oportet attendi.

TITULUS X.

De religionum regimine.

Praenotamen. In manualibus iuris religiosorum solebat in tractatu de regimine agi de regimine cum interno tum externo religiosorum et notanter de relatione religiosorum ad episcopum et parochum loci. In novo Codice iste titulus dividitur in tria capita: 1. de superioribus et capitulis; 2. de confessariis et capellanis; 3. de bonis temporalibus eorumque administratione. Quamvis tertium hoc caput videatur pertinere ad tertium librum Codicis, quo agitur de rebus ecclesiasticis, tamen praestat sequi ordinem trium capitum hic indicatorum.

CAPUT I.

De superioribus et capitulis.

Q. 183. *Quinam sint superiores in institutis religiosis?*

R. 1. **Romanus pontifex** est primus et supremus omnium religiosorum superior, cui illi debent oboedire non solum sicut ceteri fideles, sed etiam vi voti oboedientiae[1]. Hoc tamen ita videtur esse intelligendum: religiosus tunc solummodo laedit votum oboedientiae, si

[22] c. 494. [23] Cf. infra q. 452.
[24] c. 498. [1] c. 429, § 1.

non observat particulare praeceptum, quod dant illi vel omnibus membris illius religionis Romanus Pontifex (vel Congregationes Romanae)[2]; non autem, si transgreditur cetera statuta pontificia. Quare e. gr. si religiosus transgreditur statutum aliquod liturgicum vel aliquod generale statutum Congregationis de Rel., non laedit votum oboedientiae.

2. **Cardinalis protector,** qui solet singulis religionibus concedi iam a temporibus Innocentii XII[3], nulla iurisdictione neque in religionem neque in singulos religiosos pollet, neque potest se interiori disciplinae et bonorum administrationi immiscere. Ita saltem de iure communi. Eius solum officium est: bonum religionis consilio et patrocinio promovere[4]. Indulta alicui instituto religiosarum feminarum concessa solent per Cardinalem protectorem exsecutioni mandari.

3. **Ordinarius loci** est superior a) omnium domorum religiosarum iuris dioecesani, quae in suo territorio exsistunt. In istis domibus Ordinarius exercere potest potestatem non solum iurisdictionis, sed etiam dominationis (vi voti); b) multorum monasteriorum monialium (aliqua autem sub iurisdictione regularium exsistunt); c) domorum iuris pontificii non-exemptarum. Attamen Ordinario non licet huiusmodi domorum iuris pontificii constitutiones ullatenus immutare aut etiam de re oeconomica cognoscere, exceptis nonnullis casibus, de quibus sermo erit infra cap. 3. Pariter Ordinarius nequit se ingerere in earum regimen internum ac disciplinam, exceptis casibus in iure expressis. Nihilominus in religionibus *laicalibus* (etiam exemptis) ipse potest ac debet inquirere, num disciplina ad normam constitutionum vigeat, num quid sana doctrina morumve probitas detrimenti ceperit, num clausura fideliter observetur, num sacramenta aequa stataque frequentia suscipiantur; et si superiores de gravioribus forte abusibus admoniti opportune non providerint, ipse per se consulat; si qua tamen maioris momenti occurrunt, quae moram non patiuntur, ipse quidem decernat statim, sed decretum suum ad S. Sedem deferat[5]. Quae dicta sunt de domibus iuris pontificii, valent quoque de monasteriis monialium Ordinario loci subditis. Monasteria autem monialium regularibus subdita nequit Ordinarius regere nisi in paucis casibus in iure expressis, ut propriis in locis dicetur. Pariter nullam fere auctoritatem habet Ordinarius loci in religiones exemptas. Alibi indicabuntur exceptiones. — Nulla virorum religio sine speciali Apostolico Indulto potest sibi subditas habere religiosas congregationes mulierum aut earum religiosarum curam et directionem retinere sibi specialiter commendatam[6]. Aliter est de *monialibus,* quarum nonnullae ex praescripto suarum constitutionum sunt sub iurisdictione superiorum regularium.

[2] Controvertitur quidem, num religiosi debeant vi voti etiam Congregationibus Romanis oboedire, sed haec controversia est parvae utilitatis practicae, cum decisiones istarum Congregationum soleant in quolibet casu ferri auctoritate et praevia approbatione Summi Pontificis.

[3] Const. „Christifidelium" d. 16 Febr. 1694. [4] c. 499, § 2.

[5] c. 618, § 2. [6] c. 500, § 3.

Sed etiam istae moniales in nonnullis materiis subduntur Ordinario loci, ut dictum est.

4. **Superiores et capitula** ad normam constitutionum et iuris communis *potestatem dominativam* in subditos, in religione autem clericali exempta habent insuper *iurisdictionem* ecclesiasticam pro foro tam interno quam externo, exceptis tamen causis ad S. Officium spectantibus[7], e. gr. in subditorum causis haereseos, absolutionis complicis, sollicitationis ad turpia. — Quousque se extendat potestas singulorum superiorum, et notanter quousque se extendat potestas abbatis primatis et superioris congregationis monasticae, videndum est praecipue ex iure particulari.

Scholion. De nonnullis coadiutoribus superiorum religiosorum.

1. **Procurator generalis** debet institui a qualibet religione iuris pontificii *virorum.* Munus istius procuratoris est: pertractare omnia negotia propriae religionis apud S. Sedem. Proinde omnes petitiones, dispensationes etc., quas singuli religiosi volunt obtinere a Curia Romana, per procuratorem generalem sunt mittendae et accipiendae. Excipiuntur petitiones fori interni, in quibus laederetur sigillum sacramentale. Procurator generalis nequit inconsulta S. Sede amoveri a suo officio, antequam praescriptum in constitutionibus tempus exspiret[8]. Religiones *mulierum* non habent procuratorem generalem; si tamen sunt aggregatae alicui virorum religioni, utuntur procuratore huius religionis virorum. Ceterae religiones mulierum omnesque religiones iuris dioecesani negotia sua pertractant in Curia Romana mediante vel aliquo agente, vel episcopo dioecesano, vel Cardinale protectore.

2. **Consiliarii** determinandi sunt a) pro supremo religionis aut monasticae congregationis moderatore; b) pro superiore provinciali; c) pro superiore locali saltem domus formatae[9]. In rebus maioris momenti superiores debent horum consiliariorum consensum vel consilium exquirere ad normam constitutionum et iuris communis.

3. **Oeconomi** pro administratione bonorum temporalium instituantur; et quidem a) oeconomus *generalis,* qui religionis universae bona administret; b) oeconomus *provincialis,* qui provinciae; c) oeconomus *localis,* qui singularum domorum bona administret. Omnes isti oeconomi non propria auctoritate, sed *sub directione* superioris funguntur officio suo. Oeconomi generalis et provincialis munus gerere ipse superior non potest; munus vero oeconomi localis, quamvis melius a munere superioris distinguatur, componi tamen potest cum eo, si necessitas id exigat. Modus eligendi tales oeconomos solet determinari a iure particulari; quodsi constitutiones silent de hac re, oeconomus constituatur a superiore maiore cum suo consilio[10].

De aliis coadiutoribus superiorum consulantur constitutiones uniuscuiusque religionis.

[7] c. 501, § 1 2.

[8] c. 517. Cum iste Canon non loquatur nisi de Procuratore ad determinatum tempus instituto, nonnulli auctores, ut Vermeersch, Fanfani, putant, non esse necessariam S. Sedis consultationem, si amovetur procurator, qui est institutus ad vitam vel ad nutum Superioris generalis. Nihilominus haec explicatio videtur nimis formalistica neque conformis menti legislatoris, cum non appareat intrinseca ratio faciendi hanc distinctionem.

[9] c. 516, § 1. [10] Ib. § 2 3 4.

Q. 184. *Quaenam observanda sint in institutione superiorum religiosorum?*

R. 1. Superiores instituendi debent habere legalem *aetatem*, quae ex iure communi est annus quadragesimus completus, si agitur de supremo moderatore ordinis vel de antistita monialium; annus autem tricesimus completus, si agitur de aliis superioribus maioribus. Pro superioribus minoribus ius commune non statuit determinatam aetatem. Si constitutiones alicuius religionis exigunt aetatem provectiorem pro singulis superioribus, ipsae observandae remanent. — Pro superioribus maioribus insuper requiritur, ut prima eorum professio religiosa saltem iam a decem annis sit peracta, ac ut sint ex legitimo matrimonio nati[11].

2. Superiores maiores sint *temporarii*, nisi aliter ferant constitutiones, ut e. gr. in ordine Benedictinorum. Superiores minores locales ne constituantur (sive per electionem sive per nominationem) ad tempus ultra triennium; quo exacto possunt quidem ad idem munus assumi, si constitutiones id permittunt; numquam autem tertio immediate *in eadem (bene tamen in alia) domo* religiosa[12]. Haec ordinatio de superioribus localibus valet etiam pro superioribus societatum in communi viventium sine votis[13], valet quoque pro domibus, quae non sunt stricte religiosae. Nam ad quaestionem: Utrum praescriptum canonis 505: „superiores minores locales ne constituantur ad tempus ultra triennium etc.", applicetur quoque superioribus seu directoribus scholarum, hospitalium aliarumque piarum domorum, responsum est d. 2 Iunii 1918 a Pontificia Commissione ad Codicis canones authentice interpretandos: „Affirmative, si superiores isti seu directores sint simul superiores religiosorum sub sua potestate habentes alios religiosos etiam quoad religiosam disciplinam"[14]. Si igitur e. gr. director alicuius collegii puerorum religiosis concrediti dirigit magistros religiosos solummodo quoad scholam, non autem in vita religiosa, non tenetur post triennium vel sexennium dimittere officium.

Q. 185. *Quid generaliter notandum sit de electione superiorum religiosorum?*

R. 1. In electione superiorum religiosorum ea omnia observanda sunt, quae statuit ius de electione[15], insuper ea, quae constitutiones particulares iuri communi non contrariae praescribunt[16]. Si qua religio habet indulta apostolica circa electionem et postulationem superiorum, ea in vigore suo manent. Omnes omnino caveant a directa vel indirecta suffragiorum procuratione tam pro ipsis quam pro aliis[17]. Quibus verbis (primo a Clemente VIII adhibitis in decreto „Nullus omnino")

[11] c. 504. Cum filii legitimati per subsequens matrimonium, ad effectus canonicos quod attinet, in omnibus aequiparentur legitimis, nisi aliud expresse cautum fuerit (c. 1117), nihil ex iure communi obstat, quominus tales legitimati fiant superiores maiores religiosi. Ita sententia communis.

[12] c. 505. [13] Pontif. Com. d. 25 Iul. 1926 (Acta Ap. Sed. XVIII 393).

[14] Acta Ap. Sed. X (1918) 344.

[15] Tit. IV, c. 1, a. 2 et 3; cf. supra q. 77 sqq. [16] c. 507, § 1. [17] Ib. § 2.

prohibetur sic dicta *subornatio* mala (Stimmenschacher). Subornatio censetur semper esse mala, quando quis *sibi ipsi* suffragia procurat; quando autem mediis licitis ex recta intentione procurat alii digniori suffragia in sic dictis tractatibus consultoriis, non illicite agit. Semper eligendi sunt digniores in superiores; immo quando agitur de electione superioris *maioris* (generalis, provincialis, abbatis) in religionibus *virorum*, omnes et singuli e capitulo electivo iureiurando debent expresse promittere ante electionem: „se esse electuros, quos secundum Deum eligendos esse existimaverint"[18], i. e. magis idoneos et probiores, ut manifeste exprimitur in Clementis VIII decr. „Nullus omnino" d. 25 Iulii 1559. Quare electores graviter peccant non solum, quando eligunt indignum, sed etiam dignum, relicto tamen certo digniore. Dignitas autem maior est mensuranda non ex maiore scientia aut sanctitate, sed coniunctim ex omnibus animae et corporis dotibus, quae eligendum reddunt ceteris utiliorem pro regimine.

2. In monasteriis monialium comitiis eligendae antistitae praesit, *quin tamen clausuram ingrediatur*, Ordinarius loci eiusve delegatus cum duobus sacerdotibus scrutatoribus ab ipso deputatis, si moniales eidem sunt subiectae, secus superior regularis et duo sacerdotes scrutatores ab eodem deputati; sed etiam in hoc casu Ordinarius tempestive moneri debet de die et hora electionis, cui *potest* una cum superiore regulari per se vel per alium assistere, et, si ipse vel eius delegatus assistit, etiam praeest, i. e. gubernat actum electionis[19]. Ad electionis libertatem prorsus tuendam scrutatores numquam assumantur ipsarum monialium *confessarii ordinarii*[20].

In mulierum congregationibus electioni antistitae generalis praesideat per se vel per alium Ordinarius loci in quo electio peragitur, cui, si agitur de congregatione iuris dioecesani, peractam electionem confirmare vel rescindere integrum est pro conscientiae officio[21]. Si agitur de electione antistitae instituti iuris pontificii, ad episcopum quoque eiusve delegatum pertinet praesidere electioni, sed confirmatio electionis, si qua est necessaria, non pertinet ad episcopum, sed ad S. Congregationem de Religiosis[22]. In talibus capitulis ante omnia eligendae sunt ab et ex vocalibus duae scrutatrices et una secretaria. Ita Norma 226, quae videtur esse adhuc in vigore. Istae tres sorores debent iusiuran-

[18] c. 506, § 1. In electione mulierum tale iuramentum non est necessarium. Forma talis iuramenti non est praescripta. Cf. *M. Brandys* l. c. n. 170.

[19] c. 506, § 2. Pontif. Com. d. 24 Novembris 1920 (Acta Ap. Sed. XII 575). Cf. *M. Brandys* l. c. n. 171. [20] c. 506, § 3.

[21] Ib. § 4. Hoc valet quoque de congregationibus iuris dioecesani. Non enim fit distinctio. Quare si talis congregatio per plures dioeceses diffusa est, spectat ius statuendi locum, ubi capitulum celebrandum sit, ad moderatricem generalem. Praesidium autem electionis moderatricis generalis, pariter confirmatio vel rescissio huius electionis spectat ad Ordinarium loci, in quo electio peragitur, et non ad Ordinarium loci, in quo domus matrix sita est. S. C. de Rel. d. 2 Iul. 1921 (Acta Ap. Sed. XIII 482).

[22] Cf. Normas 231—238.

dum praestare de munere fideliter implendo ac de secreto servando circa acta in comitiis, etiam expleta electione.

3. Postulatio (loco electionis) admitti nequit nisi in casu extraordinario, et dummodo in constitutionibus ne prohibeatur[23]. Quae statuit ius commune de postulatione[24], observanda sunt, et insuper ea, quae constitutiones legitime praescribunt. Privilegia autem et indulta apostolica, quae nonnullis religionibus, e. gr. ordini Praedicatorum, concessa sunt, in vigore manent, nisi sint expresse revocata in novo Codice iur. can.[25].

4. Electores cogi quidem non debent ad interveniendum electioni, nisi id exigat omnino bonum communitatis; attamen, etiam seclusis particularibus statutis, quae renuntiationem suffragii graviter prohibent, (ut est apud Eremitas S. Augustini), iam ex ipso iure naturali tenentur in conscientia (sub gravi vel sub levi, prout id bonum commune postulat) ad electionem concurrere. Ius enim suffragii electoribus concessum est tamquam officium obligans ad bonum commune promovendum. Si tamen elector ferendo suffragium se exponeret gravi damno et aliunde eius suffragium bono communitatis non prodesset, excusaretur a suffragio dando. Generatim loquendo etiam non expedit, ut elector praesens electioni det sic dictum suffragium album nihil scribendo in schedula electionis.

5. Cum ex iure communi nullus collegio electionis extraneus sub poena nullitatis totius electionis admitti possit ad suffragium (salvis privilegiis quaesitis)[26], superiores maiores nemini possunt ius eligendi concedere in electione superioris localis. Et revera si superiores maiores possent arbitrarie concedere ius eligendi, tota electio evaderet illusoria, et electores ex iure grave praeiudicium paterentur. Nihilominus exsistunt adhuc privilegia, quae tribuunt superiori generali facultatem non quidem arbitrarie sed secundum determinatas normas concedendi ius suffragii ei, qui ex iure id non habet[27].

6. Controvertitur inter auctores, utrum religiosus electus in superiorem possit licite respuere praelaturam. In praxi standum est statutis uniuscuiusque religionis; quae, si talem facultatem concedunt vel negant, servari debent[28]. Quodsi statuta particularia nihil habent de hac re, praestat, ne subditus cogatur invitus ad acceptandam electionem. Notandum est, si agitur de praelatura extra religionem, e. gr. de episcopatu, subditum religiosum non posse neque acceptare neque respuere talem praelaturam sine licentia sui superioris, cum religiosus non habeat velle vel nolle, ut ait Bonifatius VIII[29]. Num autem, si religiosus absque superioris licentia acceptaret electionem, haec eo ipso evaderet nulla,

[23] c. 507, § 3. [24] c. 179—182. [25] Cf. c. 4. [26] c. 165.
[27] Cf. Capit. gen. abulense p. 108; Capit. vienn. p. 78 pro ordine Praedicatorum.
[28] Cf. *Passerinus*, De elect. 20, 21; De stat. hom. q. 185, a. 2, 28, qui sic concludit: „Quando superior voluntate *absoluta* iniungit praelaturam, peccat subditus, si illam recuset."
[29] c. 27 in VI° 1, 6; c. 626, § 2.

sicuti statuit idem Bonifatius VIII dicens: „In poenam praesumptionis illius electio eodem ipso facto viribus vacuetur omnino", non audeo dicere; quia haec poena non est renovata in Codice iur. can.

Q. 186. *Quid notandum sit de potestate superiorum religiosorum.*

R. 1. Omnes superiores (superiorissae) etiam societatum approbatarum sine votis in communi viventium habent potestatem *dominativam* in suos subditos[30]. Subditi autem sunt non solum ii, qui votum oboedientiae emiserunt, sed etiam omnes alii, qui ad communitatem religiosam pertinent, ut sunt novitii, perpetui commensales etc. Vi istius potestatis possunt ea omnia, quae *paterfamilias* facere potest respectu filiorum suorum seu in societate domestica, e. gr. directe vel indirecte irritare vota privata subditorum.

2. Omnes et soli superiores *religionum clericalium exemptarum* habent insuper potestatem iurisdictionis ecclesiasticae in foro tam interno quam externo[31], ideoque sunt veri praelati[32]. Non autem possunt se intromittere in causis spectantibus ad S. Officium[33]. Hinc iurisdictionem ecclesiasticam in suos subditos non habent a) superiorissae, mulier enim non est capax iurisdictionis ecclesiasticae proprie dictae; b) superiores religionum laicalium; c) superiores religionum clericalium non-exemptarum, quales sunt complures religiones votorum simplicium. Quare isti superiores e. gr. nequeunt audire confessiones suorum subditorum, nisi sunt approbati ab Ordinario loci[34]. Superiores religiosi habentes proprie dictam iurisdictionem possunt ad normam constitutionum leges ferre (potestas legislativa), processus iuridicos instruere (potestas iudiciaria), poenas ecclesiasticas infligere (potestas coercitiva). Eorum iurisdictio similis est iurisdictioni episcopali; quare et ab auctoribus solet vocari *quasi-episcopalis* et praebet e. gr. facultatem dispensandi in legibus ecclesiasticis, qualem habent episcopi. Ita saltem generaliter; sunt enim casus, in quibus facultas dispensandi episcoporum est maior quam ea, quae competit superioribus religiosis exemptis, e. gr. quoad ordines suscipiendos.

3. Superiores maiores in religionibus clericalibus exemptis possunt notarios (vulgo offizielle Sekretäre, Gerichtsschreiber) constituere, sed tantum pro negotiis ecclesiasticis suae religionis[35]; habent ius benedicendi proprias ecclesias, imponendi primum lapidem aliaque privilegia, de quibus alibi sermo erit.

4. Quousque se extendat potestas dominativa et iurisdictio singulorum superiorum, videndum est in constitutionibus uniuscuiusque religionis.

[30] c. 501, § 1; c. 675. Complures auctores moderni, ut Vermeersch, Brandys, Raus, Biederlack, Führich etc., triplicem potestatem in superioribus religiosis ponunt; nam praeter potestatem dominativam et iurisdictionis assignant potestatem, quam vocant domesticam vel socialem. Sed haec tertia potestas reducitur ad dominativam; ideoque novus Codex rectius non distinguit nisi duas potestates sc. dominativam et iurisdictionis.
[31] c. 501, § 1. [32] c. 110. [33] c. 501, § 2.
[34] Cf. tamen c. 514. [35] c. 503.

Q. 187. *Quaenam sint praecipuae obligationes superiorum religiosorum?*

R. 1. Prima et maxima obligatio uniuscuiusque superioris est pro viribus procurare bonum spirituale et materiale subditorum suorum. Debent enim superiores religiosi esse boni pastores, qui ad instar Christi pastoris parati sint, etiam vitam dare pro ovibus sibi commissis. Imprimis curent omnes superiores, ut constitutiones et ipsi et subditi servent. Memores sint, se non esse supra constitutiones, quas ad libitum possint dispensare aut mutare. Vel ipse superior generalis non est supra constitutiones, sed ad illas tenetur sicut ceteri omnes sodales. In casu tamen particulari potest ex iusta causa dispensare et semetipsum et subditos circa nonnullas materias. — Ut superiores melius possint observantiam constitutionum invigilare, praescribitur ut in sua quisque domo ipsi commorentur nec ab eadem discedant nisi ad normam constitutionum[36]. Obligatio igitur *residentiae* incumbit superioribus religiosis.

2. Superiores *in religionibus clericalibus* (non autem alii) debent, antequam ineunt officium, emittere professionem fidei (et iuramentum antimodernisticum) coram capitulo vel superiore, qui eos nominavit, eorumve delegato[37].

3. Omnis superior debet notitiam et exsecutionem decretorum S. Sedis, *quae religiosos respiciunt,* inter suos subditos promovere. Quare superior localis curet, ut saltem semel in anno, statis diebus, publice legantur propriae constitutiones, itemque decreta, quae publice legenda S. Sedes praescribet[38]. Non autem exsistit obligatio legendi antiqua decreta, quae ante introductionem novi Codicis legi debuerunt publice. In constitutionibus uniuscuiusque religionis solent haberi statuta de lectione facienda durante prandio, quae quidem statuta fideliter observanda sunt. Saltem bis in mense (immo durante novitiatu saltem semel in hebdomada)[39] habeatur instructio christianae catechesis pro conversis et familiaribus. Praesertim in religionibus laicalibus fiat bis in mense pia exhortatio ad totam familiam religiosam[40]. Ceterum de istis exhortationibus sicuti etiam de sic dicto *capitulo culparum* solent in omnibus religionibus etiam clericalibus vigere statuta particularia, quae ad amussim observanda sunt[41].

4. Curent superiores, ut omnes religiosi:

a) quotannis spiritualibus exercitiis vacent (iuxta modum et per tempus a constitutionibus determinatum): iam non requiritur, ut ista exercitia durent per octo saltem dies, ut statuerunt Normae n. 155;

[36] c. 508. [37] c. 1406, § 1, n. 9.
[38] c. 509, § 2. Nondum exsistunt talia decreta publice legenda.
[39] c. 565, § 2. [40] c. 509, § 1 2. Cf. *M. Brandys* l. c. n. 182.
[41] Pro institutis votorum simplicium hac de re statuerunt Normae n. 167 sqq.: „Si in aliquo instituto vigeat capitulum culparum, hoc non saepius quam semel in hebdomada nec rarius quam semel in mense habeatur. Accusatio culparum limitetur ad externas transgressiones constitutionum. Poenitentiae in capitulo culparum imponendae discretionis spiritu opportune moderentur."

b) legitime non impediti cotidie Missae intersint, orationi mentali vacent, in alia pietatis officia, quae a constitutionibus praescripta sunt, sedulo incumbant;

c) ad poenitentiae sacramentum semel saltem in hebdomada accedant[42].

5. *Maiores superiores* religionum (quos ad hoc munus constitutiones designant) temporibus iure particulari definitis debent omnes domos sibi subiectas visitare per se vel, si fuerint legitime impediti, per alios[43]. Quae quidem obligatio a compluribus auctoribus censetur gravis, cum illius finis, sc. bona observantia regularis, sit gravis. Normae[44] statuerunt: „Moderatrix (generalis) totum institutum sive per se sive per aliam sororem ad hoc delegatam *singulis trienniis* vel etiam pluries, si opus fuerit, visitabit." Cum in Codice haec ordinatio non sit renovata, videtur solummodo habere valorem directivum.

Ordinarius loci per se vel per alium *quinto quoque anno* visitare debet[45]:

a) singula monialium monasteria, quae sibi vel Sedi Apostolicae immediate sunt subiecta;

b) singulas domus sive virorum sive mulierum congregationis iuris dioecesani.

Visitationem limitatam debet Ordinarius quinto quoque anno facere:

a) in monasteriis monialium, quae regularibus subduntur circa ea, quae ad clausurae legem spectant; immo etiam circa alia omnia, si superior regularis ea a quinque annis non visitavit;

b) in singulis domibus *congregationis* clericalis iuris pontificii etiam exemptae (non autem in domibus ordinis regularis) circa ea, quae pertinent ad ecclesiam, sacrarium, oratorium publicum, sedes sacramenti poenitentiae;

c) in singulis domibus congregationis laicalis iuris pontificii, non solum sicuti in domibus clericalibus exemptis, sed etiam in aliis, quae ad internam disciplinam spectant; non autem potest se ingerere in internum regimen, e. gr. quoad rem oeconomicam, quoad superiores amovendos. — Visitator ius et officium habet interrogandi religiosos, quos oportere iudicaverit, et cognoscendi de iis, quae ad visitationem spectant; omnes autem religiosi obligantur respondere secundum veritatem, nec superioribus fas est quoquo modo eos ab hac obligatione avertere aut visitationis scopum aliter impedire. A decretis visitatoris recursus datur *in devolutivo* tantum, nisi tamen visitator ordine iudiciario processit[46].

Nota. Ordinarius loci ex propria auctoritate nequit visitare domos et ecclesias (non paroeciales) regularium, cum Codex de hac re prorsus sileat, ac proinde privilegium exemptionis praevaleat.

6. *Superior generalis religionis iuris pontificii* (et idem valet de abbate primate et de abbate superiore congregationis monasticae) debet *quinto* quoque anno (vel saepius, si ita ferant constitutiones)

[42] c. 595, § 1. [43] c. 511. [44] n. 255.
[45] c. 512. Pontif. Com. d. 24 Novembris 1920 (Acta Ap. Sed. XII 575). Cf. *M. Brandys* l. c. n. 143.
[46] c. 513.

relationem de statu suae religionis ad S. Sedem mittere per documentum subsignatum a se cum suo consilio, et, si agitur de congregatione mulierum, etiam ab illo Ordinario loci, in quo suprema antistita cum suo consilio residet[47]. Normae[48] praescripserunt triennalem relationem ad S. Sedem faciendam, sed hoc nunc mutatum est, saltem de iure communi. Status religionis, de quo referendum est, videtur includere statum disciplinarem, materialem, personalem, oeconomicum. Ceterum S. Congregatio de Religiosis edidit formularium quaestionum 105, ad quas singulas respondendum est a moderatoribus generalibus institutorum vota simplicia profitentium[49].

7. In qualibet saltem formata domo, minimum semel in mense, habeatur solutio casus moralis et liturgici, cui, si superior opportunum existimaverit, addi potest sermo de re dogmatica coniunctisve doctrinis. Omnes clerici professi, qui studio s. theologiae operam navant aut illud expleverunt et in domo degunt, assistere tenentur, nisi aliud in constitutionibus caveatur[50]. De hac re iam exstiterunt ordinationes Clementis VIII et Urbani VIII, quae omnes nunc modificatae sunt iuxta superius dicta. Si tales conferentiae non habentur (etiam in domibus non formatis), tunc omnes religiosi, qui facultatem audiendi confessiones ab Ordinario obtinuerunt, debent interesse conferentiis habendis pro clero saeculari in civitate episcopali et in singulis vicariatibus foraneis[51]; quodsi renuunt, possunt ab Ordinario loci suspendi ab audiendis saecularium confessionibus[52]. — Per transennam sit iterum notatum, religiosos curam animarum gerentes (e. gr. religiosos parochos) debere interesse istis conferentiis pro clero saeculari praescriptis sicut ceteros parochos.

8. Maxima cura superiorum religiosorum debet esse, ut subditi, quippe qui religionem ingressi sint ad salutem aeternam securius assequendam, bene praeparati moriantur. Hinc in omni religione clericali (etiam non-exempta) ius et officium superioribus est, per se vel per alium, aegrotis professis, novitiis aliisve in religiosa domo (non autem in domo adiacente) diu noctuque degentibus (aut famulatus, aut educationis, aut hospitii, aut infirmae valetudinis causa) Eucharisticum Viaticum et Extremam Unctionem ministrandi[53]. Ad audiendas confessiones istorum subditorum superiores clericales non-exempti egent iurisdictione delegata ab Ordinario loci, non autem superiores clericales exempti[54]. In monialium domo idem ius et officium habet confessarius ordinarius eiusve vicesgerens[55]. In alia religione laicali et notanter in religionibus mulierum hoc ius et officium spectat per se ad parochum, ordinarie tamen ad capellanum, quem Ordinarius parocho suffecit[56]. De iure et officio superioris in funeribus suorum subditorum infra lib. 3, c. 2 specialiter tractabitur.

[47] c. 510. [48] n. 262.
[49] Instruct. S. C. de Rel. d. 25 Mart. 1922 (Acta Ap. Sed. XIV 278 sqq).
[50] c. 591. [51] c. 131, § 3. [52] c. 2377. [53] c. 514, § 1.
[54] c. 875, § 1. [55] Ib. § 2. [56] c. 514, § 3.

Scholion. De titulis honorificis. In nonnullis religionibus exsistebant tituli honorifici satis curiosi. Sic e. gr. alicui religioso concedebatur titulus exprovincialis, quamvis numquam munus provincialis obierit. Nunc statutum est: „Prohibentur tituli dignitatum vel officiorum mere honorifici; soli, si id permittant constitutiones, *tolerantur* tituli officiorum maiorum, quibus religiosi in propria religione reapse functi sint.“[57] Ergo videntur prohiberi quoque tituli provincialis alicuius provinciae iam amplius non exsistentis, vel magistri in theologia honoris causa, nisi tamen adsit indultum Apostolicum[58]. Religiosae humilitati conformius esse videtur, ut religiosus, postquam aliquo officio functus est, nullum titulum honorificum officii peracti nullumque aliud commodum terrenum habeat et ipsi sola remuneratio remaneat apud Deum, cui se totum devovit in professione religiosa. Tituli autem academici, per legitima examina acquisiti, ut e. gr. doctoris aut magistri in Theologia, religiosis minime prohibentur, quoniam non sunt tituli mere honorifici, sed testimonia scientiae acquisitae.

CAPUT II.

De confessariis et capellanis.

Praenotamen. Disciplina de confessariis religiosis et de confessariis religiosorum multum mutata est in novo iure. Antiqua statuta hac in re non iam valent, nisi in quantum in novo iure recepta sunt. Novi iuris tendentia, si ita fas est loqui, est: concedere amplissimam libertatem confitendi et omnes fere restrictiones antiquitus exsistentes abolere. De confessariis religiosis seu clarius de confessariis ex clero regulari tractabimus infra, ubi sermo erit de privilegiis religiosorum. In hoc capite solummodo loquemur de confessariis religiosorum seu de confessariis, qui audiunt confessiones personarum religiosarum.

Q. 188. *Quomodo breviter et summarie possit exprimi vigens disciplina circa confessiones personarum religiosarum?*

R. Omnes personae religiosae habent (in casu saltem particulari) eandem confitendi libertatem sicut ceteri fideles, ac proinde restrictiones veteris iuris, quamvis non omnes abolitae sint, in casu particulari possunt cessare. Ut hoc principium clarius explicetur, separatim agendum est de confessariis in religionibus clericalibus et in religionibus laicalibus sive sexus feminei sive sexus masculini.

Q. 189. *Quid statuat ius circa confessarios in religionibus clericalibus?*

R. 1. In singulis religionis clericalis domibus deputentur plures pro sodalium numero confessarii legitime approbati cum potestate, si agitur de religione exempta, absolvendi etiam a casibus in religione reservatis[59]. *Deputatio* istorum confessariorum pertinet ad superiorem religiosum, et quidem, ut videtur, valde convenienter non ad superiorem localem, sed ad superiorem maiorem vel ad capitulum. *Approbatio* autem et iurisdictio concedi possunt aut ab Ordinario loci aut in religionibus cleri-

[57] c. 515. [58] Cf. *L. Fanfani*, De iure religosorum ² n. 118 sqq.
[59] c. 518, § 1.

calibus *exemptis* a superiore[60]. Quis sit iste superior, utrum generalis an provincialis an localis, determinandum est ex iure particulari uniuscuiusque religionis. Ordinarius loci et superior (in religione clericali exempta) possunt iurisdictionem istam concedere sacerdotibus non solummodo eiusdem religionis, sed etiam alius religionis et sacerdotibus e clero saeculari. Quare e. gr. si sacerdos Dominicanus praedicet exercitia spiritualia in monasterio Benedictinorum, abbas huius monasterii potest illi iurisdictionem concedere ad audiendas confessiones monachorum monasterii. Eandem iurisdictionem concedere quoque potest episcopus loci, in quo monasterium situm est[61].

2. Ne ullo prorsus modo scientia ex confessione hausta adhibeatur ad regimen externum religionis, ius novum statuit, ut omnes superiores religiosi caveant, ne quem subditum ullo modo inducant (aut ipsi per se aut per alium vi, metu, importunis persuasionibus etc.), ut peccata sua apud se confiteatur[62]; immo *per modum habitus* superiores ne audiant confessiones subditorum. Solummodo si subditi sponte sua ac motu proprio id petant, superiores possunt aliquando eorum confessiones audire[63]. Cum magister novitiorum eiusve socius sint superiores in novitiatu, prohibentur audire confessiones suorum novitiorum, nisi in casu particulari aliquis novitius ex gravi et urgenti causa id sponte petierit[64]. Cum autem magister spiritus non soleat esse superior proprie dictus, nihil obstat, ne audiat confessiones studentium[65].

3. Ut ex supra dictis n. 1 patet, in unaquaque domo religiosa sint plures confessarii deputati ad audiendas confessiones religiosorum. Nihilominus si aliquis religiosus (etiam exemptus) adit (ad suae conscientiae quietem) alium confessarium ab Ordinario loci approbatum, valide et licite confitetur. Immo in hoc casu confessarius sic electus potest poenitentem absolvere pro foro interno etiam a peccatis et censuris in religione reservatis[66]. Revocatur quodlibet privilegium contrarium forte alicui religioni in hac materia concessum — De absolutione pro foro externo nihil est mutatum in novo iure.

Ex hoc statuto fere inutilis evadit reservatio casuum in ordinibus clericalibus. Clemens VIII[67] decrevit, „ut nemo ex regularium superioribus peccatorum absolutiones sibi reservet, exceptis iis, quae sequuntur, aut omnibus aut eorum aliquot, prout subditorum utilitati expedire prudenter in Domino iudicaverit: 1. veneficia, incantationes, sortilegia; 2. apostasia a religione; 3. nocturna ac furtiva e monasterio egressio; 4. proprietas contra votum paupertatis, quae sit peccatum mortale; 5. iuramentum falsum in iudicio regulari seu legitimo; 6. procuratio, auxilium seu consilium ad abortum post

[60] c. 874 et 875.

[61] Num autem superior religiosus possit subdito suo itineranti facultatem concedere confitendi apud quemcumque sacerdotem, etiam non approbatum ab Ordinario suo, videtur valde dubium. Affirmat quidem Fanfani l. c n. 127 (b), sed non probat.

[62] c. 518, § 3. [63] Ib. § 2. [64] c. 891.

[65] Cf. *Vermeersch*, Periodica IX 12. [66] c. 519.

[67] Const. „Sanctissimus Dominus" d. 26 Maii 1593.

animatum foetum, etiam effectu non secuto; 7. falsificatio manus aut sigilli officialium monasterii; 8. furtum grave de rebus monasterii; 9. lapsus carnis voluntarius opere consummatus; 10. occisio aut gravis percussio iniusta alicuius personae; 11. malitiosum impedimentum aut retardatio aut aperitio litterarum a superioribus ad inferiores et ab inferioribus ad superiores.... Si quod aliud praeterea peccatum grave pro religionis conservatione aut pro conscientiae puritate reservandum videbitur, id non aliter fiat quam generalis capituli in toto ordine aut provincialis in provincia matura discussione et consensu." Hoc decretum Clementinum videtur esse revocatum per Codicem. Cum autem episcopis praescriptum sit, ne plus quam tres aut quattuor casus sibi reservent, peropportunum videtur, ut reservatio casuum etiam in ordinibus magis ac magis restringatur. — Superiores in congregationibus religiosis nequeunt sibi casus reservare.

4. Superior religiosus religionis clericalis exemptae potest quidem ex iusta causa prohibere aliquem sacerdotem subditum a confessionibus audiendis, sed, si iste confessarius obtinuit iurisdictionem ab Ordinario loci, potest nihilominus valide absolutionem sacramentalem impertire. Patet ex dictis[68]. Illicite tamen agit talis confessarius, nisi agitur de confessione alicuius religiosi, qui ad suae conscientiae quietem confitetur.

Q. 190. *Quid statuat ius circa confessarios in religionibus laicalibus cum mulierum tum virorum?*

R. 1. Singulis domibus istarum religionum unus dumtaxat detur confessarius *ordinarius*, qui sacramentales confessiones universae communitatis excipiat, nisi tamen propter magnum numerum membrorum communitatis vel aliam iustam causam sit opus altero vel pluribus[69]. Si quod membrum communitatis ad animi sui quietem et ad maiorem in via Dei progressum aliquem specialem confessarium vel moderatorem spiritualem postulet, eum facile concedat Ordinarius (non ad tempus praefixum, sed donec perdurat spiritualis utilitas postulantis); Ordinarius tamen invigilet, ne ex hac concessione abusus irrepant[70]. Immo si tale membrum non petit, ut specialis confessarius veniat pro eius confessione audienda in ipsam domum communitatis, sed si adit[71] con-

[68] c. 874, § 1.

[69] c. 520, § 1. — S. Congregatio de Rel. d. 3 Iul. 1916 ad III (Linzer Quartalschrift 1916, p. 898) statuit, ut pro parvis communitatibus, quae non computant plus quam sex membra, non necessario sit deputandus confessarius ordinarius; sed hoc statutum non videtur esse iuris communis, eo vel magis, cum S. Congregatio de Rel. d. 10 Ian. 1920 ad archiepiscopum Pragensem et d. 18. Ian. 1921 ad episcopum Osnabrucensem feratur respondisse contrarium.

[70] c. 520, § 2.

[71] In c. 522 non iam requiritur, ut religiosa mulier adeat *extra propriam domum* confessarium, sicuti statuit decretum S. Congr. de Rel. d. 3 Febr. 1913, n. 1. Proinde e. gr. si quis confessarius, a loci Ordinario approbatus ad audiendas confessiones mulierum (quamvis non approbatus pro audiendis confessionibus religiosarum), visitandi causa est in aliqua domo sororum vel monialium, aliqua soror vel monialis potest ad suae conscientiae tranquillitatem libere confiteri apud istum confessarium in loco ad audiendas mulierum confessiones destinato.

fessarium, ab Ordinario loci rite approbatum in aliqua ecclesia vel oratorio publico aut semipublico, valide et licite potest confiteri et absolvi. Neque superior (superiorissa) id prohibere potest aut de eo inquirere directe vel indirecte. Tale membrum non tenetur referre superiori, se velle confiteri aut se hoc modo confessum esse[72]; tenetur autem petere debitam exeundi licentiam, quam superior negare non potest nisi ex iusta causa. In ipso textu canonis indicatur quidem, ut confessio fiat in „*ecclesia vel oratorio etiam semipublico*", sed haec limitatio neque validitatem neque (accedente rationabili causa) liceitatem confessionis afficere videtur. Quare si e. gr. aliquis religiosus Alexianus confitetur ex rationabili causa in camera privata alicuius confessarii approbati ab Ordinario loci, valide et licite confitetur[73]. Item, si mulier religiosa confitetur in loco ad audiendas confessiones mulierum legitime destinato[74].

Confessarius ordinarius *religiosarum* debet habere sequentes qualitates:

a) Sit aetatis saltem quadraginta annorum, nisi Ordinarius ex rationabili causa ab hac conditione aetatis dispensaverit; sit sacerdos sive saecularis sive religiosus eminens morum integritate et prudentia[75].

b) Suum munus ne exerceat ultra triennium. Ordinarius tamen eum ad secundum, immo etiam ad tertium triennium confirmare potest, si α) vel ob sacerdotum ad hoc officium idoneorum penuriam aliter providere nequeat, vel β) maior religiosarum sodalium pars (earum quoque, qui in aliis negotiis ius non habent suffragium ferendi, e. gr. sororum laicarum) in eiusdem confessarii confirmationem *per secreta suffragia* convenerit. Dissentientibus autem religiosis, tunc, si velint, aliter providendum est[76], e. gr. concedendo alium confessarium. Confessarius ordinarius, expleto suo munere (triennali, aut, ex dispensatione, sexennali vel novennali), nequit iterum deputari confessarius ordinarius in eadem communitate, nisi post intervallum saltem unius anni[77].

c) Non potest deputari confessarius is, qui habet potestatem *in foro externo* in communitatem[78]. Quare e. gr. Vicarius generalis nequit esse confessarius alicuius communitatis non exemptae, pariter superior regularis pro monialibus sibi subiectis.

2. Deputatio confessarii ordinarii pertinet ad Ordinarium loci. Sin autem aliqua communitas religiosa subiecta est iurisdictioni superioris regularis, tunc huius officium et ius est praesentare confessarios, sed ad episcopum loci pertinet eosdem approbare. Quodsi superior regularis neglexerit hanc praesentationem, episcopi est confessarios designare et approbare[79]. Nullus sacerdos (exceptis Em. Cardinalibus) potest valide esse confessarius ordinarius vel extraordinarius religiosarum et novitiarum sine speciali iurisdictione concessa ab Ordinario loci[80]. Talis iurisdictio specialis non requiritur ad *valide* audiendas confessiones religiosorum laicorum.

[72] c. 522. [73] Cf. S. C. de Rel. d. 3 Iul. 1916 ad 1.
[74] Pontif. Com. d. 24 Nov. 1920 (Acta Ap. Sed. XII 575).
[75] c. 524, § 1. [76] c. 526. [77] c. 524, § 2.
[78] Ib. § 1. [79] c. 525. [80] c. 876.

3. Praeter confessarium ordinarium adsint pro qualibet communitate religiosarum: a) confessarius *extraordinarius;* b) confessarii supplentes.

4. Confessarius *extraordinarius* quater saltem in anno accedere debet ad domum religiosam, et omnes sodales illi se sistere debent saltem benedictionem recepturae[81]. Valde salutariter statutum est, ut omnes sodales se sistere debeant confessario extraordinario; secus enim accidere posset, ut aliqua sodalis ex timore humano non auderet confiteri apud confessarium extraordinarium, videns alias sodales confiteri semper apud confessarium ordinarium. Generatim praestat, ut sodales non solum petant benedictionem a confessario extraordinario, sed etiam apud ipsum confiteantur.

Confessarius extraordinarius easdem qualitates habere debet, quae supra n. 1 indicatae sunt pro confessario ordinario. Attamen duplex est differentia: a) nullum tempus determinatum est pro eius officio; b) potest immediate designari eiusdem communitatis confessarius ordinarius; non autem vice versa confessarius ordinarius expleto officio potest immediate designari confessarius extraordinarius[82].

5. Confessarii *supplentes* ii sunt sacerdotes (saltem duo) habitualiter ab Ordinario loci designati pro aliqua communitate religiosa, qui possunt facile accersiri in casibus particularibus ad audiendas confessiones vel totius communitatis vel alicuius membri, quin sit necessarium adire toties quoties ipsum Ordinarium[83]. Si quod membrum communitatis petit, ut talis confessarius supplens advocetur, nulli superiori liceat nec per se nec per alios nec directe nec indirecte petitionis rationem inquirere, petitioni verbis aut factis refragari aut quavis ratione ostendere se id aegre ferre[84]. — Tales confessarii supplentes non praecipiuntur pro communitatibus virorum laicorum.

6. Si quis sodalis religiosus graviter aegrotat (licet mortis periculum absit), potest arcessere quemlibet confessarium approbatum[85] eique perdurante gravi infirmitate, quoties voluerit, confiteri; nec superior potest hoc prohibere sive directe sive indirecte[86]. Ratio huius statuti est obvia. Pia enim mater Ecclesia vult religiosis filiis suis aegrotis largiri maximam libertatem confitendi, ut aeterna salus animarum efficacissime promoveatur.

7. Omnes confessarii nullo modo se immisceant interno vel externo regimini communitatis[87].

8. Loci Ordinarius potest ob gravem causam quemcumque confessarium religiosae communitatis amovere. Quod quidem valet, etiam si confessarius amovendus est regularis exemptus, aut si communitas religiosa subiecta est regularibus. Nec tenetur Ordinarius loci causam

[81] c. 521, § 1. Conveniens est, quamvis Codex id non expresse statuat, ut etiam viri religiosi laici quater saltem in anno accedant ad confessarium extraordinarium.
[82] c. 524, § 2. [83] c. 521, § 2. [84] Ib. § 3.
[85] Si agitur de religiosa muliere aegrotante, requiritur, ut confessarius arcessendus sit approbatus ab Ordinario loci ad mulierum confessiones excipiendas.
[86] c. 523. [87] c. 524, § 3.

amotionis cuicumque manifestare, excepta S. Sede, si ab ea id exigitur. Si tamen agitur de monasterio regularibus subiecto, debet superiorem regularem monere[88].

Q. 191. *Ad quem pertineat designare capellanum in religionibus sive virorum sive mulierum?*

R. Si agitur de religionibus laicalibus non exemptis sive mulierum sive virorum, pertinet ad Ordinarium loci designare capellanum, qui in oratoriis functiones liturgicas peragat et conciones habeat; sin vero agitur de exemptis religionibus, e. gr. de monialibus exemptis, idem officium pertinet ad superiorem regularem; qui, si hoc officium neglexerit, suppleatur ab Ordinario loci[89]. De istis capellanis valent ea, quae supra q. 167 sqq. dicta sunt de rectoribus ecclesiarum. Eorum munus solet accurate definiri ab episcopo non quidem pro libitu, sed secundum normas iuris. Per se nihil obstat ne iste capellanus sit simul confessarius; sed saepe expedit ut haec duo officia non ab eodem sacerdote impleantur.

Q. 192. *Quid statuat ius de sic dicta manifestatione conscientiae?*

R. In nonnullis religionibus mos exsistebat, ut subditi statum suae conscientiae superiori manifestarent *extra confessionem,* eo fine, ut ipsi a superiore intime cognoscerentur tam in moribus quam in affectibus et propensionibus. Quae quidem manifestatio conscientiae potest optimos fructus producere. Coniunctio enim filialis inter subditum et superiorem fit arctior; subditus melius ducitur in via virtutis; bonum instituti magis promovetur, cum superior perfecte cognoscens omnes subditos melius valeat assignare unicuique officia propria et utilia cum pro ipso subdito tum pro toto instituto. Ex altera autem parte etiam gravissima incommoda oriri possunt, si haec manifestatio conscientiae est obligatoria. Etenim officium superiorum est temporale et transitorium; est igitur intolerabile fere onus, si subditus, labente tempore, forte decem diversis superioribus omnia intima sui cordis manifestare cogitur, idque extra confessionem. Deinde aliquando superiores sunt tot imperfectionibus maculati, ut difficillimum sit subditis omnimodam confidentiam etiam in rebus intimis illis praebere. Demum accidere potest, praesertim in institutis feminarum, ut res revelatae non tegantur alto secreto et inde oriantur iustae querelae. Ad hos aliosque abusus funditus eliminandos Leo XIII per decretum „Quemadmodum" d. 17 Dec. 1890 hanc manifestationem conscientiae in omnibus institutis laicalibus abolevit. Destricte prohibuit superioribus et superiorissis, cuiuscumque gradus et praeeminentiae sint, ne personas sibi subditas inducere pertentent, directe aut indirecte, praecepto, consilio, timore, minis aut blanditiis, ad huiusmodi manifestationem conscientiae sibi peragendam. Quae quidem prohibitio nunc extensa est ad omnes omnino religiones (etiam clericales)[90]. Non tamen prohibentur subditi, quominus *libere ac ultro* aperire animum suum superioribus valeant; immo expedit, ut ipsi filiali cum fiducia superiores adeant et iis, *si sint sacerdotes,* dubia quoque et anxietates suae conscientiae exponant[91]. Hoc praesertim valet de novitiis erga magistrum novitiorum.

[88] c. 527. [89] c. 529. [90] c. 530, § 1.

CAPUT III.

De bonis temporalibus eorumque administratione.

Infra in libro tertio, parte sexta, amplior sermo erit de ecclesiasticis bonis temporalibus. Hic solummodo agitur de bonis temporalibus ad instituta religiosa pertinentibus.

Q. 193. *Cui competat ius possidendi et acquirendi bona temporalia?*

R. Apprime distinguendum est ius proprietatis a iure possessionis. Possessio est actualis occupatio alicuius rei, abstrahendo, utrum possessa res sit propria possidentis, annon. Proprietas autem est facultas disponendi de aliqua re tamquam sua. Codex iur. can. non adhibet verbum proprietatis, loquens de bonis temporalibus institutorum religiosorum, sed verba acquirendi et possidendi; at cum iisdem verbis utatur[92] tractans de iure universae Ecclesiae in bona temporalia, cumque sit certissimum, Ecclesiam habere ius proprietatis in bona temporalia, aeque certum est, instituta religiosa habere ius proprietatis. Non autem solum tota aliqua religio, sed etiam provincia et domus sunt capaces huiusmodi iuris, nisi tamen earum capacitas in regulis et constitutionibus excludatur aut coarctetur[93]. De diversis modis, quibus instituta religiosa et generatim personae morales ecclesiasticae acquirere possint bona temporalia, tractabitur infra libro tertio, parte sexta. De modo autem acquirendi bona per quaestuationem sermo erit infra de privilegiis religiosorum. Incapacia cuiuscumque proprietatis temporalis sunt nonnulla instituta religiosa, e. gr. Capucini.

Nota. In illis religionibus, in quibus singulae domus habent ius proprietatis, superior maior aut generalis nequit sine aperta iniustitia de bonis istarum domorum disponere. Potest quidem superior maior iustas praestationes imponere, servatis servandis, sicut princeps civilis potest iusta tributa imponere bonis privatorum; sed nihil aliud potest disponere de bonis istarum domorum.

Q. 194. *Quid notandum sit de administratione bonorum, quae ad instituta religiosa pertinent?*

R. 1. Bona cum totius religionis tum provinciae tum domorum administrentur ad normam constitutionum[94]. Observandum igitur est statutum de deposito seu de capsa claudenda triplici clave[95], item ius particulare uniuscuiusque religionis, salvis tamen statutis infra indicandis de alienatione bonorum ecclesiasticorum.

[91] c. 530, § 2. Cf. *Biederlack-Führich,* De religiosis n. 51. [92] c. 1495.
[93] c. 531. [94] c. 532, § 1. [95] S. C. de Rel. d. 30 Iul. 1909.

2. Expensas et actus iuridicos *ordinariae* administrationis valide faciunt tam superiores legitimi quam officiales, qui in constitutionibus ad hoc designantur[96]. Quid sub nomine ordinariae administrationis intelligatur, solet in constitutionibus determinari; generatim autem includit debitam conservationem substantiae atque ipsius fructuum legitimum usumfructum.

3. Ad administrationem bonorum aliqualiter pertinet quoque *collocatio pecuniae*. Collocatio hodie fit non solum dando pecuniam ad percipiendum foenus (vulgo Interessen, Zinsen), sed etiam emendo syngraphas debiti publici, obligationes aliosque titulos pecuniarios. Quare non requiritur beneplacitum apostolicum, si administratores bonorum ecclesiasticorum volunt ex propria pecunia emere e. gr. pro 50000 francorum tales titulos. Per se patet pecuniam alicuius instituti religiosi numquam collocandam esse in institutis nummulariis dubiis vel in sic dictis speculationibus pecuniariis. — Ut evitentur abusus et incommoda, requiritur ante quamlibet collocationem pecuniae aut ad mutationem collocationis consensus *Ordinarii* loci in sequentibus casibus[97]:

a) in quavis collocatione pecuniae facienda α) ab antistita monialium aut β) a superiorissa religionis iuris dioecesani. Si monialium monasterium est superiori regulari subiectum, requiritur insuper consensus istius.

b) in collocatione pecuniae, quae data est ad constituendam dotem alicuius religiosae professae.

c) in collocatione pecuniae, quae data aut legata est superiori aut antistitae domus congregationis religiosae pro fundatione pia in cultum Dei aut in beneficentiam eo ipso loco impendendam. Ad Ordinarium enim loci pertinet invigilare super tales fundationes pias exsequendas in proprio territorio[98]. Quare religiosi etiam exempti congregationum religiosarum, quamvis tales fundationes iuxta c. 1550 possint acceptare cum sola licentia proprii superioris maioris, tamen videntur pecuniam inde acceptam non posse *collocare* sine licentia Ordinarii loci[99]. *Regulares* autem proprie dicti videntur nullo modo indigere licentia Ordinarii loci neque ad acceptandas neque ad collocandas pias fundationes.

d) in collocatione pecuniae, quae data est religioso cuilibet (etsi est alumnus ordinis regularis) intuitu paroeciae vel missionis[100].

In omnibus istis collocationibus videtur agi de collocatione *permanenti*, non autem breviter transeunti. Quare e. gr. antistita monialium non indiget qualibet vice licentia expressa episcopi, si vult collocare summam 200 marcarum in mensa nummularia tuta, ex qua pecunia post breve tempus iterum extrahetur. Videtur tunc sufficere, cum talis collocatio pecuniae secundum vigentem usum pertineat ad ordinariam administrationem bonorum religiosorum, ut antistita semel pro semper obtineat licentiam episcopi. Per se autem patet, pecuniam semper esse collocandam tuto moraliter modo, cum tristi experientia satis superque constet, pecuniam ecclesiasticam haud semel esse perditam propter incertas collocationes.

96 c. 532, § 2. 97 c. 533.

98 Complures auctores, ut Fanfani (l. c. n. 155), Vermeersch (l. c. n. 606), putant licentiam Ordinarii loci non requiri, si talis pecunia data est non domui, sed provinciae vel Congregationi, pariter si pecunia est impendenda extra locum.

99 Ita quoque *Biederlack-Führich* l. c. n. 54; c. 1550 non ita facile conciliatur cum c. 533, § 3. Quare nonnulli scriptores putant in hoc ultimo loco non esse sermonem nisi de congregationibus non exemptis; cf. *Jansen* l. c. p. 279, *Vermeersch* l. c. I, n. 606.

100 c. 533, § 1. In hoc ultimo casu sufficere videtur licentia Ordinarii loci missionis vel paroeciae.

Q. 195. *Quid statutum sit de ratione administrationis reddenda in institutis religiosis?*

R. 1. Imprimis observandae sunt constitutiones uniuscuiusque instituti religiosi. Memores sint omnes administratores: a) se non esse proprietarios, sed solum administratores istorum bonorum; b) se graviter peccare, si non observando constitutiones cum magna incuria notabile damnum aut lucrum cessans causaverint.

2. In *monasteriis monialium* administrationis ratio (gratis exigenda) reddatur semel in anno, aut etiam saepius in anno, si id in constitutionibus praescribitur, ab antistita a) Ordinario loci; b) etiam superiori regulari, si monasterium est iurisdictioni regularium subiectum[101]. Si haec ratio administrationis ab Ordinario non probatur, ipse potest et debet opportuna remedia adhibere, etiam removendo, si res postulet, oeconomam aliosque administratores. Si monasterium est subiectum superiori regulari, eum moneat Ordinarius, ut prospiciat; quodsi ille neglexerit, ipse per se consulat[102]. In omnibus igitur monasteriis monialium Ordinarius loci debet attente invigilare administrationi rerum materialium. Ratio est obvia.

3. In aliis mulierum religionibus ratio administrationis bonorum, *quae dotes sororum* constituunt, Ordinario loci reddatur occasione visitationis, quae saltem quinto quoque anno fieri debet. Potest tamen Ordinarius etiam saepius talem rationem administrationis exigere[103]. De dote infra titulo XI, c. 2 amplior sermo redibit.

In omnibus domibus *iuris dioecesani* Ordinario loci reddenda est ratio administrationis de omnibus omnino bonis, prout Ordinarius libere determinavit. Talia enim instituta sunt omnimode sub potestate Ordinarii[104].

4. Ordinarius loci non habet ius exigendi rationem administrationis de aliis bonis alicuius congregationis iuris pontificii. Si igitur aliqua congregatio religiosa obtinuit a S. Sede decretum laudis, episcopus in visitatione potest et debet exigere rationem administrationis a) dotum, b) fundorum et legatorum datorum ad Dei cultum et beneficentiam; sed non debet se (auctoritate propria) immiscere in alias administrationes materiales[105].

101 c. 535, § 1, n. 1. Pontif. Com. d. 24 Nov. 1920 (Acta Ap. Sed. XII 575).

102 c. 535, § 1, n. 2. 103 Ib. § 2. 104 Ib. § 3. 105 c. 618, § 2, n. 1.

Q. 196. *Quid statutum sit de alienatione bonorum, quae pertinent ad instituta religiosa?*

R. 1. Alienatio hic sumitur generalissime pro qualibet actione, qua bona materialia ecclesiastica quoad pretium vel quoad possessorem mutantur, sive hoc fiat venditione sive commutatione sive locatione ultra triennium sive emphyteusi sive hypotheca, sive donatione sive cessione iuris. Hoc constat ex multis textibus antiqui iuris[106], quod non videtur esse in hac re mutatum. Constat quoque ex c. 1533: „Sollemnitates ad normam c. 1530—1532 requiruntur non solum in alienatione proprie dicta, sed etiam *in quolibet contractu, quo condicio Ecclesiae peior fieri possit.*" Iam vero in omnibus contractibus supra recensitis condicio Ecclesiae facile potest peior fieri[107]. Requiritur autem, ut aliquis verus *contractus* (sive gratuitus sive onerosus) intercedat. Nam si quis furatur bona ecclesiastica vel ea damnificat diversis modis, peccat quidem, sed non incurrit in poenas ecclesiasticas latas contra illegitime ea alienantes. Repudiatio quoque illegitima *hereditatis* vel legati Ecclesiae facti videtur esse alienatio, cum ex hereditate vel legato revera enascatur Ecclesiae ius quaesitum. Porro cessio iuris est vera alienatio, ut canonistae communiter docent.

2. In omni alienatione bonorum ecclesiasticorum sedulo curent illi, quibus hoc officium incumbit, ne detrimentum capiat Ecclesia aut institutum religiosum. Quare e. gr. res non debet alienari minore pretio, quam quod in prudenti aestimatione iudicatur. Haud raro quoque observandae sunt formalitates a lege civili praescriptae pro validitate

[106] e. gr. c. 3 X 3, 24; c. 5 X 3, 13; c. 6 X 3, 17; c. 1 3 4 6 X 3, 19; c. 2 X 3, 20.

[107] Exsistit difficultas, num alienatio vel permutatio titulorum ad latorem (Inhaberpapiere, titres au porteur) sit alienatio requirens formalitates iuris. S. Congregatio Conc. d. 17 Febr. 1906 respondit ad sequentia quaesita: „1. An in alienatione publicarum versurarum (vulgo titoli publici di credito al portatore) spectantium ad entia ecclesiastica vel causas pias subiectas Ecclesiae tutelae requiratur apostolicum beneplacitum prout in alienatione bonorum immobilium et rerum pretiosarum? 2. An idem beneplacitum requiratur in *permutatione* earundem in alias publicas versuras vel valores etiam immobiles? 3. An venditores ac emptores subiaceant poenis ecclesiasticis statutis a Conc. trid. sess. 22, c. 11 de reform. ab Extrav ‚Ambitiosae', et a const. ‚Apostolicae Sedis'? ℟ Ad 1 Affirmative. Ad 2 Affirmative, excepto casu urgentis necessitatis, in quo periculum sit in mora, et tempus non suppetat recurrendi ad S. Sedem, habito tamen in his adiunctis Ordinarii beneplacito, et sub lege, ut permutatio fiat in titulis quam maxime tutis. Ad 3 Affirmative quoad poenas in Extrav. ‚Ambitiosae' et in const. ‚Apostolicae Sedis' statutas" (Collect. de Prop. Fide n. 2229). Quae quidem responsio videtur esse omnino clara et allegatur quoque in Codice iur. can. c. 1539, § 2, ubi tamen statuitur contrarium: „Administratores (bonorum ecclesiasticorum) possunt titulos ad latorem quos vocant *commutare* in alios titulos magis aut saltem aeque tutos ac frugiferos, exclusa qualibet commercii vel negotiationis specie, ac de consensu Ordinarii, dioecesani Concilii administrationis aliorumque, quorum interest." Haec discrepantia difficulter intelligi potest. Sed cum semper liceat sequi Codicem iur. can., religiosi aliique administratores non sunt inquietandi, si titulos possessos *commutant* in alios aeque aut magis tutos sine beneplacito apostolico. Videtur enim revocata responsio S. Congregationis supra citata. Ita quoque *Jansen* l. c. p. 285; *Fanfani* l. c. n. 158.

contractuum. Pecunia autem ex alienatione percepta caute, tuto et utiliter in commodum instituti religiosi collocetur[108], obtentis licentiis, de quibus infra sermo erit.

3. Ad valide alienanda bona ecclesiastica non solum requiritur, ne religiosum institutum aliquid detrimenti capiat, sed etiam exiguntur diversae formalitates iuridicae, scilicet:

a) *beneplacitum apostolicum* requiritur sub poena nullitatis contractus in quattuor casibus:

α) si agitur de alienandis bonis vel rebus, quae valore excedunt summam 30 000 francorum[109]. Nihil refert, utrum ista bona sint immobilia an mobilia.

β) si agitur de alienandis *rebus pretiosis.* Res autem pretiosae censentur non solum eae, quae habent valorem materialem 30 000 francorum, sed etiam eae, quae ex iudicio peritorum habent magnum valorem vel artisticum vel litterarium vel archaeologicum vel religiosum[110]. Tales res pretiosae sunt e. gr. picturae artificiosae vel antiquae, manuscripta valde rara etc.

γ) si agitur de contrahendis debitis et obligationibus ultra summam 30 000 francorum[111].

δ) si agitur de locatione, cuius valor excedit 30 000 francorum et cuius duratio est ultra novennium[112].

b) *licentia in scriptis data* a superiore (locali, provinciali, generali, ad normam constitutionum) cum consensu sui capituli seu consilii per secreta suffragia manifestato requiritur et sufficit, si agitur de bonis ecclesiasticis alienandis vel debitis contrahendis, quae non comprehenduntur sub quattuor categoriis supra indicatis[113], sc. quae neque habent valorem 30 000 francorum neque sunt pretiosa neque sunt debita vel obligationes 30 000 francorum neque sunt locatio valoris 30 000 francorum, vel saltem si locatio est ad tempus novennio minus. Haec valent pro omnibus institutis iuris pontificii, exceptis monialibus, de quibus statim sermo erit; valent igitur pro omnibus ordinibus, pro omnibus iuris pontificii congregationibus religiosis virorum et mulierum. Non requiritur ergo, ut omnia ista instituta sint exempta a iurisdictione Ordinarii loci.

c) si agitur de iisdem bonis vel rebus, quae sub b) indicatae sunt, sed quae pertinent ad moniales vel ad sorores iuris dioecesani, requiritur

[108] c. 1531.

[109] Cum valor pecuniae hodie sit valde diminutus, cumque sit varius iuxta diversas regiones, 30 000 francorum forte non debent computari iuxta valorem, quem habent nunc, sed iuxta valorem, uti dicunt, *aureum*.

[110] Cf. c. 1497, § 2. Donaria votiva (quae solent appendi ad nonnulla loca vel imagines) numquam possunt alienari sine beneplacito apostolico. S. C. Cons. d. 12 Iul. 1919 et d. 14 Ian. 1922 (Acta Ap. Sed. XI 419 et XIV 161).

[111] In decr. S. C. de Rel. d. 30 Iul. 1909 (II) iam requirebatur beneplacitum apostolicum, si debita contrahenda attingebant summam 10 000 francorum. Sed hoc statutum non amplius viget.

[112] c. 1541, § 2, n. 1.

[113] c. 534.

et sufficit consensus in scriptis praestitus Ordinarii loci necnon superioris regularis, si monialium monasterium eidem subiectum est[114].

Nota. 1. In precibus pro obtinendo consensu (sive S. Sedis sive Ordinarii sive superioris religiosi) *ad contrahenda debita vel obligationes* exprimi debent alia debita vel obligationes, quibus ipsa persona moralis, nempe religio vel provincia vel domus, ad eum diem gravatur; secus obtenta venia invalida est[115]. Ratio huius statuti obvia est, quia talis venia nequit convenienter concedi, nisi S. Sedes vel Ordinarius vel superior competens clare cognoscat statum materialem personae moralis petentis.

Nota. 2. Instructio satis severa S. C. de Rel. d. 30 Iulii 1909 „circa debita et obligationes oeconomicas a religiosis familiis suscipienda" est quidem utilissima, sed cum non sit renovata in Codice iur. can., non habet nisi valorem directivum.

4. **Poenae,** quae infliguntur iis, qui bona religiosa praesumpserint illegitime alienare, sunt sequentes ex iure communi:

a) *nullitas actus* et obligatio gravis (etiam per censuram urgenda) restituendi bona illegitime acquisita ac reparandi damna forte illata. Haec poena fertur in ipsos alienantes et recipientes atque in eos, qui illegitime consensum praebuerunt, e. gr. in consiliarios[116].

b) *excommunicatio* latae sententiae nemini reservata. Qua poena plectuntur omnes, qui scienter praetermiserunt petere beneplacitum apostolicum in iis casibus, in quibus iuxta superius dicta petendum fuit. Attingit autem haec excommunicatio

α) dantes bona religiosa;

β) recipientes eadem bona;

γ) consensum praebentes in alienationem[117]. Ab hac excommunicatione excusat quaelibet imputabilitatis imminutio sive ex parte intellectus sive ex parte voluntatis.

c) *privatio officii proprii et habilitatis ad cetera officia.* Hac poena (aliisque ex iure particulari infligendis) puniuntur superior vel oeconomus religiosus[118], si agatur de valore supra 1 000 et infra 30 000 frcs.

d) *solutio dupli valoris rei alienatae.* Hac poena plectuntur Ordinarius loci aliique clerici, qui officium, beneficium, dignitatem, munus in Ecclesia obtinent. Quod quidem duplum solvendum est in favorem ecclesiae vel causae piae laesae, e. gr. laesae Congregationis iuris dioecesani[119].

e) *suspensio* ad tempus ab Ordinario definiendum ceteris clericis infligenda[120].

Q. 197. *Quid statutum sit de debitis contractis a religiosis?*

R. 1. Cum ipsae personae morales religiosae sint capaces proprietatis, ut supra dictum est, eaedem debent quoque satisfacere debitis et obligationibus contractis. Quare e. gr. si qua domus religiosa, cum debita licentia superioris maioris aliisque de iure servandis, debitum 100 000 marcarum contraxit, ipsa et non superior maior aut tota religio

[114] c. 534. [115] Ib. § 2. [116] c. 2347. [117] Ib. n. 3.
[118] Ib. n. 2. [119] Ib. [120] Ib.

hanc summam reddere debet[121]. In hac re ius ecclesiasticum statuit idem, quod omnia fere iura civilia decernunt. Si tamen, ex iure particulari alicuius religionis, sola religio tota est capax proprietatis, huic iuri particulari standum est, ita tamen ut iustitia non laedatur.

2. Si regularis (i. e. membrum alicuius ordinis stricte dicti) cum licentia superiorum contraxit debita aut obligationes, non ipse regularis neque totus ordo, sed persona moralis, cuius superior licentiam dedit, istis debitis aut obligationibus satisfacere debet[122]. Ratio est obvia; talis enim regularis, cum sit vi votorum prorsus incapax faciendi aliquem actum dominii, non proprio nomine, sed nomine personae moralis has obligationes aut debita contraxit. Ergo fas est, ut non ipse, sed persona moralis eas solvat. Idem valet de religioso votorum simplicium sub iisdem condicionibus. Si tamen talis religiosus sine ulla superiorum licentia obligationes aut debita contraxit, ipse, non autem religio vel provincia vel domus, respondere debet[123]. Ratio est iterum obvia. Etenim talis religiosus, votis solummodo simplicibus ligatus, est capax dominii. Proinde si sine licentia superiorum egerit, ipse solus debet respondere de contractibus suis. Hoc statutum est practici momenti. Accidere potest, ut aliquis religiosus, habitu religioso indutus, simulans se agere nomine religionis, obtineat ab exteris magnam pecuniae summam eamque dilapidet. Damnum tunc portare debet non ipsa religio, sed religiosus reus. Si tamen istam pecuniam dederit tertiae personae, haec potest a iudice ecclesiastico cogi, ut pecuniam illicite datam et acceptam reddat[124].

3. Si regularis a votis *sollemnibus* sine licentia legitima debita aut obligationes contraxit, certe religio ad nihil tenetur ex stricto iure, cum talis regularis non egerit nomine religionis. Cum autem regularis iste fuerit prorsus incapax ineundi aliquem contractum, sicuti incapax est infans ineundi contractum, reapse est nullus contractus. Quia vero leges civiles non solent agnoscere ius ecclesiasticum hac in re, melius est in praxi, ut res ex aequo et bono componatur cum creditore. Regularis autem debitor puniendus est a superiore.

4. Caveant superiores religiosi, ne debita contrahenda permittant, nisi certo constat, ex consuetis reditibus posse debiti foenus solvi et intra tempus non nimis longum per legitimam *amortizationem* reddi summam capitalem[125].

Q. 198. *Quid ius statuerit de largitionibus munerum?*

R. Clemens VIII[126] et Urbanus VIII[127] *regularibus* gravissime prohibuerunt largitiones munerum, i. e. donationes prorsus gratuitas. Donationes remuneratoriae rationabiliter factae non fuerunt prohibitae. Quae quidem prohibitiones non tangebant instituta religiosa votorum

[121] c. 536, § 1. [122] Ib. § 2. [123] Ib. § 3.
[124] Cf. ib. § 4. [125] Ib. § 5.
[126] Const. „Religiosae congregationes" d. 19 Iun. 1594. Decr. „Nullus omnino" d. 25 Iul. 1599. [127] Const. „Nuper" d. 16 Oct. 1640.

simplicium. Novus Codex iur. can. has prohibitiones extendit quidem ad omnes religiones, sed non renovavit poenas antiquitus praescriptas contra transgressores. En verba[128]: „Largitiones ex bonis domus, provinciae, religionis non permittuntur nisi ratione eleemosynae vel alia iusta de causa, de venia superioris et ad normam constitutionum."

Quaestio satis practica de hac materia est, utrum peccet religiosus sacerdos, qui ex constitutionibus suis vel ex consuetudine legitima habens sic dictas Missas liberas, eas celebrat pro stipendio, quod alteri, e. gr. amico, concedit. Passerinus[129] aliique putant, religiosum istum non peccare, quia revera nihil temporale dat *ex bonis religiosae domus.* Quae quidem sententia videtur esse probabilis, si intentio istius religiosi non est vitiata. Alii tamen auctores aliter sentiunt.

TITULUS XI.

De admissione in religionem[1].

Q. 199. Quinam possint admitti in religionem?

R. Ut aliquis admitti possit in religionem, requiruntur quattuor condiciones[2]:

1. ut sit *catholicus.*
2. ut habeat rectam intentionem.
3. ut sit idoneus ad ferenda onera religionis.
4. ut sit immunis ab impedimentis iuris ecclesiastici.

Quantum ad primam condicionem notari oportet, acatholicos posse quidem emittere valida vota privata, sed non posse ante conversionem et receptionem in gremium Ecclesiae admitti in religionem.

Quantum ad alteram condicionem, sciendum est illum habere rectam intentionem, qui finem religionis obtinere vult. Iamvero iste finis est perfectio christiana, per votorum et constitutionum observantiam obtinenda. Quicumque igitur hoc intendit, rectam intentionem habet. Non obstat, ne ingrediens religionem alios quoque fines secundarios intendat, e. gr. studium litterarum, ministerium in missionibus, curam infirmorum etc. Pravam autem intentionem haberet is, qui parvi faciens perfectionem christianam in religione quaereret fines prorsus mundanos, e. gr. vitam otiosam, honores mundanos, victum abundantem et facilem etc.

Quantum ad tertiam condicionem, nihil notandum occurrit, cum sit per se evidens. Nemo enim assumere licite potest aliquem statum vitae, cuius onera ferre non valet. Hinc notanter requiritur valetudo sufficiens ad licite ingrediendam religionem.

De quarta condicione, sc. de immunitate ab impedimentis, infra sermo erit, quando indicabitur, quinam nequeant valide aut licite admitti ad novitiatum.

---

[128] c. 537. [129] De stat. hom. q. 186, a. 7, n. 426.

[1] Commendatur, utpote magna perspicuitate praeditus, fasciculus: „De recipiendis ad habitum FF. Praedicatorum", Romae 1919.

[2] c. 538.

Q. 200. *Requiriturne vocatio divina specialis ad licite ingrediendam religionem?*

R. Vocatio divina religiosa est actus divinae misericordiae vocantis aliquem ad statum religiosum et largientis omnes gratias necessarias ad officia istius status debite perficienda.

Solet distingui duplex vocatio divina: altera generalis, altera specialis. Vocatio divina *generalis* vocatur ea, quae offertur omnibus hominibus, qui possunt et volunt tendere ad perfectionem christianam in statu religioso obtinendam. Vocatio divina *specialis* est divina vocatio facta paucis et determinatis hominibus, ut amplectantur statum religiosum. Non est dubium, quin Deus omnes velit pervenire ad perfectionem christianam atque omnibus sufficientes gratias praebeat pro hoc fine obtinendo. Pariter non est dubium, quin Deus velit nonnullos homines amplecti statum matrimonialem, qui proinde nequeunt ingredi religionem. Sed quaeritur, num requiratur *specialis* vocatio divina ad statum religiosum, ita ut homo ceteroquin idoneus naturaliter ad onera religionis ferenda, qui careat hac vocatione, nequeat licite ingredi religionem. Sunt qui affirment, ut e. gr. *Lessius*[3], *S. Alphonsus*[4], complures moderni, ut Gautrelet, Aertnys, Bucceroni. Est enim, sic aiunt, cuique divina vocatio ad *unum* statum vitae, quem nisi elegerit, versatur per totam vitam suam in loco non suo, i. e. in aliquo vitae genere a divina providentia non volito. Proinde is, qui negligit hanc vocationem specialem, versatur in magno periculo salutis. A fortiori hoc valet de eo, qui sine speciali vocatione se intrudit in statum religiosum; carebit enim gratiis necessariis ad omnia officia huius status implenda ac proinde multa peccata committet. Iuxta hos auctores signa huius specialis vocationis sunt: a) sufficiens capacitas (corporalis et spiritualis) bene implendi officia in religione exsistentia; b) quaedam propensio seu inclinatio interna ad statum religiosum. — Vocationem divinam *generalem* sufficere docent omnes fere theologi veteres, inter quos S. Thomas, et complures moderni, velut Piat, Berthier, Bouvier, Vermeersch aliique. Haec sententia videtur esse verior et melior. Etenim Codex iur. can., enumerans[5] condiciones requisitas pro admissione in statum religiosum, loquitur quidem de necessaria recta intentione, sed altum silentium tenet de vocatione divina; quod satis clare indicat, non requiri specialem vocationem divinam. Econtra pro statu clericali supponit vocationem specialem divinam, ut apparet ex can. 1353. Deinde via consiliorum evangelicorum a Christo proponitur omnibus fidelibus, qui id possunt capere. Iamvero ista consilia difficulter possunt observari extra statum religiosum. Ideo aperte dicit *S. Gregorius Naz.*[6] super illud „Non omnes capiunt illud, sed quibus datum est": „Cum audis ‚quibus datum est', adde: datum est iis, *qui volunt et assentiuntur.*"

---

[3] Opusc. de statu vitae deligendo n. 56.

[4] Theol. mor. l. 4, n. 78. [5] c. 538.

[6] Orat. 37 (alias 31) in Mt 19, 11 (*Migne*, P. g. 36, 298).

S. Thomas[7] asserit: „Religionem ingredi non solum expedit his, qui sunt exercitati in praeceptis, ut ad maiorem perfectionem perveniant, sed etiam his qui non sunt exercitati, ut facilius peccata vitent et perfectionem assequantur.“ Idem confirmatur ex usu, qui per complura saecula viguit in Ecclesia, ut nempe infantes devoverentur statui religioso. Si enim non quilibet homo ceteroquin capax et bonae voluntatis valet ad perfectionem christianam tendere in statu religioso, nefas est devovere isti statui infantes, qui tunc exponerentur gravi periculo salutis aeternae. S. Thomas hunc morem devovendi infantes tamquam laudabilem praedicat, cum hoc modo infantes a teneris annis suaviter inducantur ad virtutes excolendas[8].

Ex hac doctrina sequitur: 1. Ut quilibet homo, secundum corpus et animam capax, volens observare regulas status religiosi possit intrare in religionem, quin opus sit longa deliberatione. 2. Ut desit peccatum (saltem per se), si quis, quamvis sentiat propensionem, non intrat in religionem. Intrare enim in religionem est consilium et non praeceptum. Per accidens tamen talis homo peccat, si nempe ob pravas passiones negligendo ingressum in religionem se exponit gravi periculo peccandi, vel si est moraliter certus, Deum specialiter vocare ipsum ad religionem. Hoc ultimum profecto est rarissimum. 3. Ut adsit magna differentia inter vocationem ad statum religiosum et ad statum clericalem. Nam religionem homo intrat ad propriam perfectionem obtinendam, dum in statu clericali gerit vices Dei ad salutem aliorum promovendam. Proinde nemo sibi sumat honorem clericalem, nisi qui vocatur tamquam Aaron, atque vocatio divina specialis requiritur ad statum clericalem.

Q. 201. *Utrum licitum sit aliquem ad statum religiosum inducere vel cogere?*

R. Inducere aliquem ad statum religiosum amplectendum est licitum, cogere vero iuxta praesentem Ecclesiae disciplinam est illicitum. *S. Thomas*[9] docet: „Inducentes alios ad religionem non solum non peccant, sed magnum praemium merentur.“ Haec tamen inductio vitiari potest variis circumstantiis, e. gr. si quis alium inducit praecipitanter sine sufficienti probatione, si quis inducit aliquem maioris perfectionis capacem in institutum religiosum minoris perfectionis.

Cogere aliquem ad statum religiosum, generaliter est gravis iniuria, cum quilibet homo sit liber in electione status[10]. Quare excommunicatione nemini reservata plectuntur omnes, qui quoquo modo cogunt virum aut mulierem ad religionem ingrediendam vel ad emittendam professionem tam sollemnem quam simplicem, tam perpetuam quam temporaneam[11]. Animadvertendum est, hanc excommunicationem iam in vetere iure exsistentem esse in novo iure magis extensam.

[7] S. th. 2, 2, q. 189, a. 1.
[8] Ib. a. 5. [9] Ib. a. 9.
[10] Ib. q. 104, a. 5. [11] c. 2352.

Non vacat loqui de paucis casibus, in quibus iuxta vetus ius uxores potuerunt cogi ad ingrediendam religionem. Istud ius nunc obsoletum est[12].

Q. 202. *Quale peccatum et qualem poenam incurrat is, qui aliquem iniuste avertit ab ingressu in religionem?*

R. 1. Is, qui alium *vi, metu, fraude vel dolo* avertit ab ingressu in religionem, peccat contra iustitiam et ad restitutionem tenetur cum erga eum, quem avertit, tum erga religionem, in quam is voluit ingredi, si aliquod notabile damnum materiale inde ortum est[13]. Is vero, qui alium avertit ab ingressu in religionem sine causa quidem rationabili, sed absque vi, metu, fraude, peccat graviter contra caritatem tantum. Ingressus enim in statum religiosum est magnum bonum et donum Dei. Sin autem quis a consequendo tanto bono indebite impeditur, magnum damnum patitur, immo aliquando in grave periculum salutis aeternae inicitur. Nonne crudele esset, aliquem, qui in puncto esset ut inveniret thesaurum pretiosissimum vel margaritam absconditam, avertere a thesauro vel margarita? Multo magis crudele est, aliquem indebite avertere ab inveniendo thesauro evangelicae perfectionis in statu religioso. Hoc considerent parentes, consanguinei, confessarii consilia inopportuna dantes, quando agitur de electione status religiosi, non tantum prae statu laicali, sed etiam prae statu clericali.

2. Qui iniuste, i. e. vi vel metu gravi vel dolo aliquam mulierem impediebat a velo accipiendo vel voto emittendo, incurrebat, sic statuente Concilio trid.[14], excommunicationem nemini reservatam, sed haec poena non est renovata in novo iure ac proinde est abrogata. Posset tamen legitimus superior ecclesiasticus infligere poenas ferendae sententiae.

CAPUT I.

De postulatu.

Q. 203. *Quid statuat ius de postulatu?*

R. 1. Postulatus, qui est quasi vestibulum novitiatus, eo fine introductus est, ut cum ipse postulans tum religio recipiens faciat quoddam praevium experimentum: postulans quidem de religione amplectenda, religio vero de idoneitate candidati.

2. *Necessitas.* Ex iure ecclesiastico postulatus praecipitur:

a) pro omnibus mulieribus, quae volunt intrare in religionem cum votis perpetuis;

b) pro omnibus *conversis* in quacumque religione virorum cum votis perpetuis;

c) pro illis, qui volunt ingredi in religionem votorum temporaneorum, si constitutiones talis religionis exigunt postulatum[15].

Ergo ex iure communi postulatus non est necessarius pro iis, qui in religionibus volunt fieri clerici.

[12] Videsis *Passerinum,* De hom. stat. q. 189, a. 9, n. 26.
[13] *S. Alphons.,* Theol. mor. l. 3, n. 662, 5.
[14] Sess. 25, c. 18 de regular. [15] c. 539, § 1.

3. *Tempus.* Qui ex iure communi peragere debent postulatum, tenentur ibi permanere saltem per *sex* menses (non necessario continuos); quod quidem tempus a superiore maiore nequit abbreviari, potest autem prorogari, non tamen ultra aliud semestre[16]. Qui ex solo iure particulari tenentur ad postulatum, observare debent statuta hac de re lata.

4. *Locus.* Postulatus peragi debet sub speciali cura probati religiosi vel in domo novitiatus vel in alia religionis domo, in qua disciplina secundum constitutiones accurate servatur[17]. In domibus novitiatus haec specialis cura solet demandari magistro novitiorum vel eius socio.

Postulantes vestem induant modestam ac diversam a veste novitiorum[18]. Cum postulantes facile relinquere possint postulatum, praestat, ut talis vestis sit laicalis.

In monasteriis monialium postulantes, durante postulatu, tenentur lege clausurae[19], sicut ceterae moniales. Proinde nequeunt e clausura egredi e. gr. ad visitandos parentes[20].

5. Postulantes, antequam novitiatum incipiant, exercitiis spiritualibus vacent per octo saltem *integros* dies et, iuxta prudens confessarii iudicium, praemittant generalem anteactae vitae confessionem[21]. Postulantes *mulieres* debent ante ingressum in novitiatum ab Ordinario loci examinari, ut infra q. 207 (2) dicetur.

6. Utiliter, licet non necessario, iam ante postulatum praestanda sunt ea omnia, quae requiruntur pro admissione in novitiatum, e. gr. dispensatio impedimentorum, litterae testimoniales etc.

CAPUT II.

De novitiatu.

ARTICULUS I.

De requisitis, ut quis in novitiatum admittatur.

Q. 204. *Quinam (ex iure communi) invalide admittantur ad novitiatum?*

R. Invalide ad novitiatum admittuntur[1] (nisi adsit praevia licentia S. Sedis):

1. qui sectae acatholicae adhaeserunt, i. e. qui a fide catholica defecerunt et nomen dederunt sectae acatholicae. Non videntur comprehendi ii, qui dederunt nomen sectae massonicae. Cum ius ecclesiasticum non soleat curare de actibus mere internis, non adest hoc impedimentum, si postulans solummodo *interne* adhaesit alicui sectae. Omnes

[16] c. 539, § 2. [17] c. 540, § 1. [18] Ib. § 2. [19] Ib. § 3.

[20] „1. An puellae postulantes e monasteriis clausurae papali subiectis egredi possint, parentes vel notos invisendi gratia, aut alia de causa? Et quatenus negative. 2. Utrum ad huiusmodi egressum venia Apostolicae Sedis indigeant, an satis sit consensus Ordinarii? Ad I. Negative. Ad. II. Affirmative ad primam partem; negative ad secundam." S. C. de Rel. d. 7 Nov. 1916 (Acta Ap. Sed. VIII, 446).

[21] c. 541. [1] c. 542, n. 1.

quoque sic dicti „Convertiti", qui Dei gratia moti ex haeresi vel schismate, in quibus nati sunt, ad Ecclesiam pervenerunt, possunt de iure communi admitti in novitiatum[2].

2. qui aetatem ad novitiatum requisitam non habent. Aetas autem ex iure communi requisita ad novitiatum incipiendum est decimus quintus annus completus[3]. Si constitutiones alicuius religionis decernunt provectiorem aetatem, tali decreto standum est.

3. qui religionem ingrediuntur vi, metu gravi (a causa externa libera incusso) aut dolo inducti, vel quos superior eodem modo inductus recepit. Ratio est obvia; etenim status religiosus hoc modo inceptus vix felix et salutaris erit; quare iure merito Ecclesia annullat quamcumque obligationem ex tali ingressu ortam.

4. coniux durante matrimonio. In antiquo iure sub certis cautelis coniugatis permittebatur ingressus in religionem, sed novum ius hoc mutavit. Proinde sine licentia S. Sedis non possunt valide recipi ad novitiatum coniuges, quamvis etiam perpetuum divortium quoad torum et mensam legitime obtinuerint.

5. qui obstringuntur vel obstricti fuerunt vinculo validae professionis religiosae, sive perpetuae sive temporaneae. Per se patet illum, qui adhuc obstringitur vinculo professionis religiosae, non posse recipi ad novitiatum; sed novum ius hanc prohibitionem extendit quidem etiam ad illos, qui professionem religiosam aliquando emiserunt, quamvis nunc sint immunes a quocumque vinculo, sed non extendit ad eos, qui antea fuerunt novitii in hac vel alia religione. Mitigata sunt igitur decreta S. C. de Rel. d. 7 Sept. 1909 et d. 4 Ian. 1910.

6. illi, quibus imminet poena ob grave delictum commissum, de quo accusati sunt vel accusari possunt. Parum refert, utrum haec poena immineat in foro ecclesiastico an in foro civili[4]; requiritur autem, ut crimen commissum non sit omnino occultum vel iam a multis annis ita praeteritum aut etiam iam in legitimo iudicio iudicatum, ut iam non sit locus actioni. In istis enim casibus non imminet poena. Ratio, quare graviter criminosis, quibus poena imminet, interdicatur admissio in novitiatum, est, quia haud parvum dedecus enasceretur religioni, si quis ex eius novitiis ob grave crimen commissum puniretur. De iure autem communi iterum iam nil obstat (sicut fuit in usu usque ad Sixtum V), quominus etiam maxime criminosi, dummodo sint sincere conversi et ipsis iam nulla poena gravis civilis vel ecclesiastica immineat, recipiantur in religionem.

7. episcopus sive residentialis sive titularis, licet a Romano Pontifice sit tantum designatus.

8. clerici, qui ex instituto S. Sedis iureiurando tenentur operam suam navare in bonum dioecesis vel missionum, pro eo tempore, quo

[2] Pontif. Com. d. 16 Oct. 1919 (Acta Ap. Sed. IX 477). [3] c. 555, § 1, n. 1.

[4] Immerito restringitur a nonnullis hoc statutum ad solas poenas iuris civilis. Cf. *Biederlack-Führich* l. c. n. 69.

iurisiurandi obligatio perdurat. Tale iusiurandum usuvenit praesertim in seminariis, quae clericos pro missionibus educant. Nihilominus haud ita difficulter solet S. Sedes licentiam concedere, ut clericus huiusmodi iureiurando ligatus ingrediatur in religionem.

Q. 205. *Quinam (ex iure communi) illicite admittantur ad novitiatum?*

R. Illicite (quamvis valide) ad novitiatum admittuntur[5] (nisi praevia licentia S. Sedis):

1. clerici *in sacris constituti,* inconsulto loci Ordinario aut eodem contradicente ex eo, quod eorum discessus in grave animarum detrimentum cedat, quod aliter vitari minime possit.

Hoc statutum est prorsus novum. In antiquo enim iure omnes clerici saeculares (exceptis episcopis) potuerunt, etiam contradicente proprio episcopo, ingredi in religionem, quae est status perfectionis[6]. A statu autem perfectionis amplectendo nemo averti debet, qui non est ligatus vinculis incompatibilibus cum isto statu. Novum ius, considerans bonum commune praevalere bono privato, prohibet clericis maioristis ingressum in religionem, si Ordinarius loci non est consultus vel si iudicat talem ingressum grave detrimentum causare animabus sui gregis. Attamen in praxi rarissime videtur expedire, ut Ordinarius loci deneget ob hanc solam causam clerico licentiam amplectendi statum perfectionis. Etenim talis clericus, postquam factus est religiosus, solet adhuc efficacius laborare pro salute animarum, quam si remansisset clericus saecularis. — Clerici ordinum minorum et a fortiori seminaristae libere possunt ingredi religionem, nisi tamen emiserint iusiurandum, de quo q. praec. n. 8.

2. aere alieno gravati, qui solvendo pares non sunt.

Iam Sixtus V[7] tale statutum tulit pro regularibus idque sanxit sub gravibus poenis. Statutum Sixti V nunc extensum est ad omnes religiosos utriusque sexus, sed poenae latae contra transgressores suppressae sunt. Si quis contraxit aes alienum, quod solvere potest tempore opportuno, per se nihil obstat, quominus admittatur ad novitiatum, sed tamen, num talis admissio sit iuxta prudentiam, est alia quaestio solvenda in singulis casibus[8].

3. reddendae rationi obnoxii aut aliis saecularibus negotiis implicati, ex quibus lites et molestias religio timere possit.

Hoc quoque statutum iam exsistebat a temporibus Sixti V. Si quis se totaliter vult Deo devovere in statu religioso, debet quoque saecularia negotia prius absolvere; secus eius cura est divisa adeoque imperfecta.

4. filii, qui parentibus, id est patri vel matri, avo vel aviae, in gravi necessitate constitutis opitulari debent, et parentes, quorum opera sit ad liberos alendos vel educandos necessaria.

Hoc statutum fundatur in ipso iure naturali; virtus enim pietatis exigit, ut filii parentibus in gravi necessitate versantibus opitulentur, et a fortiori ut parentes sufficientem educationem filiorum procurent. Attamen oportet

[5] c. 542, n. 2. [6] *Benedict. XIV* ep. „Ex quo" d. 14 Ian. 1747.
[7] Const. „Cum de omnibus" d. 26 Nov. 1587.
[8] Cf. nostr. Man. theol. mor. II 243.

notari, tunc solummodo filios impediri ab ingressu in religionem, a) si ipsi revera possunt necessitati isti subvenire, et b) si necessitati nequeunt aliter subvenire nisi non ingrediendo, seu, ut Passerinus[9] dicit, si „non-ingressus filii in religionem est unicum medium ad necessitati parentum subveniendum". Ob necessitatem gravem fratrum aliorumque consanguineorum et affinium nemo impeditur quidem ab ingressu in religionem, sed aliquando laudabilius est differre ad tempus talem ingressum.

Subnectunt hic auctores quaestionem, num filii iam ingressi in religionem debeant egredi e statu religioso ad subveniendum parentibus, qui in gravem necessitatem ceciderunt. Iuxta sententiam probabiliorem filii iam *professi* non tenentur egredi. Ratio est, quia isti filii iam mutaverunt statum, quem non possunt relinquere sine gravi proprio incommodo. Nemo autem stricte tenetur alteri in gravi necessitate versanti subvenire cum proprio gravi incommodo. Attamen in isto casu valde expedit, ut ipsa religio, in qua filius vivit, pro viribus subveniat talibus parentibus[10].

5. ad sacerdotium in religione destinati, a quo tamen removentur irregularitate aliove canonico impedimento, e. gr. filius, cuius pater vel mater (adhuc vivens) est haereticus.

Ante ingressum in religionem dispensatio petenda est de huiusmodi irregularitatibus vel impedimentis futurae ordinationis. Quaenam sint irregularitates et impedimenta ordinationis, dicetur in tractatu de sacramento Ordinis[11].

6. Orientales in latinis religionibus sine venia scripto data S. Congregationis pro Ecclesia orientali. Ratio est, quia Ecclesia aegre fert mutationem ritus latini et ritus orientalis. Nihil autem obstat, ne in religionibus latini ritus admittantur ad novitiatum Orientales, qui, *proprio ritu retento,* praeparantur ad constituendas domus et provincias ritus orientalis[12].

Nota. 1. Quae ex iure *particulari* ad validam et licitam admissionem in novitiatum requirantur, insuper observanda sunt. De iure communi, si praescriptus postulatus est omissus, admissio in novitiatum est, non quidem invalida, sed illicita.

2. Superiores religiosi, qui aliquem candidatum invalide vel illicite contra praescriptum can. 542 ad novitiatum admiserint, pro gravitate culpae puniantur, non exclusa officii privatione[13].

Q. 206. *Quinam possint valide et licite admittere postulantes in novitiatum?*

R. Ius admittendi ad novitiatum (et subsequentem professionem religiosam tam temporalem quam perpetuam) pertinet ad superiores

[9] De stat. hom. q. 189, a. 6, n. 23 sq.
[10] Cf. *S. Thomas,* S. th. 2, 2, q. 101, a. 4 ad 4; *S. Antonin.,* S. th. III, 16, 2, 1; *Passerinus,* De stat. hom. q. 189, a. 10, n. 177 sqq.
[11] Ex iure communi (aliud est aliquando de iure particulari) illegitimi filii non arcentur ab ingressu in religionem. Si tamen isti volunt ordines suscipere ante professionem sollemnem, illicite recipiuntur in religionem, nisi prius obtenta fuerit dispensatio S. Sedis. Defectus legitimitatis aufertur per subsequentem legitimationem aut per professionem sollemnem (cf. c. 984).
[12] Pontif. Com. d. 10 Nov. 1925 (Acta Ap. Sed. XVII 583). [13] c. 2411.

maiores cum suffragio consilii seu capituli, secundum peculiares cuiusque religionis constitutiones[14]. Iam a longis temporibus exsistebat controversia, num superior religiosus valide possit admittere postulantem ad novitiatum (et professionem) sine consensu sui consilii vel capituli. Si talis potestas expresse et clare conceditur superiori (vi privilegii non revocati) in constitutionibus approbatis suae religionis, profecto ea uti potest; secus autem omnino requiritur consensus consilii vel capituli. Etenim admissio ad novitiatum et professionem est res maximi momenti cum pro religione admittente tum pro religioso admisso. Iamvero in negotiis magni momenti superiores religiosi tenentur petere suffragia proprii consilii vel capituli, idque eo vel magis, cum superiorum officium non habeat nisi limitatam durationem, et gravia incommoda facile oriantur, si superior admiserit ad novitiatum vel professionem aliquem, cui non favet maior pars consilii aut capituli[15]. Nihilominus istud suffragium consilii vel capituli est deliberativum seu decisivum pro prima professione temporanea, pro subsequenti professione perpetua (sollemni vel simplici) est consultivum tantum, ut infra q. 213 dicetur.

Q. 207. *Quaenam praestanda sint ante admissionem in novitiatum?*

R. Ante admissionem in novitiatum 1. exhibendae sunt debitae litterae testimoniales seu testimonia; 2. si agitur de mulierum receptione, exploranda est ipsarum voluntas seu intentio atque statuenda est dos. De dote specialiter tractabitur in q. seq.

1. Ante admissionem in novitiatum requiruntur omnino diversae **litterae testimoniales** seu testimonia, sc.

a) de adspirantis baptismo et confirmatione[16];

b) de adspirantis *viri* natalibus, moribus, ingenio, vita, fama, condicione, scientia, immunitate ab irregularitatibus aliisque canonicis impedimentis, num propria familia eius auxilio indigeat, et si agitur de iis, qui in aliquo seminario, collegio aut alius religionis postulatu aut novitiatu fuerunt, quanam de causa dimissi sint aut sponte discesserint[17].

Circa litteras testimoniales sub b) indicatas haec sunt statuta:

1) Istae litterae non sunt petendae nisi pro *viris* adspirantibus; sunt autem expetendae cum ab Ordinario originis tum ab omnibus Ordinariis locorum, ubi adspirans post expletum decimum quartum aetatis annum moratus est ultra annum moraliter continuum. Ex privilegio nonnullae religiones exemptae fuerant ab istis litteris petendis; sed tale privilegium, quodcumque demum sit, nunc est sublatum[18].

2) Si agitur de admittendis illis, qui in aliquo seminario, collegio (ecclesiastico)[19] vel alius religionis postulatu aut novitiatu fuerunt, requiruntur

[14] c. 543. [15] Cf. infra q. 213.
[16] c. 544, § 1. Ista testimonia in quavis religione requiruntur pro admissione cum virorum tum mulierum.
[17] c. 545, § 4. [18] c. 544, § 2.
[19] Non ita constat, quid nomine *collegii* veniat, utrum agatur de omni collegio, etiam laicali, in quo alumni diu noctuque vivunt, an de solis collegiis ecclesiasticis. De solis collegiis ecclesiasticis agi, videtur probabilius. Etenim 1. satis incongrue

praeterea litterae testimoniales datae (pro diversis casibus) a rectore istius seminarii vel collegii, audito Ordinario loci, aut a maiore istius religionis superiore[20].

3) Si agitur *de clericis* admittendis, non requiruntur quidem litterae testimoniales sub b) indicatae, sed requiruntur: a) testimonium ordinationis; b) litterae testimoniales Ordinariorum, in quorum dioecesibus post ordinationem ultra annum moraliter continuum sunt commorati[21]. Ratio huius limitationis est, quia iam ante istius adspirantis ordinationem inquisitio sufficiens fieri debuit de eius natalibus, indole, fama etc. Similiter si religiosus, qui fuit professus in aliqua religione, ad aliam religionem transit (ex apostolico indulto), satis est testimonium superioris maioris prioris religionis[22]. Si tamen religiosus (exclaustratus) ultra annum in saeculo ante transitum ad novam religionem degit, videntur requiri testimoniales litterae de hoc tempore.

Praeter haec testimonia a iure requisita possunt superiores, quibus ius est adspirantes viros in religionem cooptandi, alia quoque exigere, quae ipsis ad hunc finem necessaria aut opportuna videntur[23].

Pro *mulieribus* adspirantibus non quidem requiruntur litterae testimoniales, nisi agatur de illis, quae fuerunt in aliquo collegio superiore aut alius religionis postulatu aut novitiatu. Attamen ante ipsarum admissionem fiant accuratae investigationes circa earum indolem et mores[24].

4) Omnes illi, qui litteras testimoniales ex praescripto iuris dare debent, eas non ipsis adspirantibus sed superioribus religiosis dent idque gratuito, intra trimestre spatium ab earum requisitione, sigillo clausas; immo, si agitur de illis, qui in aliquo seminario, collegio vel alius religionis postulatu aut novitiatu fuerunt, a superiore *iuramento* firmatas[25]. Si illi, a quibus tales litterae fuerunt expetitae, ob graves causas iudicaverint, se iis respondere non posse, tunc debent intra idem tempus, i. e. intra trimestre ab earum requisitione, causas exponere Apostolicae Sedi[26]. Sin autem responderint, adspirantem satis non esse sibi cognitum, religiosus superior suppleat per aliam accuratam investigationem et fide dignam relationem; sin demum nil responderint, superior religiosus S. Sedem certiorem faciat de non recepta responsione[27].

5) Omnes, qui praedictas litteras testimoniales receperunt, stricta obligatione tenentur secreti servandi circa notitias habitas et circa personas, quae has notitias tradiderunt[28].

6) Superiores religiosi, qui aliquem candidatum sine requisitis litteris testimonialibus ad novitiatum receperint, pro gravitate culpae puniantur, non exclusa officii privatione[29].

et saepe inefficaciter petuntur a rectore collegii prorsus laicalis litterae testimoniales *iuramento* firmatae. 2. Canon desumptus est ex declaratione S. C. de Rel. d. 4 Ian. et 5 Apr. 1910 ad II et ad IV, ubi de solis collegiis ecclesiasticis agebatur (cf. *A. Vermeersch*, Periodica tom. 9, p. 6 sq.; *Ph. Maroto*, Com. pro Rel. I 180). Certum est non requiri testimoniales litteras rectoris collegii, si agitur de discipulis sic dictis *externis*, neque si agitur de iis, qui post studium peractum in scholis apostolicis ingrediuntur eandem religionem, neque de iis, qui in orphanotrophiis aliisque institutis elementariis educati sunt (cf. *Jansen*, Ordensrecht² 95).
[20] c. 544, § 3. [21] Ib. § 4. [22] Ib. § 5. [23] Ib. § 6. [24] Ib. § 7.
[25] c. 545, § 1. S. Congregatio de Rel. d. 21 Nov. 1919 (Acta Ap. Sed. XII 17) iterum inculcavit necessitatem huius iuramenti.
[26] c. 545, § 2. [27] Ib. § 3. [28] c. 546. [29] c. 2411.

2. Si agitur de admissione *mulierum*, antistita religiosarum etiam exemptarum debet Ordinarium loci, duobus saltem mensibus ante, certiorem facere de proxima admissione ad novitiatum et ad professionem cum temporariam tum perpetuam, sive sollemnem sive simplicem. Haec obligatio certiorem reddendi Ordinarium loci videtur esse gravis, cum antistitae etiam exemptae, quae eam negligant, pro gravitate culpae sint puniendae ab Ordinario loci, immo possint privari officio[30]. Ordinarius autem loci vel, eo absente aut impedito, sacerdos ab eodem deputatus, adspirantis voluntatem, saltem triginta diebus ante novitiatum et ante professionem, ut supra, diligenter et gratuito[31] exploret, non tamen clausuram ingrediens. Haec igitur exploratio debet fieri ante novitiatum et forte ante *quamlibet* professionem. Sunt tamen auctores, ut Vermeersch l. c. I, 655; Fanfani l. c. n. 246, qui recte putant hanc explorationem non esse faciendam nisi ter, scil. 1) ante novitiatum, 2) ante primam, non autem ante ulteriorem professionem temporariam, 3) ante professionem perpetuam. Sequentes quaestiones mulieri sunt ponendae: num coacta vel seducta sit ad ingressum vel ad professionem? an sciat quid agat? qua intentione agat? Si de pia eius ac libera voluntate plane constiterit, tunc adspirans poterit ad novitiatum vel novitia ad professionem admitti[32].

3. Observanda sunt statuta iuris ecclesiastici de dote, de qua statim.

Q. 208. *Quaenam a iure ecclesiastico statuta sint de dote religiosarum mulierum?*

R. 1. *Necessitas dotis.* In monasteriis *monialium* postulans afferre debet dotem (i. e. summam pecuniae vel aliud bonum frugiferum pro eius sustentatione perpetua) in constitutionibus statutam aut legitima consuetudine determinatam. Sorores conversae in nonnullis monasteriis possunt recipi sine dote, si labor ipsarum est necessarius monasterio. Haec autem dos monialium ante susceptionem habitus monasterio tradatur aut saltem eius traditio tuta reddatur forma in iure civili valida[33]. Ergo non quaecumque promissio dotis sufficit.

In religionibus *votorum simplicium* non requiritur (de iure communi) dos, cum istae sorores soleant victum convenientem lucrari suis operibus. Standum est igitur constitutionibus uniuscuiusque religionis[34].

2. *Condonatio.* Dos praescripta (ut supra) nequit condonari neque ex toto neque etiam ex parte. Ad talem condonationem requiritur venia S. Sedis, si agitur de religionibus iuris pontificii; sufficit venia Ordinarii loci, si agitur de aliqua religione iuris dioecesani[35].

Cum sit satis onerosum petere veniam S. Sedis qualibet vice qua agitur de aliquali condonatione dotis, praestat ut in nova revisione constitutionum religiones iuris pontificii dotem satis parvam statuant.

---

[30] c. 2412, n. 2.
[31] S. Congregatio de Rel. d. 20 Mart. 1922 reprobavit consuetudinem particularem exigendi taxam pro hac exploratione (Acta Ap. Sed. XIV 353). Expensae autem itineris, si quae sint, possunt requiri.
[32] c. 552. [33] c. 547, § 1 2. [34] Ib. § 3. [35] Ib. § 4.

3. *Administratio.* Dotes caute et integre administrentur non a superiorissa locali, sed apud monasterium seu domum habitualis residentiae moderatricis supremae aut antistitae provincialis[36]. Si tamen aliquod monasterium est solum et independens ab aliis, dotes sunt administrandae in hoc monasterio, ut patet. Ordinarii locorum conservandis religiosarum dotibus sedulo invigilent, et praesertim in visitatione (quinquennali) de iisdem rationem exigant[37]. Cum dotes sint administrandae apud domum habitualis residentiae antistitae generalis vel provincialis, cumque ex alia parte omnes Ordinarii locorum debeant rationem exigere de dotibus singularum monialium vel sororum, videtur sequi, ut antistita generalis vel provincialis hanc administrationis rationem exhibeat singulis Ordinariis, in quorum territorio domus monialium aut sororum inveniuntur. Fatendum est, hanc rationem administrationis faciendam ab antistita generali vel provinciali posse causare nonnulla incommoda; ideoque melius ratio redditur soli Ordinario loci, ubi dotes revera administrantur.

Post *primam* religiosae mulieris professionem dos eius in tutis, licitis ac fructiferis nominibus collocetur ab antistita cum suo consilio *de consensu Ordinarii loci*, et insuper superioris regularis, si domus ab hoc dependet. Omnino autem prohibetur dotem quoquo modo ante religiosae obitum impendi, ne ad aedificandam quidem domum aut ad aes alienum exstinguendum[38]. Ratio huius statuti saluberrimi est, quia reditus dotis inserviunt ad sustentationem mulieris religiosae durante tota eius vita. Proinde e. gr. si qua domus religiosa gravatur aere alieno 100000 marcarum, pro qua summa 5% foenus quotannis solvendum est, et si dotes omnium sororum constituunt eandem summam 100000 marcarum, pro qua summa non recipitur nisi foenus 4%, nihilominus hoc aes alienum nequit exstingui dotibus sororum.

Antistitae pro gravitate culpae, non exclusa, si res ferat, privatione officii, ab Ordinario loci puniantur, si dotes puellarum receptarum impendere praesumpserint[39].

4. *Acquisitio.* Dos monasterio seu religioni irrevocabiliter acquiritur per obitum religiosae, licet haec nonnisi vota temporaria nuncupaverit[40]. Si tamen mulier religiosa moritur ante primam professionem et non aliter disposuit, dos reddenda est legitimis heredibus[41].

5. *Restitutio.* Dos religiosae professae votorum sive sollemnium sive simplicium *quavis de causa* discedenti vel dimissae integra restituenda est, sine fructibus tamen maturis[42].

Hoc statutum facile quidem exsecutioni mandari potest, si valor ipsius dotis remansit idem. Sed quid faciendum est, si iste valor tempore egressus est maior vel minor quam tempore ingressus? Cum ipsa dos non acquiratur monasterio vel domui religiosae durante vita sororis, cumque dos statim a professione prima sit moraliter tuto collocanda, videtur spiritui legis et aequi-

---

[36] c. 550, § 1. [37] Ib. § 2. [38] c. 549. [39] c. 2412.
[40] c. 548. [41] Cf. *Brandys* l. c. n. 26. [42] c. 551, § 1.

tati magis conforme, si sorori egredienti restituatur valor dotis, quem habet tempore egressus, et non quem habuit tempore ingressus. Si tamen ob gravem negligentiam in administratione commissam iste valor est diminutus, tunc damnificator debet damnum pati et non soror egrediens[43]. Si religiosa professa ad aliam religionem ex indulto apostolico transit, durante novitiatu, soli *fructus* dotis (nisi aliud sit legitime stipulatum), emissa vero nova professione dos ipsa huic religioni debentur. Sin vero monialis ad aliud eiusdem ordinis monasterium transit, huic debetur ipsa dos a die transitus[44].

ARTICULUS II.

De novitiorum institutione.

Q. 209. *Quid statuat ius de* **loco** *novitiatus?*

R. Novitiatus peragendus est in domo novitiatus, quae erigenda est non solum ad normam constitutionum uniuscuiusque religionis, sed etiam praehabita licentia S. Sedis, si agitur de religione iuris pontificii[45]. Finita est igitur nunc vetus controversia, num ad erectionem domus novitiatus sit necessaria etiam pro ordinibus licentia S. Sedis. Etenim haec licentia nunc est necessaria pro omnibus omnino religionibus iuris pontificii. Pro solis religionibus iuris dioecesani licentia Ordinarii loci sufficit. Plures in eadem provincia novitiatus domus, si in provincias religio divisa est, designari nequeunt nisi gravi de causa et cum speciali apostolico indulto[46]. Superiores in novitiatus ac studiorum domo ne collocent nisi religiosos, qui sint ad exemplum regularis observantiae studio[47]. Ratio est obvia; etenim novitii videntes bonum exemplum istorum religiosorum efficaciter promoventur in religiosa disciplina addiscenda et exercenda. Si novitiatus peractus est extra domum legitime pro novitiatu designatam, est *invalidus* adeoque etiam professio religiosa subsequens. Hoc autem valet de solo novitiatu iure communi instituto, non autem de sic dicto secundo novitiatu, qui usuvenit in nonnullis religionibus[48].

Q. 210. *Quid notandum sit de* **duratione** *novitiatus?*

R. 1. Novitiatus incipit susceptione habitus vel alio modo in constitutionibus determinato[49]. Nemo autem novitiatum incipere potest ante completum decimum quintum annum aetatis[50]. Si aetas maturior ex constitutionibus praescribitur, ea observanda est. Non autem amplius

[43] Paulo aliter hanc quaestionem solvit Fanfani l. c. n. 171 in fine.
[44] c. 551, § 2. [45] c. 554, § 1. [46] Ib. § 2. [47] Ib. § 3.
[48] S. Congregatio de Rel. d. 3 Nov. 1921 (Acta Ap. Sed. XIII 540) statuit: Si quando a constitutionibus permittatur, ut novitius vel novitia secundo novitiatus anno ad opera Instituti extra domum novitiatus mittatur, hoc nonnisi per modum exceptionis agatur et dummodo gravis adsit causa *ex parte novitii vel novitiae;* numquam vero sub quocumque praetextu sufficiens esse causa potest necessitas aut utilitas religionis. Sive autem durante hoc secundo novitiatu tirones in domo novitiatus sive extra permanserint, duobus ante professionem mensibus ab omni opere externo abstineant; et si extra novitiatum fuerint, ad illum revocentur, ut per integrum bimestre ad professionem emittendam se praeparent.
[49] c. 553. [50] c. 555.

valent *de iure communi* eae restrictiones, quas pro fratribus conversis attulit decretum S. C. de Rel. d. 1 Ian. 1911[51], ac proinde iam non requiritur alia aetas pro conversis, alia pro clericis.

2. Novitiatus debet sub poena nullitatis durare per annum integrum et continuum, i. e. per 365 vel (in anno bissextili) 366 dies. Hinc si quis incepit novitiatum e. gr. d. 30 Sept. hora 10, nequit professionem emittere ante diem 1 Oct. anni sequentis vel si quis incepit in anno bissextili novitiatum die 28 Febr., nequit profiteri nisi die 1 Martii anni sequentis[52]. Sin autem longius tempus in constitutionibus praescribitur, illud ad validitatem professionis nihilominus non requiritur, nisi in iisdem constitutionibus aliud *expresse* dicatur[53]. Si exacto anno novitius est dubie idoneus ad professionem, superior maior religionis potest novitiatus tempus prorogare, non autem ultra 6 menses[54].

3. Novitiatus debet esse *continuus;* attamen iam non ita mathematice haec continuitas est exigenda, sicuti antea in usu fuit. Proinde si novitius non ultra quindecim dies de superiorum licentia (explicita vel implicita) extra domum novitiatus permansit, novitiatus non interrumpitur, sed superior potest praescribere, ut dies absentiae postea suppleantur. Sin vero absentia fuit ultra quidem quindecim dies, sed non ultra triginta dies (etiam non continuos), ad validitatem novitiatus requiritur, ut dies absentiae postea suppleantur. Si absentia fuit ultra 30 dies (sive continuos sive non continuos), novitiatus est interruptus, nisi S. Sedes dispensationem concessit[55]. Per se patet, superiores licentiam permanendi extra septa novitiatus non posse impertire nisi iusta et gravi de causa[56]. Novitiatus non interrumpitur, si novitius a superiore in aliam novitiatus domum eiusdem religionis transfertur[57]; econtra interrumpitur, ita ut denuo sit incipiendus ac perficiendus, a) simul ac novitius a superiore dimissus e domo novitiatus exiit; b) simul ac novitius *non reversurus* sine licentia superioris deseruit domum novitiatus (si igitur novitius clam domum novitiatus reliquit cum intentione revertendi intra paucos dies, novitiatus non est interruptus)[58]; c) si novitius *quacumque de causa* ultra 30 dies (sive continuos sive non continuos) extra novitiatum permansit[59].

4. In religionibus, in quibus duae sunt sodalium classes, e. gr. fratres laici et fratres clerici, sorores chorales et laicales, novitiatus pro altera classe peractus pro altera non valet[60]. Hinc e. gr. si frater laicus vult transire ad statum clericorum, debet iterum novitiatum peragere;

[51] Acta Ap. Sed. III (1911) 30 sqq.
[52] Pontif. Com. d. 12 Nov. 1922 (Acta Ap. Sed. XIV 661).
[53] c. 555, § 2. [54] Cf. infra q. 212 e). [55] c. 556, § 2. [56] Ib. § 3.
[57] Ib. § 4. Videtur autem necessarium, ut pro hac translatione non insumatur tempus 30 dierum; quare e. gr. si novitius itinerans ab uno novitiatu ad alterum insumit 6 hebdomadas, novitiatus videtur esse interruptus.
[58] Non sufficit egressus ex stricto loco novitiatus, sed requiritur egressus e *domo* novitiatus.
[59] c. 556, § 1. [60] c. 558.

pariter, si soror laicalis transit ad statum choristarum, nisi tamen adsit dispensatio pontificia.

Q. 211. *Quaenam praescripta sint circa* **disciplinam** *novitiatus?*

R. *Finis,* propter quem novitiatus est institutus, non solum est probare adspirantium ad statum religiosum aptitudines, sed etiam eos informare studio regulae et constitutionum, eos exercere piis meditationibus assiduaque prece, iis perdiscendis quae ad vota et ad virtutes pertinent, exstirpandis radicitus vitiis per opportunas exercitationes et mortificationes[61]. Ad hunc finem tam nobilem et arduum efficaciter obtinendum diversa media adhibentur, statuta iam quoad substantiam a Clemente VIII d. 19 Mart. 1603.

1. *Magister novitiorum eiusque socius.* Novitiorum institutioni praeficiendus est *magister specialis,* qui ab omnibus aliis officiis oneribusque vacare debet, quae novitiorum curam et regimen impedire valent, et qui prudentia, caritate, pietate, religionis observantia sit conspicuus. Ex iure communi insuper requiruntur sequentes condiciones: a) aetas saltem 35 annorum; b) professio religiosa iam a 10 annis peracta; c) ordo sacerdotalis, si de religione clericali agitur, idque etiam pro fratribus laicis novitiis. Si ob novitiorum numerum vel ob aliam iustam causam expedire visum est, magistro novitiorum adiungatur socius, eidem immediate subiectus in iis, quae ad novitiatus regimen immediate spectant. Qualitates mentis sint eaedem ac eae, quae modo pro magistro novitiorum indicatae sunt. Sufficit autem, ut habeat aetatem 30 annorum et eius prima professio sit ante 5 saltem annos facta[62]. Magister novitiorum eiusque socius eligantur ad normam constitutionum cum magna circumspectione. Non nisi in casu prorsus exceptionali sint simul superiores locales. Si in nonnullis constitutionibus officium magistri et socii est ad fixum tempus determinatum, ipsi, hoc tempore durante, ne removeantur sine iusta gravique causa; elapso autem hoc tempore rursus (etiam pluries) eligi possunt[63]. Uni magistro ius est et officium consulendi novitiorum institutioni; ad ipsum solum novitiatus regimen spectat, ita ut nemini liceat hisce se quovis colore immiscere, exceptis iis superioribus, quibus id constitutionibus permittitur, ac visitatoribus. Attamen in iis, quae pertinent ad disciplinam universae domus, magister perinde ac novitii superiori domus debet oboedire. Hinc e. gr. magister et novitii debent ea observare, quae superior domus legitime praescribit circa officium chorale, refectorium etc.[64] Intra annum novitiatus magister exhibeat capitulo vel superiori maiori saltem semel relationem de agendi ratione singulorum novitiorum[65].

2. *Clausura novitiatus.* Novitiatus ab ea parte domus, in qua degunt professi, sit, *quantum fieri potest,* speciali clausura segregatus, ita ut, sine speciali causa ac superioris vel magistri licentia, novitii nullam habeant communicationem cum professis, neque hi cum novitiis; praeter-

[61] c. 565, § 1. [62] c. 559. [63] c. 560. [64] c. 561, § 1. [65] c. 563.

quam in ecclesia, refectorio aliisque exercitiis, quibus tota communitas religiosa interest. — Novitiatus conversorum sit seperatus a novitiatu clericorum[66]. Conversi autem durante novitiatu diligenter in christiana doctrina instituantur, speciali collatione ad eos habita semel saltem in hebdomada[67].

3. *Novitiorum occupationes.* Durante anno novitiatus ne destinentur novitii concionibus habendis aut audiendis confessionibus aut exterioribus religionis muniis, neve *dedita opera* vacent studiis litterarum, scientiarum aut artium[68]. Nihilominus cum experientia constet, assiduis pietatis officiis, licet opportune variis, adolescentium mentem non raro defatigari, cumque moderatum studium in ipso novitiatu non parum utilitatis afferat, ne sc. novitii dediscant quae didicerunt, ac re ostendant quales sint ingenio, idoneitate et diligentia, S. Congregatio de Rel. d. 26 Aug. 1910 statuit, ut in singulis religionibus a) novitii cotidie (exceptis diebus festivis et dominicis) per unam horam studio privatim incumbant; b) ut aliquis idoneus magister non ultra ter in hebdomada novitios instruat in linguis modernis aut antiquis; c) ut iste magister ante professionem novitii mittat testimonium de eius diligentia et progressu ad superiorem, cuius est novitium ad professionem admittere[69]. Cum istud decretum in novo Cod. iur. can. non sit receptum, iam non habet valorem obligatorium, optime tamen potest tamquam norma directiva observari. — Conversi (idem valet de sororibus), durante eorum novitiatu in ipsa religiosa domo, eatenus tantum possunt fungi officiis fratrum conversorum (non tamen uti primarii officiales), quatenus ab exercitiis novitiatus pro ipsis constitutis non praepediuntur[70].

4. *Novitiorum confessiones.* Magister novitiorum eiusque socius sacramentales confessiones novitiorum ne audiant, nisi aliquis novitius ex gravi et urgenti causa id in casu particulari petit[71]. Hoc statutum, quod antiquam disciplinam penitus mutat, videtur esse introductum, ut omne prorsus periculum evitetur utendi scientia ex confessione hausta ad externum regimen.

Ea, quae supra q. 190 dicta sunt de confessariis in religionibus laicalibus, valent quoque de confessariis novitiarum[72]. In religionibus vero *virorum* pro novitiorum numero unus vel plures habeantur ordinarii confessarii, qui, si agitur de religione clericali, in ipsa novitiatus domo commorentur; sin autem agitur de religione laicali, confessarii ordinarii frequenter, saltem semel in hebdomada, ad domum novitiatus accedant, novitiorum confessiones audituri. Praeter confessarios ordinarios designentur aliqui confessarii, quos novitii in casibus particularibus adire libere possunt; nec magister aegre id se ferre demonstret. Immo si novitius etiam alium, non designatum confessarium adit ad

[66] c. 564, § 1 2. [67] c. 565, § 2. [68] Ib. § 3. [69] Acta Ap. Sed. II 730 sq.

[70] c. 565, § 3. In religionibus, ubi secundus annus novitiatus usuvenit, observanda est circa occupationes istorum novitiorum instructio S. Congregationis de Rel. data d. 3 Nov. 1921 (Acta Ap. Sed. XIII 540); cf. supra q. 209.

[71] c. 891. [72] c. 566, § 1.

suae conscientiae quietem, talis confessio est valida et licita, et confessarius tunc potest eum absolvere etiam a casibus in religione reservatis. — Quater saltem in anno detur novitiis confessarius extraordinarius, ad quem omnes accedant, saltem benedictionem accepturi[73].

Q. 212. *Quaenam sint novitiorum privilegia et obligationes?*

R. 1. *Privilegia.* Novitii privilegiis omnibus ac gratiis spiritualibus religioni concessis gaudent, et si morte praeveniantur, ad eadem suffragia ius habent, quae pro professis praescripta sunt[74]. Hinc illud notum adagium: In *favorabilibus* novitii aequiparantur professis, uno excepto, nempe quod non possunt durante novitiatu primam tonsuram et ordines suscipere[75]. Novitii igitur etiam laici habent privilegia canonis, fori, exemptionis etc., sicut communiter clerici[76].

Spirituali consolationi novitiarum S. Dominici volens consulere S. Pius V[77] concessit, ut istae novitiae moriturae possint professionem religiosam emittere ante novitiatum finitum. S. Congregatio de Rel., approbante Pio X d. 3 Sept. 1912[78], hoc privilegium extendit ad omnes religiones, immo et ad instituta pia vitae communis, quamvis vota non emittantur (non autem ad postulantes). Formula istius professionis vel consecrationis aut promissionis sit in hoc casu eadem, quae in instituto extra casum aegritudinis in usu est. Vota, si nuncupantur, sine temporis determinatione aut perpetuitate pronuntientur. Novitii per hunc actum lucrantur plenariam indulgentiam in forma iubilaei. Professio autem sic emissa spirituales quidem sed non *canonicos* effectus producit; ideoque si novitius, professione sic peracta, moritur intestatus, institutum religiosum nulla eius bona vel iura sibi vindicare potest; sin autem convalescat, est in eodem statu canonico, ac si hanc professionem non emisisset; debet igitur novitiatum peragere et tunc novam professionem emittere, si vult, et si rite admittitur; potest quoque libere relinquere religionem. Quamvis Codex sileat de hac professione in articulo mortis, ea tamen nihilominus fieri potest; est enim privilegium, quod non est revocatum, sed iterum concessum, immo et extensum ad postulantes[79].

2. *Obligationes* novitiorum sunt sequentes:

a) Novitii debent observare regulam et constitutiones, et quidem non tantum ex quadam decentia et honestate (ut volunt nonnulli auctores), sed etiam ex *conventione.* Haec enim obligatio est intrinseca conventioni initae a novitio in admissione ad novitiatum. Etenim recipitur velut civis religionis; atque non solum, ut ipse experiatur regulares observantias, sed etiam, ut religio experiatur eius voluntatem et aptitudinem ad illas servandas. Iamvero nec ipse novitius potest sufficienter experiri, quid valeat circa statuta religionis, nisi ea observando, nec religio potest experiri, quantum valeat et velit ea servare[80].

[73] c. 566, § 2.
[74] c. 567, § 1. Pontif. Com. d. 16 Oct. 1919 (Acta Ap. Sed. XI 477); cf. *Maroto,* Commentarium pro religiosis I 163 sqq.
[75] c. 567, § 2. [76] c. 614.
[77] Const. „Summi Sacerdotii" d. 23 Aug. 1570. [78] Acta Ap. Sed. IV 590.
[79] S. C. de Rel. d. 30 Dec. 1922 (Acta Ap. Sed. XV 158).
[80] Cf. *Passerinus,* De stat. hom. q. 189, a. 10, n. 18.

Ex quibus sequitur, ut novitius teneatur (non tamen *sub gravi*) etiam ad *poenas* taxatas pro transgressione regulae et insuper ad *suffragia* mortuorum, quae in regula praescribuntur. Ceterum in nonnullis religionibus, e. gr. in ordine Praedicatorum, expresse dicitur novitiis ante inceptionem novitiatus, ipsos debere oboedire superioribus et observare regulam.

b) In religionibus clericalibus exemptis superior exercet iurisdictionem quasi-episcopalem eodem modo super professis et super novitiis; ideoque novitii tenentur ea omnia observare, quae superior vi iurisdictionis decrevit, e. gr. quoad comminationem poenarum.

c) Novitii tenentur sua bona et beneficia retinere, ita ut, durante novitiatu, nec valide nec licite iis quovis modo renuntiare vel ea obligare valeant[81]. Ante professionem autem novitii debent, ad totum tempus quo simplicibus votis adstringentur, bonorum suorum *administrationem* cedere cui maluerint, et, nisi constitutiones religionis aliud ferant, de eorundem usu et usufructu libere disponere[82]. Quantum igitur ad usum et usumfructum, observandae sunt constitutiones uniuscuiusque religionis[83].

Quae quidem cessio ordinarie fieri debet ante professionem votorum simplicium *temporariorum.* In casu autem, quo professus a votis simplicibus perpetuis legitime transit ad aliam religionem et novum novitiatum peragit, haec cessio fit ante emissionem votorum perpetuorum[84]. Probabilis autem forte est explicatio alia, iuxta quam novitius debet cedere hanc administrationem semper *ante primam professionem simplicem,* sive sit votorum temporariorum ad normam iuris communis sive votorum perpetuorum *ex privilegio speciali,* quod non est expresse abrogatum[85].

Quantum ad administrationem, non vero quantum ad usum et usumfructum bonorum suorum, novitius ante professionem libere disponere debet. In nonnullis enim religionibus statuitur, ut usus vel ususfructus talium bonorum determinato modo fiat[86]. Quae quidem statuta observanda sunt[87]. Si novitio post professionem iam peractam bona nova quovis titulo e. gr. testamento, donatione personali etc. supervenerint, potest de eorum administratione et usufructu libere disponere, non obstante simplici professione emissa[88]. Ergo et in hoc casu non requiritur licentia neque S. Sedis, neque superioris religiosi ad hanc dispositionem faciendam; sin autem simpliciter professus (durantibus votis)

[81] c. 568. Nihil obstat, ne clericus ante ingressum in novitiatum renuntiet beneficio.
[82] c. 569, § 1.
[83] Pontif. Com. d. 16 Oct. 1919. Specialia statuta hac de re habent e. gr. Passionistae (Const. c. 13), Redemptoristae (Const. a. 271) et praesertim Iesuitae; cf. *Biederlack-Führich* l. c. p. 143.
[84] c. 634.
[85] c. 574, § 1. Ita *A. Larraona* in Commentario pro rel. I 335. Tertia explicatio ab *A. Blat* l. c. n. 638 excogitata mihi videtur non solide fundata.
[86] Cf. Pontif. Com. d. 16 Oct. 1919.
[87] Pontif. Com. d. 5 Ian. 1919. [88] c. 569, 1 2.

cessionem et dispositionem antea factam vult *mutare*, ordinarie requiritur licentia supremi moderatoris, ut latius dicetur infra q. 217. *In congregatione religiosa*[89] ante professionem votorum temporariorum novitius testamentum debet libere (i. e. quoad modum distribuendi) condere de bonis praesentibus vel forte obventuris[90]. Quod quidem testamentum faciendum est — quoad fieri potest — in forma coram lege quoque civili valida, et professione simplici peracta, novitius mutare nequit sine licentia S. Sedis, vel, si res urgeat nec tempus suppetat ad S. Sedem recurrendi, sine licentia superioris maioris aut, si ne ille quidem adiri possit, localis[91].

Cum facile accidere possit, ut religiosus professus debeat testamentum a se ante professionem factum mutare propter nova et valde diversa adiuncta, e. gr. propter mortem testatarii, cumque sit satis onerosum tunc semper recurrere ad S. Sedem, videtur consulendum, ut superiores maiores obtineant habitualem facultatem S. Sedis in huiusmodi circumstantiis permittendi mutationem testamentorum. — Codex silet de testamento faciendo a novitiis *ordinum* religiosorum, sed isti debent 60 dies ante professionem sollemnem omnibus bonis, *quae actu habent*, cui maluerint, sub conditione secuturae professionis renuntiare[92].

Attamen non videtur esse nimis insistendum in verbis: „*bonis, quae actu habent*". Etenim huiusmodi novitii valde raro iam actu habent bona, econtra semper fere habent *in spe* bona. Iamvero non licet praesumere, Ecclesiam ferre legem de casu rarissimo et omittere legem de casu ordinario. Insuper merito bonum actuale vocatur *ius*, quod e. gr. habet novitius ad hereditatem patris adhuc viventis. Quare non videtur illicitum, sicuti hodieque usuvenit, quod novitius ante professionem sollemnem faciat dispositiones de futura hereditate moraliter certa[93]. Sic e. gr. novitius talis videtur posse statuere: „Renuntio hereditati meae paternae pro dimidia parte in favorem fratris germani, pro altera dimidia parte in favorem meae religionis." Neque video difficultatem, ob quam talis renuntiatio non possit vocari *testamentum*, cum novitius per professionem sollemnem censeatur civiliter mortuus. — Nonnulli novitii, volentes disponere de futura hereditate, petunt pro maiore securitate licentiam expressam S. Congregationis de Rel., ut possint huiusmodi dispositionem perficere ante professionem sollemnem.

d) Num novitius aliquid solvere debeat pro alimentis, habitu ceterisque expensis durante postulatu et novitiatu, dependet ex constitutionibus uniuscuiusque religionis vel ex expressa conventione in casu particulari inita. Si nihil eruitur hac de re neque ex constitutione neque ex stipulatione particulari, nihil quoque exigendum est a postulante vel novitio. Sin autem novitius ante professionem religionem relinquat, omnia, quae attulit et eius usu consumpta non sunt, ipsi restituenda sunt[94]. Expedit ad vitandas difficultates forte orituras, ut initio postulatus conficiatur inventarium rerum, quas candidatus secum attulit.

[89] Aliud est in ordinibus, ut dicetur infra q. 217, n. 3. [90] c. 569, § 3.
[91] c. 583, n. 2. [92] c. 581, § 1.
[93] Ita quoque Fanfani l. c. n. 261. [94] c. 570.

e) Exacto novitiatu, novitius, si idoneus iudicatur, ad professionem admittatur[95], secus dimittatur. Si dubium de eius idoneitate superest, potest a superiore maiore probationis tempus prorogari, non tamen ultra *6 menses*. Ante professionem novitius debet exercitia spiritualia praemittere per octo saltem solidos dies[96]. Durante novitiatu novitius potest religionem libere deserere, aut etiam a superioribus vel a capitulo secundum constitutiones quavis iusta de causa dimitti, quin superior vel capitulum teneantur dimissionis causam dimisso patefacere[97]. Haec igitur dimissio est semper valida, sed, si deest iusta causa, est graviter illicita, utpote grave detrimentum causans dimisso.

CAPUT III.

De professione religiosa.

Praenotamen. Nomen professionis per se significat aliquid aliud ac votum. Nam professio est rei cuiusquam publica confessio, seu est illud, quod est praecipua et publica operatio alicuius hominis. Sic loquimur in lingua vulgari de professione fabri, sutoris, medici etc. Professio igitur religiosa, si stricte sumitur, nihil aliud est quam publica susceptio status religiosi, vel clarius: est aliquod signum externum et permanens, quo homo publice ostendit, se vi sui status tendere ad perfectionem christianam. In hoc sensu professio religiosa posset realiter exsistere sine votis et antiquis temporibus revera exsistebat. Posset e. gr. aliquis eremita, utens habitu religioso et vivens sub vigilantia episcopi sine votis, publice profiteri se tendere ad perfectionem christianam. Ille sane profiteretur religiosam perfectionem et tamen non haberet vota religiosa. Pariter loquimur de professione religiosa in tertiis ordinibus, in quibus tamen vota non nuncupantur. Ex opposito tria vota paupertatis, castitatis, oboedientiae possunt esse sine professione religiosa sc. in homine, qui privato modo ista vota nuncupat coram confessario. Etsi igitur est realis distinctio inter professionem religiosam et tria vota, hodie tamen professio religiosa sumitur pro publica nuncupatione votorum in aliquo instituto religioso ab Ecclesia approbato, et in hoc sensu nunc loquimur de professione religiosa.

In hoc capite agitur 1. De requisitis ad validam et licitam professionem[1]. 2. De iuribus et obligationibus religiosi professi seu de effectibus professionis religiosae[2]. 3. De professione irrita[3].

[95] Novitius qui nondum est exemptus a servitio militari proprie dicto activo (i. e. cum armis), nequit professionem emittere nisi temporaneam et quidem valituram usque ad servitium militare (vel realiter susceptum vel penitus remissum). Non videtur obstare servitium supplementare, quod expleto servitio activo interdum per aliquot hebdomadas imponitur, neque probabiliter servitium misericordiae corporalis, quod in quibusdam regionibus exigitur a clericis et religiosis loco servitii activi cum armis. Durante servitio militari talis professus, quamvis nullis votis religiosis ligatus, manet membrum religionis, potest autem libere relinquere religionem et etiam ex iusta causa a superioribus dimitti (Pontif. Com. d. 15 Iul. 1919; Acta Ap. Sed. XI 322). Cf. Brandys[2] l. c. n. 55 sqq.
[96] c. 571, § 1 2. [97] Ib. § 1.
[1] c. 572—577. [2] c. 577—586. [3] c. 586.

Q. 213. *Quaenam requirantur ad validitatem cuiusvis religiosae professionis?*

R. Ad validitatem cuiusvis professionis religiosae requiritur:

1. *legitima aetas*, sc. annus decimus sextus completus pro professione temporaria et annus vigesimus primus pro professione perpetua, sive sollemni sive simplici[4]. Iam non alia aetas requiritur pro conversis ac pro clericis, ut iam dictum est.

2. *novitiatus valide et integre peractus* iuxta ea, quae in capite praec. dicta sunt. Iam supra q. 210 dictum est, quomodo annus novitiatus sit computandus; sc. si inceptus fuit d. 15 Aug. 1920, professio nequit valide fieri prius quam d. 16 Aug. 1921. Ita quoque fert praxis S. Congregationis de Rel. et Commissionis Pont. 12 Nov. 1922.

3. *admissio a legitimo superiore.* Quinam valeant legitime admittere ad professionem religiosam, determinatur in constitutionibus uniuscuiusque religionis. Generatim est superior maior in institutis iuris pontificii, episcopus autem in institutis dioecesanis. Notandum tamen est suffragium capituli, quod requiritur in admissione ad professionem, esse deliberativum seu decisivum pro prima professione temporaria (vel pro unica professione, quam emittit in nova religione, ad quam transiit religiosus perpetuo professus in alia religione); pro professione autem perpetua sive simplici sive sollemni esse solummodo *consultivum*[5].

4. *professio ipsa,* i. e. nuncupatio votorum a) sine vi aut gravi metu aut dolo emissa, eaque b) expressa (non tacita) et c) coram legitimo superiore secundum formam a constitutionibus praescriptam[6]. — Ad validitatem professionis *perpetuae* (sive simplicis sive sollemnis) requiritur insuper, ut praecesserit professio temporaria.

Q. 214. *Quotuplex sit professio religiosa?*

R. Professio religiosa est vel simplex vel sollemnis; simplex autem professio subdividitur in temporariam et perpetuam. Professio sollemnis non nuncupatur nisi in ordinibus religiosis stricte dictis. Professio simplex nuncupatur in omnibus congregationibus religiosis; in ordinibus autem religiosis tamquam praeambulum ad professionem sollemnem perpetuam.

In quolibet ordine (tam virorum quam mulierum) et in qualibet congregatione, quae vota perpetua habet, novitius post expletum novitiatum debet in ipsa novitiatus domo facere professionem simplicem ad triennium valituram, vel ad longius tempus, si aetatem ad perpetuam professionem requisitam post triennium nondum erit assecutus[7]. Hinc

[4] c. 573.

[5] c. 575, § 2; Pontif. Com. d. 14 Iul. 1922 (Acta Ap. Sed: XIV 528).

[6] c. 572, § 1, n. 6.

[7] Solummodo excipitur casus, quo aliquis sollemniter vel saltem perpetuo professus transivit legitime ad aliam religionem. Tunc enim expleto novitiatu, praetermissa professione temporaria, vel admittatur in nova religione ad professionem sollemnem aut perpetuam, vel ad pristinam redeat religionem (c. 634).

e. gr. si in ordine Praedicatorum novitius 16 annorum facit professionem simplicem, haec professio durat per quinque annos. In illis autem religionibus, quae post novitiatum exigunt annuales professiones nonnullas, usquedum tandem professio perpetua nuncupetur, haec statuta remanent in vigore[8]. Tempus triennale intermedium inter professionem primam et professionem perpetuam (sive simplicem sive sollemnem) superior religiosus nequit abbreviare, potest autem prorogare, non tamen ultra aliud triennium[9]. Ergo saltem finito sexto anno post professionem primam emittenda est professio perpetua in iis religionibus, quae habent professionem perpetuam; secus religiosus debet ad saeculum redire[10]. Si in casu prorsus extraordinario professio perpetua esset differenda ultra sexennium, recurrendum est ad S. Sedem. Durante tempore professionis temporariae religiosus, qui dignus non habetur, ut emittat postea vota perpetua, potest dimitti, observatis de iure servandis. Quaenam autem tunc observanda sint, dicetur infra tit. XVI.

Q. 215. *Quaenam observanda sint quantum ad ritum, adnotationem et renovationem professionis religiosae?*

R. 1. *Ritus professionis.* Omnis professio religiosa debet esse *expressa,* ut iam dictum est, ac proinde tacita professio, de qua veteres canonistae in longum et latum tractant, iam numquam est valida. Ritus observandus in professione solet praescribi a constitutionibus uniuscuiusque religionis[11]. Attamen rarissime talis ritus requiritur ad validitatem professionis.

2. *Adnotatio professionis.* Documentum emissae professionis ab ipso professo et saltem ab eo, coram quo professio emissa est, subscribatur et tunc servetur in tabulario (archivo) religionis. Si agitur de professione sollemni, superior religiosus eam excipiens debet profitentis parochum baptismi de eadem certiorem reddere[12]. Iste enim

[8] c. 574, § 1.

[9] Ib. § 2. Ille est superior legitimus ad prorogandum, qui est legitimus ad admittendum. [10] c. 575.

[11] c. 576, § 1. In omnibus religionibus, in quibus professio religiosa *intra Missam* peragitur, S. Rit. Congregatio d. 14 (27) Aug. 1894, 5 Iun. 1896 (Decr. auth. n. 3836 et 3912) hunc modum praescripsit: „Celebrans profitentium vota excepturus, sumpto ss. Eucharistiae sacramento, absoluta confessione ac verbis, quae ante fidelium communionem dici solent, s. Hostiam manu tenens, ad profitentes sese convertet: hi vero singuli (i. e. unus post alium) alta voce professionem suam legent, ac postquam quisque legerit, statim ss. Eucharistiae sacramentum sumet. *In renovatione* autem votorum, celebrans ad altare conversus exspectet, donec renovantes votorum formulam protulerint; qui, nisi pauci sint, omnes simul, uno praeeunte, formulam renovationis recitabunt, ac postea ex ordine ss. corpus Domini accipient. Haec tamen methodus, cum recepta fuerit, in respectivis congregationum constitutionibus minime apponenda est." — Si agitur de renovatione non iuridica sed *devotionali* professionis, quae laudabiliter in nonnullis religionibus peragitur, supradictum decretum Congregationis S. Rit. non est necessario observandum.

[12] c. 576, § 2.

parochus in libro baptismorum debet adnotare, talem baptizatum emisisse professionem sollemnem, quippe quae sit impedimentum dirimens matrimonii[13]. Neque talis nuntius ad parochum neque talis adnotatio in libro baptismorum requiritur, si agitur de peracta professione *simplici*.

3. *Renovatio professionis.* Professi a votis temporariis debent elapso tempore, ad quod vota sunt nuncupata, sine mora (i. e. eodem recurrente die, quo inceperunt) vota renovare. Superioribus igitur non licet hanc votorum renovationem prorogare; ipsis autem facultas est ex iusta causa permittendi, ut renovatio votorum temporariorum (non autem perpetuorum) per aliquod tempus, *non tamen ultra mensem, anticipetur*[14]. Talis anticipatio potest e. gr. fieri, si post exercitia spiritualia quotannis peracta complures sorores vota renovant et una soror nondum totum tempus suorum votorum temporariorum peregit.

Q. 216. *Quaenam sint privilegia et obligationes illorum, qui professionem temporariam emiserunt?*

R. 1. *Privilegia.* Professi a votis temporariis fruuntur iisdem indulgentiis, privilegiis et spiritualibus gratiis, quibus gaudent professi a votis sollemnibus aut professi a votis simplicibus perpetuis, et, si morte praeveniantur, ad eadem suffragia ius habent[15]. Solummodo quoad eorum ordinationem clericalem sunt quaedam limitationes. Non enim e. gr. possunt ordinari titulo paupertatis.

2. *Obligationes.* Professi a votis temporariis eadem obligatione tenentur observandi regulas et constitutiones sicut professi a votis perpetuis. Sunt tamen duae differentiae: a) Isti professi a votis temporariis, nisi sunt in sacris ordinibus constituti aut nisi ex iure particulari alicuius religionis obstringuntur, non tenentur ad privatam recitationem officii divini; tenentur autem ad recitationem choralem, sicut sollemniter professi[16]. b) Isti professi a votis temporariis carent voce cum activa tum passiva, nisi aliud in constitutionibus expresse caveatur. Nihilominus tempus praescriptum in constitutionibus ad fruendum voce activa vel passiva computetur a *prima* professione, nisi aliud expresse statuatur[17].

Q. 217. *Quinam sint iuridici effectus professionis religiosae?*

R. 1. *Quoad vota in genere.* Simplex professio (sive temporaria sive perpetua) actus votis contrarios reddit illicitos, sed non invalidos, nisi aliud expresse cautum fuerit; professio vero sollemnis reddit omnes actus etiam invalidos, si sunt irritabiles[18]. Hinc e. gr. contractus, factus a simpliciter professo sine debita licentia, est illicitus; econtra idem contractus sine debita licentia factus a sollemniter professo non tantum est illicitus, sed etiam invalidus.

2. *Quoad paupertatis votum.* Quilibet simpliciter professus (nisi aliud in constitutionibus expresse cautum est) conservat proprietatem

[13] c. 470, § 2. [14] c. 577. [15] c. 578, n. 1.
[16] Ib. n. 2. [17] Ib. n. 3. [18] c. 579.

bonorum suorum et capacitatem alia bona acquirendi[19]. Quidquid autem industria sua, e. gr. praedicando, docendo etc. vel intuitu religionis acquirit, e. gr. eleemosynas, acquirit religioni[20].

Disputatum quidem fuit inter auctores, num novitius ante primam professionem possit statuere, ut durantibus suis votis temporariis fructus suorum bonorum accrescant fortunae suae. Cum canon 569, § 1 praebeat novitiis ius *libere* disponendi de bonorum suorum usu et usufructu, nihil videtur obstare, ne ipse disponat, ut fructus percipiendi durantibus votis temporariis accrescant suae fortunae, nisi tamen constitutiones suae religionis aliud ferant[21].

3. Si simpliciter professus dispositionem antea factam de suis bonis administrandis atque de fructibus percipiendis vult postea mutare, hoc nequit fieri proprio arbitrio, nisi constitutiones id sinant, sed de *supremi moderatoris* (vel moderatricis) licentia. Sin autem monialis simpliciter professa huiusmodi mutationem vult facere, requiritur semper licentia Ordinarii loci, immo insuper licentia superioris regularis, si monasterium obnoxium est regularibus. Talis mutatio nequit fieri (saltem de notabili bonorum parte) in favorem religionis; secus enim magna incommoda possent oriri et religioso et religioni. Quando simpliciter professus e religione discedit, omnis dispositio de suis bonis facta ante professionem desinit vim habere in foro ecclesiastico[22].

Ex cc. 580, § 3 et 583, n. 2 sequitur, quod religiosus simpliciter professus indigeat licentia S. Sedis ad mutandum *testamentum* a se factum ante professionem (nisi adsit casus necessitatis); quod autem sufficit licentia moderatoris generalis, si vult facere mutationem *administrationis* suorum bonorum vel *dispositionis de usu et usufructu eorundem.* Si agitur de notabili parte usus vel ususfructus, quam vult cedere propriae religioni, requiritur licentia S. Sedis. Quaenam autem sit notabilis pars fructuum, non ita certo constat. Tertia pars videtur esse semper notabilis in hoc casu.

4. Professus a votis simplicibus in *ordinibus* antea nequit valide, sed intra 60 dies ante professionem sollemnem (salvis peculiaribus indultis a S. Sede concessis) debet omnibus bonis suis, quae actu habet, sub conditione secuturae professionis renuntiare, cui maluerit[23]. Secuta autem professione ea omnia statim fiant, quae necessaria sunt, ut renuntiatio etiam iure civili effectum consequatur[24]. Hoc statutum de renuntiatione bonorum ante professionem sollemnem iam a Concilio trid. sess. 25 de regul. c. 16 latum erat et solebat vocari testamentum religiosi. Per professionem enim sollemnem religiosus moritur mundo, ideoque ante hanc mortem iuridicam debet disponere de bonis suis.

[19] c. 580, § 1. [20] Ib. § 2.
[21] Ita quoque Fanfani l. c. n. 224, dubium 2. Cf. *Vermeersch,* De rel. periodica I 122. *Biederlack-Führich,* De religiosis n. 109. Responsum S. C. Ep. et Reg. d. 21 Nov. 1902 statuit quidem contrarium, sed hodie non amplius videtur valere.
[22] c. 580, § 3. [23] c. 581, § 1. [24] Ib. § 2.

Novum ius nihil dicit, cui bona obveniant, si simpliciter professus omisit facere hanc renuntiationem ante professionem sollemnem. Sed tunc, salvis peculiaribus S. Sedis indultis, talia bona videntur obvenire religioni; omnia enim bona, quae quocumque modo obveniunt regulari post professionem sollemnem, acquiruntur ordini vel provinciae vel domui secundum constitutiones. Hinc illud adagium: Quidquid monachus acquirit, monasterio acquirit. Si tamen aliquis ordo est incapax possidendi, ut ordo Capucinorum, tunc omnia talia bona acquiruntur S. Sedi[25]. Iam non requiritur licentia episcopi vel eius vicarii ad faciendam hanc renuntiationem.

5. Professus a votis simplicibus *in congregationibus religiosis* licite nequit a) per actum inter vivos dominium bonorum suorum titulo gratuito abdicare[26], b) testamentum ante professionem conditum mutare. Ad talem mutationem requiritur praevia licentia S. Sedis; vel si res ita urget, ut tempus desit recurrendi ad S. Sedem, requiritur licentia superioris maioris et, si nec ille adiri potest, licentia superioris localis[27].

Q. 218. *Quinam sint iuridici effectus professionis religiosae specialiter quoad beneficia et excardinationem?*

R. 1. *Vacatio officiorum et beneficiorum.* Ob tacitam renuntiationem ab ipso iure admissam quaelibet *officia* vacant ipso facto et sine ulla declaratione, si clericus professionem religiosam emisit[28].

Post annum ab emissa prima professione vacat beneficium paroeciale; post triennium aliud quodcumque beneficium, quod forte habuit professus, quando adhuc fuit in saeculo[29]. Si igitur aliquis parochus ingreditur in religionem et infra annum a prima professione redit in saeculum, habet ius ad paroeciam relictam. Attamen in praxi talis parochus non recipit ab episcopo licentiam ingrediendi in religionem, nisi antea renuntiaverit beneficio paroeciali. Nihilominus si redit ante emissionem votorum perpetuorum (sive sollemnium sive simplicium), ius habet, ut episcopus ipsi conferat aliud congruum officium.

2. *Excardinatio.* Post emissam professionem votorum perpetuorum, sive quis egreditur e religione sive in ipsa manet, amittit ipso iure propriam, quam in saeculo habebat, dioecesim[30]. Si igitur professus a votis perpetuis egreditur e religione, nullum ius erga proprium episcopum habet; est enim excardinatus e propria dioecesi[31].

Q. 219. *Quomodo professio irrita convalescat?*

R. Professio irrita *ob impedimentum externum,* e. gr. ob nullitatem novitiatus, non convalescit nisi 1. per sanationem a S. Sede concessam; 2. per novam emissionem, postquam, cognita nullitate, impedimentum sublatum est[32].

Professio irrita ob solum defectum *interni consensus,* e. gr. si facta est ex gravi metu, convalescit, si a religioso novus consensus libere (quamvis occulte) ponitur, et consensus ex parte religionis non fuit revocatus[33].

Si contra validitatem professionis exsistunt gravia argumenta et religiosus renuit ad cautelam sive professionem renovare sive eiusdem sanationem petere, res ad S. Sedem deferatur[34]. Professio igitur dubie valida praesumitur valida, usquedum eius nullitas est clare probata. Reclamatio autem contra professionis validitatem iam directe facienda est in Curia S. Sedis, quae normas procedendi determinabit. In antiquo iure talis reclamatio non potuit fieri nisi intra quinquennium, in novo autem iure actiones de statu personarum nunquam exstinguuntur[35]. Religiosus clericus, cuius professio ob admissum ab ipso *dolum* nulla fuerit declarata, abiciatur e statu clericali, si est constitutus in ordinibus minoribus; sin autem est in ordinibus maioribus, ipso facto suspensus manet, donec S. Sedi aliter visum fuerit[36].

TITULUS XII.

De ratione studiorum in religionibus clericalibus.

Q. 220. *Quaenam sint a iure communi statuta de studiis in religionibus clericalibus?*

R. 1. Cum solidum studium philosophiae et theologiae sit tam necessarium omnibus clericis religiosis et praesertim iis, qui in ministerio animarum occupantur, Curia Romana saluberrima statuta edidit, quibus hoc studium omnibus modis promoveatur[1], immo praescripsit determinatum tempus et modum studiorum, sine quibus clerici nequeunt admitti ad ordines suscipiendos.

2. *Domus et scholae studentium.* Quaelibet religio clericalis habeat studiorum domos a capitulo generali vel a superioribus approbatas. In istis domibus vigeat perfecta vita communis; secus studentes ad ordines promoveri nequeunt[2]. Experientia satis superque constat, studia clericorum detrimentum pati, si studentes disperguntur in parvis domibus, quae nonnisi secundario ad studia inserviunt. Ideo curandum est, ut studentes coadunentur in magnis domibus formatis, quibus fomentum studiorum tamquam principalis finis est praestitutum. Propterea si religio aut provincia tales studiorum domus rite instructas habere nequit, aut si quas quidem habet, sed iudicio superiorum eas adire difficile est, religiosi studentes mittantur vel ad recte ordinatam studiorum domum alius provinciae aut religionis vel ad scholas seminarii episcopalis vel

[25] c. 582.
[26] Ratio est, quia secus talis professus in casu quo relinquere deberet congregationem careret debita sustentatione. Non prohibetur, ne talis professus cum debita licentia superioris abdicet titulo gratuito parvam quantitatem bonorum aut etiam titulo *oneroso* omnia bona sua. Cf. *Brandys* [2] l. c. n. 67.
[27] c. 583. [28] c. 188, n. 1. [29] c. 584. [30] c. 585. [31] c. 115.

[32] c. 586, § 1. [33] Ib. § 2. [34] Ib. § 3. [35] c. 1701. [36] c. 2387.
[1] Cf. Pii XI „Epistula Apostolica ad summos moderatores ordinum regularium aliarumque sodalitatum religiosorum virorum" data d. 19 Mart. 1924 (Acta Ap. Sed. XVI 133—148).
[2] c. 587, § 1 2.

ad publicam catholicam universitatem[3]. Religiosis autem, qui studiorum causa longe a propria domo mittuntur, non licet in privatis domibus habitare; quia sic eorum spiritus religiosus (si ita fas est loqui) periclitaretur. Tales igitur studentes debent habitare in aliqua religionis suae domo; vel, si id fieri nequit, in religioso aliquo instituto virorum (non autem mulierum) vel in aliquo seminario aliave pia domo, cui praeest sacerdos et quae ab ecclesiastica auctoritate approbata est pro hoc fine[4]. Infra q. 413 sermo redibit de religiosis frequentantibus universitates.

De iure communi non requiritur, ut religiosi studentes habitent sub clausura speciali, sicut novitii.

3. *Magister spiritus.* Toto studiorum curriculo religiosi studentes committantur speciali curae praefecti, qui vocatur *Magister spiritus* (Spiritual) et qui eorum animum informet opportunis monitis, instructionibus, exhortationibus. Studentes enim proficere debent non solum in scientiis, sed etiam in virtutibus. Praefectus seu magister spiritus iis qualitatibus praeditus sit, quae in magistro novitiorum requiruntur iuxta supra q. 211 dicta, nec tamen eadem prohibitio audiendi confessiones subditorum ipsi (ut tali) applicanda videtur, quae ligat iure communi magistrum novitiorum. Superiores vero sedulo invigilent, ut vita perfecte religiosa ducatur in domo studiorum[5].

4. *Studiorum cursus.* Religiosi, postquam in inferioribus disciplinis, seu in sic dictis humaniorum studiis (ad instar clericorum saecularium eiusdem regionis) rite instructi sunt[6], debent per integros duos annos philosophicis et per quattuor annos theologicis studiis incumbere secundum doctrinam S. Thomae Aquinatis[7]. Necesse est, ut studium theologicum duret saltem per 45 menses (computatis vacantiis)[8] et comprehendat theologiam dogmaticam, moralem et pastoralem, exegesim, historiam ecclesiasticam, ius canonicum, liturgiam et cantum eccl., sacram eloquentiam[9]. Neque licitum est sine speciali licentia S. Congregationis de Rel. habitualiter exercere ministerium animarum aut externa Religionis munia antequam quartus studii theologici annus sit completus. Facultates huic statuto contrariae sunt abolitae[10].

[3] c. 587, § 3. [4] Ib. § 4. [5] c. 588.

[6] Codex iur. can. c. 589, § 1 nil aliud exigit, nisi ut religiosi in inferioribus disciplinis sint *„rite instructi"*. Utrum adhuc stricte obligent ea, quae sub Pio X d. 7 Sept. 1909 et d. 31 Maii 1910 de studiis humanioribus statuta sunt, ut e. gr. saltem per 4 annos candidatus ante ingressum in novitiatum peregerit studia gymnasialia, non ausim dicere. Affirmativam sententiam tenent *Biederlack-Führich* l. c. n. 102, *Jansen* l. c. p. 177, negativam sententiam vero tuentur *Vermeersch-Creusen* l. c. n. 698, *Augustine* (l. c. in c. 589). Saltem norma directiva illis statutis competit.

[7] c. 589, § 1. Cf. 24 theses statutas a S. C. de Stud. 27 Iul. 1914 (Acta Ap. Sed. VI 383).

[8] S. C. de Rel. d. 31 Maii 1910 (Acta Ap. Sed. II 450).

[9] c. 993, n. 2, et c. 1365, § 2 3.

[10] S. C. de Rel. d. 27 Oct. 1923 (Acta Ap. Sed. XV 549).

Cum haud raro contingat, ut religiosi studentes (absque ulla ipsorum aut superiorum culpa) per plures menses studia interrumpere cogantur (e. gr. infirmitatis aut servitii militaris causa) *Superior generalis,* accedente voto deliberativo suorum consiliariorum dispensare potest ab hac interruptione, dummodo 1) ipsa complexive i. e. totaliter computata non duraverit ultra tres menses; 2) studia omissa scholis privatis, i. e. dirigente aliquo viro docto, suppleta fuerint; 3) in examine constiterit, ex testimonio examinatorum seu doctrinae iudicum, alumnos prorsus didicisse disciplinas, de quibus in eorum absentia in scholis actum est. Ita S. Congregatio de Rel. d. 1 Mart. 1915[11]. Quae quidem ordinatio videtur adhuc in vigore remanere.

5. Studiorum tempore magistris et studentibus ne imponantur officia, quae a studio eos avocant vel scholam quoquo modo impediunt. Ministerium animarum, dummodo sit breve et valde moderatum, videtur potius prodesse quam obesse studio theologico; quoniam docet practicam applicationem scientiae theologicae in scholis theoretice haustae. Supremus moderator religionis et, in casibus particularibus, alii quoque superiores possunt pro sua prudentia magistros et studentes a nonnullis communitatis actibus, etiam a choro, praesertim nocturnis horis, eximere, quoties id studiis excolendis necessarium videtur[12].

Hoc loco citatur in Codice iur. can. notissimum decretum Clementis VIII „Nullus omnino" d. 25 Iul. 1599, latum de exemptione a servitio chorali. Quae quidem citatio videtur satis clare innuere, etiam nunc hoc decretum Clementinum esse normam directivam in hac re. Iamvero Passerinus[13], Lezana[14], Peyrinus[15], Victorius ab Appeltern[16] aliique recte docent, etiam tempore vacationum tales dispensationes et exemptiones posse concedi magistris et studentibus, *si hoc ad fovendum studium inservit.*

6. *Examina durante quinquennio.* Religiosi sacerdotes, iis tantum exceptis, qui a superioribus maioribus *gravem ob causam* exempti sunt, aut qui vel s. theologiam vel ius canonicum vel philosophiam docent, post absolutum studiorum curriculum quotannis, *saltem per quinquennium,* a doctis gravibusque patribus examinentur in variis doctrinae sacrae disciplinis antea opportune designatis[17]. Simile statutum latum est[18] pro sacerdotibus saecularibus, qui huiusmodi examen quotannis *per triennium* subire debent. Videtur esse omnino necessarium, ut superiores provinciales rarissime concedant dispensationem in hoc statuto saluberrimo.

7. *Casus morales et liturgici habendi.* In qualibet saltem formata domo religiosa *minimum semel in mense* habeatur solutio casus moralis et liturgici[19]; cui, si superior opportunum existimaverit, addi potest sermo de re dogmatica coniunctisve doctrinis, e. gr. de apologetica,

[11] Acta Ap. Sed. VII 124. [12] c. 589, § 2.

[13] De hom. stat. q. 187 (vol. II, 306, n. 1155).

[14] Summa quaest. regul. l. 1, p. 1, c. 8, n. 25.

[15] Privil. Regular. const. 2 Iul. II, § 5, n. 21.

[16] Comp. iur. reg. 210, p. 212. [17] c. 690, § 1. [18] c. 130.

[19] *A. Blat* l. c. n. 663 putat, quolibet mense habendum esse duplicem casum: alterum moralem, alterum liturgicum.

ascetica, ministerio animarum, eloquentia sacra etc. Omnes clerici professi (ergo non solum sacerdotes), *qui studio s. theologiae operam navant,* aut illud expleverunt et in domo degunt, assistere tenentur, nisi aliud in constitutionibus caveatur[20]. Sacerdotes religiosi confessarii, si tales conferentiae non habentur in sua domo religiosa, debent interesse huiusmodi conferentiis pro clero saeculari statutis, secus Ordinarius loci eos suspendat ab audiendis confessionibus[21].

8. Quaenam studia peragenda sint necessario pro suscipiendis singulis ordinibus, dicetur infra l. 3, tit. 6, c. 2, a. 1.

TITULUS XIII.

De obligationibus et privilegiis religiosorum.

CAPUT I.

De religiosorum obligationibus.

Praenotamen. Codex iur. can. tractat de obligationibus religiosorum hoc uno capite. Cum tamen hoc caput sit valde longum cumque obligationes religiosorum sint tam multiplices, subdividimus hoc caput in quattuor articulos, sc. de obligationibus religiosorum 1. vi ipsius status religiosi; 2. vi votorum; 3. vi regulae et constitutionum; 4. specialiter de obligatione ministerii animarum et officii divini.

ARTICULUS I.

De obligatione religiosorum vi ipsius status religiosi.

Q. 221. *Quaenam sint obligationes religiosorum vi ipsius status religiosi?*

R. 1. *Obligatio tendendi ad perfectionem.* Religiosi tenentur *vi ipsius status religiosi,* quippe qui sit et vocetur status perfectionis, tendere ad perfectionem christianam. Quare Angelicus Doctor[1] breviter dicit: „Ille, qui statum religionis assumit, non tenetur habere perfectam caritatem, sed tenetur ad hoc tendere et operam dare, ut habeat caritatem perfectam.“ Cui quidem obligationi gravi religiosus satisfacit, si fideliter observat vota sua et regulam professam, non autem tenetur ad alia opera supererogatoria, etsi multum conducentia ad perfectionem; neque etiam tenetur semper facere id, quod melius est, seu inter duo opera eligere id, quod melius est, sicuti laudabiliter fecerunt complures sancti. Haec obligatio tendendi ad perfectionem non videtur esse distincta ab obligatione servandi vota et regulam. Nonnulli quidem auctores contrarium autumant, asserentes religiosum graviter laedentem vota committere duo gravia peccata, sc. alterum contra votum, alterum vero contra obligationem tendendi ad perfectionem religiosam. Quae quidem sententia videtur solido fundamento carere, nisi tamen in aliquo

[20] c. 591. [21] c. 131, § 1; c. 2377. [1] S. th. 2, 2, q. 186, a. 2.

ordine exsistat, praeter tria consueta vota, votum tendendi ad perfectionem, quale votum videtur esse e. gr. votum conversionis in ordine S. Benedicti. Ceterum huic sententiae non favet Codex iur. can.[2] statuens: „Omnes et singuli religiosi, superiores aeque ac subditi, debent non solum quae nuncupaverunt vota fideliter integriterque servare, sed etiam secundum regulas et constitutiones propriae religionis vitam componere *atque ita* ad perfectionem sui status contendere.“ Ergo observando vota et constitutiones religiosi contendunt ad perfectionem.

Statim oritur quaestio, quandonam peccet graviter religiosus contra hanc obligationem tendendi ad perfectionem. Respondetur: 1. Quando religiosus *contemnit* hanc perfectionem ita, ut positive statuat, se nolle adipisci eam. Per se patet. 2. Quando ex *contemptu formali* transgreditur constitutiones, et a fortiori, quando sic laedit vota; ista enim sunt media necessaria ad perfectionem assequendam. „Tunc autem aliquis ex contemptu regulam transgreditur, quando voluntas eius renuit subici ordinationi legis et ex hoc procedit ad faciendum contra legem vel regulam.“[3] 3. Quando saepe violat vota in re gravi. Qui enim saepe committit peccata mortalia offendens Deum, non censetur tendere ad perfectionem caritatis divinae. 4. Quando ex consuetudine nullo modo impugnata frequentissime transgreditur regulam et constitutiones. Sunt tamen auctores, qui hoc recte negant, inter quos *S. Alphonsus*[4]. Attamen omnes concedunt in hoc ultimo casu talem transgressorem posse graviter peccare et propter scandalum et propter nocumentum, quod causat et suis fratribus et disciplinae religionis.

Sicut unusquisque religiosus sub gravi tenetur tendere ad perfectionem, ita unusquisque *superior* religiosus tenetur sub gravi fovere perfectionis studium in suis subditis. Potest igitur graviter peccare superior, qui sinit impune suos subditos passim transgredi regulas.

2. *Obligationes communes religiosorum et clericorum.* Religiosi tenentur vi status religiosi ad eas obligationes, quae incumbunt statui clericali in communi, nisi ex contextu sermonis vel ex natura rei aliud constat[5]. Hinc quae supra q. 65 sqq. dicta sunt pro clericis de venatione non exercenda, de alearum ludo non faciendo, de non assistendo choreis et spectaculis publicis, de non se immiscendo saecularibus negotiis, de non exercenda medicina et chirurgia et generatim de honestate clericorum, valent quoque pro religiosis.

3. *Exercitia religiosa.* Quantum ad exercitia religiosa, nunc statutum est iure communi[6]:

a) quotannis spiritualibus exercitiis vacent omnes religiosi. Duratio istorum exercitiorum non est determinata iure communi;

b) legitime non impediti cotidie Missae intersint, orationi mentali vacent et in alia pietatis officia, quae a regulis et constitutionibus praescripta sunt, sedulo incumbant;

c) ad poenitentiae sacramentum semel saltem in hebdomada accedant;

[2] c. 593. [3] *S. Thomas,* S. th. 2, 2, q. 186, a. 9.
[4] Theol. mor. l. 4, n. 11. [5] c. 592. [6] c. 595.

d) frequenter, etiam cotidie, s. Eucharistiam recipiant. Si tamen post ultimam sacramentalem confessionem religiosus communitati grave scandalum dedit aut gravem et externam culpam patravit, superior (superiorissa) potest prohibere ne religiosus iste ad s. Communionem accedat, antequam ad sacramentum poenitentiae denuo accessit. Si in constitutionibus nonnullarum religionum dies communionis sunt fixae vel determinatae, hae normae non habent vim obligatoriam, sed dumtaxat directivam.

ARTICULUS II.

De obligationibus religiosorum vi votorum.

Q. 222. *Quousque se extendat obligatio religiosorum votorum in genere?*

R. 1. Disputatur inter auctores, num vota religiosa obligent etiam ad actus internos. Omnes quidem concedunt, a) votum castitatis laedi per actus internos luxuriae, pariter *virtutes* oboedientiae et paupertatis posse laedi per actus mere internos[7]; b) melius et magis meritorie agere religiosum, si etiam actus suos internos plane conformat votis et regulae; c) cavendum esse ab actibus mere internis, qui sunt votis contrarii, utpote non solum inutiles, sed etiam periculosi; quia ex istis morosis complacentiis et affectibus contra paupertatem vel oboedientiam nasci facile potest displicentia ipsorum votorum eorumque etiam externa transgressio. Sed si quaeritur theoretice de stricta obligatione ad actus internos, non est concors doctorum sententia. Prima sententia asserit, vota laedi etiam per actus internos, quia affectus est maioris momenti quam effectus externus. Cum igitur effectus externus sit contra votum, a fortiori eius affectus internus. Ita Albertus a Bulsano. Altera sententia eaque verior distinguit dicens: Actus mixte internos, i. e. *desideria,* laedere vota, non autem actus mere internos, sicut delectationes morosas. Hinc e. gr. religiosus, qui *absolute* desiderat divitias, peccat contra votum. Ita Suarez, Passerinus, multi alii. Ad rem scribit Passerinus[8]: „Supposita firma voluntate non violandi votum, delectatio de dominio divitiarum cogitato seu imaginato non est mortale peccatum contra votum paupertatis, quia rerum dominium non est mala res ab intrinseco." Delectatio tamen morosa de rebus obscoenis a religioso libere admissa est peccatum duplex, quia laeditur cum praeceptum tum votum castitatis. — Ceterum in particulari casu superior religiosus videtur vi voti oboedientiae posse praecipere actus mere internos, e. gr. meditationem, suis subditis professis, si id ad observantiam regularem pertinet[9].

2. Seclusa speciali dispensatione pontificia religiosi cum exclaustrati tum elevati ad episcopatum tenentur ad observationem votorum religiosorum, non autem saecularizati. Ceterum infra tit. XV specialis sermo redibit de hac re.

[7] Haec laesio mere interna virtutum paupertatis et oboedientiae per se non excedit reatum peccati venialis.

[8] De hom. stat. q. 187, a. 7, n. 936. [9] Cf. infra q. 231.

Q. 223. *Quaenam sint obligationes voti paupertatis?*

R. Iam nonnulla de hac re dicta sunt supra tit. X, c. 3 et tit. XI, c. 2, a. 2.

1. *Obiectum voti paupertatis.* Votum *sollemne* paupertatis importat abdicationem omnis dominii rerum temporalium externarum[10], ita ut sollemniter professus, secluso speciali indulto apostolico (quale nostris temporibus propter ius civile aliquando conceditur), omnino inhabilis sit ad quemlibet proprietatis actum exercendum. Votum *simplex* paupertatis non importat nisi abdicationem administrationis, usus et ususfructus bonorum, ita ut simpliciter professi retineant sic dictum dominium *radicale* et capacitatem acquirendi novum dominium radicale. Excipiuntur fratres coadiutores Societatis Iesu, quorum paupertatis votum ipsos reddit omnino incapaces cuiuslibet dominii. Quomodo ante professionem facienda sit cessio dominii, supra q. 217 dictum est.

Sub voto paupertatis non cadunt *reliquiae,* quippe quae non sint pretio temporali aestimabiles. Hoc tamen valet de solis reliquiis, non autem de thecis includentibus, praesertim si sunt ex materia pretiosa. Quae de reliquiis dicta sunt, *eo ipso* non valent de piis imaginibus, crucibus, rosariis aliisque huiusmodi, quae absque licentia superioris licite nequeunt dari vel accipi. Attamen saepe solet adesse licentia saltem tacita ea acquirendi et distribuendi. Servandae sunt consuetudines hac in re legitime exsistentes.

Veteres auctores satis communiter docebant, manuscripta quoque atque picturas sculpturasque artificiose a religioso factas non cadere sub voto paupertatis. Etiam S. Alphonsus[11] hanc sententiam probabiliorem tenuit. Die autem 11 Iulii 1913 S. Congregatio de Rel. ad quaestionem: „An religiosi tum votorum sollemnium tum votorum simplicium, qui aliquod manuscriptum durantibus votis exaraverunt, eiusdem dominium habeant, ita ut illud donare aut quocumque titulo alienare valeant? respondit: Negative." Quam quidem responsionem Pius X ratam habuit et confirmavit die 13 Iulii 1913[12]. Ratio huius responsionis videtur esse, quia ista manuscripta sunt res, quae habent valorem materialem. Iamvero quidquid valoris materialis acquirit religiosus professus, non cadit sub eius libero dominio.

Non obstante responsione S. Congregationis modo citata, videtur adhuc probabilis sententia Passerini docentis[13]: Religiosum habere dominium propriorum manuscriptorum ad suum *usum,* non autem ad eorundem *alienationem,* proindeque posse libere secum asportare sua manuscripta, si mittitur ab una in aliam domum, vel si elevatur ad episcopatum. Ratio est, quia manuscripta sunt quasi effectus scientiae, quam quis multo labore acquisivit, et quia sunt optima adminicula memoriae, a qua scientia dependet magna ex parte. Porro homo quilibet habet ius naturale conservandi suam scientiam

[10] Quibus verbis circumscribitur obiectum religiosi voti paupertatis, quod proinde se non extendit ad bona interna, iura spiritualia, ad honorem, famam, valetudinem corporis etc.

[11] Theol. mor. l. 4, n. 14. [12] Acta Ap. Sed. V 366.

[13] De hom. stat. 186, a. 7, n. 412. Ita quoque *J. Jansen,* Ordensrecht[2] 140; item aliqualiter *M. Führich,* De religiosis 185; Commentarium pro rel. II 142.

eaque omnia, quae conducunt ad hoc, neque per votum paupertatis spoliatur hoc iure. Hinc e. gr. religiosus professus secum asportans sermones a se ipso confectos et manuscriptos minime videtur laedere votum paupertatis. — Religiosus professus, qui morti proximus sua scripta, quae ipse satis erudita putat, comburit aut destruit, ne post mortem sui honorificam relinquat memoriam, male agit et obiective peccat. Insuper satis ingratum se gerit erga propriam matrem religionem, quae illum aluit et enutrivit in studiis.

2. *Vita communis.* Peculium, i. e. pecunia alicui religioso a superiore legitimo concessa eo fine, ut sibi convenientem sustentationem comparet, non quidem directe repugnat voto paupertatis, cum religiosus de eo disponat non proprio nomine, sed nomine religionis. Quare non recte vocat Concina religiosos peculium habentes „filios irae, filios perditionis, infames violatores paupertatis"[14]. Attamen ius positivum peculium reprobat, et „nulla in posterum nova domus religiosa erigatur, vel etiam ... suppressa restituatur sine expressa condicione ac lege in perpetuum servandae vitae communis; secus erectio vel restitutio irrita omnino habeatur"[15]. Codex iur. can. autem statuit[16]: „In quavis religione vita communis accurate ab omnibus servetur etiam in iis, quae ad victum, ad vestitum et ad supellectilem pertinent." „Religiosi legem vitae communis constitutionibus praescriptae in re notabili violantes graviter moneantur et, emendatione non secuta, puniantur etiam privatione vocis activae et passivae et, si superiores sint, etiam officii."

3. Votum paupertatis excludit omnem actum veri dominii vel dispositionis de rebus materialibus. Contra votum paupertatis directe non peccat religiosus, qui sibi oblatam donationem gratuitam recusat. Ratio est, quia religiosus vi voti paupertatis non promisit se aliquid accepturum, sed solummodo promisit se victurum esse sine proprio, ita ut nihil recipere velit ad sui commodum sine licentia superioris. Nihilominus religiosus hoc modo recusans donationem oblatam potest quandoque peccare cum contra caritatem, si nempe religio laborans inopia indiget re oblata, tum contra oboedientiam, si superior praecepit, ut acceptentur omnes eleemosynae. — Aliter res se habet quoad recusationem *testamenti* vel *legati pii.* Per testamentum enim vel legatum heres recipit strictum ius ad rem. Iamvero sollemniter professus renuntiat invalide, simpliciter autem professus renuntiat illicite alicui iuri quaesito[17].

Q. 224. *Utrum peccet religiosus contra votum paupertatis, qui sine licentia superioris recipit pecuniam vel alias res in pia opera expendenda?*

R. 1. Si et opus pium et summa pecuniae distribuenda determinatur a donatore, religiosus non peccat contra votum paupertatis. Tunc enim religiosus nullum prorsus actum dominii exercet, sed est tantum minister vel, ut ita dicam, canalis, per quem eleemosyna distribuitur. Ita sententia communis.

2. Si donator nihil determinavit de opere pio aut de pauperibus designatis, sed solummodo religioso dedit summam pecuniae ad libere distribuendam pro pauperibus aut in causas pias, duplex est sententia. *S. Alphonsus*[18] cum Lezana, Lessio aliisque docet, hoc esse contra votum paupertatis, quia tunc religiosus administrationem seu usum rei assumit independenter a suo superiore. Suarez vero, Sanchez, Laymann, Lehmkuhl, Bucceroni, Génicot aliique autumant, id non esse contra votum paupertatis, saltem si religiosus has res distribuit *non nomine proprio.* En verba *Passerini*[19]: „Sententia Suarez et Sanchez absolute verior est, quia eligere pauperes, quibus aliena pecunia distribuatur, non est aliquid proprium habere, nisi ex hoc aliqua commoditas pretio aestimabilis religioso adveniat seu acquirat ius nominandi se ipsum inter pauperes. Ceterum habere pecuniam ad meram aliorum utilitatem non est contra paupertatem, licet possit esse contra speciale praeceptum oboedientiae." In nonnullis religionibus talis praxis dandi eleemosynas est prohibita. Sic e. gr. in Regulis sacerdotum S. J. legitur: „22. Nemini aut petere aut accipere quidquam liceat, sive ab iis, quorum confessiones audiverit, sive ab aliis, quod vel in pauperes distribuat vel alteri satisfactionis nomine restituat; nisi superior, cum opus esset, secus faciendum iudicaret."[20]

Q. 225. *Quaenam quantitas requiratur ad peccatum mortale in materia paupertatis?*

R. Ex multis variisque sententiis, quae hac in re vigent et quae videri possunt apud *S. Alphonsum*[21] vel longius apud *Donatum*[22], sequentia videntur esse pro praxi utilia.

1. In *esculentis et poculentis* ordinariis religiosus rarissime peccat mortaliter contra votum paupertatis, ea in *proprium* usum convertendo absque licentia debita. Excipi potest cum *S. Alphonso*[23], „modo res non reserventur a religioso, neve sit damnificatio nimia, neve agatur de re extraordinaria et pretiosiore." Ratio est, quia in esculentis et poculentis ordinariis et in proprium usum a religioso sine debita licentia conversis superior religiosus non solet esse rationabiliter invitus propter expensas inde ortas, sed potius propter inoboedientiam et transgressionem regulae hic inclusam.

2. In aliis rebus potest esse laesio cum iustitiae tum religionis. Si laeditur *sola virtus religionis,* e. gr. si religiosus sibi clam et contra voluntatem superioris procuraret librum, tunc materia censetur gravis, quae gravis est in violatione *voti eleemosynae.* Si quis e. gr. vovet dare 10 francos pauperibus et hoc votum non implet, videtur esse

[14] Cf. *S. Alphons.*, Theol. mor. l. 4, n. 15.
[15] Ita schema propositum patribus Concilii vaticani. [16] c. 594, § 1, et c. 2389.
[17] Cf. *Passerinus*, De hom. stat. q. 186, a. 7, n. 727; *S. Alphonsus*, Theol. mor. l. 4, n. 20; *Vermeersch,* De inst. rel. I 242 et 258.

[18] Theol. mor. l. 4, n. 24; Homo apost. tr. 13, 7.
[19] De hom. stat. q. 186, a. 7, n. 198.
[20] I. S. J. I, 604. [21] Theol. mor. l. 4, n. 24.
[22] Rer. regul. prax. I, parte 2, tr. 15, q. 19. [23] L. c.

grave peccatum, quia talis materia censetur gravis in laesione voti. Ratio huius sententiae est, quia religiosus in professione sua vovit dare omnia sua bona materialia in honorem Dei, quasi tamquam eleemosynam. Iamvero laedens votum paupertatis subtrahit partem istius eleemosynae. — Si laeditur non solum virtus religionis, sed simul virtus *iustitiae,* in quantum religiosus bona religionis alienat aut damnificat, materia gravis censetur ea, quae ab auctoribus habetur gravis in laesione iustitiae. Religio, utpote persona moralis, in hoc casu posset considerari tamquam dives, ideoque ea materia est gravis, quae, si ablata est homini diviti, constituit grave peccatum, sc. iuxta praesentem valorem pecuniae, valor 30—40 francorum. Si igitur religiosus tradit ex bonis religionis extraneo sine debita licentia e. gr. 100 francos, duplex peccatum grave committit, sc. contra votum paupertatis et contra iustitiam et insuper ad restitutionem tenetur, in quantum hoc est possibile. — Ceterum cum sit ita incertum, quaenam accurate sit materia gravis in his transgressionibus, nemo est condemnandus peccati mortalis, nisi omnino certo constet. Grandem quoque influxum exercent consuetudines diversarum religionum. Namque in una religione paupertas strictius obligat et observatur, ex consensu omnium timoratorum religiosorum; in alia autem minus stricte.

Poenae latae sententiae antiquitus exsistentes de iure communi contra violatores voti paupertatis in novo Codice non sunt renovatae ac proinde sunt abolitae. Speciminis causa afferatur statutum Innocentii III de hac re[24]: „Si proprietas apud quemquam inventa fuerit in morte, ipsa cum eo in signum perditionis extra monasterium in sterquilinio subterretur, secundum quod beatus Gregorius narrat in dialogo se fecisse.“ Poenae quoque latae sententiae de iure communi inflictae religiosis dantibus illicite munera atque accipientibus ea abrogatae sunt. Attamen religiosi vitam communem constitutionibus praescriptam in re notabili violantes, graviter moneantur et, emendatione non secuta, puniantur etiam privatione vocis activae et passivae, et, si superiores sint, etiam officii[25].

Q. 226. *Quaenam obligationes oriantur ex religioso voto castitatis?*

R. 1. *Obiectum voti castitatis.* Votum religiosum castitatis est promissio Deo facta abstinendi perpetuo ab omni delectatione venerea sive interna sive externa. Quare hoc votum violatur non solum per actus externos, sed etiam per actus internos luxuriae, ut iam supra dictum est. Votum *simplex* castitatis non dirimit matrimonium ratum antecedens, nec irritat matrimonium subsequens, quod tamen graviter prohibet. Vota autem simplicia Iesuitarum reddunt matrimonium subsequens non tantum illicitum, sed etiam invalidum. Ita ex speciali privilegio. Votum *sollemne* castitatis et solvit matrimonium *ratum* antecedens et irritat matrimonium subsequens[26].

2. De gravitate peccatorum contra votum castitatis idem dicendum est, quod de gravitate contra virtutem castitatis; nempe non datur

[24] C. 6 X 3, 35. [25] c. 2389. [26] c. 1073 et 1119.

parvitas materiae. Quapropter omne deliberatum peccatum contra castitatem sive interne sive externe commissum a religioso est duplex peccatum grave, sc. contra castitatem et contra votum, seu est peccatum luxuriae et sacrilegii.

Poenae contra religiosos, qui violant castitatem, sunt sequentes:

a) *Clerici* religiosi in sacris ordinibus constituti, si sunt concubinarii, monitione inutiliter praemissa, cogantur ab illicito contubernio recedere et scandalum reparare suspensione a divinis. Si delictum admiserunt contra sextum decalogi praeceptum cum minoribus infra aetatem 16 annorum, vel adulterium, stuprum, bestialitatem, sodomiam, lenocinium, incestum cum consanguineis aut affinibus in primo gradu exercuerunt, suspendantur, infames declarentur, quolibet officio, munere, si quod habeant, priventur et in casibus gravioribus deponantur. Si aliter contra sextum decalogi praeceptum deliquerunt, congruis poenis secundum casus gravitatem coerceantur[27].

b) Irregularitatem incurrunt α) omnes religiosi (etiam simpliciter professi), qui matrimonium etiam civile attentaverunt; β) illi, qui cum muliere religiosa etiam simpliciter professa huiusmodi matrimonium attentaverunt[28].

c) Regulares aut moniales post votum sollemne castitatis itemque omnes cum aliqua ex praedictis personis matrimonium etiam civiliter tantum contrahere praesumentes incurrunt in excommunicationem latae sententiae S. Sedi simpliciter reservatam. Quodsi sunt professi votorum simplicium *perpetuorum* tam in ordinibus quam in congregationibus religiosis, omnes personas supradictas tenet excommunicatio latae sententiae Ordinario reservata[29]. Ordinarius videtur esse is, cui tales personae peccantes sunt actu subditae.

Ex iure *particulari* religiosi violantes castitatem solent insuper aliis poenis affligi, prout constitutiones singularum religionum determinant.

Ad tuendam observantiam voti castitatis pro religiosis multa salutaria statuta lata sunt, quae videri possunt in singulis constitutionibus[30]. Nihil speciale notandum occurrit iuridice de istis statutis, excepto statuto de clausura, quae non solum servit castitati custodiendae, sed etiam tranquillitati, paci, profectui spirituali religiosorum.

Q. 227. *Quaenam ius commune statuat de clausura religiosorum virorum?*

R. 1. Clausura potest dupliciter sumi: 1. *moraliter* pro omnibus illis praeceptis, quae lata sunt de egressu religiosorum e domo religiosa et de ingressu extraneorum in domum religiosam; 2. *materialiter* pro illa parte domus religiosae, in quam extranei nequeunt intrare. Distinguitur deinde clausura *papalis* et non-papalis seu iuris particularis. Prima est strictior et viget solummodo in domibus regularium sive virorum sive mulierum; altera est minus stricta et viget in aliis domibus religiosis.

2. In omnibus canonice erectis domibus regularium, etiam non formatis, servetur clausura papalis[31]. Lege autem istius clausurae afficitur

[27] c. 2359. [28] c. 985, n. 3. [29] c. 2388.
[30] Cf. Constitutiones ord. Praed. n. 327—329.
[31] c. 597, § 1. Non igitur huic clausurae subiacent domus rusticae vel villae, ad quas regulares interdum se conferunt sanitatis causa.

tota domus, quam communitas regularis inhabitat, cum hortis et viridariis *accessui religiosorum reservatis*. Excipiuntur autem a clausura non solum publicum oratorium cum continente sacristia, sed etiam hospitium pro advenis et collocutorium. Collocutorium, quantum fieri potest, prope ianuam domus constitui debet. Partes clausurae legi obnoxiae patenter indicentur. Solet in portis istarum partium magnis litteris inscribi verbum: Clausura. Superioris maioris vel capituli generalis secundum constitutiones aut, si agitur de monasterio monialium, episcopi erit, clausurae fines accurate praescribere aut legitimis de causis mutare[32].

Potest igitur e. gr. superior provincialis ex rationabili causa mutare clausuram modo transeunti vel etiam permanenti, ita ut aliqua pars domus religiosae sit extra clausuram. Ceterum, quantum ad extensionem clausurae, nonnulli auctores recte distinxerunt inter clausuram *activam* et *passivam*. Clausura activa includit ea omnia loca, ad quae religiosi *egredi* possunt sine speciali licentia superioris; clausura vero passiva includit ea loca, in quae extranei (praesertim diversi sexus) nequeunt *intrare*. Clausura activa latius se extendere solet quam clausura passiva. Sic e. gr. collocutorium, oratorium publicum etc. censentur esse intra clausuram activam, sed extra clausuram passivam; viri enim religiosi libere possunt intrare in oratorium publicum vel etiam in collocutorium, quin clausuram egrediantur; insuper mulieres possunt intrare in ista loca, quin intrent in clausuram.

3. Intra regularium virorum clausuram nequeunt sub gravibus poenis mulieres cuiusvis aetatis, generis aut condicionis sub quovis praetextu admitti[33]. Solae eorum, qui supremum actu tenent populorum principatum, uxores earumque comitatus (vulgo Gefolge, suite) eximuntur ab hac lege[34].

Ergo uxores principum seu praesidum actu regnantium in aliqua regione earumque decens comitatus possunt sine speciali licentia S. Sedis admitti in clausuram regularium virorum. Ex iure communi etiam mulieres infantes iam nequeunt admitti in regularium clausuram neque prorsus ullae aliae mulieres, praeter supra dictas. In nonnullis tamen regionibus exsistunt consuetudines immemorabiles, quae permittunt, ut mulieres in certis sollemnitatibus processionaliter ingrediantur regularium clausuram. Cum autem tales consuetudines immemorabiles non sint hic expresse revocatae, possunt tolerari, si Ordinarius prudenter existimet, eas non posse submoveri.

4. Si regularium virorum domus adnexum habet vel convictum pro alumnis internis vel alia opera religionis propria, e. gr. scholas, tunc saltem pars aedium separata *(si fieri potest)* reservetur habitationi religiosorum et clausurae legi sit subiecta[35]. Etiam in loca extra clausuram alumnis externis aut internis vel operibus religionis propriis reservata personae alterius sexus (nisi aequa de causa et cum licentia superioris) ne admittantur[36]. Quare non facile admittantur mulieres ad visitanda e. gr. dormitoria alumnorum internorum, si in eadem domo habitant religiosi.

[32] c. 597, § 3. [33] c. 598, § 1. [34] Ib. § 2. [35] c. 599, § 1. [36] Ib. § 2.

5. **Poenae.** Mulieres violantes clausuram regularium virorum et *omnes, quicumque ii sunt*, eas (cuiuscumque aetatis) introducentes vel admittentes plectuntur ipso facto excommunicatione Sedi Apostolicae simpliciter reservata[37]. Praeterea religiosi admittentes vel introducentes cuiuscumque aetatis mulieres in talem clausuram priventur officio, si quod habeant, et voce activa et passiva[38]. Veteres auctores explicantes has poenas nonnullas subtiles distinctiones solebant facere; quae quidem nunc iam amplius non possunt admitti, sed poenae intelligendae et applicandae sunt, sicuti supra claris verbis expressae sunt, idque sine ullis restrictionibus. Solummodo excusantur ab istis poenis latae sententiae a) mulieres non baptizatae, b) impuberes, c) ii, qui sine gravi imputabilitate, e. gr. ex ignorantia, ex gravi metu, vi clausuram violaverunt[39].

6. *Clausura in congregationibus virorum.* Quae hucusque dicta sunt, valent quoque de clausura instituenda in domibus religiosarum congregationum virorum[40], immo et piarum societatum virorum in communi viventium sine votis[41]. Est tamen duplex differentia: a) Nonnisi S. Sedes potest concedere mulieribus, ut intrent in clausuram regularium; econtra superiores religiosi possunt ex iustis et rationabilibus causis ingressum in clausuram aliorum religiosorum permittere[42]. Ita saltem ex iure communi. b) Poenae latae in violantes clausuram a iure communi (de quibus n. 5 sermo fuit) non infliguntur iis, qui violant clausuram virorum, in congregationibus religiosis aut in piis societatibus viventium.

Q. 228. *Quaenam ius commune statuat de clausura mulierum religiosarum?*

R. 1. Apprime distinguenda est monialium (cum votis sollemnibus)[43] clausura, quae est papalis, a clausura aliarum mulierum religiosarum, quae non est papalis. De clausura non papali observandae sunt constitutiones uniuscuiusque religionis. De clausura papali vigent sequentia[44]:

2. *Locus clausurae.* Monasterium (quantumvis sit monialium numerus imminutus), una cum adiacentibus hortis et viridariis ita circumseptum esse oportet, ut quoad fieri potest, nullus sit in ea vel ab eis prospectus externarum personarum. Si quae fenestrae autem respiciunt publicam plateam vel domos vicinas, vel communicationem cum extraneis permittunt, ita vitris opacis vel valvulis (foriculis) muniendae sunt, ut prospectus hinc inde impediatur. Si chorus habet crates per quas moniales altare videant, ita crates dispositae esse debent, ut fideles,

[37] c. 2342, n. 2. [38] Ib. [39] c. 2218, § 2; c. 2230.
[40] c. 604, § 1. [41] c. 679, § 2. [42] c. 604, § 1.
[43] Pontif. Com. d. 1 Mart. 1921 declaravit non esse papalem clausuram earum monialium, quarum vota, quamvis ex Instituto deberent esse sollemnia, tamen in aliquibus locis ex praescripto S. Sedis sunt simplicia (Acta Ap. Sed. XIII 177).
[44] Observanda est Instructio data a S. Congregatione de Rel. d. 6 Febr. 1924 (Acta Ap. Sed. XVI 96 sqq.).

e loco ipsis reservato, ipsas moniales videre nequeant. Sedes monialium confessionalis ita disposita sit oportet, ut confessarius extra clausuram, poenitentes vero intra reperiantur. Locus, in quo moniales s. Communionem recipiunt, ita, sive porta sive sipario (velamine), occlusus esse debet, ut moniales a fidelibus videri nequeant. Apud ianuam monasterii et ubicumque necessarium videtur, rota muro inseratur, per quam res necessariae transmitti possunt. Nihil obstat, quominus hac in rota parvum foramen sit, per quod videri potest, quaenam res rotae immittantur. Intra limites clausurae non comprehenditur publicum templum cum continenti sacristia, ad quae propterea, sine S. Sedis indulto moniales accedere nequeunt. Sed hoc indultum facile conceditur, ut moniales quaedam designatae ab antistita possint in templo et in sacristia ea omnia peragere, quae ad cultum ecclesiae eiusque munditiem pertinent; requiritur autem, ut tunc ecclesia sit clausa atque vacua ab omnibus extraneis personis. Claves clausurae diu noctuque semper sint apud antistitam, quae illas tradat monialibus designatis, quoties opus fuerit. In collocutorio, quo moniales, iuxta limites a constitutionibus uniuscuiusque religionis praescriptos, externas personas recipere possunt, duae debent esse crates, inter se spatio circiter viginti centimetrorum distantes atque muro infixae, ita ut aperiri nequeant. De velamine ante istas crates nihil determinatum est iure communi.

3. *Clausura quoad ingressum.* Intra *monialium* clausuram nemo, cuiusvis generis, condicionis, sexus, aetatis admittatur *sine S. Sedis licentia*[45], nisi sint personae a iure exceptae, de quibus infra. Ergo etiam omnes mulieres, quae non sunt postulantes monasterii, excluduntur a clausura monialium; aliquando tamen conceditur, ut puellae educentur in monasteriis monialium vel ut ibi sint famulae[46].

In clausuram monialium possunt ingredi:

a) Ordinarius loci aut superior regularis, monasterium monialium visitans, vel alius visitator ab his delegatus, sed dumtaxat inspectionis localis causa. Visitator debet esse comitatus ab uno saltem clerico vel a religioso viro maturae aetatis[47]. Visitatio *personalis,* i. e. monialium, debet fieri ad crates; pariter antistitae electio, cui praeest Ordinarius eiusve delegatus.

b) Confessarius vel qui eius vices gerit, cum debitis cautelis ad ministranda sacramenta infirmis aut ad assistendum morientibus[48].

Ad deferendam Communionem monialibus infirmis (in defectu confessarii vel capellani) quilibet sacerdos legitime vocatus potest intrare clausuram. „Oportet autem, ut quattuor religiosae maturae aetatis, si fieri possit, ab ingressu in clausuram usque ad egressum, sacerdotem comitentur, qui sacram pyxidem aliquas consecratas particulas continentem deferre, s. Communionem administrare, reverti ad ecclesiam eandemque sacram pyxidem reponere debet, servatis rubricis a Rituali Romano pro Communione infirmorum statutis."[49]

[45] c. 600. [46] c. 1225. [47] c. 600, n. 1. [48] Ib. n. 2.
[49] Ita S. C. de Rel. d. 1 Sept. 1912 (Acta Ap. Sed. IV 626).

„Si confessarius vel capellanus in domo sororum habitet, eius habitatio ingressum separatum, nec ullam cum earum habitatione communicationem habeat." Ita statuunt „Normae" n. 178 pro institutis approbatis votorum simplicium. Hoc a fortiori valet pro monialibus stricte dictis; licet autem non stricte valeat pro institutis dioecesanis, tamen valde consulendum est.

c) Ii, qui supremum actu tenent populorum principatum, sicut supra q. praec. dictum est de clausura regularium; item eorum uxores cum comitatu; item Cardinales S. R. E.[50]

d) Cum antistitae licentia et adhibitis debitis cautelis medici, chirurgi aliique, quorum opera est necessaria. Prius tamen, nisi necessitas urgeat, impetranda est habitualis saltem approbatio Ordinarii loci[51]. Hinc usuvenit, ut moniales in principio cuiuslibet anni in libro apposito recenseant eos omnes, quorum opera ut plurimum, in monasterio vel in horto, vel in officinis, durante anno occurret, quem librum Ordinario pro illa habituali approbatione obtinenda praesentent subscribendum.

4. *Clausura quoad egressum.* Nemini monialium sub poena excommunicationis S. Sedi simpliciter reservatae[52] licet post professionem exire e monasterio etiam ad breve tempus, quovis praetextu sine licentia S. Sedis. Excipitur autem mortis vel alius gravissimi mali imminens periculum, quod, si tempus suppetat, scripto recognoscendum est a loci Ordinario[53]. Ergo e. gr. monialis in periculo mortis exsistens propter inflammatum appendicem videtur posse in hospitale transportari, si operatio chirurgica nequit fieri in ipso monasterio. Sin autem tempus suppetit, requiritur licentia Ordinarii loci.

5. *Clausurae custodia.* Clausura monialium, etsi regularibus subiectarum, sub vigilantia est Ordinarii loci, qui potest non solum eam accurate circumscribere aut legitimis de causis mutare, sed etiam delinquentes (regularibus viris non exceptis) poenis ac censuris corrigere et coercere[54]. Sed superiori regulari quoque custodia (non autem mutatio) clausurae monialium sibi subiectarum commissa est, qui moniales aut alios suos subditos, si quid hac in re deliquerint, poenis quoque punire potest[55].

6. **Poenae.** Clausuram monialium violantes cuiuscumque generis aut condicionis vel sexus sint, in earum monasteria sine legitima licentia ingrediendo, pariterque eos introducentes vel admittentes; item moniales e clausura illegitime exeuntes plectuntur excommunicatione simpliciter S. Sedi reservata. Clerici autem violantes clausuram monialium insuper suspendantur per tempus pro gravitate culpae ab Ordinario definiendum[56]. Poenas istas non incurrunt iidem ingredientes, qui supra q. 227 dicti sunt sc.: non baptizati, impuberes, sine gravi culpa agentes.

[50] c. 600, n. 3 [51] Ib. n. 4.
[52] c. 2342, n. 3. Quamvis puellae postulantes in monasteriis monialium lege clausurae teneantur, ut supra q. 203 dictum est, tamen non videntur esse excommunicatae, si illicite egrediuntur e clausura. Solae enim moniales illicite egredientes e clausura excommunicantur.
[53] c. 601. [54] c. 603, § 1. [55] Ib. § 2. [56] c. 2342, n. 1 et 2.

Censuram effugere adultum, qui impuberes introducit vel admittit, cum desint verba „cuiuscumque aetatis", docent nonnulli, e. gr. Vermeersch-Creusen l. c. I n. 711, sed contraria sententia est multo probabilior attento canone 2230[57].

7. *Clausura in congregationibus mulierum.* Quae dicta sunt de clausura monialium, valent generatim quoque de clausura aliarum mulierum religiosarum. Adest autem triplex differentia: a) Mulieres extraneae possunt admitti in clausuram congregationis religiosae muliebris. Attamen ne ex tali admissione inconsiderata spiritus religiosus in domo religiosa evanescat! b) Superiorissa potest ex iusta et rationabili causa etiam viros admittere in clausuram. Ita ex iure communi[58]. Ex iure vero particulari hoc plerumque aut omnino prohibetur aut rarissime permittitur. c) Poenae sub n. 7 indicatae non statuuntur de iure communi contra violatores clausurae congregationum a votis simplicibus. Episcopus vero potest in adiunctis peculiaribus gravibusque intercedentibus causis hanc clausuram censuris munire (e. gr. excommunicatione aut interdicto)[59]. Cum autem censurae non sint facile multiplicandae, rarissime videtur expedire, ut episcopus utatur hoc iure; quamvis diligenter curet, ut haec clausura rite servetur et, quidquid vitii in eam irrepat, corrigat.

Q. 229. *Numquid adhuc vigeant ea, quae ius commune statuit de accessu ad clausuram monialium?*

R. Vetus ius commune statuit praecepta satis severa *de accessu* quoque ad clausuram monialium, seu de accessu ad collocutorium vel ad crates. Sed cum omnes leges disciplinariae, quae nec explicite nec implicite in Codice iuris can. contineantur, omnem vim amiserint[60], atque in Codice nihil inveniatur de isto accessu, vetera praecepta iam non obligant *de iure communi.* Verumtamen cum frequens accessus ad collocutorium soleat spiritui religionis grande detrimentum inferre, talis accessus vitetur, nisi adsit iusta causa. Hinc illa salutaria monita: „Omnes, quibus est clausurae custodia, sedulo advigilent, ne, alienis invisentibus, inutili collocutione disciplina perturbetur et spiritus religionis detrimentum patiatur."[61] „Curent superiores religiosi, ut accurate observentur, quae sive circa egressum subditorum e claustris sive circa excipiendos vel adeundos extraneos in propriis constitutionibus praescripta sunt."[62]

Q. 230. *Num superiores religiosi possint permittere, ut subditi extra domum propriae religionis degant?*

R. 1. Sine iusta et gravi causa superiores religiosi nequeunt permittere, ut subditi extra domum propriae religionis *degant.* Sin autem religiosi debent commorari extra domum propriae religionis ultra *sex menses;* requiritur licentia S. Sedis. Talis licentia non est necessaria, si religiosi studiorum causa extra domum propriae religionis degunt[63];

[57] Cf. *Cappello,* De cens. n. 319. [58] c. 604, § 1. [59] Ib. § 3. [60] c. 6, n. 6. [61] c. 605. [62] c. 606, § 1. [63] Ib. § 2.

quo in casu tamen observanda sunt ea, quae statuta sunt de studiis religiosorum[64].

2. Religiosi et religiosae quaestum facientes debent observare ea, quae infra q. 248 dicentur de quaestuatione.

3. Ex iure particulari solent exsistere optima statuta de egressu religiosorum, e. gr. nullus exeat, nisi qualibet vice obtinuerit licentiam a legitimo superiore, ac proinde ne concedantur generales exeundi licentiae; post reditum religiosus statim petat benedictionem a superiore et reddat rationem sui itineris; egressus fiat per communem portam, in qua ianitor est constitutus, non autem per alias portas aut per ecclesiam; prope portam communem adsit tabula, in qua egressus notetur; claves portae quolibet vespere ad cameram superioris portentur. De iure autem communi antistitae et Ordinarii locorum sedulo debent advigilare, ne religiosae mulieres, citra casum necessitatis, *singulae* extra domum pergant[65]. Ergo saltem binae procedant.

Q. 231. *Quaenam sit nobilitas, obiectum, obligatio voti oboedientiae?*

R. 1. *Nobilitas oboedientiae.* Votum oboedientiae, quod est publica promissio oboediendi in omnibus, quae legitime a legitimo superiore praecipiuntur, primum locum obtinet inter vota religiosa:

a) Quia homo per votum oboedientiae offert Deo *maximum bonum,* sc. propriam voluntatem, quae praecellit proprium corpus et bona externa oblata per vota castitatis et paupertatis. Quare concinne scribit *S. Bonaventura*[66]: „Nil flagrat ita Domino in odorem suavitatis, quam si mactetur Domino vitulus propriae voluntatis. Nimirum altissimum est in homine rationalis voluntas. Altissimum ergo est sacrificium, eam totaliter Domino consecrare, non tantum ipsi Deo oboediendo, sed etiam homini „propter Deum". Ioannes XXII[67] ait: „Magna quidem paupertas, sed maior integritas, bonum est oboedientiae maximum, si custodiatur illaesa; nam prima rebus, secunda carni, tertia vero menti dominatur et animo."

b) Quia votum oboedientiae *sub se continet alia vota,* sc. castitatis et paupertatis, non autem viceversa. Votum enim oboedientiae adstringit religiosum ad vivendum iuxta regulam, in qua praescribitur vivere caste et sine proprietate.

c) Quia votum oboedientiae *proprie se extendit ad actus propinquos fini religionis.* Quanto autem aliquid propinquius est fini, tanto melius est[68]. „In hac tertia ratione sumitur nobilitas ex nobilitate actuum, ad quos virtus voti oboedientiae se extendit, qui sunt actus virtutum propinquiores fini religionis, qui est perfectio vitae spiritualis et unio cum Deo. Nam votum oboedientiae se extendit ad actus orationis et contemplationis, immo et actus mutuae caritatis, qui actus in ratione virtutis sunt perfectiores, quam vel pauperem esse vel castum. Ideo nec votum virginitatis est maius, licet sit valde commendatum a sanctis, a quibus etiam magis commendatur votum oboedientiae, per quod Deo non carnale aliquid, sed animus immolatur."[69]

[64] Cf. supra q. 220. [65] c. 607. [66] Expos. reg. Fratr. Min. c. 1.
[67] Extravag. „Quorundam" tit. 14 „De verb. significatione".
[68] *S. Thomas,* S. th. 2, 2, q. 186, a. 8.
[69] *Passerinus,* De hom. stat. q. 186, a. 696.

2. *Obiectum oboedientiae. Vi voti oboedientiae religiosus tenetur:*

a) *regulam observare,* et quidem sub gravi vel sub levi culpa, vel tantum sub poena, prout regulae approbatae singularum religionum exigunt. Cum autem istae regulae et constitutiones non soleant sub peccato obligare, nec etiam directe obligant (stricte loquendo) vi voti. Secus enim voluntaria laesio regulae et constitutionum esset laesio voti, ac proinde peccatum. Observandae igitur sunt istae regulae et constitutiones non ex voto, sed potius ex *virtute* oboedientiae[70].

b) *superiori oboedire* in omnibus, quae ipse mandat *secundum regulam.* Superiores, quibus vi voti oboedientiae religiosi oboedire tenentur, sunt: α) Summus Pontifex; β) superiores religiosi (non autem, saltem ordinarie, alii officiales); γ) demum episcopus, sed pro solis institutis iuris dioecesani. Pro institutis enim iuris pontificii auctoritas episcopi in nonnullis casibus oritur quidem ex iurisdictione, sed non ex voto. Religiosus non tenetur oboedire superiori, qui vel supra vel contra vel praeter regulam aliquid praecipit, cum tota auctoritas praecipiendi derivetur a promissione voto firmata in professione religiosa. Porro religiosus in professione sua nil promisit nisi oboedientiam secundum regulam et constitutiones.

Hinc e. gr. religiosus non tenetur oboedire superiori, qui praecipit *actus heroicos* vel austeritates, quae nullo modo inveniuntur in regula. Sed concinne animadvertit *Passerinus*[71]: „Ad hoc, ut aliqua actio aut passio sit supra regulam, quattuor debet habere condiciones: 1. quod non sit *poena delicti;* nam omnis poena est vel actio vel passio affligens, quam alias innocens ferre non tenetur. Ideo quod superior in poenam possit praecipere ea, quae alias essent supra regulam, ita tamen, ut servetur iustitia et poena sit delicto proportionata, est per se certum. 2. ut talis actio seu passio superior aut maior non sit opportuna ad praecavendum in futurum *recidivum in peccatum,* vel imminens aliquod *periculum.* 3. ut asperitas non praecipiatur *ex publica necessitate.* Nam cum necessitas publica petit ieiunia et supplicationes particulares ordinatas ad Deum placandum et ad eius misericordiam implorandam ex aliqua necessitate communi regni aut religionis aut civitatis aut monasterii, immo etiam alicuius benefactoris, cui ex gratitudine debeatur vere aliqua communis supplicatio, tunc pro necessitatis qualitate et debiti potest superior austeriora praecipere. 4. ut actio et passio durior et difficilior non fuerit *antea praecepta per regulam,* sc. si qua religio deflexerit a pristina austeritate, tunc superior potest — caute tamen — pristinam austeritatem iterum praecipere."

Religiosus non tenetur oboedire, quando superior praecipit aliquid contra legem Dei. Patet; Deo enim magis oboediendum est quam hominibus.

In Societate Iesu constitutiones praecipiunt generalissimam oboedientiam, sc. in omnibus, in quibus manifestum peccatum non cernitur[72]; sed quousque in particulari haec obligatio oboediendi se extendat, nec ipsi doctores Iesuitae sunt concordes[73].

---

[70] Cf. Normae 133 134. [71] De hom. stat. q. 186, a. 8, n. 144.
[72] Parte 3, c. 1, n. 23.
[73] Cf. *Vermeersch,* De rel. inst. I, n. 292.

Superiorem posse aliquando praecipere actus quoque mere *internos* nonnulli affirmant, alii negant. Affirmativa sententia videtur melior, dummodo tales actus interni sint secundum regulam professam. Hinc superior potest praecipere examen conscientiae, meditationem et notanter applicationem Missae ad suam intentionem. Hoc ultimum videtur esse certum, cum S. Congregatio de Rel. d. 3 Maii 1914[74] responderit affirmative ad sequens quaesitum: „An superiores religiosi praecipere possint subditis suis etiam in virtute s. oboedientiae, ut ipsi celebrent secundum intentionem a constitutionibus praescriptam, vel ab ipsis superioribus statutam, salvis exceptionibus a constitutionibus vel a legitima consuetudine sancitis?"

3. Votum oboedientiae obligat sub gravi vel sub levi generatim secundum quantitatem materiae. Potest quidem superior rem in se gravem sub levi praecipere, non autem sub gravi rem levem, quippe quae sit incapax gravis obligationis. Gravis autem censetur obligatio ac proinde grave quoque peccatum inoboedientiae, quando superior in gravi materia vult sub gravi obligare subditum. Censetur autem gravis materia gravisque obligatio, a) si *poena* praecepto legitime adiuncta est gravis. Hinc e. gr. si poena est excommunicatio, suspensio, privatio vocis activae et passivae, privatio officiorum et inhabilitas ad ea etc., materia oboedientiae censetur gravis. In istis casibus superior praecipiens solet gravitatem praecepti indicare per haec vel similia verba: „praecipio in virtute sanctae oboedientiae", vel „sub formali praecepto". Raro, caute ac prudenter superiores religiosi praecipiant in virtute sanctae oboedientiae; quare in nonnullis institutis religiosis salutariter statuitur, ne tale praeceptum fiat nisi in scriptis, vel saltem coram duobus testibus[75]. b) si ex inoboedientia grave sequitur scandalum aut aliud grave incommodum. Patet per se.

4. Votum oboedientiae stricte non obligat nisi ad oboedientiam *materialem.* Praeeunte *S. Thoma*[76] auctores solent distinguere inter materialem oboedientiam, quae est simplex exsecutio operis praescripti, licet non fiat intentione adimplendi praeceptum, et oboedientiam *formalem,* quae est exsecutio operis praecepti praecise ex intentione satisfaciendi praecepto. Ratio autem, quare stricte sufficiat oboedientia materialis et non requiratur oboedientia formalis, ea est, quia per votum oboedientiae religiosus non promittit Deo et superioribus oboedire ex hoc vel illo motivo, sed simpliciter adimplere ea, quae legitime praecepta sunt. Nihilominus oboedientia formalis valde commendanda est, utpote magis perfecta et meritoria. B. Humbertus de Romanis, quintus magister generalis ord. Praed., in epistula, quam direxit ad singulas provincias totius ordinis, haec pulcherrime de oboedientia religiosa commendat: „Ut autem oboedientia vere sit Deo acceptabilis, studete habere: 1. promptam sine dilatione; 2. devotam sine dedignatione;

---

[74] Acta Ap. Sed. VI (1914) 231. [75] Cf. Normae 136 137.
[76] S. th. 2, 2, q. 104, a. 2.

3. voluntariam sine contradictione; 4. simplicem sine discussione; 5. ordinatam sine deviatione; 6. iucundam sine turbatione; 7. strenuam sine pusillanimitate; 8. universalem sine exceptione; 9. perseverantem sine cessatione."[77]

Nota. De votis specialibus, quae praeter tria vota essentialia in nonnullis institutis religiosis usuveniunt, non vacat loqui. Pertinent enim ad ius particulare, ideoque videndae sunt constitutiones istorum institutorum. Ceterum talia vota iam amplius non admittuntur in institutis noviter fundandis[78].

ARTICULUS III.

De obligationibus religiosorum vi regulae et constitutionum.

Q. 232. *Quomodo generaliter obligent regulae et constitutiones?*

R. 1. Regula religiosa non est idem ac constitutiones seu statuta (saltem communiter loquendo); nam regula intelligitur norma vivendi a S. Sede approbata, ita ut sit perpetua in religione neque mutetur. In hoc sensu acceptae regulae religionum sunt perpaucae, e. gr. regula S. Benedicti, S. Augustini, S. Francisci etc. Constitutiones vero seu statuta sunt normae vivendi cuilibet religioni propriae et mutatis temporibus mutabiles. Sic e. gr. Dominicani habent regulam S. Augustini (quam sequuntur aliae complures religiones), sed habent proprias constitutiones. In nonnullis autem religionibus non distinguitur regula a constitutionibus; immo in institutis votorum simplicium vel ipsum verbum regulae evitetur[79].

2. Quousque obligent regulae et constitutiones diversarum religionum, nequit generali principio determinari. Proinde in praxi praevaleat iudicium et exemplum timoratorum hominum in unaquaque religione. In paucis religionibus e. gr. apud Franciscanos, Carmelitas, nonnullae constitutiones directe obligant sub culpa[80].

3. Illae constitutiones, quae subditos non sub culpa, sed sub poena obligant, nihilominus inducunt veram obligationem moralem acceptandi legitimas *poenas* transgressoribus impositas.

4. Regulae et particulares constitutiones singularum religionum canonibus Codicis iur. can. non contrariae vim suam servant; quae vero iisdem opponuntur, abrogatae sunt. Ita canon 489. Num autem etiam *poenae* statutae a singulis constitutionibus contra transgressores adhuc vigeant, non est ita certum. Codex enim iur. can.[81] statuit generaliter, sine ulla exceptione: „Quod ad poenas attinet, quarum in codice nulla fit mentio, spirituales sint vel temporales, medicinales vel,

[77] Speculum FF. Praed. 6 sqq. [78] Cf. Normae 102. [79] Normae 32.

[80] Sic e. gr. habetur in Constitutionibus *Urbanis* Ord. Min. Conventual. (Mechlin. 1880) 17: „Tria vota et regulae praecepta ad mortalem culpam obligant (iis dumtaxat, super quibus fuit vel fuerit a S. Sede Apostolica expresse vel virtualiter dispensatum, exceptis). Quod autem reliquum est in regula (modo formalis et verus contemptus absit), venialem tantum culpam inducit."

[81] c. 6, n. 5.

ut vocant, vindicativae, latae vel ferendae sententiae, eae tamquam abrogatae habeantur." Quae cum ita sint, probabiliter etiam poenae proprie dictae latae in religionibus videntur abrogatae; non autem remedia poenalia et poenitentiae. Ceterum cum ex mandato S. C. de Rel. d. 26 Iun. 1918 constitutiones omnium religionum et ex mandato eiusdem Congregationis d. 31 Mart. 1919 religiosarum mulierum libri continentes consuetudines atque preces communes debeant revideri a S. Congregatione, omnia erunt clara ex ista revisione.

5. In omnium fere religionum constitutionibus salutariter statuitur, ut religiosi (paucis exceptis) nequeant *litteras* mittere vel accipere sine licentia superioris, qui ius et officium habet omnes litteras inspiciendi, qui tamen tenetur secretum naturale servare de iis quae in litteris lectis continentur. Valde conveniens quoque et forte necessarium est, ut superior abstineat a legendis litteris, quae certo continent res ad forum conscientiae pertinentes. Nihilominus omnes religiosi sive viri sive mulieres, libere possunt mittere litteras, nulli obnoxias inspectioni, a) ad S. Sedem eiusque in natione legatum seu nuntium, b) ad Cardinalem protectorem, c) ad proprios superiores maiores, d) ad superiorem domus forte absentem, e) ad Ordinarium loci, cui subiecti sunt, et, si agitur de monialibus, quae sub regularium iurisdictione sunt, etiam ad proprios superiores maiores ordinis. Ab istis omnibus possunt quoque praedicti religiosi viri aut mulieres litteras recipere, quin ullus eas inspicere valeat[82].

Q. 233. *Quaenam sit obligatio gestandi habitum religiosum?*

R. In vetere Corpore iuris[83] sub poena excommunicationis latae sententiae nemini reservatae adeoque sub gravi peccato prohibebatur religiosis professis, ne habitum suae religionis dimittant. Quae quidem poena, utpote non renovata in Codice iur. can., abrogata est. Nihilominus religiosi omnes proprium suae religionis habitum debent (patenter et non occulte) deferre cum intra tum extra domum, nisi gravis causa excuset, iudicio superioris maioris aut, urgente necessitate, etiam iudicio localis superioris[84]. Ergo ordinarie requiritur licentia superioris provincialis, ut religiosus possit licite habitum religionis dimittere. In compluribus religionibus et notanter in religionibus mulierum haec licentia difficulter solet concedi. Rarissime et ex causa valde gravi concedatur, ut religiosus sacerdos induat habitum prorsus laicalem. Etenim boni catholici, immo complures acatholici, solent scandalizari videntes sacerdotem religiosum indutum, sicut e. gr. mercator vaccarum indutus est. Neve dicant isti sacerdotes religiosi: Nemo nos cognoscet tamquam sacerdotes. Etenim experientia multiplici constat, sacerdotem vestibus prorsus laicalibus indutum nihilominus facile fuisse cognitum tamquam sacerdotem. Si igitur sacerdos religiosus ex rationabili causa habitum religiosum deponat, assumat habitum, quem clerici saeculares illius regionis in similibus circumstantiis solent gestare.

[82] c. 611. [83] c. 2 in VI° 3, 24. [84] c. 596.

ARTICULUS IV.

De religiosorum obligatione peragendi ministerii animarum et recitandi officii divini.

Praenotamen. Omittimus omnia ea, quae in recitatione divini Officii potius Theologiam moralem vel Liturgiam spectant, solummodo ea breviter tangentes, quae Codex iur. can. hac in re statuit. Pro iis, quae spectant Theologiam moralem, videsis nostrum Manuale theol. mor. II, n. 360 sqq.

Q. 234. *Quaenam obligationes incumbant religiosis ratione ministerii animarum?*

R. Illae religiones clericales, quae ad ministerium animarum institutae sunt, tenentur istud ministerium libenter praestare, quando a locorum Ordinariis illud requiritur ad consulendum populi necessitati cum intra tum extra proprias ecclesias aut oratoria publica. Disciplina tamen religiosa ex nimis aucto ministerio detrimentum ne patiatur[85]. Vicissim locorum Ordinarii ac parochi libenter utantur opera religiosorum, praesertim in dioecesi degentium, in sacro ministerio et maxime in administrando sacramento poenitentiae[86]. Uno verbo: Clerus saecularis et regularis laborent unitis viribus in vinea Domini! Hinc quoque, cum catechetica instructio et evangelii explanatio sint tam fructuosae pro populi christiani salute, et ipsi religiosi libenter eas faciant, et superiores advigilent, ne iis in ecclesia paroeciali factis aliquod nocumentum afferatur per celebrationem divinorum officiorum in propria ecclesia. Si Ordinarius loci iudicat, tale nocumentum revera causari, potest religiosis praecipere mutationem divinorum officiorum in propria ecclesia[87].

Si ecclesia, apud quam residet communitas religiosa virorum, est simul paroecialis, officia divina et ministerium animarum ordinanda sunt simili modo, ac si ecclesia cathedralis est simul paroecialis[88]. In praxi praestat, ut omnia ex aequo et bono componantur. — Ecclesia mulierum religiosarum nequit esse paroecialis[89].

Q. 235. *Quaenam obligatio incumbat religiosis recitandi divinum officium choraliter vel privatim?*

R. Obligatio choralis recitationis. 1. In religionibus (sive virorum sive mulierum), quibus est chori obligatio, debet sub gravi in singulis domibus, ubi *quattuor* saltem sunt religiosi choro addicti et actu legitime non impediti, cotidie totum officium divinum in choro communiter persolvi et Missa conventualis officio diei respondens celebrari[90].

Ita de iure communi; nam de iure particulari iam obligatio chori aliquando exsistit, si etiam soli tres fratres clerici religiosi non impediti adsunt, e. gr. in ordine Praedicatorum[91]. Hanc obligationem officii

[85] c. 1334. [86] c. 608. [87] c. 609, § 3; c. 1334. Cf. infra q. 392.
[88] Cf. supra q. 145 et infra q. 250. [89] c. 609, § 2. [90] c. 610.
[91] Cf. Capit. gen. rom. (1924) n. 790. Utrum etiam duo religiosi possint satisfacere obligationi chorali, controvertitur. Affirmativa sententia est probabilis et defenditur a *L. Fanfani* l. c. n. 396, et praesertim in Rivista liturgica 1917 (Badia di Praglia) p. 93.

divini choraliter recitandi et Missae conventualis celebrandae esse gravem, omnes concordant. Quae quidem obligatio praecipue adstringit superiores, qui, quamvis personaliter non strictius quam alii religiosi clerici choro interesse debeant, tamen graviter peccant, si ex sua negligentia notabilis pars officii (qualis est probabilius una Hora) omittitur. Sed etiam singuli religiosi clerici professi hac gravi obligatione onerantur, non quidem ita, ut quilibet religiosus peccet graviter, qui etiam multoties absque legitima causa abest a choro, sed in hoc sensu, quod quilibet religiosus debet sub gravi peccato adesse in choro, si secus officium divinum nequit choraliter dici.

Religiosi clerici post primam professionem (in religionibus, quibus est chori obligatio) tenentur ad choralem recitationem divini officii sicut sollemniter professi; non autem tenentur ad privatam recitationem, nisi sunt in maioribus ordinibus constituti. Isti igitur religiosi clerici simpliciter professi possunt etiam soli obligationem choralem domus implere. Num novitii ante professionem possint computari ad numerum requisitum pro chorali recitatione complendum, controvertitur. Sic e. gr. non quidem constat, num magister novitiorum cum 5 novitiis non professis possit obligationi chorali satisfacere, sed est valde probabile et docetur a Ferraris, Piat, Bachofen aliisque. Certum est, fratres conversos laicos non posse computari in recitatione chorali.

Statuit Codex iur. can.[92] obligationem choralem tunc solummodo exsistere, si adsunt quattuor religiosi obligati *„et actu legitime non impediti"*. Proinde si in aliqua domo religiosa degunt quidem habitualiter decem religiosi sacerdotes, quorum tamen octo sunt occupati in casu particulari, e. gr. die dominica in ministerio animarum, tunc cessat stricta obligatio chori. Non enim adsunt nisi duo non impediti.

2. A recitatione chorali officii divini superior nequit propria auctoritate subditos dispensare *habitualiter*, sed tantum in singulis casibus. Ex privilegio tamen nonnulli religiosi eximuntur a sequela chori propter eorum labores, e. gr. lectores actu docentes et nonnulli studentes. Iam supra q. 220 diximus, istis posse concedi exemptionem a chorali recitatione etiam tempore vacantiarum scholae, dummodo tamen talis exemptio revera serviat ad fovenda studia et non ad fovendam desidiam.

3. Obligationi chorali nequit satisfieri nisi in choro, ut iam verbum satis clare innuit. Proinde superior religiosus non potest dispensare (propria auctoritate), ut e. gr. ob nimium frigus vel nimium calorem officium divinum recitetur per aliquot menses extra chorum in aliquo oratorio privato, *nisi tamen istud oratorium sit coniunctum cum ecclesia aperto muro vel accessu.*

Huc spectant sequentes decisiones: 1. „An Fratres Minores praecepto chori satisfaciant officium divinum recitando in oratorio privato conventus ab ecclesia separato? Quod si negative, 2. An praecepto chori satisfaciant officium divinum recitando in oratorio privato conventus, quod aperto muro

[92] c. 610.

vel accessu ecclesiae iungitur? 3. An superior localis dispensare possit, ut eius arbitrio ex causa, veluti ob nimium frigus seu calorem, per aliquot menses officium divinum recitetur extra ecclesiam in oratorio conventus vel sacristia? Ad I negative. Ad II affirmative, iuxta modum; nimirum: Ad R^mum Episcopum, qui tamquam Sedis Apostolicae delegatus visitet locum, et videat, an sit decens et cum ecclesia communicet. Ad III Provisum in primo." S. R. C. d. 12. Dec. 1879[93].

4. **Obligatio privatae recitationis.** Sollemniter professi, qui a choro abfuerunt, debent, *exceptis conversis,* horas canonicas privatim recitare[94]. Ergo etiam sollemniter professae moniales choro addictae debent sub gravi recitare officium divinum vel in choro vel saltem privatim. Simpliciter professi non tenentur ad privatam recitationem, ut iam dictum est.

5. **Missa officio diei respondens** secundum rubricas cotidie celebrari debet in religionibus virorum et etiam, *quoad fieri possit,* in religionibus mulierum. Ita Codex iur. can.[95] Haec obligatio Missae conventualis correspondentis divino officio (non autem alterius Missae[96]) est gravis pro iis omnibus virorum religionibus, quae sub gravi obligantur ad recitationem choralem officii divini[97]. Pariter pro religionibus monialium. Quare non sufficit, si legitur Missa votiva vel defunctorum. Missa enim conventualis est praecipua pars officii choralis. Aliae autem omnes religiones sive virorum sive mulierum non videntur esse sub gravi obligatae ad celebrationem cotidianam Missae conventualis, cum de gravitate huius obligationis nullibi habeatur sufficiens argumentum; adest autem vera obligatio etiam pro domibus mulierum religiosarum vota simplicia habentium, quibus ex constitutionibus a S. Sede approbatis est obligatio recitandi divinum officium (non autem aliud officium) in choro[98].

Q. 236. *Qualiter recitandum sit divinum officium in choro?*

R. Officium divinum recitandum est

1. *in debito loco,* nempe in choro vel in oratorio adiacente, ut iam q. praec. dictum est.

2. *debito tempore.* Laudabilis usus per multa saecula viguit, ut Matutinum et Laudes dicerentur circa mediam noctem. Sufficit quidem, ut istae Horae recitentur vel vespere vel mane, sed requiritur, ut saltem dicantur ante Missam conventualem; quae quidem obligatio videtur esse gravis. Parvae Horae usque ad Nonam recitandae sunt ante

[93] Decr. auth. S. R. C. n. 3506. [94] c. 610, § 3. [95] Ib. § 2.

[96] S. C. R. declarat (Decr. auth. n. 3757): „Regulares (iure consuetudinis aut eorum Constitutionum secluso), teneri tantum legere unam missam Conventualem officio videlicet diei respondentem, tempore ab rubricis praescripto, quamvis aliae ab illis essent canendae, sive votivae, sive defunctorum, ut onera particularia adimpleantur, vel ex peculiari S. Sedis indulto."

[97] Missa conventualis, sive cantetur sive legatur, censetur esse Missa sollemnis; ideoque quattuor candelae sunt accendendae et preces a Leone XIII praescriptae post Missam sunt omittendae. S. R. C. d. 19 Ian. 1906 (Decr. auth. n. 4177, ad 11).

[98] Pontif. Com. d. 20 Maii 1923 (Acta Ap. Sed. XVI 114).

meridiem; Vesperae et Completorium post meridiem. Tempore Quadragesimae Vesperae recitandae sunt ante prandium meridianum.

3. *alternative,* si excipias ea, quae vel a toto choro vel secreto vel ab aliquo singulari dicenda sunt. Religiosus assistens choro non tenetur recitare vel legere illam partem, quam recitat alter chorus vel aliquis singularis, e. gr. lector, dummodo tamen attendat et aliqualiter audiat illam partem. Sin autem illam partem non audiat (propter rumorem vel surditatem), tunc probabiliter iuxta *S. Alphonsum*[99] adhuc satisfacit oneri recitandi officii, dummodo tamen saltem attentionem quam vocant externam conservet. Illi, qui ex officio aliqua pro choro necessaria peragunt, e. gr. qui organa pulsat, qui aerem pro organo comprimit, qui thurificationem peragit etc., satisfaciunt debito chorali, etiamsi aliquam partem officii neque audiunt neque recitant. Debent tamen isti (in quantum possunt) in psalmodia participare. Ratio est, quia nimis durum esset ab his exigere recitationem privatam illarum partium, quas praecise serviendo choro omittere coacti erant. Quare valet adagium: Supplet chorus[100].

4. *vocaliter.* Ergo organa vel alia instrumenta musica nequeunt supplere aliquam partem officii. Licite tamen, dum unus alta voce partem officii recitat, organa pulsantur.

5. *integre,* i. e. nihil omittendo et distincte pronuntiando singula verba. Omissio unius parvae Horae vel partis aequivalentis censetur esse gravis omissio.

6. Officium B. M. V., defunctorum et Psalmi graduales ac poenitentiales iam non pertinent ad officium divinum chorale, pro iis, qui utuntur Breviario Romano[101]. Num autem ista obligent eos, qui utuntur Breviario alicui ecclesiae vel religioni proprio, dependet ex iure privato.

7. *secundum ritum et calendarium praescriptum.* Complures religiones ad chorale officium obligatae habent ritum et calendarium proprium, ut Benedictini, Carthusiani, Dominicani etc., ac proinde istum ritum et calendarium sub gravi tenentur sequi. Si quis extraneus obligatus ad divinum officium, sed habens alium ritum vel calendarium, cum iis in choro officium recitat, per se non satisfacit suae obligationi, nisi tamen vigeat speciale privilegium, quale e. gr. habent Benedictini[102]. Religiosus autem iter peragens debet sequi calendarium coenobii, ad quod pertinet et ex quo discessit, perveniens autem in aliud coenobium eiusdem religionis ibique manens etiam ad breve tempus debet calendarium huius coenobii sequi. Sin autem religiosus non est in itinere, sed per aliquod tempus commoratur extra proprium coenobium, e. gr. tempore Quadragesimae ad praedicandum, tunc sequatur calendarium

[99] Theol. mor. l. 4, n. 163, q. 2 et 3.

[100] Cf. S. C. Conc. d. 17 Apr. et 10 Iul. 1921 (Acta Ap. Sed. XIII 481); *Salmant.,* Theol. mor. tr. XVI, 1, 19; *Noldin,* De praecept. n. 766.

[101] *Pius X* const. „Divino afflatu" d. 1 Nov. 1911, tit. VIII n. 2.

[102] Cf. S. R. C. d. 11 Iul. 1908 (Anal. Eccl. 1908, p. 391).

provinciae religiosae sine ulla diversitate quolibet anno publicatum[103]. Si ecclesia religiosa est simul paroecialis, non solum officium divinum, sed etiam omnes Missae (etiam ea, quae applicanda est pro populo) celebrandae sunt iuxta calendarium istius coenobii[104].

8. *continue, devote, attente,* de quibus videsis moralistas, e. gr. nostrum Man. theol. mor. II 375 sqq.

Q. 237. *Quibus privilegiis gaudeant religiosi circa recitationem privatam officii divini?*

R. Omissis nonnullis privilegiis dubiis, inter quae est privilegium recitandi divinum officium mentaliter[105], sequentia videntur notatu digna: 1. Clemens VII[106] concessit: „ut superiores vestri cum clericis et sociis suis, qui in supradictis pietatis operibus (praedicationis verbi Dei, auditionis confessionum etc.) aut studio litterarum sacrarum occuparentur seu infirmitate aut infirmorum curatione et ministerio pro tempore propedirentur, super recitatione divinorum officiorum ad hoc, ut ipsi occupati vel impediti certum Psalmorum per ipsos superiores eis assignandorum numerum, non minus septem aut sex cum divisione, ac Orationem Dominicam septies, symbolum Apostolorum bis, graviter autem aegrotantes Orationem Dominicam semel, salutationem Angelicam septies in die recitando, septem Horis canonicis et toti divino officio satisfecisse censerentur, dispensare possint". Simile privilegium concessit Paulus III[107], quod postea confirmavit S. Pius V[108]. Quae quidem privilegia adhuc in usu sunt apud Barnabitas[109]. 2. „Fratres Minores et moniales, quando sunt infirmi, possunt dicere septem Ave Maria et unum Pater noster loco officii divini, aut quid aliud sibi assignatum a confessario suo; et si infirmitas sit gravis et medicus ita iudicaverit, ne ad hoc quidem erunt obligati, sed sufficit sola intentio, qua velint illud recitare."[110] Quae quidem privilegia adhiberi possunt etiam nostris temporibus ab omnibus religionibus, quae habent communicationem privilegiorum. Nam privilegia religiosis concessa tunc solummodo censentur revocata, quando Codex iur. can. illa expresse revocat, quod quidem non est factum circa privilegia supra dicta. Pariter communicatio privilegiorum inter religiones solummodo pro futuro, non autem pro praeterito videtur esse revocata[111], ut infra c. 2 dicetur.

Q. 238. *An sorores, fratres conversi aliique servitio chori non addicti teneantur sub gravi ad recitationem officii divini vel mariani vel precum ipsis a regula iniunctarum?*

---

103 Cf. S. R. C. d. 31 Aug. 1839; d. 27 Iun. 1896 (Decr. auth. n. 2801 3919 ad XIII).
104 S. R. C. d. 27 Ian. 1905 (Decr. auth. n. 4150).
105 De quibus videsis *Piat,* Prael. iur. regul. I, q. 370; *Victorius ab Appeltern,* Comp. 231 sq.
106 Const. „Dudum" d. 7 Mart. 1533. 107 Const. „Dudum" d. 25 Iul. 1535.
108 Const. „Ad immarcescibilem" d. 13 Febr. 1567.
109 *A. Ferrari,* Barnabita, De stat. rel. 263.
110 *Schneider,* Rescript. auth. S. C. Indulg. ... pag. 396. 111 c. 4 et 613, § 1.

R. 1. Quantum *ad fratres conversos* certum est, eos non teneri sub gravi ad preces ipsis a regula impositas. Non enim vocati sunt ad laudes Deo persolvendas officio divino, sed operibus manualibus aliisve modis, nisi tamen in aliqua religione sit speciale praeceptum, ut e. gr. in ordine Minorum.

2. Quantum ad omnes sorores *simpliciter professas* non exsistit ex iure communi obligatio gravis recitandi officium divinum aut marianum aut alias preces. Ea igitur sola obligatio adest, quae imponitur a iure particulari seu ex constitutionibus uniuscuiusque religionis. De hac re statuunt „Normae"[112]: „Sororibus chori commendanda est plerumque recitatio communis officii parvi B. M. V. aut alicuius partis eiusdem officii, ita tamen ut ad illam recitationem non obligentur sub peccato."

CAPUT II.

De privilegiis religiosorum.

Praenotamen. Rationes nobilissimae, quibus commoti Summi Pontifices omni saeculorum tempore largiti sunt multa privilegia, sunt imprimis hae:

1. Servitia haud semel plane extraordinaria per religiosos praestita Sedi Apostolicae, universae Ecclesiae, reipublicae.
2. Salus animarum efficacius procuranda.
3. Firmamentum regularis disciplinae.
4. Honor et prosperitas religiosae familiae.
5. Pia maiestas atque benevolentia Summi Pontificis.

De notione, acquisitione, interpretatione, cessatione privilegiorum in genere iam supra q. 33 dictum est. Notandum tamen est novum statutum: „Quaelibet religio iis tantum privilegiis gaudet, quae vel in hoc codice continentur vel a Sede Apostolica directe eidem concessa fuerint, exclusa in posterum qualibet communicatione. Privilegia, quibus gaudet ordo regularis, competunt quoque monialibus eiusdem ordinis, quatenus eorum sunt capaces."[1] Utrum hoc statuto non solum quaelibet communicatio privilegiorum inter diversas religiones *in posterum* sit exclusa, an vero etiam omnia privilegia, quibus gaudebant diversae religiones ex legitima communicatione antiqua, sint abolita, non ita constat. Probabilius non sunt abolita privilegia, quae rite acquisiverunt religiones ex antiqua legitima communicatione. Etenim a) possessio centenaria vel immemorabilis inducit praesumptionem privilegii concessi[2]. Iamvero possessio privilegiorum in hoc casu saepe est plus quam centenaria. b) Omnia privilegia, quae ab Apostolica Sede ad haec usque tempora concessa in usu adhuc sunt, integra manent, nisi huius codicis canonibus expresse revocentur[3]. Iamvero privilegia nonnulla sunt religiosis concessa a Sede Apostolica per communicationem, neque sunt expresse vel clare revocata in Codice iur. can. Ergo illa privilegia videntur integra manere. c) Idem satis clare sequitur ex ipsis verbis canonis supra citati. Etenim duplicis generis privilegia obtinet quaelibet religio, sc. α) ea, quae in novo Codice continentur; β) ea, „quae a Sede Apostolica directe ei concessa **fuerint**" (gewährt sein werden; non dicitur: concessa *fuerunt*), ex-

---

112 156. 1 c. 613. 2 c. 63, § 2. 3 c. 4.

clusa *in posterum* qualibet communicatione. Quae cum ita sint, communicatio privilegiorum inter religiones in posterum est exclusa, sed talis communicatio antiqua suum valorem legitimum videtur retinuisse usquedum S. Sedes contrarium clarius statuerit. Ita quoque *M. Brandys* O. F. M.[4], L. Fanfani O. Pr., Noval O. Pr., Ch. Augustine O. S. B., Vermeersch-Creusen S. I. et multi alii. Contrariam sententiam, nempe religiosorum privilegia per communicationem, consuetudinem etc. obtenta nunc esse revocata, tenent *A. Blat*[5], *Biederlack-Führich*[6] aliique. — Religiosi etiam laici ac novitii fruuntur clericorum privilegiis communibus[7], e. gr. canonis, fori etc.

Magna pars privilegiorum religionibus concessorum fundatur super generali privilegio exemptionis. Quare 1. agendum est de exemptione. Deinde de principalioribus privilegiis singulariter tractandum est, sc. 2. de privilegiis circa sacramenta et sacramentalia. 3. de privilegiis circa quaestuationem. De privilegiis et obligationibus religiosi ad ecclesiasticam dignitatem promoti vel paroeciam regentis tractabitur in capite sequenti, sicut ipse Codex iur. can. facit. De privilegiis quoad funera tractabitur infra lib. 3, tit. XII, quoad praedicationem infra lib. 3, tit. XX.

ARTICULUS I.

De exemptione religiosorum.

Q. 239. *Quid et quotuplex sit exemptio religiosorum?*

R. 1. Exemptio religiosorum est liberatio partialis vel totalis a potestate episcopi vel Ordinarii loci, vi cuius religiones vel alia instituta ecclesiastica directe subiciuntur Sedi Apostolicae[8].

2. *Ratione obiecti* exemptio potest distingui:

a) *localis,* quando directe et praecipue solus locus ab episcopi iurisdictione subtrahitur, personae autem inibi habitantes nonnisi indirecte, sc. ratione loci exemptae sunt. Quare si incola talis loci exempti extra hunc locum degit, episcopus in eum iurisdictionem exercere potest.

[4] Kirchl. Rechtsbuch für relig. Laiengenossenschaft. Nr. 89 (Paderborn 1920). Scribit *Ferraris,* Prompta Bibl. verb. „Privilegium" art. 1, n. 27: „Regulares Mendicantes communicant in omnibus privilegiis Societatis Iesu, etiam in quibus apposita est sequens seu similis clausula: ‚Ne illis per communicationem fruantur ceteri Mendicantes'. Sic Diana parte 3, tract. 2, res. 81; *Rodriguez* I Quaest. regul. q. 55, art. 7; *Herinx,* disp. 4 De legibus q. 6, n. 75; *Donatus* I, pars 1, tract. 7, q. 8; *Miranda* in Manuali praelat. III, q. 46, art. 5, concl. 2; *Reiffenstuel* l. 5 Decretal. tit. 3, n. 64; *Kazenberger* in Supplement. Theol. moral. P. Sporer cap. 1, sect. 4, § 2, n. 235, et alii. — Et ratio est, quia Pontifices successores *Gregorii XIII* (qui talem clausulam prohibitivam communicationis apposuit) in constitutione incipiente ‚Pium et utile' de novo absque tali seu simili clausula prohibitiva communicationis amplissimam concesserunt Mendicantibus et confirmarunt communicationem privilegiorum; quorum Pontificum potestati derogare non statuit, immo non potuit ullus antecessor, quia par in parem non habet imperium. Cap. Innotuit 20 de electione, § Quamvis, et cap. Exiit 3, § Ceterum sanctae memoriae. De verbor. signific. in VI°." Haec sententia est practice probabilis et tuta. Cf. quoque *Haring* in Linzer Quartalschrift 1921, 313.

[5] L. c. n. 689. [6] De religiosis n. 145 (Oeniponte 1919). [7] c. 614.

[8] Quantum ad historiam exemptionis videsis Kirchenlexikon s. v. Exemption, vel *Scherer,* Kirchenrecht § 145, V.

Talis exemptio fuit e. gr. exemptio „familiarium" in monasteriis degentium;

b) *personalis,* si ipsaemet et solae personae eximuntur, ubicumque demum sint. Talis exemptio in nonnullis regionibus videtur esse concessa militibus, qui sunt exempti a iurisdictione Ordinarii loci et subduntur episcopo exercitus seu capellano maiori militum tamquam delegato Summi Pontificis. Tali exemptione fruuntur quoque Cardinales S. R. E.;

c) *mixta,* si aeque principaliter exempta sunt loca et personae inibi habitantes. Huiusmodi est exemptio regularium[9].

Ratione extensionis exemptio distinguitur:

a) *passiva,* quae quidem eximit a iurisdictione episcopi personas et ratione personarum etiam loca; loca vero ipsa remanent in dioecesi, quamvis dioecesani episcopi iurisdictio plus minusve impediatur. Talis est communiter exemptio regularium. Hinc personae non exemptae, e. gr. saeculares servitores degentes in locis regularium exemptis, non sunt ipsae exemptae, ut Canonistae communiter docent, e. gr. Vermeersch, Augustine, Biederlack-Führich. Contrarium tamen docetur a nonnullis auctoribus veteribus et modernis, e. gr. a Noldin-Schmitt[10].

b) *activa,* quae competit illis locis, quae vocantur „nullius dioecesis", ut sunt nonnullae abbatiae et praelaturae nullius, e. gr. abbatiae Montis Cassini.

Nota. 1. Regulares omnesque alii fruentes privilegio exemptionis nequeunt illi renuntiare. Agitur enim hic de iuribus Apostolicae Sedis.

2. Aliquando auctores loquuntur quoque de exemptione proprie et late dicta. Exemptio *proprie dicta* ea est, quae supra explicata est, et competit omnibus regularibus, ut infra dicetur. Exemptio *late dicta* est partialis exemptio a iurisdictione episcopi in nonnullis tantum materiis, e. gr. in administratione, in disciplina religiosa, in libera deputatione religiosorum in diversas domus instituti religiosi etc. Talis exemptio late dicta competit omnibus religionibus iuris pontificii[11].

Q. 240. *Quousque se extendat exemptio religiosorum proprie dicta?*

R. Sic statuit Codex iur. can. 615: „Regulares, novitiis non exclusis, sive viri sive mulieres, cum eorum domibus et ecclesiis, exceptis iis monialibus, quae superioribus regularibus non subsunt, ab Ordinarii loci iurisdictione exempti sunt, praeterquam in casibus in iure expressis."

Canon 618, § 1 habet: „Religiones votorum simplicium exemptionis privilegio non gaudent, nisi specialiter eisdem fuerit concessum."

Duobus istis canonibus ambitus exemptionis proprie dictae circumscribitur.

Explicatur. Dicitur 1: „Regulares, novitiis non exclusis", quibus verbis indicantur *personae* exemptae. Regulares sunt membra professa alicuius

[9] Cf. c. 1 in VI° 5 7. [10] Summa Theol. mor. de principiis n. 151.

[11] c. 618, § 2.

ordinis, ut supra dictum est, dum membra professa alicuius congregationis nomine generali religiosorum appellantur. Novitii quoque regularium sunt exempti, sed iam nihil dicitur de eorum familiaribus seu commensalibus, qui proinde non censentur exempti [12] (saltem in sensu proprio), quamvis superior religiosus illis viaticum aliaque sacramenta administrare possit, ut supra dictum est.

Dicitur 2: „cum eorum domibus et ecclesiis", quibus verbis significantur *loca* exempta. Ergo nunc omnes domus, etiam parvae et non formatae regularium, sunt exemptae, et iam non requiritur determinatus numerus regularium in istis domibus habitantium. Solummodo domus non formatae (in quibus sc. minus quam sex religiosi professi, quorum ad minus quattuor sacerdotes, si agitur de religione clericali, degunt) manent sub peculiari vigilantia Ordinarii loci, qui, si abusus irrepserint et fidelibus scandalo fuerint, tenetur rem ad S. Sedem statim referre, et ipse interim potest providere de abusibus scandalosis tollendis [13]. Haec sola est differentia inter domorum formatarum et non formatarum exemptionem, quod Ordinarius loci debet superiorem domus formatae monere de abusibus exsistentibus et tunc, si monitio fuerit vana, rem deferre statim ad S. Sedem, quin ipse per se valeat prospicere; econtra ipse Ordinarius loci valet per se abusus scandalosos in domibus non formatis exsistentes et a superiore religioso non ablatos removere interim, usquedum S. Sedes intervenerit [14]. Exemptio quae conceditur domibus et ecclesiis regularium, est passiva et non activa, ut supra dictum est.

Dicitur 3: „exceptis iis monialibus, quae superioribus regularium non subsunt." Tales enim moniales degunt sub iurisdictione Ordinarii loci.

Dicitur 4: „praeterquam in casibus a iure expressis." Quinam sint isti casus, dicetur in quaestione sequenti.

Dicitur 5: „Religiones votorum simplicium exemptionis privilegio non gaudent, nisi specialiter eisdem fuerit concessum." Sunt enim complures religiones votorum simplicium, quibus S. Sedes concessit privilegium exemptionis, e. gr. Redemptoristarum, Passionistarum etc.

Scholion. De utilitate exemptionis regularium.

Non solum lamentabilis synodus Pistoriensis [15], sed etiam haud pauci alii opinati sunt, exemptionem religiosorum esse quid obsoletum atque prorsus supprimendum. Contra hunc nefastum errorem sufficit adducere, quae Leo XIII [16] edixit: „Quamvis in ecclesiastica hierarchia, quae est divina ordinatione constituta, presbyteri et ministri sint inferiores episcopis horumque auctoritate regantur, tamen, quo melius in religiosis ordinibus omnia essent inter se apta et connexa, ac sodales singuli pacato et aequabili vitae cursu uterentur; denique ut esset incremento et perfectioni religiosae consultum, haud immerito Romani Pontifices ... clerum regularem episcoporum iurisdictione exemptum esse statuerunt."

Q. 241. *Quinam sint praecipui casus, in quibus regulares, exemptione eorum restricta, subiciantur iurisdictioni episcopi?*

R. 1. Breviter hic solummodo enumerantur praecipui casus; amplior explicatio dabitur in propriis locis. Quod autem dicitur de regularibus, a fortiori valet de aliis religiosis exemptis. Regulares extra domum *illegitime* degentes, e. gr. fugitivi, apostatae, privilegio exemptionis non gaudent, quamvis forte praetextum accedendi ad superiores afferant [17]. Regulares vero, qui propter iniquas leges civiles coguntur extra claustra degere, saltem in praxi sic tractantur, ac si in claustro viverent [18]. Etenim esset nimis durum et aequitati canonicae contrarium, tales religiosos vi expulsos privare privilegio exemptionis; id eo vel magis, cum non illegitime extra domum religiosam degant. Si tamen isti religiosi expulsi vel alii legitime extra claustra degentes commiserunt delictum nec a proprio superiore praemonito puniantur, possunt puniri ab Ordinario loci, etsi iam in domum religiosam redierint [19]. Religiosi suspecti de haeresi propter absolutionem complicis, propter sollicitationem ad turpia etc., iudicandi sunt non a propriis superioribus, sed a S. Officio aut episcopo loci. Quare e. gr. religiosus, qui crimen sollicitationis commisit (etiam in propria ecclesia ordinis), denuntiandus est S. Officio aut episcopo loci, qui tunc potest et debet contra illum procedere, non obstante exemptionis privilegio [20]. Superioribus autem quibuslibet destricte prohibetur, quominus in istis causis ad S. Officium spectantibus se intromittant [21].

2. Regulares debent oboedire Ordinario loci, qui praecipit: a) diebus festis de praecepto in omnibus ecclesiis vel oratoriis publicis brevem explanationem doctrinae christianae [22]; b) ob causam publicam sonitum campanarum, preces aliquas vel sacra sollemnia [23]; c) collectas seu orationes imperatas in Missa [24].

De campanis olim exsistebant multa statuta et haud paucae controversiae. Hodie secundum magnam partem ista cessaverunt vel in desuetudinem abierunt, e. gr. quantum ad numerum et materiam campanarum, quantum ad non pulsandas campanas in ecclesiis religiosorum fer. V in Coena Domini et Sabbato post vel ante pulsationem in ecclesia matrice vel digniore. — Campanae ecclesiarum regularium consecrandae quidem sunt ab episcopo loci, sed benedici possunt quoque a superiore religioso maiore [25].

3. Episcopus, non obstante exemptione, potest in ecclesiis regularium sui territorii a) concionari [26]; b) pontificalia exercere [27]; c) sacramentum confirmationis administrare [28]. Potest omnes scholas religiosorum exemptorum visitare, quantum ad ea quae spectant ad religiosam et moralem institutionem. Excipiuntur autem scholae internae, in quibus professi religionis exemptae instruuntur [29].

4. Regulares debent statuta episcopi loci servare in nonnullis, quae Missam aut SS. Eucharistiam attingunt. Sic debent a) stipem pro manualibus Missis ab episcopo determinatam neque diminuere neque augere [30]. De stipe autem pro Missis quasi-manualibus aut fundatis regulares exempti sunt a decretis dioecesanis [31]; b) debent orationes

---

[12] Ita quoque Ch. Augustine in commentario in hunc canonem.
[13] c. 617, § 2. [14] Ib. § 1. [15] Cf. *Denz.* n. 1590.
[16] Const. „Romanos Pontifices" d. 8 Maii 1881.

[17] c. 616, § 1. [18] Cf. Acta Ap. Sed. III 432. [19] c. 616, § 2.
[20] c. 904. [21] c. 501, § 2. [22] c. 1334 et 1345. [23] c. 612.
[24] Decr. auth. S. R. C. n. 2613. [25] c. 1169, § 5. [26] c. 1343, § 1.
[27] c. 337, § 1. [28] c. 792. [29] c. 1382. [30] c. 831, § 3. [31] c. 1550.

imperatas ab episcopo in Missa dicere, sicut iam supra dictum est[32]; c) debent obtinere licentiam episcopi ad *publice* exponendam SS. Eucharistiam; excipiuntur tamen festum Corporis Christi eiusque tota octava. Tunc enim de iure communi expositio publica SS. Eucharistiae fieri potest omnibus diebus in Missa et in Vesperis. Ad *privatam* expositionem, i. e. cum pyxide, regulares non indigent licentia episcopi[33]. Expositio censetur publica, quando SS. Sacramentum palam exponitur in ostensorio, sive interim ianuae ecclesiae sint apertae sive non[34].

5. Regulares subduntur iurisdictioni episcopali quantum ad audiendas confessiones personarum saecularium et quantum ad praedicandum coram saecularibus, ut latius dicetur in propriis locis qq. 245 et 405.

6. Regulares nequeunt reliquias publico cultui exponere in suis ecclesiis, nisi prius, uti dicitur, authenticatae sint aut ab aliquo Cardinale S. R. E., aut ab episcopo aut ab alio viro ecclesiastico, qui ex indulto apostolico potest reliquias authenticare[35]. Tale indultum authenticandi solent habere superiores generales ordinum aliique officiales. Ad privatam venerationem reliquiarum nulla licentia episcopi requiritur.

7. Regulares nequeunt sine praevia censura Ordinarii loci edere libros, diaria, periodica, imagines sacras[36], ut dicetur latius q. 416.

8. Regulares, exceptis iis, qui vivunt in strictiore clausura aut a civitate ultra tria milia passuum (i. e. circiter 3 kilometra) distant, aut qui habent speciale privilegium, ut Carmelitae Discalceati, Iesuitae, debent invitati interesse processioni in festo Corporis Christi aliisque ordinariis et extraordinariis processionibus ab Ordinario loci legitime indictis[37].

9. Regulares debent tributum pro seminario solvere; excipiuntur illae domus religiosae, quae ex solis eleemosynis vivunt aut in quibus est collegium discentium vel docentium[38].

---

[32] Collectae ab episcopo imperatae prohibentur, nisi sint pro re gravi, non tantum in Vigiliis Nativitatis et Pentecostes, sed etiam in omnibus Duplicibus I et II classis, in Dominicis maioribus, infra Octavas privilegiatas, et quandocumque in Missa dicendae sunt quattuor vel plures orationes a Rubrica eo die praescriptae. Ita Pius X (Const. „Divino afflatu“ d. 1 Nov. 1911; Acta Ap. Sed. III 649).

[33] c. 1274.

[34] Expositio censetur privata, quae fit simpliciter tabernaculum aperiendo, quin ex illo extrahatur sacra pyxis, sed haec clausa et velo suo cooperta populi oculis subicitur. Licet quidem cum pyxide tunc populum benedicere (S. R. C. d. 20 Nov. 1895 [Decr. auth. n. 2875 ad III]), sed numquam licet (saltem de iure liturgico communi) etiam in expositionibus minus sollemnibus exponere pyxidem in throno. Ita pluries S. R. C. e. gr. d. 23 Maii 1835, 28 Apr. 1902 (Decr. auth. n. 2725 et 4096). Nonnulli auctores, ut A. Ferrari, Bucceroni, putant, religiosis licitam quoque esse absque licentia episcopi expositionem in ostensorio, dummodo fiat pro solis religiosis et ianuis clausis. *Wernz*, Ius decr. III 533, nota 235, hanc sententiam vocat probabilem.

[35] c. 1283. [36] c. 1385, § 3.

[37] c. 1291 et 1292. Fratres Praedicatores possunt in omnibus processionibus, etiamsi intervenerit episcopus dioecesanus, imaginem Crucifixi ad ipsos conversam portare (cf. Bullar. Ord. Praed. VII 392; S. R. C. d. 9 Apr. 1910).

[38] c. 1356, § 1.

10. Regulares aliqualiter subduntur Ordinario loci quantum ad ordines suscipiendos, ut suo loco latius explicabitur.

11. Regulares indigent scripta licentia Ordinarii loci ad erigendam domum religiosam[39]. — Exsistunt insuper nonnulli alii casus, in quibus regulares plus minusve iurisdictioni episcoporum subduntur, sed melius de iis tractabitur propriis in locis.

Nota 1. Celebris fuit quaestio, num episcopus dioecesanus possit dispensare in legibus ecclesiasticis religiosos quoque exemptos, in sua dioecesi degentes, sicut ceteros incolas. Affirmativa responsio nunc videtur esse certa, cum generaliter sit statutum: „Per indultum ab Ordinario loci legitime concessum obligatio legis communis cessat quoque *pro religiosis omnibus* in dioecesi commorantibus, salvis votis et constitutionibus propriis cuiusvis religionis.“[40] Si igitur e. gr. episcopus dispensat omnes incolas suae dioecesis a ieiunio certo die, tunc lex communis ieiunandi cessat etiam pro religioso exempto; cui tamen, si ipse propter constitutiones suae religionis debet isto die ieiunare, remanet obligatio constitutionum vel praecepti particularis.

Nota 2. In omnibus casibus, in quibus regulares subsunt Ordinario loci, possunt non oboedientes ab eodem etiam poenis coerceri[41].

Q. 242. *Quousque se extendat exemptio late dicta?*

R. 1. Exemptio late dicta competit omnibus religionibus iuris pontificii, i. e. iis, quae saltem decretum laudis a S. Sede obtinuerunt.

2. Talis exemptio efficit[42]:

a) ut Ordinarius loci nullatenus valeat immutare constitutiones, quamvis istae nondum sint approbatae a S. Sede;

b) ut Ordinarius loci nequeat cognoscere de re oeconomica domorum talium religionum. Dantur tamen nonnullae exceptiones, e. gr. quantum ad dotes sororum, ad pia legata, ad res oeconomicas monialium;

c) ut Ordinarius loci nequeat se ingerere in regimen internum ac disciplinam, exceptis casibus in iure expressis. Quinam sint isti casus, dicetur suis locis. Ad regimen internum spectant e. gr. receptio et educatio novitiorum, diversa officia in communitate religiosa, translatio religiosorum ab una in aliam domum etc. In religionibus *laicalibus* et notanter in omnibus congregationibus mulierum approbatis Ordinarius loci potest, immo et debet inquirere, num disciplina religiosa vigeat, i. e. num constitutiones bene serventur; num sana doctrina morumque probitas aliquid detrimenti ceperit; num contra clausuram peccatum sit; num sacramenta frequenter suscipiantur. Si Ordinarius loci invenit abusus graves, admoneat superiores; qui si opportune non providerint, ipse per se consulat. Attamen si qua maioris momenti occurrant, quae moram non patiuntur, ipse quidem potest statim decernere, debet autem tunc certiorem reddere S. Sedem.

---

[39] c. 497. [40] c. 620.
[41] c. 619. [42] c. 618, § 2.

d) ut institutis *clericalibus* concessa sint complura privilegia e. gr. quantum ad propriorum subditorum confessiones, ordinationes, funera etc., sicut in suis locis amplius explicabitur.

Ex dictis patet, potestatem Ordinarii loci in religiones clericales esse valde limitatam; econtra in religiones omnes laicales sive virorum sive mulierum esse satis magnam, quamvis istae religiones sint iuris pontificii.

ARTICULUS II.

De privilegiis religiosorum circa sacramenta et sacramentalia.

Q. 243. *Quaenam sint privilegia religiosorum circa sacramenta baptismi, confirmationis, extremae unctionis, matrimonii?*

R. Circa sacramenta baptismi, confirmationis, extremae unctionis, matrimonii religiosi nullum speciale privilegium habent, sed in his fere aequiparantur clericis saecularibus. — Breviter de his sacramentis sequentia notentur quantum ad religiosos:

a) Neque in baptismo neque in confirmatione religiosus quicumque (vel etiam novitius cuiuscumque religionis) potest licite fungi munere *patrini*, nisi necessitas urgeat et habeatur licentia expressa superioris saltem localis[43]. Talis necessitas videtur adesse, si nullus alius patrinus catholicus haberi potest, e. gr. in locis Missionum.

b) Quantum ad ministrum extremae unctionis vetus disciplina satis mutata et mitigata est. Etenim nunc est expresse statutum, ut in omni religione clericali ius et officium superioris est, per se vel per alium aegrotis professis, novitiis aliisve in religiosa domo diu noctuque degentibus (causa famulatus aut educationis aut hospitii aut infirmae valetudinis) extremam unctionem et viaticum ministrandi[44]. Quae quidem valent saltem quantum ad extremam unctionem, etiam si personae supra nominatae aegrotantur non in ipsa domo religiosa, sed in publico nosocomio; immo etiam de viatico, si SS. Sacramentum desumi potest ex oratorio nosocomii cum licentia rectoris huius oratorii. Sin autem viaticum publice portandum est per plateas, tunc extra casum necessitatis requiri videtur licentia saltem praesumpta parochi vel Ordinarii[45]. — Excommunicatio olim lata contra religiosos praesumentes extremam unctionem aut viaticum administrare clericis saecularibus aut laicis extra casum necessitatis et sine licentia parochi suppressa est.

Q. 244. *Quaenam sint privilegia religiosorum circa Eucharistiam?*

R. Circa Eucharistiam sequentia privilegia regularibus competunt:
1. eo ipso quod domus religiosa religionis *clericalis* permittitur a S. Sede et ab Ordinario loci, conceditur quoque facultas habendi ecclesiam vel oratorium publicum domui adnexum[46] ac proinde Eucharistiam asservandi et sacra ministeria peragendi. Idem dicendum est de monasterio monialium[47]. Econtra quamvis data sit legitima licentia erigendi

[43] c. 766, n. 4; c. 796, n. 3. [44] c. 514. [45] Cf. c. 848.
[46] c. 497, § 2 et c. 1265. [47] S. R. C. d. 16 Apr. 1644 (Decr. auth. n. 860).

domum religionis laicalis, e. gr. domum religiosarum, nondum censetur data facultas habendi oratorium semipublicum et asservandi Eucharistiam. In praxi expedit, ut utraque licentia simul petatur et detur. Etiam in religiosis domibus religionis clericalis SS. Eucharistia nequit asservari nisi in ecclesia aut in oratorio principali; requiritur autem specialis licentia S. Sedis, ad hoc ut SS. Eucharistia possit in alio oratorio e. gr. in oratorio speciali novitiatus asservari[48].

2. Iam supra q. 241, n. 4 dictum est, religiosos posse privatim exponere SS. Eucharistiam sine licentia Ordinarii loci.

3. Religiosi possunt in suis ecclesiis et oratoriis distribuere SS. Eucharistiam eodem modo, quo id fieri potest in ecclesiis paroecialibus. Valet enim nunc regula generalis: „Sacra communio distribui potest, ubicumque Missam celebrare licet, etiam in oratorio privato, nisi loci Ordinarius, iustis de causis, in casibus particularibus id prohibuerit."[49] Ergo veteres restrictiones non distribuendi die Paschatis vel etiam fer. V^a^ in Coena Domini s. communionem in ecclesiis regularium sublatae sunt. Non solum omnes illi (supra n. 1 enumerati), qui viaticum recipiunt in domibus religiosis, possunt sumere communionem paschalem in ecclesiis aut oratoriis religiosorum, sed etiam ceteri fideles; his tamen suadendum est, ut praecepto paschali communionis satisfaciant in sua quisque paroecia[50]. Quamvis parochi officium sit advigilandi (etiam per examen, si opportunum prudenter iudicaverit), ne pueri ad s. synaxim accedant ante adeptum usum rationis vel sine sufficienti dispositione[51], tamen dare primam communionem pueris non est ius stricte paroeciale, ac proinde prima communio potest quoque sumi in ecclesia vel oratorio religiosorum. Nihilominus videtur esse optima consuetudo, secundum quam (ordinarie saltem) omnes pueri et puellae alicuius paroeciae stato die cum magna pompa ad primam communionem ducuntur. Praeparatio enim tunc ordinarie fit melior; exemplum, externa sollemnitas aliaque solent profundiorem impressionem causare in mentibus cum puerorum tum aliorum adstantium.

Ministrare viaticum et extremam unctionem monialibus ipsarumque novitiis, postulantibus, aliisque personis in domo monialium diu noctuque degentibus pertinet ad earum confessarium ordinarium eiusve vices gerentem[52].

4. Superior maior religionis exemptae potest ex iusta et rationabili causa concedere licentiam, ut in quolibet decenti loco, *numquam autem in cubiculo*, Missa celebretur non quidem habitualiter, sed in aliquibus casibus extraordinariis[53]. Ita de iure communi.

Ex privilegio autem nonnullae religiones, ut e. gr. Dominicani[54], Iesuitae[55], possunt erigere oratoria non solum in ipsis domibus religiosis, sed etiam in

[48] c. 1267. [49] c. 869. [50] c. 859, § 3. [51] c. 854, § 5. [52] c. 514, § 2. [53] c. 822, § 4.
[54] *Benedictus XIV*, Const. „Exponi nobis" d. 22 Ian. 1755. Originale huius constitutionis habetur in Archivo generalitio ordinis Praedicatorum.
[55] *Gregorius XIII*, Const. „Decet Romanum" d. 3 Maii 1575; *Leo XII*, *Const.* „Plura inter" d. 11. Iul. 1826.

eorum „granciis" (domibus ruralibus) in loco decenti (non autem in cubiculo) ibique Missas dicere. Fideles inibi assistentes Missae satisfaciunt praecepto dominicali. Cum haec privilegia non sint revocata in Codice iur. can., adhuc permanent in suo vigore idque eo vel magis, cum celebre decretum S. R. C. d. 23 Ian. 1899 specialiter agens de oratoriis expresse statuat: „Voluit autem Sanctitas Sua sarta et tecta iura ac privilegia oratoriorum, quibus fruuntur eminentissimi S. R. E. Cardinales, reverendissimi sacrorum antistites atque *ordines congregationesque regulares.*" Decretum S. R. C. d. 10 Nov. 1906[56] manifeste concedit, ut superior generalis vel provincialis regularium possit erigere oratoria in ipsa domo religiosa, sed quantum ad domos rurales exigit indultum. Quod sane indultum adest, si concessum est privilegium permanens. — Instituta religiosa non exempta indigent indulto S. Sedis, si volunt erigere oratorium praeter oratorium principale.

5. Quantum ad *horam* Missae statuit ius commune, ut Missae initium non possit fieri prius quam una hora ante auroram (i. e. tribus circiter horis ante solis ortum), neque serius quam una hora post meridiem[57].

In hac quoque re complures religiones habent privilegia. „Regulares possunt ex concessione facta a Pio VI Congregationi Puritatis, rescriptis d. 24 Ian. 1783 et 10 Maii 1785 ubique (etiam in alienis ecclesiis) celebrare duabus horis ante auroram vel post meridiem. Commendatur, ut indulto celebrandi ante auroram parce utantur."[58] Gregorius XVI suo rescripto d. 13 Maii 1838 concessit, ut Praepositus generalis Societatis Iesu facultatem dare possit missionariis, „ut sive itineris causa sive causa devotionis pro se vel pro populo, sive causa dandae communionis fidelibus exspectantibus, hora secunda post mediam noctem celebrent"[59]. Ceterum ex causa mediocriter gravi, e. gr. itineris causa, licet in casu particulari horam Missae antevertere aut postponere. — In nocte Nativitatis Domini nonnullae religiones habent privilegium non solum dicendi sollemnem Missam conventualem, sed etiam unus sacerdos potest immediate post Missam conventualem tres alias Missas dicere. Ex consuetudine legitima vel indulto exsistente in aliquibus regionibus, e. gr. in Helvetia, omnes sacerdotes, qui volunt, dicunt tres Missas in nocte Nativitatis.

Q. 245. *Quaenam sint privilegia religiosorum circa sacramentum poenitentiae?*

R. Circa sacramentum poenitentiae sequentia valent pro iure religiosorum:

Vetus controversia, num regulares directe a Summo Pontifice recipiant iurisdictionem ad audiendas saecularium personarum confessiones, nunc soluta est in sensu negativo. Etenim nunc est statutum: „Iurisdictionem delegatam ad recipiendas confessiones quorumlibet sive saecularium sive religiosorum confert sacerdotibus tum saecularibus tum religiosis etiam exemptis Ordinarius loci, in quo confessiones excipiuntur."[60] Ergo confessarius religiosus, qui obtinuit iurisdictionem ab episcopo loci, valide audit confessiones omnium ad se venientium, quamvis sit a proprio superiore religioso suspensus ab audiendis confessionibus. Attamen per se patet, confessarium religiosum non posse *licite* audire confessionem, invito proprio superiore, nisi raro ex causa vere urgenti[61]. Ordinarii locorum iurisdictionem ad audiendas confessiones habitualiter ne concedant religiosis, qui a proprio superiore non praesentantur[62]. Ratio est, quia secus nervus disciplinae religiosae disrumperetur. In religione clericali exempta, ad audiendas confessiones professorum, novitiorum aliorumve in religiosa domo die noctuque degentium (famulatus aut educationis aut hospitii aut infirmae valetudinis causa), iurisdictionem delegatam confert quoque proprius superior religiosus ad normam constitutionum; cui fas est eam concedere etiam sacerdotibus e clero saeculari aut alius religionis[63]. Ergo nunc certum est, confessarios religiosos in religione approbatos posse, absque iurisdictione obtenta ab episcopo loci, valide et licite audire confessiones alumnorum et famulorum in sua domo religiosa habitantium. Pariter certum est, superiorem religiosum talem exemptum posse vocare sacerdotem extradioecesanum illique, durantibus exercitiis spiritualibus, conferre iurisdictionem ad audiendas confessiones suorum subditorum. — Episcopus potest a) confessariorum religiosorum iurisdictionem a se delegatam limitare; caveat tamen, ne nimis coarctet eam sine rationabili causa[64]; b) exigere examen ante concessionem iurisdictionis[65]; c) ob gravem causam revocare iurisdictionem concessam; non tamen potest, inconsulta S. Sede, omnibus alicuius religiosae domus *formatae* confessariis una simul iurisdictionem adimere[66]. In praxi videntur esse sequentia animadvertenda in hac re:

1. Religiosi ne aegre ferant, si episcopus eos ad examen vocat et iurisdictionem limitatam concedit; nam hoc modo utiliter exercebunt et theologiae moralis continuum studium et christianam humilitatem.

Episcopus autem sit benevolus erga religiosos, quippe qui soleant esse eius strenui adiutores in animarum salute procuranda. Proinde eorum iurisdictioni ne apponat limitationes nisi omnino necessarias, neve vocet ad examen illos, qui sunt conspicui et certe idonei ad audiendas confessiones. Generatim evitet omne, quod odiosum merito apparere possit.

Revocata qualibet contraria lege particulari seu privilegio sacerdotes omnes cum saeculares tum religiosi indigent particulari iurisdictione ad confessiones quarumcumque religiosarum ac novitiarum valide et licite recipiendas[67]. Id tamen non valet in casibus, in quibus istae religiosae possunt confiteri apud quemlibet confessarium approbatum, ut supra q. 190 dictum est.

2. **Privilegia** confessariorum regularium relate ad sacramentum poenitentiae sunt haec:

a) *Possunt dispensare in votis non reservatis et iuramentis.* Vota reservata Summo Pontifici sunt α) omnia vota publica sive perpetua

[56] Decr. auth. n. 4190. [57] c. 821, § 1. [58] *Vermeersch,* De rel. inst. I 467.
[59] Compend. privil. Soc. Iesu n. 410. [60] c. 874, § 1.

[61] c. 874, § 1. [62] Ib. § 2. [63] c. 875, § 1. [64] c. 878.
[65] c. 877. [66] c. 880, § 1 3. [67] c. 876.

sive temporanea; β) duo vota privata sc. perfectae et perpetuae castitatis et ingrediendi in religionem approbatam cum votis sollemnibus, dummodo ista duo vota sint emissa absolute (non conditionate) et post completum decimum octavum aetatis annum[68]; γ) vota facta principaliter in favorem alicuius personae sive physicae sive iuridicae, e. gr. votum faciendi eleemosynam alicui personae determinatae.

Sententia communissima docet, confessarios religiosos (saltem eos, qui habent privilegia Mendicantium) posse dispensare in votis non reservatis. Ita *S. Alphonsus*[69], *Ferraris*[70], *Reiffenstuel*[71], *Noldin*[72], *Vermeersch*[73]. Ratio autem est, quia tale privilegium concesserunt complures Summi Pontifices. Sic e. gr. Iulius II[74] concessit Regularibus S. Salvatoris et Monachis Olivetanis, ut deputati ad audiendas saecularium personarum confessiones possint eas ab omnibus et singulis peccatis ... absolvere et vota per eas pro tempore emissa in omnibus et singulis casibus locorum Ordinariis, etiam per synodales seu provinciales constitutiones, reservatis, in alia pietatis opera commutare et desuper cum iisdem voventibus dispensare. Idem Pontifex eandem dispensandi facultatem concessit aliis Canonicis Regularibus[75]. Leo X[76] concessit hanc facultatem Camaldulensibus. Cum autem alii pontifices, ut Benedictus XIII const. „Pretiosus", Leo XII const. „Plura inter" tantum videantur concedere regularibus facultatem *commutandi* vota, hinc quidam auctores (Billuart, Concina, Mocheggiani) denegant confessariis regularibus omnem facultatem dispensandi in votis. Sed immerito. Verba enim dispensandi et commutandi vota saepe promiscue sumuntur in stylo Curiae Romanae, et deinde in praxi confessarius dispensans in votis fere semper iniungit aliud opus pium loco voti. Ceterum cum *S. Alphonsus*[77] sine ulla haesitatione doceat, confessarios regulares posse dispensare in votis non reservatis, atque confessarius possit tuto sequi opiniones S. Alphonsi a S. Sede non reprobatas, hinc confessarius potest tuto dispensare a votis non reservatis idque eo vel magis, quia novus Codex nihil contrarii statuit[78].

Confessarii regulares non solum in votis, sed etiam in votis iuratis, i. e. cum iuramento coniunctis, dispensare valent. Cum autem iuxta *S. Alphonsum*[79] non dentur iuramenta reservata, confessarii regulares possunt quoque dispensare in omnibus iuramentis, exceptis iis, quorum dispensatio vergat in praeiudicium aliorum, qui obligationem iuramenti remittere recusant[80]. Si quis igitur, qui iuravit e. gr., se daturum esse 1000 marcas tali domui religiosae, petit dispensationem ab hoc iuramento, confessarius regularis nequit dispensare, nisi domus religiosa prius renuntiaverit obligationi iuramenti. Domus autem religiosa non videtur posse renuntiare isti obligationi, nisi superior religiosus com-

[68] c. 1309. [69] Theol. mor. l. 3, n. 257.
[70] Prompta Bibl. s. v. Votum a. 3, n. 77.
[71] Ius can. l. 3, tit. 34, n. 39. [72] De praecept. n. 237.
[73] De rel. inst. n. 519 et Periodica V 57 sqq.
[74] Const. „Etsi ad universos". [75] Const. „Inter ceteros".
[76] Const. „Etsi a summo". [77] L. c.
[78] Cf. *G. Oesterle* O. S. B. in Theologie und Glaube 1911, 389 sqq.
[79] L. c. [80] c. 1320.

petens cum suo consilio consensum dederit, sicut requiritur consensus ad alienationem 1000 marcarum. Ita salva meliore sententia[81].

b) *Possunt dispensare pro foro interno in nonnullis irregularitatibus*, nempe in iis, in quibus episcopi possunt dispensare suos subditos. Episcopi autem possunt dispensare α) in omnibus irregularitatibus dubiis; β) in omnibus irregularitatibus ex delicto *occulto* provenientibus, ea excepta, quae provenit ex perpetrato homicidio voluntario aut ex procuratione abortus (pro ipsis agentibus eorumque cooperantibus)[82]. Cuilibet confessario etiam saeculari haec dispensandi facultas competit in casibus urgentioribus, in quibus Ordinarius adiri nequit et periculum imminet gravis damni vel infamiae, sed ad hoc dumtaxat, ut poenitens *ordines iam susceptos* exercere licite valeat[83]. Confessarii regulares videntur posse dispensare in his irregularitatibus non solum ad exercitium ordinum iam susceptorum, sed etiam ad ipsos ordines suscipiendos[84]. Etenim *Leo XII*[85] concessit confessariis Iesuitis, ut possint „eos, qui irregularitatem occultam tam ad suscipiendos quam exercendos ordines incurrerint, in foro conscientiae tantum ab hoc impedimento absolvere". Insuper Pius VI d. 27 Maii 1789 concessit congregationi Clericorum Excalceatorum Crucis ac Passionis D. N. I. Ch., ut confessarii, dum sacris missionibus aut publicis exercitiis tradendis incumbunt, poenitentes pro foro conscientiae et in actu sacramentalis confessionis tantum dispensare valeant ab omnibus irregularitatibus occultis, etiam quae specialem, expressam et individuam mentionem alias exigerent. Ista privilegia esse aliis communicata, videtur certum[86]. Ceterum satis raro accidit, ut confessarius debeat dispensare in irregularitate ad ordines suscipiendos; abstineat autem ab huiusmodi dispensatione concedenda, si casus facile possit postea venire ad forum externum. Iuxta nonnullos auctores et notanter iuxta *S. Alphonsum*[87] praelati regulares possunt dispensare cum suis subditis in irregularitate ob defectum natalium ad ordines minores, in irregularitate ob bigamiam, ob defectum lenitatis, sed istae facultates dispensandi non videntur esse ita certae. Nihilominus praelatus regularis dispensans hoc modo non est inquietandus, cum auctores gravissimi moderni istam facultatem illi vindicent[88].

c) Confessarii regulares possunt in foro conscientiae absolvere a casibus *iure communi* seu per Papam (non autem iure speciali per episcopum) reservatis episcopo. Tales casus iuxta vigentem disciplinam sunt sex vel novem, ut infra dicetur in tractatu de poenis ecclesiasticis. Confessariis regularibus revera hanc absolvendi facultatem competere

[81] De cessatione obligationis votorum et iuramentorum latius egimus in Man. theol. mor. II 420 sqq. et 454.
[82] c. 990, § 1. [83] Ib. § 2.
[84] Ita *S. Alphonsus*, Theol. mor. l. 7, n. 355.
[85] Const. „Plura inter" d. 11 Iulii 1828, § 2.
[86] Ita etiam *Vermeersch*, De rel. inst. n. 519.
[87] Theol. mor. l. 7, n. 426 453 469.
[88] Cf. *Gasparri*, De s. ordinatione n. 228; *Wernz, Ius decr. II, n. 108.*

docet sententia valde communis et in praxi tuta. Ita *S. Alphonsus*[89], *Donatus*[90], *Passerinus*[91], *Vermeersch*[92], *Fanfani*[93]. Iam suo tempore *Lacroix*[94] asseruit, hanc sententiam doceri a pluribus quam 30 scriptoribus. Animadvertendum vero est, confessarium regularem non posse poenitentes extra articulum mortis ab his casibus absolvere, si reconciliatio *in foro externo* est necessaria; e. gr. qui publice iniit matrimonium coram ministro acatholico, nequit absolvi in tribunali poenitentiae, nisi prius scandalum datum sit sublatum. — Ut iam supra dictum est, confessarii regulares nequeunt absolvere a casibus, quos episcopus *proprio iure* sibi reservat. Hinc Alexander VII d. 24 Sept. 1665 damnavit propositionem (12:) „Mendicantes possunt absolvere a casibus episcopis reservatis, non obtenta ad id episcoporum facultate."[95]. Quomodo isti casus iuxta praesentem disciplinam absolvi possint, dicetur in tractatu de sacramento poenitentiae. — Confessarii regulares potuerunt restituere petendi debiti coniugalis facultatem, quae amissa erat ob copulam incestuosam; sed haec poena iam non amplius exsistit, ac proinde evanuit quoque facultas dispensandi ab ea.

Cum generatim facultas confessariorum omnium sit multum aucta in dispensandis impedimentis matrimonialibus, in absolutione censurarum et casuum reservatorum, in declarandis legibus ecclesiasticis, ut in suis locis dicetur, confessarii quoque regulares omnes istas facultates habent. Patet per se.

Q. 246. *Quaenam sint religiosorum privilegia circa sacramentum ordinis.*

R. Codex iur. can. magnas mutationes introduxit in iis, quae iuridice spectant ad sacramentum ordinis, ut dicetur infra in tractatu de hoc sacramento.

Quantum ad ordinationem religiosorum sequentia nunc vigent:

1. *Minister ordinationis* religiosorum est episcopus dioecesis, in qua sita est domus religiosa, ad cuius familiam pertinet ordinandus[96]. Tunc tantum superior religiosus ad alium episcopum litteras dimissorias mittere potest, cum episcopus dioecesanus licentiam dederit, aut sit diversi ritus aut sit absens aut non sit ordinationem habiturus proximo legitimo tempore, vel denique cum dioecesis vacet nec eam regat, qui charactere episcopali polleat[97]. Necesse est, ut singulis in casibus id episcopo (extradioecesano) constet ex authentico curiae episcopalis testimonio[98]. Caveant superiores religiosi, ne in fraudem episcopi dioecesani subditum ordinandum ad aliam religiosam domum mittant aut concessionem litterarum dimissoriarum de industria in id tempus differant, quo episcopus vel abfuturus vel nullas sit habiturus ordinationes[99]. Haec omnia statuta Codicis iuris canonici tam clara sunt, ut nulla

[89] Theol. mor. l. 7, n. 99; Privil. 100. [90] Rer. reg. prax. 3, 4, 36, 3.
[91] De stat. hom. q. 178, a. 1, n. 454. [92] De rel. inst. n. 519.
[93] De iur. rel. n. 365. [94] Theol. mor. l. 6, p. 2, n. 1628.
[95] *Denz.* 1112. [96] c. 965. [97] c. 966, § 1. [98] Ib. § 2. [99] c. 967.

explicatione indigeant. Superiores non censentur de industria eludere proprium episcopum dioecesanum, si ex rationabili causa agunt, e. gr. propter utilitatem studiorum, disciplinae religiosae etc.

Abbas regularis de regimine (ergo non abbas titularis), qui legitime accepit benedictionem abbatialem intra tres menses, potest suis subditis saltem simpliciter professis conferre primam tonsuram et ordines minores. Alios ordinare nequit nec valide nec licite, nisi pollet charactere episcopali[100] et servatis servandis. Tales abbates habent privilegia honorifica, sicut abbates nullius (excepto pileolo violaceo)[101].

2. *Subiectum religiosum ordinationis* debet habere praeter ea, quae de iure communi exiguntur ab omnibus ordinandis (sc. vocationem clericalem, aetatem legitimam, scientiam sufficientem, immunitatem ab irregularitatibus et impedimentis, testimonium baptismatis et confirmationis, si agitur de prima tonsura recipienda, secus testimonium ultimae ordinationis, exercitia spiritualia etc.):

a) litteras *testimoniales* et *dimissorias* superioris maioris. In istis litteris superior debet testari ordinandum emisisse professionem religiosam, esse de familia domus religiosae talis sibi subditae, de studiis peractis et de aliis iure requisitis. Quibus litteris superioris acceptis episcopus ordinans aliis testimonialibus litteris, e. gr. parochi, episcoporum etc., non indiget[102]. Superior religiosus nequit istas litteras concedere nisi iis subditis, qui vota *perpetua* emiserunt; iis vero, qui sola vota temporaria nuncupaverunt, superior potest litteras testimoniales et dimissorias concedere dumtaxat ad primam tonsuram et ordines minores[103]. Notandum est, ordinationem religiosorum, qui carent privilegio exemptionis, *regi iure saecularium;* ac proinde superiorem talis religionis non posse concedere professis votorum temporalium litteras dimissorias ad ordines maiores aut minores[104].

b) *titulum ordinationis,* si agitur de ordinibus maioribus suscipiendis. Pro regularibus autem sollemniter professis iste titulus est religiosae professionis vel paupertatis; pro religiosis votorum simplicium perpetuorum est titulus mensae communis, congregationis aliusve similis ad normam constitutionum. Ceteri religiosi, qui non emiserunt nisi vota temporaria, debent titulum ordinationis habere, sicut clerici saeculares[105], e. gr. titulum patrimonii.

c) *examen* circa ipsum ordinem suscipiendum. Hoc examen recipit loci Ordinarius, qui *iure proprio* ordinat. Potest tamen iste Ordinarius ex iusta causa committere hoc examen episcopo ordinaturo[106]. In praxi solet hoc modo procedi: Ordinandus facit examen coram viris a superiore religioso deputatis cum circa ordinem suscipiendum tum circa aliquam

[100] c. 964, n. 1.
[101] c. 625. Abbates regulares de regimine legitime electi debent intra tres menses ab electione benedictionem accipere ab episcopo dioecesis, in qua monasterium situm est (ib.). Exsistunt tamen hac in re privilegia.
[102] c. 995. [103] c. 964, n. 3. [104] Ib. n. 4.
[105] c. 982. [106] c. 996 et 997.

tractationem ex theologia (si agitur de ordinibus maioribus suscipiendis). Testimonium huius examinis peracti exhibetur episcopo, qui in rigore iuris ordinandum posset quidem ipse denuo examinare, qui tamen solet acquiescere testimonio examinis exhibito[107]. Si nihilominus episcopus vellet examinare religiosum ordinandum, non posset de moribus sed de sola scientia sufficienti interrogare. Ordinandi ex Societate Iesu habent privilegium a *Gregorio XIII*[108] concessum et a Leone XIII d. 13 Iul. 1886 confirmatum, vi cuius episcopus ordinans eos examinare non potest.

3. *Nomina ordinandorum* ad singulos ordines sacros, si agitur de religiosis a votis *perpetuis* sive simplicibus sive sollemnibus, non sunt publicanda in paroeciali ecclesia[109]. — Privilegia regularibus concessa de ordinatione extra tempora, de dispensatione ab interstitiis non sunt revocata, at tanti momenti non sunt, cum episcopus valeat in utroque casu dispensare[110]. Nonnullae religiones, ut Societas Iesu, Redemptoristae, Dominicani, habent speciale privilegium, vi cuius subditi possunt sacros ordines suscipere omnibus fere diebus festis anni.

Quomodo regulares possint dispensare in irregularitatibus, dictum est supra q. 245. Iuvat autem animadvertere, etiam ex statuto Cod. iur. can.[111] superiores religiosos maiores, *utpote vere Ordinarios*, posse subditos suos dispensare, sicuti id valent episcopi pro subditis suis.

Q. 247. *Quaenam sint religiosorum privilegia circa sacramentalia?*

R. 1. Religiosi habent nonnulla privilegia in largiendis sacramentalibus, sc.:

a) Superiores maiores religionis clericalis exemptae possunt per se vel per delegatum *benedicere* ecclesias, oratoria, campanas, primarium lapidem ecclesiae, coemeteria, sacram supellectilem, ut sunt mappae altaris, corporalia etc.[112] Nil videtur obstare, ne ista delegatio habitualiter quoque detur. Sed per se patet, religiosos non posse istas res benedicere nisi pro proprio usu. Ergo e. gr. superior religiosus nequit benedicere paramenta pro sacello religiosarum sibi non subditarum. Benedictionem illius sacrae supellectilis, quae ad normam legum liturgicarum benedici debet, antequam ad usum sibi proprium adhibeatur, impertire possunt etiam superiores religiosi non exempti, eorumque delegati sacerdotes eiusdem religionis[113].

b) Iidem superiores maiores religionis clericalis exemptae eorumve delegati possunt reconciliare ecclesiam pollutam etiam consecratam[114]; item coemeterium pollutum[115].

2. Sacerdotes religiosi, qui obtinuerunt a S. Sede facultates benedicendi diversas res, e. gr. rosaria, numismata, scapularia, sub clausula

[107] Cf. c. 997, § 2. [108] Const. „Pium et utile" d. 21 Sept. 1582.
[109] c. 998, § 1.
[110] De istis duobus privilegiis videsis *S. Alphonsum*, Theol. mor. l. 6, n. 796 sq. *Gasparri*, De s. ordinatione I, n. 74.
[111] c. 198, § 1, et c. 990, § 1. [112] cc. 1156 1163 1169, § 5 1205 1304, § 5.
[113] c. 1304, n. 5. [114] c. 1176, § 2. [115] c. 1207.

„cum licentia Ordinarii", possunt uti talibus facultatibus cum consensu proprii superioris maioris, quippe qui sit eorum Ordinarius; idque cum intra tum extra domum religiosam. Ceterum haec monuit S. Congregatio Indulg. d. 14 Iun. 1901: „Hic consensus optandum est ut sit expressus; sufficit tamen etiam tacitus vel implicitus, et in aliquo casu, quando practice aliter fieri nequeat, sufficit etiam consensus prudenter praesumptus."

Nota. Nihil hic dicimus de facultatibus benedicendi propriis nonnullis religionibus, e. gr. de facultate benedicendi scapularia propria ordini Carmelitarum, de facultate benedicendi rosaria propria ordini Praedicatorum aut Crucigerorum. Consulat unusquisque propria statuta.

ARTICULUS III.

De privilegiis religiosorum quoad quaestuationem.

Q. 248. *Quaenam sit vigens disciplina circa quaestuationem religiosorum?*

R. 1. Quaestuare dicitur is, qui urbem vel pagum perlustrat, ut pro se vel pro aliis personis vel pro pio aliquo opere eleemosynas colligat. Itaque non quaestuat, qui missis litteris quaerit subsidia, nec qui paucas aliquot domus adit cum intentione ibi aliquid subsidii accipiendi[116], nec qui colligit subsidia in ecclesia vel in aliqua societate. Ut res de quaestuatione clara evadat, oportet distinguere inter a) regulares mendicantes, b) alios religiosos iuris pontificii, c) religiosos iuris dioecesani.

2. *Quaestuatio ordinum mendicantium.* Regulares, qui ex instituto *mendicantes* vocantur et sunt in strictissimo sensu[117] (i. e. qui nec *in communi* bona possident, ut sunt Fratres Minores de observantia, Capucini etc.), eleemosynas in tota dioecesi, ubi eorum religiosa domus est constituta, quaerere valent de sola superiorum suorum licentia[118]. Ratio est, quia in legitima erectione huiusmodi domus haec licentia iis concessa esse censetur semel pro semper. Si vero praedicti regulares mendicantes eleemosynas quaerere volunt extra dioecesim, indigent licentia *scripto data* ab Ordinario loci, in quo eleemosynam colligere cupiunt[119]. Ordinarii locorum praecipue dioecesium finitimarum hanc licentiam ne denegent neve datam revocent nisi gravibus et urgentibus de causis, si religiosa domus ex mendicatione in sola dioecesi, in qua est constituta, vivere nullo modo possit[120].

[116] Cf. *Vermeersch*, De rel. inst. I 372. *Bastien-Elfner*, Kirchenrechtl. Handbuch n. 323.
[117] Cf. Pontif. Com. d. 16 Oct. 1919 (Acta Ap. Sed. XI 478). Non obstante hoc responso non videntur esse revocata privilegia quaestuandi concessa aliis ordinibus mendicantibus, qui bona in communi possident, e. gr. privilegia concessa a S. Pio V Const. „Etsi mendicantium" d. 16 Maii 1567, Const. „Romanus Pontifex" d. 1 Oct. 1567.
[118] c. 621. [119] Ib. [120] Ib. § 2.

Ut mendicantes praefato iure quaeritandi gaudeant, regulariter debent eleemosynas per se ipsos, non autem per personas ordini extraneas colligere, nec quaestuare possunt pro confraternitatibus in ipsorum ecclesiis erectis. Regulares quaestuantes semper secum habere debent litteras authenticas (sui superioris et, si extra dioecesim eleemosynas colligunt, episcopi loci), quibus constat de debita facultate quaestuandi.

Non licet superioribus ad hoc opus mittere nisi religiosos aetate et animo maturos, numquam vero eos, qui studiis adhuc incumbunt. Religiosi autem eleemosynas collecturi ne maneant extra propriam domum ultra mensem, si in propria dioecesi; non ultra duos menses, si in alia dioecesi eleemosynas quaerunt. Neque iidem denuo mittantur, nisi postquam per unum vel respective duos menses vitam communem in domo propria religiosa exegerint. Experientia lugubri constat, religiosos ex quaestuatione non raro in peius permutari; saecularem enim loquendi agendique rationem ineunt, spiritu tepescunt, oboedientiam laedunt, vitam religiosam fastidiunt nec aliud vehementius optant, quam ut iterum ad evagandum mittantur. Quapropter ad ista gravia incommoda vitanda religiosi quaestuantes semper illa qua decet humilitate, modestia, *munditie* eniteant; saecularium, praesertim mulierum, familiaritatem caveant. Si regulares quaestuantes notorie deliquerint vel fidelibus scandalum praebuerint, Ordinarius loci iubeat eos in propriam domum redire, atque superiores moneat, ut illos corrigant et pro gravitate scandali puniant. Quodsi superior religiosus id neglexerit, episcopus illos punire potest[121].

3. *Quaestuatio aliorum religiosorum iuris pontificii.* Omnes alii religiosi *iuris pontificii* (qui non sunt mendicantes) sine peculiari S. Sedis privilegio stipem petere prohibentur[122]. Si tale privilegium obtinuerunt (vel vi constitutionum ab Apostolica Sede approbatarum vel vi specialis indulti), nihilominus semper egent licentia scripto data ab Ordinario loci, nisi tamen aliter in privilegio apostolico expresse cautum est[123].

4. Omnes religiosi *iuris dioecesani* quaestuare nequaquam possunt sine licentia scripto data cum ab Ordinario loci in quo sita est eorum domus, tum ab Ordinario loci in quo quaestuare cupiunt[124].

5. Ordinarii locorum ne concedant religiosis sub n. 3 et 4 indicatis licentiam quaestuandi, nisi sibi constat de vera domus vel pii operis necessitate, cui alio modo occurri nequit[125]. Praesertim ne facile concedant licentiam iis, qui veniunt ex aliis terris, cum secus multa incommoda occurrere possint. Iis autem, qui pertinent ad orientalem ritum, quacumque demum dignitate fulgeant, Ordinarii latini ne concedant licentiam quaestuandi in proprio territorio sine authentico et recenti rescripto S. Congregationis pro orientali Ecclesia. Sed vice versa Ordinarii latini ne mittant suos subditos ad orientales dioeceses quaestuandi causa sine licentia eiusdem Congregationis[126].

[121] c. 616, § 2. [122] c. 622, § 1. [123] Ib.
[124] Ib. § 2. [125] Ib. § 3. [126] Ib. § 4.

6. Ordinarii ne concedant generales licentias quaestuandi, sed in scripto adnotent nomen quaestuantis, eius institutum, tempus et loca quaestuationis. Ita saltem ordinarie[127].

CAPUT III.

De obligationibus et privilegiis religiosi ad ecclesiasticam dignitatem promoti vel paroeciam regentis.

Q. 249. *Quaenam sint obligationes et privilegia religiosi promoti ad episcopatum vel cardinalatum?*

R. 1. Religiosus nequit, sine Sedis Apostolicae auctoritate, ad dignitates, officia aut beneficia promoveri, quae cum statu religioso componi non possunt[1]. Episcopatus et cardinalatus sunt absque dubio officia, quae cum statu religioso componi nequeunt. Cum Summus Pontifex ipse directe per se creet Cardinales, nulla est difficultas in religioso creando Cardinale. Eo enim ipso Summus Pontifex concedit omnes facultates necessarias. Idem valet, si Summus Pontifex ipse aliquem religiosum eligit episcopum. Sed religiosi haud raro episcopi eliguntur a canonicis aliisque. Si religiosus legitime ab aliquo collegio est electus vel postulatus episcopus, nequit huic electioni assentiri sine licentia competentis superioris. Talis enim acceptatio est quasi-contractus inter religiosum et ecclesiam viduatam. Iamvero religiosus nequit ullum contractum inire sine licentia superioris. Quinam superior, utrum generalis an provincialis, possit concedere hanc licentiam, videndum est ex singulis constitutionibus. „Si religiosus ... electioni de se ad praelationem aliquam extra suum monasterium vel suam ecclesiam celebratae, sui superioris (qui dare eam valeat) non petita licentia et obtenta, praesumpserit consentire, consensus sic praestitus non teneat, et — *electio eadem ipso facto viribus vacuetur omnino.*“[2] Haec poena non est renovata in Codice iur. can. ac proinde videtur esse abrogata. Si religiosus speciali voto tenetur non acceptandi dignitates, ut accidit in nonnullis religionibus, e. gr. Carmelitarum Excalceatorum, tunc specialis Romani Pontificis dispensatio est necessaria[3].

2. Religiosus promotus ad episcopatum vel cardinalatum nequit ex religione secum asportare (praecisa legitima licentia superioris) nisi propria scripta, indumenta et breviarium. Ita Benedictus XIII const. „Postulat humilitati“, revocans constitutiones hac in re contrarias Alexandri IV et Clementis IV.

3. Religiosus promotus ad episcopatum vel cardinalatum manet religiosus, cum particeps privilegiorum suae religionis tum adstrictus votis ceterisque suae professionis obligationibus, exceptis iis, quas cum sua dignitate ipse prudenter iudicat componi non posse[4]. Eximitur

[127] Optimus commentarius statutorum de quaestuatione invenitur in Analectis ecclesiasticis XVII (1909) 6 sqq.
[1] c. 626, § 1, et c. 367, § 1. [2] c. 27, in VI°, 1 6.
[3] c. 626, § 3. [4] c. 627, § 1; cf. *S. Thomam,* S. th. 2, 2, q. 185, a. 3.

tamen a potestate superiorum et, *vi voti oboedientiae,* uni Romano Pontifici manet obnoxius[5]. Ergo superior religiosus illi iam amplius nequit praecipere aliquid. Quoad vero votum paupertatis sequentia sunt statuta: a) Quantum ad *proprium usum* remanet adstrictus voto paupertatis sicut antea; proinde peccat, si facit expensas prorsus inutiles. b) Si emisit professionem religiosam *sollemnem* ideoque omne dominium amisit, tunc post promotionem habet quidem usum, usumfructum et administrationem bonorum sibi obvenientium, sed non proprietatem. Proprietatem autem acquirit episcopus residentialis dioecesi, vicarius vel praefectus apostolicus vicariatui vel praefecturae apostolicae; episcopus titularis religioni suae vel, si ista est incapax possidendi (Capucinorum ordo), S. Sedi; Cardinalis vero ex speciali privilegio potest de omnibus reditibus libere disponere etiam per testamentum, excepta sacra supellectile, quae ordinarie danda est pontificio sacrario vel alii personae ecclesiasticae physicae vel morali[6]. c) Si emisit solummodo professionem *simplicem* ac proinde dominium bonorum non amisit, tunc recuperat omnia bona, quae ante professionem habebat, cum quoad proprietatem tum quoad usum, usumfructum, administrationem, ideoque suspenditur eius votum paupertatis; bonorum autem, quae post promotionem sibi obveniunt, habet plenum dominium sicut ceteri praelati saeculares eiusdem dignitatis[7]. Per se patet religiosum promotum non posse arbitrarie disponere de bonis, quae ipsi proveniunt non intuitu propriae personae. Debet enim tunc de iis disponere secundum offerentium voluntatem.

4. Religiosus promotus ad episcopatum vel cardinalatum debet sequi ritum suae Ecclesiae vel ritum Romanum. Quare e. gr. episcopus assumptus ex ordine Praedicatorum (etiam titularis) debet relinquere ritum Dominicanum. Quoad *habitum* episcopus vel Cardinalis, qui est membrum alicuius religionis habentis habitum specialem, potest, retento *colore* habitus suae religionis, sese conformare *formae* habitus episcoporum vel Cardinalium saecularium. Quoad materiam vero illi solent uti vestibus laneis, non sericis. Pius IX omnibus episcopis concessit usum pileoli coloris violacei[8].

5. Dimisso cardinalatu vel episcopatu, vel expleto munere extra religionem sibi ab Apostolica Sede commisso, religiosus ad religionem redire tenetur; potest tamen Cardinalis et episcopus religiosus quamlibet suae religionis domum eligere, in qua degat; sed caret voce activa et passiva[9]. Talis episcopus vel Cardinalis reversus non tenetur probabilius ad strictam regulae observantiam, quia semper retinet pristinam dignitatem, cui sane deferenda est aliqua libertas a minutis observantiis regulae.

[5] c. 627, § 2. [6] c. 628, n. 1. [7] Ib. n. 2.

[8] Breve d. 17 Iun. 1868. Specialia de vestibus episcoporum ex singulis ordinibus religiosis assumptorum videsis apud P. *Martinucci,* Man. sacr. caerem. l. 5, c. 2, qui e. gr. de episcopis ex ordine Praedicatorum scribit (n. 43): „Dominicani induunt caligas et collarium albi coloris, vestem cum syrma (cauda) albi coloris, cum paramanibus, orbiculis, ocellis et orae textilibus e serico albo, fasciam (cingulum) sericam albam cum floccis similibus, mantelletum et mozetam nigram cum panno subsuto, ocellis, orbiculis et orae textilibus e serico albo, cappam nigram cum pelle alba in caputio hiemis tempore et cum serico albi coloris in aestate."

Q. 250. *Quaenam sint obligationes et privilegia religiosi promoti ad officium paroeciale?*

R. 1. Facultas concedendi religiosis paroecias saeculares spectat non ad episcopum, sed ad S. Congregationem Concilii[10]. Immo requiritur insuper licentia S. Congregationis de Rel., si regulae seu constitutiones alicuius religionis prohibent paroecias regere[11]. Ad paroecias religiosis concreditas superior religiosum sacerdotem praesentat Ordinario loci, qui ei institutionem concedit[12].

2. Religiosus, qui paroeciam regit (sive titulo parochi sive titulo vicarii), manet obstrictus ad observationem votorum et constitutionum, quatenus haec observatio potest cum muneris sui officiis consistere[13]. Quare in iis, *quae ad religiosam disciplinam attinent,* subest superiori, cuius solius proinde est (non Ordinarii loci) rationem exigere et, si casus ferat, corrigere[14]. In iis autem, quae pertinent ad regimen paroeciae, semper subest Ordinario loci, sicut parochus saecularis, idque etiam in domo, ubi generalis superior ordinariam sedem habet[15]. Uno verbo: Cum talis sacerdos sit simul religiosus et parochus, utriusque habet obligationes et iura.

3. Bona, quae ipsi obveniunt ratione paroeciae, cui praeficitur, ipsi paroeciae acquirit; cetera acquirit ad instar aliorum religiosorum[16]. Bona, quae ipsi obveniunt ratione paroeciae, e. gr. collectiones factae apud paroecianos, potest ipse administrare et erogare prudenti suo arbitrio. Nihilominus etiam in hac re competit superiori vigilantia. Etenim si religiosus parochus in hac re deliquit, non solum ipse, sed etiam eius religio laesam famam portabit. Ad hanc vigilantiam facilitandam, parochus religiosus, iuxta sententiam quorundam Canonistarum, debet etiam istas eleemosynas acceptas non apud se retinere, sed eas deponere apud superiorem vel oeconomum domus religiosae. Sed videtur nil obstare, ne superior religiosus explicite vel tacite permittat, ut parochus religiosus has eleemosynas apud se retineat propter faciliorem administrationem et erogationem. Eleemosynas pro ecclesia paroeciali aedificanda, conservanda, instauranda, exornanda accipere, apud se retinere, colligere aut administrare pertinet *ad superiorem, si ecclesia est communitatis religiosae;* sin autem ecclesia est saecularis, haec omnia pertinent ad Ordinarium loci[17].

[9] c. 629.

[10] S. C. Consist. d. 5 Iul. 1915 (Acta Ap. Sed. VII 327). c. 1425; cf. infra q. 427.

[11] Ita saltem ordinarie; nam videntur excipi Praemonstratenses, qui ex ipsa sua institutione possunt acceptare quascumque paroecias (*Benedict. XIV,* Const. „Oneroso" d. 7 Sept. 1750).

[12] c. 456. [13] c. 630, § 1. [14] Ib. § 2.

[15] c. 631, § 1. [16] c. 630, § 3. [17] Ib. § 4.

4. Defectus, quos parochus religiosus in suo munere commisit, corrigere et punire potest et Ordinarius loci et superior religiosus. Si tamen in hac re dissensus oritur inter Ordinarium loci et superiorem religiosum, decretum Ordinarii praevalere debet[18].

5. Si ecclesia religiosa est simul paroecialis, functiones superioris et parochi debent amice conciliari. Nisi aliud ferat aut S. Sedis indultum aut particularis conventio a loci Ordinario legitime probata, haec observantur:

a) Ad parochum spectant ea omnia, quae solent fieri a parochis saecularibus in ipsorum ecclesiis, nempe: applicare Missam pro populo; debito tempore praedicare ac doctrinam christianam fideles edocere; custodire libros paroeciales; functiones proprie paroeciales peragere, ut sunt baptizare, funera peragere etc.; eleemosynas in bonum paroecianorum colligere, administrare, rite distribuere.

b) Ad superiorem religiosum eiusve vicesgerentes spectant omnia alia, nempe: custodire SS. Eucharistiam, sed altera tabernaculi clavis a parocho servari debet; ecclesiae curam habere eiusque bona administrare cum piis legatis; servitium chorale, si quod incumbit, peragere; Officium hebdomadae sanctae peragere, excepta benedictione fontis baptismalis, quae competit parocho. — Si oritur conflictus inter parochum et superiorem circa functiones in ecclesia peragendas, quaestionem dirimat loci Ordinarius, qui imprimis curare debet, ut catechetica instructio et evangelii explicatio hora fidelibus commodiore habeantur[19].

6. Parochus vel vicarius religiosus aequo iure amoveri potest cum ab Ordinario loci tum a superiore religioso; nec alter alteri causam iudicii aperire multoque minus probare tenetur, salvo recursu *in devolutivo* ad S. Sedem[20]. Ita iuxta strictum ius; in praxi valde expedit, ut Ordinarius loci et superior religiosus concorditer in hac re procedant. Pariter magnopere est commendanda concordia inter parochum religiosum ceterosque religiosos in eadem ecclesia laborantes.

7. Vacante paroecia ante oeconomi constitutionem paroeciae regimen assumit non vicarius cooperator, sed superior domus religiosae, qui debet statim monere Ordinarium loci de vacatione[21].

TITULUS XIV.

De transitu ad aliam religionem.

Praenotamen. Vi professionis perpetuae religiosus tenetur in religione permanere ad finem vitae suae. In professione enim intercedit contractus onerosus inter religionem et profitentem, sc. religio obligat se ad corporaliter et spiritualiter alendum profitentem usque ad eius mortem; profitens autem obligat se ad serviendum religioni omnibus viribus suis, quoad vixerit. Nihilominus iste contractus potest solvi diversis modis, sc. transitu ad aliam religionem, egressu e religione et dimissione e religione. Unde nunc in hoc et in sequentibus titulis de hac re tractandum est[1]. Per Codicem iur. can. disciplina ecclesiastica in his materiis multum mutata est. Quare ad modernum ius praecipue attendere oportet.

[18] c. 631, § 2. [19] c. 609. [20] c. 454, § 5. [21] Cf. supra q. 162.

Nihilominus cum titulus XIV non revocet expresse privilegia hac in re nonnullis religionibus concessa, illa privilegia videntur remanere in vigore.

Q. 251. *Quid notandum sit ex iure communi de transitu ad aliam religionem?*

R. 1. Etsi ex iusta causa cum debitis conditionibus transitus ab una religione in aliam (praesertim strictiorem) sit licitus, tamen huiusmodi transitus non est facile peragendus[2], quia secus magna incommoda certo orientur.

Iustae causae istius transitus ab Angelico Doctore[3] tres assignantur, sc. ex parte *religiosi* transeuntis: a) zelus religionis perfectioris vel b) infirmitas aut debilitas, ob quam non valet observare statuta religionis arctioris; ex parte *religionis*, ex qua fit transitus: c) deflexio a pristina perfectione. Quae quidem causae non sunt solae; si enim e. gr. religiosus magnam utilitatem, e. gr. reformationem, collaturus esset alii religioni, posset ad eam transire.

Conditiones requisitae ad licitum transitum sunt: a) ut transitus non fiat ex levitate; b) ne inde oriatur scandalum vel aliud grave praeiudicium religioni relictae; c) ut adsit debita licentia. De iure communi nunc semper requiritur licentia S. Sedis ad quemcumque transitum ab una religione ad aliam etiam strictiorem vel ab uno monasterio sui iuris ad aliud[4]. Immo moniales monasteriorum, in quibus dumtaxat simplicia vota emittuntur iuxta c. 488, n. 7, nequeunt ad aliud huiusmodi monasterium sui iuris et eiusdem Ordinis transire sine licentia S. Sedis[5]. Privilegia hac in re nonnullis religionibus concessa videntur intacta remanere, cum non sint expresse revocata. Sic e. gr. *Gregorius XIII*[6] concessit praeposito generali Societatis Iesu, ut possit omnibus professis, quos ob eorum graves culpas expedit emittere ex Societate Iesu, concedere, ut ad aliam religionem, licet laxiorem, valeant transire. Alia religio videtur esse non solum ea, quae alio nomine vocatur ab alioque fundatore est instituta, ut sunt e. gr. Franciscani et Dominicani, sed etiam aliae congregationes eiusdem Ordinis, dummodo sint legitime approbatae. Hinc e. gr. si soror Tertii Ordinis S. Dominici ex Congregatione Arenbergensi habente approbationem S. Sedis vult transire ad Congregationem Californianam Tertii Ordinis S. Dominici item habentem approbationem S. Sedis, videtur requiri licentia S. Sedis. Quamvis enim istae Congregationes sint eiusdem Tertii Ordinis atque eidem primo Ordini affiliatae, nihilominus videntur esse aliae religiones, cum Codex iur. can. c. 488, n. 1 generatim statuat: „Nomine religionis venit societas a legitima eccle-

[1] Contractus inter profitentem et religionem etiam aliqualiter solvitur per assumptionem religiosi ad episcopatum vel cardinalatum, sed non ita perfecto modo, cum quia religiosus assumptus episcopus vel cardinalis remanet religiosus, tum quia dimisso episcopatu aut cardinalatu ad suam pristinam religionem redire tenetur.

[2] Cf. Conc. trid. sess. 14, c. 11 de reform. [3] S. th. 2, 2, q. 189, a. 8.

[4] c. 632. [5] S. C. de Rel. d. 9 Nov. 1926 (Acta Ap. Sed. XVIII 491).

[6] Const. „Cum alias" (Bullar. Rom. IV, IV, 18).

siastica auctoritate approbata, in qua sodales secundum proprias ipsius societatis leges vota publica... nuncupant." Iamvero istae diversae Congregationes habent proprias constitutiones approbatas atque proprias approbationes Instituti.

2. *Iura et obligationes transeuntis.* Transiens ad aliam religionem novitiatum, non autem postulatum, peragere debet in habitu istius religionis[7]. Durante novitiatu manent quidem vota religiosa prius emissa, sed iura et obligationes particulares, quae in religione derelicta habuit, suspenduntur. Cum autem vota prius emissa maneant, tenetur transiens in novitiatu oboedire superioribus novae religionis et ipsi novitiorum magistro vi voti oboedientiae[8]. Quare e. gr. si Dominicanus professus cum debita licentia transit ad Carthusianos, statim post inceptum novitiatum debet, si est obligatus ad officium divinum, illud recitare iuxta ritum Carthusianorum. — Transiens ad aliud monasterium *eiusdem ordinis* nec novitiatum peragit nec novam emittit professionem[9]. Ergo si monachus Benedictinus ab uno monasterio transit in aliud, omnia iura pristini monasterii statim amittit et omnia iura in hoc alio monasterio acquirit, sed sic dicta „anciennitas" computatur a die transitus. Res est item clara, si e. gr. Capucinus transiret ad Conventuales. Est quidem idem ordo Franciscanus, sed adsunt diversi superiores generales. Quare nisi ex iure particulari res decreta est, recurrendum est ad S. Sedem pro opportuna solutione. — Si religiosus in religione, ad quam transiit, professionem non edat, ad pristinam religionem redire debet, nisi interim votorum tempus exspiraverit[10]. Iure merito superior generalis aliquando exigit a transituro ad aliam religionem, ut prius obtineat indultum definitivi egressus ex propria religione. Nam non semel accidit, ut talis transiens ex causa non ita iusta agens post aliquod intervallum revertatur, et quidem cum quoad animam tum quoad corpus deterioratus. Si tunc prior religio teneretur denuo recipere redeuntem, sane iniuste gravaretur.

3. Qui absque licentia legitima transit ad aliam religionem, incurrit poenas apostatarum a religione. Quaenam sint istae poenae, dicetur tit. seq.

4. Si transiens in priore religione emisit vota *perpetua* (sive simplicia sive sollemnia), tunc in nova religione post novitiatum, praetermissa professione temporaria, vel admittatur ad professionem perpetuam (sollemnem aut simplicem), vel ad pristinam redeat religionem. Ius tamen est superiori eum post novitiatum diutius probare, non tamen ultra annum[11]. Si transiens in priore religione emisit vota *temporaria,* etiam in nova religione debet post novitiatum facere vota temporaria.

5. Transeuntes ad aliud monasterium eiusdem ordinis *a die transitus,* transeuntes vero ad aliam religionem *ab edita nova professione,* amittunt omnia iura et obligationes prioris religionis vel monasterii, et econtra suscipiunt iura et officia alterius religionis vel monasterii[12];

[7] S. C. de Rel. d. 14 Maii 1923 (Acta Ap. Sed. XV 289).
[8] c. 633, § 1. [9] Ib. § 3. [10] Ib. § 2. [11] c. 634. [12] c. 635, n. 1.

seu aliis verbis: transitus evadit definitivus *a die professionis,* si factus est ab altera ad alteram religionem; econtra *a die transitus,* si factus est ab altero ad alterum monasterium eiusdem ordinis. Post factum definitivum transitum neque potest neque debet fieri reditus ad pristinam religionem vel monasterium.

6. Quantum *ad bona materialia* sequentes sunt regulae generales: a) Nova religio ius habet pro novitiatus tempore ad iustam retributionem, quam tamen remittere quoque potest. b) Dos universa debetur a die transitus novo monasterio, si transitus fit ab uno ad alterum monasterium eiusdem ordinis; si transitus fit ab una ad alteram religionem, *fructus* dotis durante novitiatu acquiruntur novae religioni, peracta autem professione dos ipsa quidem, non autem fructus ante transitum ex dote percepti. c) Religio vel monasterium, a quo transitus factus est, potest retinere bona, „quae ipsius religiosi ratione iam ei quaesita fuerunt"[13]. Hinc e. gr. si religiosus ante professionem sollemnem bona sua actu possessa dedit priori religioni haec non tenetur ea reddere novae religioni post legitimum transitum. Ita ex stricto iure; num autem in praxi sit melius facere compositionem ex aequo et bono, est alia quaestio.

7. Sollemnitas votorum illius, qui legitime ad religionem votorum dumtaxat simplicium transiit, eo ipso exstinguitur, nisi aliud in apostolico indulto expresse caveatur[14]. Hinc e. gr. si frater conversus Domificanus sollemniter professus cum licentia S. Sedis transit ad Redemptoristas et postea in saeculum redit, eius matrimonium forsan contractum iam non est invalidum.

TITULUS XV.

De egressu e religione.

Tractabimus 1. de egressu e religione post vota temporaria; 2. de indulto exclaustrationis; 3. de indulto saecularizationis; 4. de apostatis et fugitivis.

Q. 252. *Quomodo egressus e religione fieri possit post vota temporaria?*

R. Professus a votis temporariis, expleto votorum tempore, libere potest religionem deserere; pariter religio ob iustas et rationabiles causas eundem potest a renovandis votis temporariis vel ab emittenda professione perpetua excludere; non tamen potest eum excludere *ratione infirmitatis,* nisi certo probetur, eam fuisse ante professionem dolose reticitam aut dissimulatam[15].

De egressu professi libere facto post tempus votorum completum nihil dicendum occurrit. Res est enim iuridice omnino clara; moraliter autem potest esse grave dubium, num rationes sufficientes deserendi religionem adsint. Quod quidem dubium melius solvitur ope prudentis confessarii.

[13] c. 635, n. 2. [14] c. 636. [15] c. 637.

De egressu professi a votis temporariis ideo facto, quia religio illum recusat servare in semetipsa, infra tit. seq. sermo erit, quando tractabitur de dimissione religiosorum, qui vota temporaria nuncupaverunt.

Q. 253. *Quales effectus iuridicos producat indultum exclaustrationis?*

R. Indultum exclaustrationis, quod antiquitus vocabatur indultum saecularizationis *ad tempus,* est licentia regularibus vel religiosis iuris pontificii concessa a S. Sede manendi ad tempus extra claustra. In religionibus iuris dioecesani hoc indultum potest quoque concedi a loci Ordinario[16]. Qui indultum exclaustrationis impetravit, votis ceterisque suae professionis obligationibus, quae cum eo statu componi possunt, manet obstrictus; debet tamen ordinarie[17] exteriorem habitus religiosi formam deponere, interius autem solet portare aliquod signum suae professionis: perdurante tempore indulti caret voce activa et passiva, sed gaudet privilegiis mere spiritualibus suae religionis, atque Ordinario territorii, ubi commoratur, loco superiorum propriae religionis, subditur etiam ratione voti oboedientiae[18].

Hoc indultum exclaustrationis est iam aliqualis, licet non perfecta separatio a religione, ac proinde distinguitur a licentia remanendi extra claustrum per aliquod tempus, cum intentione tamen postea revertendi. Ut iam supra dictum est, requiritur licentia S. Sedis, si religiosus iuris pontificii debet ultra sex menses a claustro abesse, excepta studiorum causa.

Exclaustratus potest semper ad religionem suam reverti, et religio debet eum iterum recipere atque illi concedere iura antea possessa. Non videtur esse obnoxius gravibus restrictionibus, quae ligant saecularizatum, quamvis in c. 642 istae restrictiones imponantur cuilibet professo ad saeculum regresso. Potest enim dici, exclaustratum nondum esse ad saeculum perfecte regressum, cum gaudeat adhuc privilegiis spiritualibus suae religionis.

Si exclaustratus mortuus est, de ipsius bonis eodem modo agendum est, ac si in domo suae religionis decessisset.

Q. 254. *Quales effectus iuridicos producat indultum saecularizationis?*

R. 1. Indultum saecularizationis et exclaustrationis ab eodem conceditur i. e. vel a S. Sede vel, si agitur de religioso iuris dioecesani, etiam ab Ordinario loci. *Saecularizatus a sua religione perfecte separatur* ideoque amplius non adstringitur votis neque constitutionibus, debet exteriorem formam habitus religiosi deponere, atque assimilatur saecularibus in Missa, in horis canonicis, in usu et dispensatione sacramentorum[19]. Per ipsum indultum saecularizationis dispensatur a votis religiosis, firmis oneribus ordini maiori adnexis, si in sacris fuerit[20].

Haec disciplina est prorsus nova; antiquitus enim indultum saecularizationis intactam reliquit obligationem votorum. Si ergo nunc frater conversus sollemniter professus indultum saecularizationis obtinuit, est prorsus sicut quaelibet persona laica; libere potest disponere de bonis suis atque etiam matrimonium inire. Sacerdos autem religiosus post saecularizationem obtentam liberatus est a votis paupertatis et oboedientiae, manet autem obstrictus voto castitatis propter subdiaconatum susceptum. Soror alicuius instituti dioecesani iuris saecularizata ab episcopo liberatur ab omnibus votis (etiam perfectae castitatis) emissis in hoc instituo; non autem a votis antea forte emissis.

2. Si saecularizatus vult redire in propriam religionem, debet obtinere apostolicum indultum; quo obtento, debet novitiatum et professionem instaurare et locum inter professos obtinet a die novae professionis[21].

3. Saecularizatus in sacris ordinibus constitutus, qui nondum amisit propriam dioecesim, *quia nondum emisit vota perpetua,* debet ad propriam dioecesim redire et a proprio episcopo recipi et novo congruo officio donari. Saecularizatus autem, qui per professionem perpetuam aut alio modo amisit propriam dioecesim, est eo ipso suspensus atque proinde nequit sacros ordines exercere, donec episcopum benevolum receptorem invenerit aut S. Sedes aliter providerit[22]. Generatim igitur, qui vult saecularizationis indultum obtinere, prius quaerat episcopum benevolum receptorem. Attamen si hoc est valde difficile, S. Sedes solet tempus determinatum concedere, intra quod saecularizatus episcopum quaerere debet, et interim eum liberare a suspensione supradicta. — Episcopus saecularizatum vel saecularizandum recipere potest sive pure et simpliciter, sive pro experimento ad triennium. In priore casu eo ipso conceditur incardinatio in dioecesi; in altero episcopus potest probationis tempus prorogare, non tamen ultra alterum triennium; quo etiam transacto, saecularizatus, nisi antea dimissus fuerit, ipso facto dioecesi incardinatus manet[23]. Si saecularizatus ab episcopo dimissus est, debet alium episcopum quaerere vel a S. Sede indultum prorogationis.

4. Saecularizatus in sacris ordinibus constitutus, licet valeat sacros ordines ad normas praedictas exercere, prohibetur tamen sine novo et speciali S. Sedis indulto:

a) quolibet beneficio in basilicis maioribus et minoribus et in ecclesiis cathedralibus. Non igitur potest fieri e. gr. canonicus poenitentiarius in ecclesia cathedrali. Aliud est de beneficiis in ecclesiis collegiatis;

[16] c. 638.

[17] Ordinarius loci, qui concessit membro alicuius instituti dioecesani indultum exclaustrationis, potest ob rationes particulares concedere etiam facultatem retinendi habitum religiosum. Pontif. Com. d. 12 Nov. 1922 (Acta Ap. Sed. XIV 662).

[18] c. 639. Exclaustratus mortuus videtur ius habere ad suffragia suae religionis, quippe cuius membrum remansit. Contrariam sententiam tenet *Fanfani* l. c. n. 482.

[19] c. 640, § 1, n. 1.

[20] Ib. n. 2. Quomodo saecularizationis indultum, quamvis petitum et a superiore generali exsecutioni mandatum, possit recusari, dictum est supra q. 32.

[21] c. 640, § 2. [22] c. 641, § 1. [23] Ib. § 2.

b) quolibet magisterio et officio in seminariis maioribus et minoribus seu collegiis, *in quibus clerici educantur;* item in Universitatibus et Institutis, quae privilegio apostolico gaudent conferendi gradus academicos;

c) quocumque officio vel munere in curiis episcopalibus et in religiosis domibus sive virorum sive mulierum, etiamsi agitur de congregationibus dioecesanis[24].

Omnes istae restrictiones valent quoque de iis, qui vota temporaria vel iuramentum perseverantiae vel peculiares quasdam promissiones ediderunt et ab iisdem dispensati fuerunt, si per *sex integros annos* iisdem ligati fuerunt[25]; non autem videntur valere de iis saecularizatis, qui tempore saecularizationis nondum sacros ordines habuerunt, sed eos postea receperint[26]. — Ex dictis satis superque patet, quam misera sit sors saecularizatorum. Pius X per decretum S. C. de Rel. d. 15 iun. 1909 etiam severiores restrictiones imposuit saecularizatis, quae tamen nunc redactae sunt ad supradictas.

5. Saecularizati vel e religione legitime dimissi vel egressi expleto votorum temporariorum tempore nihil possunt a religione repetere ob quamlibet operam religioni praestitam[27]. Si tamen aliqua mulier religiosa dimissa post egressum ex propriis bonis sibimet providere non valet, religio subsidium caritativum eidem dare debet, scil. ea, quae requiruntur, ut modo tuto ac convenienti domum redeat, ac providere, ut, naturali aequitate servata, per aliquod tempus, mutuo consensu vel in casu dissensus ab Ordinario loci determinandum, honeste vivere possit[28]. Ergo religio non solum dotem religiosae restituere debet, sed, si haec non sufficit ad rationabilem subsidii caritativi aestimationem, etiam supplere oportet hoc subsidium[29].

6. Quantum ad bona saecularizati post vota sollemnia, Codex iur. can. nihil determinavit. Res est igitur ex aequo et bono componenda. Videtur autem aequum et bonum, ut saecularizatus sicut nihil recipit pro laboribus in religione praestitis, ita religio nihil retineat bonorum, quae saecularizatus attulit religioni. Saecularizatus post vota simplicia habet ius ad bona sua, quorum dominium radicale retinuit.

Q. 255. *Quaenam ius statuat de apostatis?*

R. 1. Apostata a religione dicitur professus a votis *perpetuis* (sive sollemnibus sive simplicibus), qui e domo religiosa illegitime egreditur cum animo non redeundi; vel qui, etsi legitime egressus, non redit, eo animo ut religiosae oboedientiae sese subtrahat[30]. Essentia igitur apostasiae a religione in eo consistere videtur iuxta praesentem disciplinam, ut religiosus a votis perpetuis illegitime extra domum religiosam versetur et animum malitiosum habeat non redeundi in religionem. Qui quidem animus malitiosus iure praesumitur, si religiosus *intra mensem*

[24] c. 642, § 1. [25] Ib. § 2. [26] Ita quoque *Fanfani* l. c. n. 488.
[27] c. 643, § 1. [28] Ib. § 2.
[29] S. C. de Rel. d. 2 Mart. 1924 (Acta Ap. Sed. XVI 166). [30] c. 644, § 1.

nec reversus fuit nec superiori animum redeundi manifestavit[31]. Talis autem praesumptio iuris potest elidi probationibus directis vel indirectis. Apostata proprie non est, qui post sola vota *temporaria* religionem, quamvis peccaminose reliquit.

2. Apostata minime solvitur ab obligatione regulae et votorum et debet sub gravi peccato sine mora redire ad religionem. Superiores autem debent eum sollicite requirere et ipsum, si vera poenitentia actus redit, suscipere.

3. De iure communi apostata a religione a) incurrit ipso facto in excommunicationem proprio superiori maiori vel, si religio est laicalis aut non exempta, Ordinario loci, in quo commoratur, reservatam[32]. Si igitur e. gr. soror religiosa a votis perpetuis commorans illegitime extra domum suam religiosam non vult redire in religionem, incurrit in excommunicationem reservatam episcopo loci, ubi illa commoratur; ac proinde nequit admitti ad sacramenta, priusquam omnia iuxta ius ordinata sunt. Sin autem redit in propriam religionem, nihilominus manet excommunicata, donec episcopus loci, ubi sita est domus religiosa, eam absolverit. Potest enim episcopus eas poenas remittere, quae de iure communi alteri episcopo reservantur[33]; b) est exclusus ab actibus legitimis[34]; c) est privatus omnibus privilegiis suae religionis; d) si redierit, perpetuo caret voce activa et passiva[35]. De iure particulari adduntur complures aliae poenae ad normam constitutionum.

4. Bona temporalia apostatae, qui defunctus est extra religionem, per se pertinent ad religionem relictam vel ad S. Sedem, eodem modo ac si religiosus remansisset in religione. Ex apostasia enim religiosi eius religio non debet damnum pati. In praxi autem praestat quaerere ex S. Sede, quid agendum sit, praesertim si laici haec bona iam occupant vel reclamant.

Q. 256. *Quaenam ius statuat de fugitivis?*

R. 1. Fugitivus est, qui sine superiorum licentia domum religiosam deserit, cum animo tamen ad religionem (quamvis forte non ad eandem domum) postea revertendi[36]. Differt igitur fugitivus ab apostata in hoc solummodo, quod ille vult reverti ad religionem, hic non; differt *a furtim exeunte,* quia ille palam extra domum religiosam versatur, hic autem inscio superiore ad breve tempus conatur clam abesse.

2. Fugitivus, ut patet, non solvitur ab obligatione votorum et constitutionum. Superiores debent eum sollicite quaerere et poenitentia vera ductum recipere.

3. De iure communi religiosus fugitivus ipso facto incurrit a) in privationem officii, si quod in religione habet; b) in suspensionem

[31] c. 644, § 2. [32] c. 2385. [33] c. 2237.
[34] Quinam sint actus legitimi, dicetur infra lib. V, de poenis.
[35] c. 2385. [36] c. 644, § 3.

proprio superiori maiori reservatam, si est in sacris. De iure particulari debet post reditum puniri secundum constitutiones. Quodsi constitutiones nihil de hoc caveant, superior maior pro gravitate culpae poenas infligere debet [37].

TITULUS XVI.

De dimissione religiosorum.

Praenotamen. Vigens Ecclesiae disciplina hac in re satis differt a disciplina antiqua, quae distinxit inter religiosorum dimissionem et eiectionem. Praesens titulus post canonem generalem, qui statuit, quando ipso facto sine ullis aliis formalitatibus religiosi sint dimissi, dividitur in quattuor capita: De dimissione religiosorum 1. post vota temporaria; 2. post vota perpetua, in religione clericali non exempta vel in religione laicali emissa; 3. post vota perpetua in religione clericali exempta; 4. de religiosis ipsis post dimissionem peractam.

Q. 257. *Quinam iuxta vigentem Ecclesiae disciplinam censeantur ipso facto legitime dimissi?*

R. Ipso facto et iure habendi sunt tamquam legitime dimissi religiosi:

1. *publici* apostatae a fide catholica. Ergo non sufficit apostasia occulta; non autem requiritur formalis transitus ad sectam acatholicam.

2. religiosus, qui fugam arripuit cum muliere; aut religiosa, quae cum viro. Saepe talis fugitivus est etiam apostata a religione.

3. attentantes aut contrahentes matrimonium aut etiam vinculum, ut aiunt, civile. Ergo non sufficit concubinatus, qui ne a lege civili quidem agnoscitur ut matrimonium.

In his casibus sufficit, ut superior maior (generalis aut provincialis vel abbas) cum suo capitulo vel consilio ad normam constitutionum emittat declarationem facti; curet autem, ut probationes facti collectae in regestis domus asserventur [38]; insuper curet, si agitur de religioso in sacris constituto, ut sententia dimissionis ilico communicetur cum a) Ordinario originis, b) Ordinario loci, ubi dimissus moratur aut sedem suam statuere velle dignoscitur [39].

CAPUT I.

De dimissione religiosorum, qui vota temporaria nuncupaverunt.

Q. 258. *Quid notandum sit de dimissione religiosorum a votis temporariis (nondum elapsis)?*

R. 1. Oportet notare hic agi de dimissione proprie dicta, non autem de religionis egressu, qui fit votis temporariis elapsis et qui

[37] c. 2386. [38] c. 646.
[39] S. C. de Rel. d. 16 Maii 1911 (Acta Ap. Sed. III 238).

in novo Codice non vocatur dimissio. Sicut enim professus a votis temporariis, votorum tempore elapso, potest libere religionem deserere, ita religio ob iustas ac rationabiles causas eundem potest a renovandis votis temporariis vel ab emittenda professione perpetua excludere, non tamen ratione infirmitatis, nisi *certo probetur,* eam ante professionem fuisse dolose reticitam aut dissimulatam [40]. Contra talem exclusionem a renovatione professionis non videtur dari recursus ad S. Congregationem de rel., saltem in suspensivo.

2. Ad dimissionem proprie dictam i. e. votorum tempore nondum elapso requiritur:

Legitima auctoritas, sc. in religionibus iuris pontificii moderator supremus (vel abbas monasterii sui iuris) cum consensu sui consilii per secreta suffragia manifestato. Consilium igitur in hoc casu non habet votum consultivum, sed deliberativum seu decisivum.

Si agitur de dimittenda *moniali* a votis temporariis, legitima auctoritas est loci Ordinarius vel superior maior regularis [41], prout monasterium est subiectum vel Ordinario loci vel superiori regulari. Antequam autem Ordinarius loci vel superior regularis decretum dimissionis emittere possit, requiritur, ut antistita monasterii cum suo consilio fidem de causis dimissionis scripto fecerit.

Legitima auctoritas in dimittendo *religioso iuris dioecesani* est Ordinarius loci, *in quo domus religiosa sita est.* Ergo haec dimissio non pertinet ad episcopum loci, ubi domus matrix vel principalis sita est. Episcopus iure suo ne utatur, moderatoribus religiosis insciis vel iuste dissentientibus [42].

3. Requiruntur *causae graves;* agitur enim de re gravi. Quae quidem causae evenire possunt ex parte sive religionis sive religiosi. Talis causa ordinarie est defectus spiritus religiosi tantus, ut aliis scandalo sit et religiosum nedum inutilem sed onerosum religioni reddat. Per se patet religiosum debere ante dimissionem identidem moneri ad correctionem; quodsi iterata monitio una cum salutari poenitentia inflicta incassum cesserit, tunc solummodo ad dimissionem procedendum erit. Infirma valetudo non est causa sufficiens dimissionis, nisi *certo* constet eam *ante professionem fuisse dolose reticitam aut dissimulatam* [43]. Quare si quis religiosus ante professionem candide exposuit statum

[40] c. 637. Etiam si in amentiam cadit professus votorum simplicium, nequit dimitti; amentia enim est infirmitas. S. C. de Rel. d. 5 Febr. 1925 (Acta Ap. Sed. XVII 107).

[41] *A Blat* l. c. n. 729 opinatur, episcopum posse etiam in monasteriis iurisdictioni regularium subiectis dimittere monialem a votis temporariis. In hoc igitur casu episcopus et superior regularis haberent cumulative potestatem dimittendi. Cum ex hac potestate cumulativa facile oriantur gravia incommoda, eaque non sit certa, melius est, ut solus superior regularis dimittat monialem in hoc casu. Sententiam a Blat propositam tuetur quoque *Biederlack-Führich* l. c. n. 172; qui tamen admittit, verba c. 647 iuxta nostram sententiam intelligi posse, quae tenetur quoque a *Jansen* l. c. p. 219.

[42] c. 647, § 1. [43] Ib. § 2, n. 2.

suae valetudinis, nequit postea dimitti eam ob causam, quia eius valetudo peior effecta est, nisi tamen superior legitimus ante receptionem expresse dixerit candidato laboranti dubia valetudine: ipsum dimissum iri, si valetudo effecta fuerit peior.

Quaenam praecise sint causae legitimae dimissionis, nequit regula generali determinari, sed relinquitur conscientiae et prudenti iudicio superiorum. Procuratori generali Franciscanorum quaerenti: an iusta sit ac rationabilis causa idem motivum, quod fuisset sufficiens ad novitium a professione arcendum ... v. gr. aptitudinis defectus ad ordinis officia quamvis minora obeunda, uti praedicationis vel confessarii, vel etiam ineptitudo ad obligationes proprii status adimplendas, ita ut professus votorum simplicium potius oneri et perturbationi quam utilitati et aedificationi futurus esset propriae religioni? S. Congregatio noluit dare responsum decisivum, sed rescripsit[44]: „Non esse interloquendum, cum agatur de re ab Apostolica Sede commissa iudicio et conscientiae superiorum." Causae allatae in petitione supradicta non repudiantur ut insufficientes; secus enim S. Congregatio hoc clare dixisset. Forte haec regula a Benedicto XIV[45] data applicari potest: Dimissio licita est, quotiescumque cum morali certitudine talis professus iudicatur ineptus, qui „inceptum curriculum laudabiliter persequi et ad societatis institutum vitam exigere valeat." Dico autem: cum morali certitudine; nam merum dubium non sufficit, cum professus per suam professionem quoddam ius remanendi in religione acquisiverit et quam plurimum grave damnum ex dimissione passurus sit. Sufficientes causae dimissionis videntur esse e. gr.: si professus malo suo exemplo identidem scandalum dederit et vix ulla spes emendationis adest; si laborat habitu vitioso radicato; si parvi pendit regulam eam saepissime transgrediendo; si iam una alterave vice grave scandalum dedit in domo, vel, quod gravius est, etiam extra domum religiosam adest suspicio, quod tale scandalum iterum accidet. Ratio horum omnium est, quia tempus professionis temporariae est continuatum tempus *probationis,* quae, si ducit ad iudicium moraliter certum: candidatum esse religioni ineptum, legitimam reddit dimissionem.

Si professus prudenter iudicat, dimissionis decretum esse illegitimum, potest recurrere (infra 10 dies) ad S. Sedem, i. e. ad Congregationem de Rel., idque cum effectu suspensivo, i. e. pendente recursu dimissio nullum habet effectum iuridicum, ita ut professus remanere debeat in religione, usquedum S. Sedes aliud decreverit[46]. De hoc recursu statuit S. Congregatio de Rel. d. 20 Iul. 1923 (Acta Ap. Sed. XV 457):

a) „Recursum contra dimissionis decretum religiosus interponere potest vel immediate per epistulam ad S. C. de religiosis mittendam, vel mediate, videlicet per eum qui dimissionis decretum sibi communicavit.

b) Ad interpositi recursus probationem requiritur et sufficit vel authenticum documentum vel saltem duorum fide dignorum hominum testimonium.

c) Tempus utile decem dierum ab intimatione decreti religioso facta supputandum erit ad normam c. 34, § 3, n. 3, et ita ut non currat si dimissus recurrendi ius ignoret, aut agere non valeat iuxta dispositiones c. 35; quapropter expedit ut superior de praedicto iure et de limite temporis dimissum edoceat in actu ipso intimationis.

[44] d. 15 Dec. 1893. [45] De syn. dioec. l. 13, c. 11, n. 17.
[46] c. 647, § 2, n. 4. S. C. de Rel. d. 16 Maii 1911 (n. 15).

d) Recursus utili tempore interpositus effectum habet suspensivum; ideoque, donec decretum dimissionis a S. Congregatione de Rel. confirmetur ac de facta confirmatione superior dimittens authentico S. Congregationis documento edoceatur, dimissionis decretum nullum sortitur effectum et executioni demandari nequit.

e) Pendente recursu, dimissus adhuc est religiosus, ideoque iisdem ac ceteri tenetur obligationibus et potitur iuribus, et eodem prorsus modo quo ante dimissionem. Quapropter in domo religiosa commorandi ius et obligationem habet, et sub superiorum oboedientia manere debet, firmo praescripto c. 2243, § 2."

4. Non requiritur *formalis processus iuridicus;* sed superior debet professo manifestare causas dimissionis atque concedere plenam licentiam respondendi. Responsiones autem factas superior debet sedulo diiudicare[47]. Si dimittitur mulier religiosa professa, religio ex caritate ei dare debet ea, quae requiruntur, ut modo tuto et convenienti domum redeat ac per aliquod tempus honeste vivere possit[48]. Quamvis ea solummodo pro muliere dimissa praescribantur, tamen convenienti modo etiam pro viris dimissis fiunt. Caritas enim effectiva maxime decet institutum religiosum, quod ad perfectionem caritatis se tendere publice profitetur.

5. *Effectus dimissionis.* Religiosus dimissus ipso facto solvitur ab omnibus votis religiosis (non autem a votis privatis forte emissis). Clericus in minoribus ordinibus constitutus eo ipso redactus est in statum laicalem[49]. Si talis religiosus dimissus habet ordines maiores, debet in suam dioecesim redire, si eam nondum amisit; debet autem episcopum benevolum quaerere, si dioecesim amisit, et generatim illi omnia applicanda sunt, quae supra q. 254 de saecularizato dicta sunt.

CAPUT II.

De dimissione religiosorum, qui vota perpetua nuncupaverunt in religione clericali non exempta vel in religione laicali.

Q. 259. *Quaenam statuat vigens Ecclesiae disciplina de dimissione* **virorum** *in institutis supra indicatis?*

R. *Vir* professus a votis perpetuis nequit e religione clericali non exempta vel ex quacumque religione laicali dimitti, nisi constet, eum esse *incorrigibilem.*

Non censetur constare, eum esse incorrigibilem, nisi ille commisit *tria gravia delicta* contra ius sive commune sive religiosis speciale. Debent autem ista tria delicta esse eiusdem speciei, vel, si sunt diversae speciei, talia, ut simul sumpta manifestent perversam voluntatem in malo pervicacem; aut unum tantum permanens, quod ex repetitis monitionibus virtualiter triplex evadit[50]. Talia crimina sunt e. gr. ebrietas notoria, luxuria notoria, graves laesiones votorum etc.

[47] c. 647, § 2, n. 3. [48] Ib. n. 5. [49] c. 648. [50] c. 649.

Non solum requiritur delictum grave externum (aut formaliter aut virtualiter triplex), sed insuper debent ab immediato superiore maiore (a provinciali vel abbate) per se vel per alium de eius mandato fieri *duae monitiones canonicae*[51], inter quas oportet ut sit intervallum saltem trium dierum, quando agitur de delictis continuatis. Monitionibus superior addat opportunas exhortationes et correctiones, praescriptis insuper poenitentiis aliisque remediis poenalibus, quae apta censentur ad emendationem rei et scandali reparationem. Praeterea tenetur superior reum ab occasionibus relabendi removere etiam per translationem, si opus fuerit, ad aliam domum, ubi facilior est vigilantia et remotior delinquendi occasio. *Singulis monitionibus adiciatur dimissionis comminatio.* Si non obstantibus omnibus his religiosus post secundam monitionem novum grave delictum commisit vel in eodem permanenter perstitit, censetur se non emendasse. Nihilominus post ultimam monitionem adhuc per sex saltem dies est exspectandum, antequam ulterius procedatur[52].

Quibus omnibus praestitis, *supremus* religionis moderator cum suo consilio, perpensis omnibus adiunctis, deliberet, num locus sit dimissioni. Quodsi maior suffragiorum (secreto datorum) numerus (moderatoris suffragio computato) pro dimissione steterit, tunc distinctione opus est:

1. In religione *iuris dioecesani* res tota deferatur ad Ordinarium loci, in quo religiosa domus professi sita est. Ergo non ad Ordinarium loci domus matricis vel principalioris res deferenda est. Ordinarius loci potest tunc pro suo prudenti arbitrio dimissionem decernere.

2. In religione *iuris pontificii* ipse supremus religionis moderator dimissionis decretum fert, quod tamen non est efficax, nisi prius sit a S. Sede (a S. Congregatione de religiosis) confirmatum[53]. — Religioso dimittendo ius est suas rationes libere exponendi; eiusque responsiones in actis fideliter referendae sunt[54].

Ex dictis clare apparet, quam difficilis sit talis dimissio; proinde casu occurrente praestat, ut religioso prudenter persuadeatur libere petere indultum exclaustrationis vel saecularizationis.

Q. 260. *Quaenam statuat vigens Ecclesiae disciplina de dimissione mulierum?*

R. 1. Etiam ad dimittendas mulieres religiosas professas a votis perpetuis (sive simplicibus sive sollemnibus) debet constare de *incorrigibilitate* dimittendae mulieris. Non quidem requiruntur omnes formalitates supra de probanda incorrigibilitate virorum indicatae, sed fundata spes emendationis debet etiam hic prius evanescere, iudicio antistitae[55].

2. Postquam constiterit de incorrigibilitate, numquam ipsa antistita potest dimissionis decretum ferre, sed hoc modo procedendum est:

a) Si agitur de muliere religiosa *iuris dioecesani*, Ordinarius loci,

[51] Non sufficiunt monitiones paternae. Quomodo monitio canonica sit facienda, dicetur infra q. 582.

[52] c. 662. [53] c. 650, § 1 2. [54] Ib. § 3. [55] c. 651, § 1.

in quo sita est domus sororis professae, decretum dimissionis ferre potest[56].

b) Si agitur de *moniali*, Ordinarius loci omnia acta et documenta debet transmittere ad S. Congregationem de religiosis, addens suum votum (et etiam votum superioris regularis, si monasterium est regularibus subiectum). Ergo ad solam Congregationem de religiosis pertinet, dimittere monialem cum votis perpetuis[57].

c) Si agitur de aliis mulieribus religiosis *iuris pontificii*, Ordinarius loci decretum dimissionis ferre nequit, sed suprema religionis moderatrix rem totam cum omnibus actis et documentis deferre debet ad S. Congregationem de religiosis, quae decernet, quid facto opus sit[58]. — Quotiescumque S. Congregatio de religiosis decretum dimissionis fert, solet praecipere, quomodo succurrendum sit religiosae dimissae. Proinde in actis fideliter indicandum est, num ista religiosa mulier possit convenienti modo lucrari ea, quae sunt necessaria pro victu.

3. In casu gravis scandali valent ea, quae infra q. 263 dicentur.

CAPUT III.

De processu iudiciali in dimissione religiosorum, qui vota perpetua sive sollemnia sive simplicia nuncupaverunt in religione clericali exempta.

Q. 261. *Quid generaliter notandum sit de dimissione religiosorum a votis perpetuis in religionibus clericalibus exemptis?*

R. Dimissio alicuius religiosi (sive clerici sive laici) a votis perpetuis in religione clericali exempta nequit fieri *sine processu iudiciali*[59]. Excipiuntur duo casus: 1. si religiosus commisit aliquod ex tribus delictis supra q. 257 indicatis, propter quae ipso facto est legitime dimissus; 2. si religiosus propter grave externum scandalum vel propter imminens gravissimum nocumentum communitatis statim debet dimitti. De hoc casu infra q. 263.

Omnia privilegia forte concessa hac in re sunt revocata.

Q. 262. *Quomodo processus iudicialis dimissionis sit instruendus?*

R. 1. *Iudices* in isto processu sunt supremus religionis vel monasticae congregationis moderator (abbas primas) et quattuor assistentes desumendi ex eius consilio seu capitulo. Ergo ordinarius abbas de regimine alicuius monasterii nequit talem processum instruere, ac proinde recurrendum est in singulis casibus ad S. Sedem, si agitur de dimittendo monacho, qui non pertinet ad aliquam congregationem monasticam. Si non adsunt quattuor assistentes, tunc loco deficientis vel deficientium totidem religiosos eligere debet praeses tribunalis, cum consensu aliorum. Tribunal igitur collegiale semper debet consistere quinque iudicibus[60]. Praeses tribunalis tenetur insuper nominare de aliorum consensu *promotorem iustitiae*, qui debet esse religiosus

[56] c. 652, § 1. [57] Ib. § 2. [58] Ib. § 3. [59] c. 654. [60] c. 655, § 1.

eiusdem religionis[61], et cuius officium est, tueri ius et leges. Quamvis in Codice iur. can. non fiat mentio defensoris rei, tamen convenientissime talis defensor instituitur, saltem si ipse accusatus non praesentavit suas defensiones. Agitur enim de gravi materia.

2. Ad processum instruendum coram isto tribunali collegiali deveniri nequit, nisi praecesserint:

a) tria gravia delicta externa sive contra ius commune sive contra speciale religiosorum ius. Requiritur, ut ista delicta sint certo probata, cum secus monitiones fieri nequeant[62];

b) duae monitiones factae a superiore maiore vel eius delegato;

c) defectus emendationis[63].

De istis tribus requisitis iam supra q. 259 sermo fuit, cum eadem fere requirantur in dimittendo religioso religionis laicalis vel religionis clericalis non exemptae.

3. Postquam constitit de tribus istis requisitis, immediatus superior maior (provincialis vel abbas de regimine) omnia acta et documenta diligenter colligat et ad supremum moderatorem transmittat; hic autem ea tradere debet promotori iustitiae, qui ea examinet et suas conclusiones proponat[64].

4. Si promotor iustitiae, cui fas est etiam ulteriores inquisitiones, quas opportunas iudicaverit, peragere, accusationem proponit, tunc instruatur processus iudicialis (licet summarius). Sed ex processu constare debet a) de delictis patratis; b) de monitionibus factis; c) de defectu emendationis[65]. De quibus si constiterit, tribunal sententiam dimissionis pronuntiet[66]; sed haec sententia nequit exsecutioni mandari, nisi fuerit confirmata a S. Congregatione de religiosis, ad quam tribunalis praeses quamprimum transmittenda curabit et ipsam sententiam et omnia acta processus[67].

Pro dissitis regionibus etiam in casibus ordinariis supremi moderatores cum consensu sui consilii seu capituli possunt dimittendi facultatem, i. e. processum iudicialem, demandare (etiam habitualiter) probis ac prudentibus religiosis, qui saltem *tres* esse debent atque tenentur observare ea omnia, quae supra dicta sunt[68]. Saepe praestat, ut talis demandatio fiat, cum in propria patria isti religiosi melius iudicare possint de omnibus causae adiunctis.

Q. 263. *Quinam sit casus extraordinarius, in quo religiosi omnes (votorum sive simplicium sive sollemnium) statim dimitti possunt?*

R. In casu gravis scandali exterioris (i. e. noti extra religionem) vel gravissimi nocumenti communitati religiosae imminentis (e. gr. si religiosus homicidium vel aliud crimen commisit, ob quod punietur a tribunali civili) religiosus *quilibet* statim potest a superiore maiore cum

61 c. 655, § 2. 62 c. 658. 63 c. 656. 64 c. 663.
65 c. 664. 66 c. 665. 67 c. 666.
68 c. 667. Cf. *Biederlack-Führich* l. c. n. 177. Latius de hoc processu tractat *J. Noval*, De processibus n. 823 sqq.

consensu sui consilii vel etiam, si periculum est in mora et tempus non adest adeundi superiorem maiorem, a superiore locali cum consensu sui consilii ad saeculum dimitti, habitu religioso ilico deposito. Si agitur de religioso a votis perpetuis religionis clericalis non exemptae vel religionis laicalis, requiritur insuper consensus Ordinarii loci, et tunc statim res per ipsum Ordinarium aut per superiorem generalem S. Sedis iudicio subiciatur[69]. Sin autem agitur de religioso, qui in religione clericali exempta vota perpetua emisit, debet processus iudicialis tunc fieri, sicut in q. praec. dictum est[70].

CAPUT IV.

De religiosis dimissis, qui vota perpetua nuncupaverunt.

Praenotamen. In hoc capite solummodo agitur de condicione iuridica religiosi dimissi, qui vota *perpetua* emisit in religione sive clericali sive laicali, sive exempta sive non exempta. Nam supra c. 1 dictum est de religioso dimisso, qui non emisit nisi vota temporaria.

Q. 264. *Quid statuat vigens Ecclesiae disciplina de religiosis dimissis post vota perpetua?*

R. 1. Cum nonnullae religiones hac in re specialia indulta seu privilegia habeant, ea adhuc in vigore manent ac proinde observanda sunt[71].

2. De iure communi professus, qui post vota perpetua dimissus est, remanet religiosus adstrictus votis[72]. Proinde debet vi voti oboedire Ordinario loci ubi legitime commoratur, semper quoque tenetur redire in religionem; et si argumenta plenae emendationis *per triennium* dederit, religio tenetur eum recipere[73] et quidem sine novo novitiatu et nova professione. Sed in praxi semper fere praestat, ut talis religiosus, qui ita immemor suae professionis religiosae vixit, ut meruerit dimissionem et expulsionem e religione, statim obtineat dispensationem super vota religiosa. Secus enim multa peccata gravia committet, transgrediendo vota sua in saeculo.

3. Professus a votis perpetuis, qui est *clericus non in ordinibus maioribus* constitutus, post dimissionem eo ipso reducitur ad statum laicalem[74].

4. Professus a votis perpetuis, qui est *clericus in ordinibus maioribus* constitutus, post dimissionem ipso facto suspensus manet, donec a S. Sede absolutionem obtinuerit[75]. Si est igitur sacerdos, non potest Missam dicere. Quodsi talis professus dimissus est propter apostasiam a fide aut propter fugam cum muliere, aut propter attentatum matrimonium aut propter aliud crimen, quod iure communi punitur infamia iuris vel depositione vel degradatione, perpetuo prohibetur deferre habitum ecclesiasticum[76] et privatur privilegiis clericalibus. Ceterum talis clericus nequam iam sponte sua solet deponere habitum ecclesiasticum. Si talis professus dimissus fuit propter delicta minora his supra dictis, S. Congregatio de religiosis potest, si id expedire iudica-

69 c. 653. 70 c. 668. 71 c. 669, § 1. 72 Ib.
73 c. 672, § 1. 74 c. 669, § 2. 75 c. 671, n. 1. 76 c. 670.

verit, dimisso praecipere, ut, habitu cleri saecularis indutus, commoretur in certa dioecesi, indicatis Ordinario causis, ob quas dimissus fuit. Quodsi dimissus huic praecepto non paruerit, eo ipso privatus est iure deferendi habitum ecclesiasticum; sin autem paruerit, tunc Ordinarius eum in domum poenitentiae mittat vel eum committat curae et vigilantiae pii ac prudentis sacerdotis [77]. Religio autem per manus Ordinarii loci commorationis ei caritativum subsidium suppeditet pro necessariis ad vitae sustentationem, nisi ipse aliunde sibimet providere valeat [78]. Haec ordinatio videtur satis dura pro religione dimittente; sed si consideratur, clericum saecularem ordinatum titulo mensae episcopalis debere sustentari ab episcopo, quamdiu aliqua saltem spes emendationis appareat, tunc videtur quoque iustitiae conveniens, ut religio debeat sustentare clericum suum dyscolum, qui est ordinatus titulo religionis, quamdiu aliqua saltem spes emendationis subest.

Si dimissus non ducit vitam dignam viro ecclesiastico, transacto anno aut etiam prius, iudicio Ordinarii privetur caritativo subsidio, eiciatur e domo poenitentiae eique auferatur ius deferendi habitum ecclesiasticum ab Ordinario, qui statim mittere curet opportunam relationem cum ad S. Sedem tum ad religionem [79]. Sin vero dimissus praedicto tempore tam laudabiliter se gesserit, ut merito possit haberi vere emendatus, Ordinarius preces eius apud S. Sedem commendabit pro absolutione a censura suspensionis, et, ea obtenta, eidem in sua dioecesi permittat, adhibitis opportunis cautelis et limitationibus, Missae celebrationem et etiam aliud sacrum ministerium, unde honeste vivere queat. Quo in casu religio caritativum subsidium intermittere potest. Quodsi agitur de diacono aut subdiacono dimisso et sic emendato, res ad S. Sedem deferatur [80]. Si dimissus invenit episcopum benevolum, tunc ea omnia servanda sunt, quae valent pro religiosis saecularizatis.

5. Professus a votis perpetuis, *qui est laicus* (sive vir sive mulier), remanet quidem religiosus et debet, emendatione peracta et probata, ad religionem redire, atque religio debet illum iterum recipere, sed in praxi semper fere praestat, ut talis dimissus statim petat dispensationem a votis religiosis et tunc studeat in statu laicali ducere vitam virtuosam.

TITULUS XVII.

De societatibus sive virorum sive mulierum in communi viventium sine votis.

Q. 265. *Quaenam notanda sint de piis societatibus virorum vel mulierum in communi viventium sine votis publicis?*

R. 1. Societas virorum vel mulierum, in qua sodales quidem imitantur vivendi rationem religiosorum a) in communi degentes b) sub regimine superiorum c) secundum probatas constitutiones, sed tribus consuetis votis publicis non obstringuntur, non est proprie religio, nec eius sodales nomine religiosorum proprie designantur [81]. Ratio est, quia, ut supra q. 170 dictum est, ad essentiam verae religionis requiruntur tria vota publica. Huiusmodi piae societates semper exstiterunt et praesertim recentioribus temporibus fundatae sunt atque approbationem ecclesiasticam obtinuerunt, e. gr. Oblati s. Caroli, Oratorium s. Philippi Nerii, Lazaristae, Societas s. Sulpicii, Pallotini, Beguinae viventes in urbe Gandavi. Eodem modo ac religiones distinguuntur societates clericales, laicales, iuris pontificii, iuris dioecesani [82].

2. Circa iuridicam condicionem talium societatum imprimis attendendum est legitimum ius particulare. In earum enim approbatione solet ecclesiastica auctoritas singula iura et obligationes definire. Generatim commendatur vel etiam *praecipitur*, ut istae societates se conforment religionibus e. gr. quantum ad erectionem provinciae, domus, quantum ad internum regimen, et notanter quantum ad validam et licitam receptionem candidatorum [83].

3. Cum desit publicum votum paupertatis, tam ipsa societas quam quodlibet membrum est capax dominii; attamen, quidquid sodalibus obvenit intuitu societatis, huic acquiritur, non ipsis. Quantum ad cetera bona observandae sunt constitutiones uniuscuiusque societatis [84].

4. Clerici talium societatum censentur esse clerici saeculares, ac proinde iisdem obligationibus tenentur quantum ad studia, ad ordinationem etc., quibus ligantur clerici saeculares, *nisi tamen adsint specialia statuta S. Sedis* [85]. Laici talium societatum gaudent privilegiis canonis, fori, immunitatis, competentiae. Omnes autem sodales tenentur communibus clericorum obligationibus, sc. de vita et honestate clericorum; non fruuntur privilegiis religiosorum, nisi adsit speciale indultum [86]. Tale autem indultum haud paucae huiusmodi societates revera obtinuerunt.

5. Clausuram debent istae societates servare ad normam constitutionum sub Ordinarii loci vigilantia [87], etsi societas est iuris pontificii. Ergo talis clausura non est papalis.

6. Circa egressum et dimissionem e societate imprimis serventur propriae constitutiones; deinde fiat, in quantum expedit, conformatio iis, quae de hac materia pro religionibus praescripta sunt [88]. Hinc si vinculum quo adstringuntur sodales societatis sine votis est *temporale*, in dimissione serventur canones, qui agunt de dimissione religiosorum, qui vota temporaria emiserunt; sin autem vinculum sit perpetuum, serventur canones de dimissione religiosorum, qui vota perpetua nuncupaverunt [89].

---

[77] c. 671, n. 4. [78] Ib. n. 5. [79] Ib. n. 6. [80] Ib. n. 7.

[81] c. 673, § 1. [82] Ib. § 2. [83] c. 677 et Pontif. Com. d. 2 Iun. 1918.
[84] c. 676. [85] c. 678. [86] c. 680.
[87] c. 679, § 2. [88] c. 681.
[89] Pontif. Com. d. 1 Mart. 1921 (Acta Ap. Sed. XIII 177).

PARS III.

De laicis.

Praenotamen. Laici dicti a verbo graeco λαός, quod latine populum significat, constituunt tertium genus membrorum Ecclesiae; ipsi habent ius recipiendi a clero ad normam ecclesiasticae disciplinae spiritualia bona et potissimum adiumenta ad salutem necessaria[1]. Subduntur laici baptizati iurisdictioni ecclesiasticae in omnibus, quae pertinent ad vitam religiosam et moralem. Non licet illis habitum clericalem deferre, nisi a) sint seminaristae aut adspirantes ad ordines clericales, aut b) servitio alicuius ecclesiae addicti et in actuali ministerio ecclesiastico occupati (e. gr. sacristae, ceroferarii etc.)[2]. De laicis, prout subiciuntur ecclesiasticae iurisdictioni quoad sacramenta, sacramentalia, coercitionem etc., sermo erit in propriis locis. In hac tertia parte primi libri de personis tractabitur solummodo in duobus titulis: de fidelium associationibus in genere et in specie. Quamvis istae associationes non ex solis laicis, sed etiam aliquando ex clericis et religiosis componantur, tamen laici solent ibi esse numerosiores, ac proinde convenienter in hac tertia parte tractatur de fidelium associationibus in genere et in specie.

TITULUS XVIII.

De fidelium associationibus in genere.

Q. 266. *Quid in genere dicendum sit de associationibus fidelium?*

R. 1. Cum homo sit ex natura sua animal sociale et ex unione cum aliis bonis hominibus valde adiuvetur, commendandae sunt associationes ab Ecclesia erectae vel saltem approbatae. Econtra fideles caveant ab associationibus secretis, damnatis, seditiosis, suspectis, aut etiam ab iis, quae student sese a legitima vigilantia Ecclesiae subducere[3]. Fideles sub poena excommunicationis simpliciter S. Sedi reservatae prohibentur nomen dare associationibus, quae contra Ecclesiam vel legitimas civiles potestates machinantur[4]; et (quamvis non sub censura) *graviter* prohibentur quoque nomen dare iis associationibus secretis, quae a sodalibus exigunt iureiurando secretum nemini pandendum et omnimodam oboedientiam occultis ducibus praestandam[5]. Ratio huius prohibitionis est, quia solet esse periculis plenum, immo haud raro immorale, sub iuramento promittere tale secretum absolutum et omnimodam oboedientiam.

Quamvis nonnullae associationes praecipue intendant bonum materiale aut politicum, tamen nequeunt licite excludere religionem aut omnem vigilantiam Ecclesiae. Quilibet enim actus humanus est simul moralis, i. e. moraliter aut bonus aut malus. Et hoc valet de actibus singulorum hominum aeque ac de actibus associationum humanarum. Iamvero de moralitate actuum humanorum iudicare pertinet ad Ecclesiam, quae proinde potest et debet vigilare, ne actus immorales

[1] c. 682. [2] c. 683. [3] c. 684. [4] c. 2335. [5] S. Off. d. 10 Maii 1884.

fiant ab hominibus vel ab associationibus. Quare sic dictae associationes neutrales possunt esse periculosae aut suspectae adeoque vitandae. Ad pastores animarum pertinet fideles recte instruere de hac re.

2. Associationes *piae* ecclesiasticae vocantur eae, quae praeter religiones et societates virorum aut mulierum in communi viventium (de quibus supra) ab Ecclesia sunt constitutae ad perfectiorem vitam christianam inter socios promovendam (e. gr. tertii ordines) vel ad aliqua pietatis aut caritatis opera exercenda, vel denique ad incrementum publici cultus[6]. Innumerae huiusmodi associationes inde ab ipso initio Ecclesiae ortae sunt.

Praeter associationes pias ecclesiasticas exsistunt quoque associationes piae *laicales*, e. gr. conferentiae S. Vincentii, quae quamvis sint valde commendatae ab Ecclesia, tamen ab ea non sunt erectae. Episcopo competit quidem vigilantia in eas, sed non eadem iurisdictio ac in associationes pias ecclesiasticas[7].

Q. 267. *Quaenam in genere requirantur, ut aliqua associatio pia ecclesiastica ab Ecclesia agnoscatur?*

R. Ut aliqua associatio pia ab Ecclesia agnoscatur, requiritur[8]:

1. ut sit a legitima auctoritate ecclesiastica erecta vel saltem approbata. Legitima autem auctoritas ecclesiastica est S. Sedes, loci Ordinarius et aliquando ex privilegio superior religiosus vel alius rite delegatus[9]. Sic e. gr. solus magister generalis ordinis Praedicatorum potest confraternitatem rosarii erigere.

2. Pro omnibus fere associationibus piis ecclesiasticis legitime erigendis requiritur *ad validitatem erectionis* consensus Ordinarii loci *scripto* datus[10]. Ordinarius loci in hac materia non est vicarius capitularis, qui proinde nequit associationes erigere aut consensum praebere pro earum erectione aut aggregatione. Pariter non vicarius generalis, nisi habet specialem delegationem episcopi[11]. Si agitur de erectione alicuius piae associationis in domo vel ecclesia religiosa, tunc distinctione opus est. Si talis associatio constituenda est *ad modum organici corporis,* semper requiritur consensus Ordinarii loci[12]. Pariter si est associatio, quae non est propria tali religioni. Econtra non requiritur specialis consensus Ordinarii loci, si in domo vel in ecclesia religiosa aliqua associatio *religioni propria* et non per modum organici corporis constituta erigenda est. Sufficit consensus datus ab Ordinario loci in fundatione ipsius domus religiosae.

Cum res sit tanti momenti practici cumque agatur de ipsa validitate associationis, sequentia exempla claritatem adducant: Si Ordinarius loci dedit legitimum consensum, ut aliqua domus ordinis Praedicatorum erigatur in tali loco, iam libere possunt erigere in propria ecclesia superiores ordinis con-

[6] c. 685. [7] Acta Ap. Sed. XIII (1921) 144. [8] c. 686.
[9] Ib. § 1 2. [10] Ib. § 3. [11] Ib. § 4.
[12] Aliqua associatio constituit organicum corpus, si est verum collegium ecclesiasticum habens propriam administrationem bonorum, proprios officiales et saepe quoque proprium habitum, vulgo „saccum“.

fraternitates rosarii, ss. nominis Iesu, militiae Angelicae, dummodo istae associationes ne erigantur per modum organici corporis. Econtra ad erigendam tertii ordinis sodalitatem, quippe quae sit organicum corpus; pariter si volunt erigere e. gr. confraternitatem scapularis de monte Carmelo, utpote associationem ordini Praedicatorum non propriam, indigent *consensu* Ordinarii loci. Erigitur autem haec confraternitas a superiore generali Carmelitarum.

3. Erectionis litterae ab iis, *qui ex privilegio apostolico associationem erigunt*, e. gr. a superioribus religiosis, gratis concedantur, sola excepta taxa pro expensis necessaria[13].

Cum sit inopportunum has expensas meticuloso modo computare, S. Officium d. 27 Mart. 1914 concessit, ut summa 30 libellarum possit accipi; non autem plus sub quocumque titulo etiam eleemosynae sponte oblatae. Per se patet, sacerdotem, qui in erectione alicuius associationis praedicat aliave opera praestat, posse convenientem remunerationem petere et accipere.

4. Tunc tantum associationes piae iuridicam in Ecclesia personam cum omnibus iuribus et gratiis acquirunt, cum a legitimo superiore ecclesiastico obtinuerunt erectionis decretum[14].

5. Associatio titulum convenientem seu nomen habeat. Quare non approbantur associationes, quae assumere cupiunt titulum, qui levitatem aut absonam novitatem sapit vel devotionem a S. Sede non probatam exprimit[15].

Q. 268. *Quaenam in genere valeant de regimine et iuribus piarum associationum ecclesiasticarum?*

R. 1. Quaelibet associatio sua statuta habeat a S. Sede vel ab Ordinario loci examinata et approbata. Statuta autem, quae non sunt confirmata a S. Sede, semper manent subiecta moderationi et correctioni Ordinarii loci[16].

2. Generatim omnes associationes iurisdictioni et visitationi subsunt Ordinarii loci, qui eas legitime invisendi non solum ius, sed etiam munus habet. A iurisdictione Ordinarii excipiuntur associationes, quae habent speciale privilegium; quod hodie rarissime exsistit. Associationes autem, quae ut propriae a religiosis exemptis in suis ecclesiis institutae sunt, Ordinarius loci nequit visitare quantum ad ea, quae internam disciplinam seu spiritualem associationis directionem spectant[17].

3. Associatio legitime erecta, nisi aliud expresse cautum est, potest bona temporalia possidere et administrare sub auctoritate Ordinarii loci, cui rationem administrationis saltem quotannis reddere debet. Talem autem rationem non debet reddere parocho, nisi aliud Ordinarius statuerit[18]. Ad colligendas eleemosynas associationes indigent consensu Ordinarii loci, ubi quaestuatio facienda est. Eleemosynarum quoque et oblationum, quae acceptae sunt, ratio fidelis reddenda est Ordinario loci[19].

[13] c. 686, § 5. [14] c. 687. [15] c. 688. [16] c. 689. [17] c. 690. [18] c. 691, § 1. [19] Ib. §§ 3 4 5.

4. Associatio legitime erecta ius habet (ad normam statutorum et s. canonum) celebrandi comitia, edendi peculiares normas, quae ipsum sodalitium spectant, eligendi administratores bonorum, officiales, ministros. Attamen talibus comitiis praeesse potest Ordinarius loci sive per se sive per delegatum; qui etiam omnes officiales removere potest[20]. Per se patet, associationes nihil posse statuere contra ius commune.

5. *Nominatio moderatoris et capellani* associationis communiter pertinet ad Ordinarium loci; excipiuntur solae associationes religiosis propriae et erectae in propriis ecclesiis habentes moderatorem et capellanum ipsius religionis. Si tamen etiam pro istis associationibus moderator et capellanus e clero saeculari eliguntur, consensus Ordinarii loci requiritur[21]. Moderator et capellanus possunt durante munere benedicere associationis habitum seu insignia, scapularia etc. eaque adscribendis imponere. Moderatorem et capellanum revocare ex iusta causa possunt ii, qui illos nominaverunt eorumque successores vel superiores[22]. Ordinarie idem est moderator et capellanus, saltem in iis associationibus, quae praecipue pietatis exercitiis incumbunt.

6. *Suppressio.* Ob graves causas et salvo iure recursus ad S. Sedem potest loci Ordinarius supprimere associationes, exceptis a) quae a S. Sede erectae sunt[23], b) quae alicui religioni sunt propriae et legitime in ecclesiis religionis erectae, non tamen per modum organici corporis. Associationis iura eo ipso nondum cessant, si eorum membra deficiunt. Si tamen iam a longo tempore, e. gr. a centum annis, associationis membra defecerunt, nova erectio est necessaria.

Q. 269. *Quid in genere statutum sit de membris associationum piarum ecclesiasticarum?*

R. 1. Ad fruendum associationis iuribus, privilegiis, indulgentiis aliisque gratiis spiritualibus necesse est et sufficit, ut quis in eam valide receptus sit et ab ea legitime non expulsus[24].

2. Non possunt valide recipi: a) acatholici; b) damnatae sectae adscripti, e. gr. massones; c) censura notorie irretiti, e. gr. viventes in matrimonio mixto illicito; d) publici peccatores, e. gr. concubinarii, meretrices; e) nescientes aut nolentes[25], et a fortiori mortui. Hinc infantes nequeunt adscribi, nisi adsit speciale indultum. Eadem persona potest adscribi pluribus associationibus, non autem pluribus tertiis ordinibus[26]. Absentes ne adscribantur illis associationibus, quae ad modum organici corporis constitutae sunt. Religiosi possunt piis associationibus nomen dare, exceptis iis, quarum leges, superiorum iudicio, cum observantia regulae et constitutionum conciliari nequeunt. Sic e. gr. aliquis Franciscanus potest esse membrum con-

[20] c. 697. [21] c. 698, § 1. [22] Ib. § 2 3. [23] c. 699. [24] c. 692. [25] c. 693, § 1 3. [26] Ib. § 2.

fraternitatis rosarii. Nequeunt autem religiosi professi pertinere ad ullum tertium ordinem saecularem [27], ut latius infra dicetur.

3. Receptio membrorum fiat ad normam statutorum uniuscuiusque associationis. Ut autem de receptione constet, inscriptio in albo associationis omnino fieri debet; immo haec inscriptio est ad validitatem necessaria, si associatio in personam moralem erecta fuit [28]. Attamen in nonnullis casibus dispensatio conceditur ab inscriptione facienda, e. gr. pro militibus. Onus inscribendi non incumbit Cardinalibus, si imponunt scapularia [29].

4. Occasione receptionis in associationem nihil directe vel indirecte *exigatur*, praeter id, quod in statutis legitime approbatis designatum est, aut ab Ordinario loci ratione specialium circumstantiarum expresse permissum in associationis favorem [30].

5. Nemo legitime adscriptus ab associatione dimittatur, nisi iusta de causa ad normam statutorum. Illi autem, qui iuxta supra n. 2 dicta nequeunt valide recipi, debent dimitti, si in easdem condiciones post receptionem incidunt. Ordinarius loci potest ex omnibus omnino associationibus aliquem sodalem ex iusta causa dimittere; superior religiosus idem valet circa associationes ex indulto apostolico a religiosis erectas [31].

TITULUS XIX.

De fidelium associationibus in specie.

1. Triplex distinguitur in Ecclesia associationum species:
1) tertii ordines saeculares;
2) confraternitates;
3) piae uniones [32].

Valde praestat, ut ista terminologia nunc omnino retineatur cum alia infra adhuc indicanda, quia hodieque terminologia fuit satis anceps in hac materia.

2. Iam a saeculis multae controversiae ortae sunt de praecedentia inter diversas pias associationes in ecclesiasticis functionibus et notanter in processionibus. Iuxta vigentem disciplinam sequens ordo praecedentiae stabilitus est:
1) tertii ordines;
2) archiconfraternitates;
3) confraternitates;
4) piae uniones primariae;
5) aliae piae uniones.

Attamen opportet tria notare:

a) Associatio aliqua tunc solummodo ius praecedentiae habet, quando collegialiter sub propria cruce vel vexillo et cum habitu externo seu insignibus associationis procedit.

[27] c. 704. [28] c. 694. [29] c. 239, § 1, n. 5.
[30] c. 695. [31] c. 696. [32] c. 700.

b) Inter varias associationes *eiusdem speciei* (e. gr. inter varios tertios ordines inter se, inter varias confraternitates inter se) illa praecedit, quae est in pacifica quasi-possessione praecedentiae, et si de hoc non constat, illa, quae prius instituta est in loco, ubi quaestio oritur. Loci Ordinarii est in sua dioecesi statuere praecedentias inter suos subditos iuxta ius commune aut legitimas consuetudines [33].

c) Confraternitas ss. sacramenti praecedit archiconfraternitatibus in iis processionibus, in quibus defertur ss. sacramentum [34].

CAPUT I.

De tertiis ordinibus saecularibus.

Q. 270. *Quid sit praecipue notandum de natura et origine tertiorum ordinum?*

R. 1. **Natura.** Tertii ordines sunt associationes piae a S. Sede approbatae et affiliatae alicui ordini regularium, quae nituntur assequi perfectionem christianam secundum quidem spiritum istius ordinis regularis, sed secundum modum vitae saeculari consentaneum. Quare tertiarii saeculares vocantur illi, qui in saeculo sub moderatione alicuius ordinis secundum eiusdem spiritum ad christianam perfectionem contendere nituntur, modo saeculari vitae consentaneo, secundum regulas ab Apostolica Sede pro ipsis approbatas [35]. Solent quidem distingui tertii ordines regulares et saeculares; sed tertii ordines regulares secundum vigentem Ecclesiae disciplinam non sunt nisi congregationes religiosae cum votis simplicibus, quae plus minusve sequuntur regulam primi, uti dicitur, ordinis. Illis applicanda sunt ea omnia, quae supra dicta sunt de religiosis congregationibus iuris sive dioecesani sive pontificii.

Tertii ordines saeculares solent dividi secundum diversa loca, ubi sunt constituti, in diversas *sodalitates tertiariorum* [36], quae ad instar communitatis religiosae sunt organicum corpus vel persona moralis. Sicut igitur religiones dividi solent in provincias et in domus, ita tertii ordines dividuntur in plures sodalitates tertiariorum.

Tertius ordo est multo plus quam quaedam confraternitas; est enim status vitae tendens vi status istius ad perfectionem christianam.

2. **Origo** tertii ordinis saecularis videtur esse tam antiqua quam origo ipsius vitae monasticae. Et revera finis omnis vitae monasticae et religiosae, nempe perfectio christiana adipiscenda per specialem vitae regulam, praefulget omnibus et allicit multos, qui tamen illum assequi non possunt per totalem fugam mundi et per observantiam trium votorum religiosorum. Sunt enim multi ab hoc modo vivendi religiosorum praepediti condicione vitae suae. Ergo inveniendus erat modus vivendi, qui componi potest cum condicione et statu hominum in saeculo viventium et tamen valde adiuvat ad perfectionem christia-

[33] c. 106, n. 5 et 6. [34] c. 701. [35] c. 702. [36] Ib. § 2.

nam assequendam. Talis modus et status vivendi est idea tertii ordinis saecularis. Hinc videmus, iam in ordine S. Benedicti, patriarchae vitae monasticae in Occidente, admissos esse laicos, qui partialiter sequebantur regulam ordinis et vocantur „Oblati S. Benedicti“[37]. Isti Oblati aequiparantur tertiariis saecularibus. S. Dominicus fundator ordinis Praedicatorum fundavit „Militiam Iesu Christi“ pro laicis. S. Franciscus fundator ordinis Minorum fundavit quoque tertium ordinem Franciscanum, qui nunc tam mirifice floret[38]. Hodie exsistunt praeter Oblatos S. Benedicti sequentes ordines tertii: 1. Praemonstratensium, 2. Praedicatorum, 3. Franciscanorum, 4. Carmelitarum, 5. Eremitarum S. Augustini, 6. Minimorum, 7. Servorum B. M. V., 8. Trinitariorum.

Q. 271. *Quaenam sit vigens Ecclesiae disciplina circa tertios ordines?*

R. 1. Nulla religio potest absque privilegio S. Sedis tertium ordinem sibi adiungere[39].

2. Si quae religio ex privilegio S. Sedis sibi adiunxit tertium ordinem, tunc superiores eorumque delegati possunt quidem personas particulares tertio ordini adscribere, sed nequeunt sine speciali licentia Ordinarii loci (vel sine speciali privilegio S. Sedis) a) sodalitatem tertiariorum in aliquo loco erigere; b) sodalitatibus a se erectis concedere usum particularium vestium, in publicis sacris functionibus deferendarum[40]. Per se loquendo, ad vitanda nonnulla incommoda in uno loco non potest esse nisi una sodalitas tertiariorum eiusdem ordinis; attamen in magnis civitatibus aliquando permittuntur plures sodalitates.

3. *Ingressus* in tertium ordinem per se patet cuilibet catholico usus rationis capaci, qui sincere vult tendere in perfectionem christianam. Hinc cum coniugati tum caelibes tum clerici saeculares omnes (etiam episcopi et Cardinales) possunt libere intrare in tertium ordinem saecularem. Statutis particularibus tamen aliquando quaedam limitationes ingressui opponuntur. Nequeunt autem adscisci, qui statum

[37] Historice non constat, quando primo institutum Oblatorum introductum fuerit in ordine Benedictinorum. S. Gudula † 712 fuisse oblata S. Benedicti fertur. Certo iam saeculo XI exsistebat institutum Oblatorum.

[38] Valde erudite de origine tertiorum ordinum S. Dominici et S. Francisci tractaverunt P. *Mandonnet* O. P. (Les origines de l'Ordo de Poenitentia, Fribourg 1898) et A. Simon. Isti auctores ostendunt societates de Poenitentia praeexstitisse ordini tam Praedicatorum quam Minorum et postea esse affiliatas istis ordinibus. Regulam authenticam tertii ordinis S. Dominici edidit magister generalis Munio de Zamora anno 1285. Cf. *Mortier,* Histoire des maîtres généraux II 220—250.

[39] c. 703, 1.

[40] Ib. § 2. „Utrum valida sit vestitio et professio eius, qui a sacerdote habente facultatem seiunctim ad tertium ordinem saecularem S. Francisci admittitur, quin alicui congregationi adscribatur? Affirmative“ (S. C. Indulg. d. 14 Iul. 1891). „Utrum ad erigendam novam congregationem tertii ordinis sive in ecclesiis regularium sive non regularium necessario requiratur consensus Ordinarii loci? Affirmative“ (S. C. Indulg. d. 31 Ian. 1893).

religiosum in quocumque instituto religioso etiam iuris dioecesani amplexi sunt[41]. Immo si quis tertiarius saecularis in aliqua religione vota nuncupavit, cessat eius adscriptio in tertio ordine; quae tamen iterum reviviscit, si solutus a votis religiosis ad saeculum rediit[42]. Ratio harum legum est obvia. Tertius ordo est quidem status tendens ad perfectionem christianam, sed non est status ita perfectus sicut religio proprie dicta. Qui igitur vivit in statu perfectiore religionis, relinquit statum imperfectiorem tertii ordinis. Nihilominus durante novitiatu ante professionem religiosam adscriptio in tertio ordine non annullatur. Indultum apostolicum hac in re obtinuerunt Ursulinae, quae aggregatae sunt tertio ordini Franciscali[43].

Nulla tertiariorum sodalitas, sine apostolico indulto, adscribere valide potest sodales alius tertii ordinis in eodem remanentes; singulis tamen sodalibus licet iusta de causa (non arbitrarie) transire sive ab alio ad alium tertium ordinem sive ab alia ad aliam sodalitatem tertii ordinis[44]. In textu canonis solae *sodalitates* tertiariorum prohibentur sibi adscribere alios tertiarios; sed videtur in vigore manere disciplina stabilita a S. C. Indulg. d. 31 Ian. et 21 Iunii 1893, iuxta quam non solummodo sodalitatibus, sed etiam simpliciter omnibus tertiis ordinibus prohibetur alios tertiarios sibi adsciscere.

4. Publicis processionibus, funeribus aliisque ecclesiasticis functionibus tertiarii possunt quidem, sed non tenentur collegialiter interesse; at si intersint, cum suis insignibus sub cruce propria incedant necesse est[45]. S. Rituum Congregatio d. 30 Iun. 1905 decrevit, ut tertiarii possint in processionibus procedere simul cum primo ordine et sub eadem cruce. Quod quidem decretum videtur esse revocatum per canonem 706 modo allegatum.

5. Antiquitus habebant tertii ordines communicationem privilegiorum non solum cum primis respectivis ordinibus, sed etiam inter se. Iuxta vigentem Ecclesiae disciplinam haec communicatio prorsus abolita est (excepto speciali indulto) et unusquisque tertius ordo habet dumtaxat ea privilegia et gratias, quae sibi specialiter concessae sunt a S. Sede[46].

CAPUT II.

De confraternitatibus et piis unionibus.

Q. 272. *Quomodo confraternitates et piae uniones rite erigantur?*

R. 1. *Piae uniones* (germanice: Fromme Vereine) sunt quaecumque associationes fidelium, quae rite erectae sunt ad exercitium alicuius operis pietatis aut caritatis. Tales uniones hodie innumerae fere exsistunt. Quodsi uniones ad modum organici corporis constitutae sunt, audiunt *sodalitia* (germanice: Verbindungen). Sodalitia vero in in-

[41] S. C. Indulg. d. 31 Ian. 1893. [42] c. 704.
[43] S. C. de Rel. d. 30 Iun. 1911. [44] c. 705.
[45] c. 706. [46] S. C. Indulg. d. 15 Iul. 1902.

crementum quoque publici cultus erecta speciali nomine *confraternitates* (germanice: Bruderschaften) appellantur[47]. Attamen oportet notare confraternitates non semper et ubique de facto constituere organicum corpus. Sic e. gr. nobilissima confraternitas rosarii in multis regionibus non constituit organicum corpus cum propriis statutis et propria administratione temporali. Utique potest constituere organicum corpus et de facto in nonnullis regionibus constituit. Differentia inter piam unionem et confraternitatem non in proprio fine, sed potius in erectione propria canonica videtur consistere[48]. Hinc confraternitates nonnisi *per formale erectionis decretum* constitui possunt; pro piis autem unionibus sufficit Ordinarii approbatio, qua obtenta, ipsae, licet morales personae non sint, capaces tamen sunt obtinendi gratias spirituales ac praesertim indulgentias[49].

2. Titulus seu nomen confraternitatis aut piae unionis desumatur vel a Dei attributis vel a christianae religionis mysteriis vel a festis Domini et B. Virginis vel a Sanctis vel a pio opere ipsius sodalitii[50]. Plures confraternitates vel piae uniones eiusdem tituli ac instituti, nisi id iis specialiter concessum est aut iure cautum, ne erigantur neve approbentur in eodem loco; si vero agatur de magnis civitatibus, id licitum est, dummodo inter ipsas intercedat conveniens, iudicio Ordinarii loci, distantia[51]. Sic e. gr. in magnis urbibus aliquando exsistunt duae aut plures confraternitates rosarii ad hoc, ut fideles possint commodius interesse functionibus sacris huius confraternitatis. Debent curare locorum Ordinarii, ut in qualibet paroecia instituantur confraternitates ss. sacramenti[52] ac doctrinae christianae; quae legitime erectae, ipso iure aggregatae sunt iisdem archiconfraternitatibus Romae a Cardinali Urbis vicario erectis.

3. Confraternitates vel piae uniones nequeunt erigi nisi in ecclesia aut oratorio publico vel saltem semi-publico. Possunt autem in omnibus istis locis erigi; attamen a) requiritur consensus capituli, si instituendae sunt in ecclesia cathedrali aut collegiali; b) in ecclesiis vel oratoriis religiosarum mulierum non omnes confraternitates et piae uniones institui possunt, sed solummodo associationes mulierum aut piae uniones, quae nonnisi precationibus incumbunt et gratiarum dumtaxat spiritualium communicatione gaudent[53].

4. De Ordinarii loci consensu confraternitas vel pia unio de alia ad aliam sedem transferri potest, nisi iure aut statutis a S. Sede approbatis translatio prohibeatur. Quoties autem agitur de transferenda confraternitate vel pia unione alicui religioni reservata,

[47] c. 707. [48] Cf. *Beringer-Hilgers,* Die Ablässe[14] II 2.
[49] c. 708. [50] c. 710. [51] c. 711, § 1.
[52] Ib. § 2. Non sufficiunt piae uniones vel sodalitates, sed requiruntur confraternitates SS. Sacramenti proprie dictae. Ita Pontif. Com. d. 6 Mart. 1927 (Acta Ap. Sed. XIX 161). De istis duabus confraternitatibus videsis *Beringer-Hilgers,* Die Ablässe[14] II 71; I 407.
[53] c. 712, § 3.

superioris consensus est requirendus[54]. Sic e. gr. episcopus nequit transferre confraternitatem rosarii sine consensu magistri generalis ordinis Praedicatorum.

5. Attendenda sunt in erectione statuta legitime approbata uniuscuiusque confraternitatis vel piae unionis, ut per se patet.

Q. 273. *Quid in genere notandum sit de privilegiis et gratiis confraternitatum et piarum unionum?*

R. 1. Religiosi cum confraternitatibus piisvě unionibus a se erectis *possunt et debent* communicare omnes et solas gratias spirituales, quae in facultatibus a S. Sede receptis specifice et nominatim communicabiles declarantur, eaeque in actu erectionis manifestandae sunt singulis[55]. Sic e. gr. in erectione confraternitatis rosarii debet (sub poena nullitatis) sacerdos erigens declarare, confratres participare in omnibus piis operibus factis ab omnibus fratribus et sororibus totius ordinis Praedicatorum.

2. Confraternitatibus non licet vestem propriam seu insignia, quae in publicis processionibus aliisque sacris functionibus deferenda sunt, assumere sine speciali licentia Ordinarii loci[56]. Pariter sine licentia Ordinarii loci confraternitas nequit proprium habitum vel insignia dimittere aut mutare[57].

3. Comitiis confraternitatum per se vel per delegatum praeesse (sine iure tamen suffragii), dignos et idoneos officiales et ministros electos confirmare, indignos vel non idoneos respuere aut removere, statuta aliasve normas (nisi a S. Sede approbatae fuerint) corrigere et approbare, semper et omnino pro omnibus confraternitatibus pertinet ad Ordinarium loci[58]. In praxi, si talia comitia revera celebrantur, et si confraternitas est perfectum corpus organicum, praestat, ut Ordinarius loci semel pro semper statuta ferat.

4. Confraternitates et piae uniones, quae habent proprias ecclesias (quod in nostris regionibus rarissime accidit), possunt inibi functiones non paroeciales exercere independenter a parocho, dummodo ministerio paroeciali in paroeciali ecclesia ne noceant. Iudicium de hac re pertinet ad Ordinarium loci[59]. Confraternitates et piae uniones erectae in ecclesiis non suis, sed habentes in istis ecclesiis sacellum vel altare, peragere possunt in istis sacellis vel altaribus functiones non paroeciales independenter a parocho, dummodo ministerio paroeciali ne noceant[60].

5. Patrimonium confraternitatis et piae unionis debet administrari separatim a quibuscumque aliis bonis sive communitatis sive paroeciae[61].

6. Confraternitates (non autem piae uniones) tenentur processionibus ab Ordinario approbatis vel indictis collegialiter cum propriis insignibus et sub proprio vexillo interesse, nisi Ordinarius aliud prae-

[54] c. 719. [55] c. 713, § 1. [56] Ib. § 2. [57] c. 714. [58] c. 715, § 1.
[59] c. 716. [60] c. 717. [61] Ib. § 2.

scripserit[62]. Cum in nostris regionibus confraternitates saepe careant propriis insignibus et vexillo, hoc statutum non est tanti momenti practici. Ut supra dictum est, tertiariis non incumbit obligatio assistendi processionibus, ac proinde hac in re confraternitates per modum corporis organici institutae habent obligationem, quam tertiarii non habent.

CAPUT III.

De archiconfraternitatibus et primariis unionibus.

Q. 274. *Quid sint archiconfraternitates et primariae uniones et quaenam sint earum praerogativae?*

R. 1. Archiconfraternitates vocantur confraternitates, quae ius habent sibi aggregandi alias confraternitates eiusdem speciei; archisodalitia, uniones primariae, sunt ea, quae possunt sibi aggregare sodalitia vel uniones eiusdem speciei[63].

Aliquando tamen a S. Sede conceditur honoris causa titulus archisodalitii, archiconfraternitatis, unionis primariae, sine iure aggregandi[64]. Sic e. gr. Pius X d. 31 Iul. 1909 concessit confraternitati Immaculatae Conceptionis et defunctorum in dioecesi nuscana erectae titulum archisodalitatis ad honorem[65].

2. Nulla associatio potest sine apostolico indulto alias sibi valide aggregare; sed etiam obtento isto indulto nequit sibi aggregare nisi eas confraternitates vel pias uniones, quae sunt eiusdem tituli ac finis. Ita saltem ordinarie; nam si indultum apostolicum ampliorem facultatem concedit, huic standum est[66].

3. Per aggregationem communicantur omnes indulgentiae, privilegia et aliae gratiae spirituales communicabiles, quae associationi aggreganti directe et nominatim a S. Sede concessae fuerunt vel etiam in posterum concedentur, nisi aliud in indulto apostolico caveatur. Ex aggregatione associatio aggregans nullum ius super aggregatam acquirit[67]. Aliis verbis: archiconfraternitas et confraternitas habent de iure communi prorsus eadem privilegia et gratias spirituales, hoc uno excepto, quod archiconfraternitas habet ius aggregandi, quo caret confraternitas.

4. Ad aggregationis *validitatem* requiritur, ut:

a) associatio iam fuerit canonice erecta nec alii archiconfraternitati vel primariae unioni aggregata. Ergo canonica erectio debet praecedere aggregationem.

b) fiat de consensu Ordinarii loci (associationis aggregandae) scriptis dato una cum eius litteris testimonialibus.

c) indulgentiae, privilegia et aliae gratiae spirituales, quae per aggregationem communicantur, enumerentur in elencho ab Ordinario loci, in quo archiconfraternitas sita est, recognito et societati aggregatae tradendo.

[62] c. 718. [63] c. 720. [64] c. 725. [65] Acta Ap. Sed. I 759.
[66] c. 721. [67] c. 722.

d) aggregatio fiat et formula in statutis praescripta et in perpetuum.

e) litterae aggregationis expediantur gratis omnino neque ulla prorsus mercede etiam sponte oblata, exceptis necessariis expensis[68]. Quantum ad has expensas aggregationis valet idem, quod supra dictum est de expensis erectionis confraternitatis: Summa data et accepta non potest excedere valorem 30 francorum.

5. Archiconfraternitas vel primaria unio de alia in aliam sedem transferri nequit nisi ex indulto S. Sedis[69].

LIBER III.

De rebus.

CAPUT PRAELIMINARE.

De rebus ecclesiasticis in genere earumque simoniaca comparatione.

Q. 275. *Quid sint res ecclesiasticae?*

R. Res ecclesiasticae, de quibus in hoc tertio libro Codicis iur.can. sermo est, sunt eae res, quae ab Ecclesia adhibentur ad suum finem consequendum. Talia media sunt valde numerosa, sed possunt in tres classes dividi, sc. aut sunt pure spiritualia aut pure temporalia aut mixta. Media pure spiritualia sunt sacramenta, sacramentalia, cultus divinus, magisterium. Media pure temporalia sunt bona, quae Ecclesia possidet et quibus utitur pro salute fidelium. Media mixta sunt beneficia ecclesiastica.

Canonistae inter se non concordant, quid sint res ecclesiasticae et quomodo sint dividendae. Devoti[1] dixit: „Quidquid est in Ecclesia extra personas et iudicia, id rei nomine comprehendimus." Pariter diversae et satis incongruae divisiones rerum ecclesiasticarum circumferebantur[2]. Codex iur. can.[3] exorditur tertium librum de rebus ecclesiasticis hoc modo: „Res, de quibus in hoc libro agitur, quaeque totidem media sunt ad Ecclesiae finem consequendum, aliae sunt spirituales, aliae temporales, aliae mixtae." De rebus ecclesiasticis sic explicatis et divisis tractatur in sex partibus: 1. de sacramentis et sacramentalibus; 2. de locis et temporibus sacris; 3. de cultu divino; 4. de magisterio ecclesiastico; 5. de beneficiis aliisque institutis ecclesiasticis non collegialibus; 6. de bonis Ecclesiae temporalibus. Prius autem agitur de simonia, quae est quidam abusus rei sacrae.

Q. 276. *Quid et quotuplex sit simonia?*

R. 1. *Notio.* Simonia, quae est indigna tractatio rei sacrae, solet definiri: *studiosa voluntas emendi vel vendendi pro pretio temporali*

[68] c. 723. [69] c. 724.
[1] Inst. can. l. 2, tit. 1, § 1. [2] Cf. *Sanguineti,* Inst. l. 2, tit. 1. [3] c. 726.

aliquid spirituale vel spirituali annexum[4]. Sub nomine emptionis-venditionis venit quicumque contractus onerosus, immo quaelibet conventio, licet ad effectum non deducta (etiam tacita, in qua sc. animus simoniacus expresse non manifestatur, sed ex circumstantiis colligitur)[5].

2. *Divisio.* Omissa distinctione antiqua simoniae in mentalem, conventionalem, realem, confidentialem, simonia distinguitur in simoniam iuris divini et iuris ecclesiastici. Simonia *iuris divini essentialiter* requirit, ut temporale detur aut accipiatur pro spirituali tamquam *pretium;* quare simonia non habetur, quando temporale datur non pro re spirituali, sed eius *occasione* ex iusto titulo a sacris canonibus vel a legitima consuetudine recognito; item cum datur res temporalis pro re temporali, quae tamquam subiectum habet adnexum aliquid spirituale, e. gr. calix consecratus, dummodo pretium ne augeatur propter adnexam rem spiritualem[6]. — Simonia *iuris ecclesiastici* est commutatio vel inter res temporales spirituali adnexas vel inter res spirituales vel etiam inter res temporales, graviter prohibita ab Ecclesia ob irreverentiae periculum erga res spirituales[7].

Q. 277. *Quaenam poenae infliguntur reis simoniae iuxta vigentem Ecclesiae disciplinam?*

R. 1. Contractus simoniacus est irritus; simoniaca provisio ecclesiastici officii, beneficii, dignitatis est irrita, dummodo hoc ne fiat in fraudem eiusdem provisi, aut eo contradicente[8]. Quare res simoniace data et accepta restitui debet, si sit capax restitutionis nec obstet reverentia rei spirituali debita[9]. Res non est capax restitutionis, e. gr., si quis simoniace recepit ordinationem sacerdotalem, nequit reddere sacerdotium receptum, ut patet; episcopus autem ordinans debet reddere pretium simoniacum. Obstat autem reverentia rei spirituali debita, ne reddatur, e. gr., si quis emit reliquias sacras a iudaeo veteramentario. Si restitutio est possibilis, debet fieri etiam ante quamlibet iudicis sententiam. Pariter ante quamlibet iudicis sententiam debet dimitti simoniace acceptum officium, beneficium, dignitas. — Cum provisio simoniaca officiorum et beneficiorum sit eo ipso irrita, simoniace provisus non facit fructus suos, ideoque debet eos perceptos restituere. Nihilominus si eos bona fide percepit, prudentiae iudicis vel Ordinarii permittitur, ut fructus percepti ex toto vel ex parte condonentur illi[10].

2. Qui delictum simoniae perpetrant in quibuslibet officiis, beneficiis aut dignitatibus ecclesiasticis:

a) incurrunt excommunicationem latae sententiae S. Sedi simpliciter reservatam;

b) ipso facto privati in perpetuum manent iure eligendi, praesentandi, nominandi, si quod habeant;

c) si clerici sunt, praeterea suspendantur[11].

[4] Cf. *S. Thomas,* S. th. 2, 2, q. 100, a. 1. Pro ampliore explicatione huius definitionis vide nostrum Man. theol. mor. II, n. 556 sqq.
[5] c. 728. [6] c. 730. [7] c. 727, § 2. [8] c. 729 et 1465, § 2.
[9] c. 729. [10] Ib. n. 2. [11] c. 2392.

3. Omnes (etiam episcopali dignitate aucti), qui per simoniam ad ordines scienter promoverint vel promoti fuerint aut alia sacramenta ministraverint vel receperint, sunt *suspecti de haeresi;* clerici praeterea suspensionem incurrunt S. Sedi reservatam[12].

Hae sunt omnes poenae latae sententiae, quae *ex iure communi* infliguntur simoniacis, quare e. gr. suppressae sunt poenae contra simoniam in ingressu religionis, in mercimonio stipendiorum Missae.

PARS I.

De sacramentis.

Prooemium. De sacramentis tractant et Dogmatica et Moralis et Liturgica et Ius canonicum. Cum latissime egerimus de sacramentis in Manuali theologiae moralis vol. III, hic brevissime tangimus ea, quae in Codice iur. can. inveniuntur, et primo quidem de sacramentis in genere et deinde de singulis sacramentis.

1. Vetitum est sacramenta ministrare haereticis aut schismaticis, etiam bona fide errantibus eaque petentibus, nisi prius, erroribus reiectis, Ecclesiae reconciliati fuerint[13]. Ratio est, quia tales haeretici et schismatici habentur publici peccatores, quibus sacramenta deneganda sunt, antequam debitam conversionem peregerint. Si tamen haeretici et schismatici sunt moribundi, possunt sub condicione absolutionem sacramentalem accipere, dummodo signa contritionis dederint et desit scandalum[14]. Si sunt moribundi sensibus destituti, videntur posse quoque recipere extremam unctionem, dummodo tamen omnino caveatur scandalum, quod facile accidere potest.

2. Sacra olea (sc. infirmorum, catechumenorum, chrisma), quae in quibusdam sacramentis administrandis inserviunt, debent esse ab episcopo loci benedicta fer. V. in Coena Domini *proxime superiore;* neque vetera olea adhibeantur, nisi necessitas urgeat. Mox deficienti oleo benedicto aliud oleum de olivis non benedictum adiciatur, etiam iterato. Semper tamen additum oleum non benedictum debet esse minoris copiae quam oleum residuum[15]. — Olea sacra debent asservari in ecclesia in tuta ac decenti custodia sub clavi (non tamen in tabernaculo ss. sacramenti). Ea domi retineri non licet nisi propter rationabilem causam, accedente Ordinarii licentia[16].

3. Pro administratione sacramentorum minister nihil quavis de causa vel occasione sive directe sive indirecte exigat aut petat. Si nihilominus aliqua taxa pro sacramentis baptismi et matrimonii ob rationabiles causas exigenda videatur, haec taxa definiri debet a Concilio provinciali vel a conventu episcoporum provinciae et deinde approbari a S. Sede[17].

TITULUS I.

De baptismo.

Baptismus, sacramentorum ianua, omnibus re vel saltem in voto necessarius, est vel *sollemnis,* quando ministratur servatis omnibus

[12] c. 2371. [13] c. 731, § 2. [14] Cf. S. Off. d. 20 Iul. 1908.
[15] c. 734. [16] c. 735. [17] c. 736 et 1507, § 1.

ritibus et caerimoniis, quae in ritualibus libris praecipiuntur, vel non sollemnis seu *privatus,* quando (omissis caerimoniis) solummodo forma essentialis adhibetur[18]. Baptismus privatus adhibetur in necessitate, nempe quando baptizandus versatur in periculo mortis, ita ut sit periculum in mora, vel etiam quando baptismus sub condicione iteratur in receptione alicuius neo-conversi; cf. infra q. 280 (1).

CAPUT I.

De ministro baptismi.

Q. 278. *Quisnam sit legitimus baptismi minister?*

R. Distinctione opus est: 1. Minister *ordinarius* baptismi sollemnis est parochus territorialis vel sacerdos ab eo (aut ab Ordinario loci) delegatus. Quae quidem delegatio in casu necessitatis, e. gr. absente parocho, legitime praesumitur. In alieno territorio parochus nequit (sine debita licentia) suos proprios paroecianos baptizare[19]. Econtra parochus potest in proprio territorio omnes baptizare, etiam peregrinos, qui tamen, si id facile et sine mora fieri potest, ad proprium parochum in propriam paroeciam transportandi sunt pro baptismo[20]. Ubi paroeciae aut quasi-paroeciae nondum sunt constitutae, Ordinarius loci statuat de sacerdote ministro baptismi.

2. Minister *extraordinarius* baptismi sollemnis est diaconus; qui tamen sua potestate ne utatur sine licentia vel Ordinarii vel parochi, iusta de causa concedenda. Si necessitas urget, haec licentia legitime praesumitur[21]. Diaconus qui sine delegatione vel sine necessitate sollemniter baptizaret, peccaret quidem transgrediens legem ecclesiasticam, sed non esset irregularis.

3. Minister baptismi *non sollemnis* seu privati est quilibet homo servata debita materia, forma et intentione; quatenus vero fieri potest, etiam in baptismo privato adhibeantur duo testes vel saltem unus, quibus baptismi collatio probari possit[22]. Patri aut matri suam prolem baptizare non licet, praeterquam in mortis periculo, quando alius praesto non est, qui baptizet[23].

4. *Adultorum* baptismus, ubi commodo fieri potest, ad loci Ordinarium deferatur, ut, si voluerit, ab eo vel ab eius delegato sollemnius conferatur[24].

CAPUT II.

De baptismi subiecto.

Q. 279. *Quid notandum sit de subiecto baptismi?*

R. 1. Subiectum capax baptismi est omnis et solus homo viator, nondum baptizatus. De hoc principio fundamentali latius agitur in Dogmatica et in Morali.

[18] c. 737. [19] c. 739. [20] c. 738. [21] c. 741.
[22] c. 742, § 1. [23] Ib. § 3. [24] c. 744.

2. Ordinarium subiectum baptismi sunt infantes recenter nati; nonnumquam tamen baptizandi sunt quoque infantes nondum nati vel foetus abortivi, et aliquando quoque adulti. De singulis pauca.

3. Cum in Rituali diversus ritus sit indicatus pro baptismo infantium et adultorum, oportet scire, quinam veniant sub nomine infantium et quinam sub nomine adultorum. Sub nomine infantium veniunt omnes, qui non censentur usum rationis habere, sc. quilibet homo usque ad septimum aetatis annum completum et insuper amentes a nativitate in quavis aetate constituti[25]. Adulti autem censentur, qui rationis usu fruuntur.

4. Infantes *expositi et inventi* sub condicione baptizentur, nisi, re diligenter investigata, de eorum baptismo constat[26]. Infantes *infidelium* morituri ante usum rationis adeptum, baptizentur etiam invitis parentibus[27]. Salus enim animarum suprema lex est, et tales infantes versantur in gravissimo periculo salutis. Extra autem mortis periculum non possunt licite baptizari, *nisi catholicae eorum educationi cautum est,* i. e. a) si parentes aut tutores aut saltem unus eorum consentit, vel b) si parentes (id est pater, mater, avus, avia) vel tutores desunt aut ius in infantem amiserunt, aut hoc ius nullo modo exercere possunt[28]. Circa baptismum infantis duorum haereticorum aut schismaticorum aut duorum catholicorum, qui in apostasiam vel haeresim vel schisma prolapsi sunt, generatim observanda sunt eadem, quae modo dicta sunt de infantibus infidelium[29].

5. Infans in utero materno ne baptizetur, nisi aliter baptizari nequit. Si infans in utero materno adhuc exsistens caput emisit, et periculum mortis imminet, baptizetur in capite; nec postea, si vivus evaserit, est iterum sub condicione baptizandus[30]. Si aliud membrum emisit, in illo, si periculum vitae imminet, baptizetur; at tunc, si natus vixerit, est rursus sub condicione baptizandus[31]. Si mater praegnans mortua fuerit, foetus ab iis, ad quos spectat, extractus (sc. a medico vel obstetrice, non autem a sacerdote) baptizetur absolute, si certo vivit; si dubie est vivus, sub condicione baptizetur[32]. Si infans prorsus in utero matris inclusus baptizatus est propter periculum vitae, post nativitatem denuo sub condicione est baptizandus[33].

6. Foetus abortivus, qui certo vivit et certo est homo, baptizetur absolute, sin autem est dubium, sub condicione[34]. Sic dicta monstra vel ostenta viventia baptizentur saltem sub condicione; in dubio, utrum sint plures an unus homo, unus absolute baptizetur, ceteri sub condicione[35]. De modo quo foetus abortivi baptizandi sunt videsis nostrum Manuale Theol. mor.[36]

7. *Adultus* nequit licite baptizari nisi sciens et volens, probe instructus et admonitus, ut de peccatis personalibus doleat. Tres igitur

[25] c. 745, § 2, n. 1. [26] c. 749. [27] c. 750, § 1. [28] Ib. § 2.
[29] c. 751. [30] c. 746, § 1 2. [31] Ib. § 3. [32] Ib. § 4. [33] Ib. § 5.
[34] c. 748. [35] Ib. [36] III, n. 131.

condiciones requiruntur in adulto baptizando: 1. intentio suscipiendi baptismi — sine hac intentione baptismus est invalidus —; 2. sufficiens cognitio veritatum fidei; 3. poenitentia, i. e. saltem attritio de peccatis personalibus. Secunda et tertia condicio adesse debent, ut baptismus sit licitus. In mortis autem periculo, si nequit in praecipuis fidei mysteriis diligentius instrui, satis est ad baptismum conferendum, ut aliquo modo ostendat, se mysteriis fidei assentire, atque ut promittat, se christianae religionis mandata servaturum esse. Requiritur autem ut saltem summarie cognoscat et credat quattuor veritates, sc. Dei exsistentis et remunerantis, mysteria incarnationis et trinitatis[37]. Quodsi sensibus destitutus baptismum ne petere quidem potest, sed vel antea vel nunc aliquo probabili modo manifestavit intentionem illum recipiendi, baptizandus est sub condicione. Sin autem deinde convaluerit et dubium de valore baptismi collati permaneat, sub condicione baptismus conferatur[38]. Si adultus sollemniter baptizatur, decet, ut tam ipse quam sacerdos (episcopus) baptizans sit ieiunus, atque ut adultus baptizatus statim (i. e. brevi post) Missae sacrificio assistat et s. communionem percipiat[39].

8. *Amentes*, qui post adeptum usum rationis in amentiam inciderunt, ne baptizentur, nisi a) in lucidis intervallis baptizari volunt, aut b) imminente mortis periculo, si antequam insanirent, suscipiendi baptismi desiderium manifestaverunt. Amentes a nativitate possunt baptizari, sed ritu infantium[40], ut iam dictum est.

CAPUT III.

De ritibus et caerimoniis baptismi.

Q. 280. *Quaenam sit vigens Ecclesiae disciplina circa ritum et caerimonias baptismi?*

R. 1. Ordinarie baptismus est *sollemniter* administrandus cum omnibus caerimoniis in Rituali praescriptis; et quidem ritu catholico parentum. Quodsi alter parentum pertinet ad ritum latinum, alter ad orientalem, proles ritu patris baptizetur, nisi aliud iure speciali cautum est[41]. Baptismus non sollemnis vel privatus permittitur a) in mortis periculo. Tunc autem, si minister est sacerdos vel diaconus, addantur, si tempus adest, caerimoniae *post* baptismum in Rituali indicatae[42]. b) in baptismo condicionate collato haereticis neo-conversis, si id loci Ordinarius permisit[43]. Valde convenit, ut Ordinarius loci prudenter statuat modum observandum, quando neo-conversi recipiuntur in gremium Ecclesiae. Si in periculo mortis baptismus privatus administratus fuit, postea, idque quam primum, caerimoniae in ecclesia suppleantur[44]. Si dubitatur de valore istius baptismi privati, ut accidere potest quando laicus eum administravit, non solum caerimoniae supplendae sunt, sed etiam ipse baptismus est sub condicione iterandus.

[37] S. Off. d. 25 Ian. 1703 et 30 Mart. 1908. [38] c. 752. [39] c. 753. [40] c. 754. [41] c. 755 et 756. [42] c. 759, § 1. [43] Ib. § 2. [44] Ib. § 3.

2. Loci Ordinarius potest gravi et rationabili de causa indulgere, ut caerimoniae praescriptae pro baptismo infantium adhibeantur in baptismo adultorum[45].

3. In baptismo sollemni adhibenda est aqua ad hoc benedicta, i. e. aqua baptismalis; in baptismo privato, si non habetur aqua baptismalis, adhibeatur aqua simplex. Si aqua baptismalis in baptisterio adeo est imminuta, ut iam non videatur sufficere, alia non benedicta admisceatur, etiam iterato, sed semper minore copia quam aqua residua; sin vero aqua baptismalis corrupta fuit aut effluxit aut quovis modo defecit, parochus in fontem baptismalem, bene mundatum et nitidum, recentem aquam infundat ac proprio ritu iuxta novum Rituale Rom. tit. II, c. 8 benedicat[46].

4. Licet baptismus conferri valide possit aut per infusionem aut per immersionem aut per aspersionem, primus tamen vel secundus modus aut mixtus ex utroque retineatur secundum probatos diversarum Ecclesiarum rituales libros[47]. Baptismus per aspersionem non est ita tutus in praxi, cum aqua debeat *fluere* super cutem baptizandi.

5. Curent parochi, ut baptizando imponatur nomen *christianum;* quod si consequi non poterunt, nomini a parentibus imposito addant nomen alicuius sancti et in libro baptizatorum utrumque nomen inscribant[48].

CAPUT IV.

De patrinis.

Q. 281. *Quid statuat vigens Ecclesiae disciplina circa patrinos baptismi?*

R. 1. Inter caerimonias baptismi assistentia patrini iam ex vetustissimo more Ecclesiae obtinet primum locum; quare in baptismo sollemni numquam, nisi in casu verae necessitatis, patrinus omitti potest. Immo etiam in baptismo privato adhibeatur patrinus, si facile haberi potest. Sin autem non est adhibitus, adhibeatur postea in supplendis baptismi caerimoniis, *sed in hoc casu nullam contrahit spiritualem cognationem.* Cum baptismus iteratur sub condicione, idem patrinus, qui in priore baptismo adfuit, adhibeatur; qui si haberi nequit, nullus patrinus est necessarius in baptismo condicionato. Quodsi nihilominus adhibetur, non contrahit spiritualem cognationem. In baptismo iterato neque patrinus prioris baptismi neque patrinus secundi baptismi contrahit cognationem spiritualem, *nisi tamen idem patrinus in utroque baptismo adhibitus fuit*[49].

2. *Numerus patrinorum.* In baptismo non adhibeatur nisi unus patrinus sive masculus sive femina. Quodsi duo adhibentur, sint vir et femina. Numquam plures quam duo admitti possunt[50].

[45] c. 755, § 2. [46] c. 757. [47] c. 758. [48] c. 761. [49] c. 763. [50] c. 764.

3. Qualitates ad **valide** suscipiendum munus patrini sunt quinque. Requiritur pro patrino:

1) ut sit baptizatus, rationis usum consecutus, et ut habeat intentionem gerendi hoc munus.

2) ut non pertineat a) ad aliquam sectam haereticam aut schismaticam, neve b) sit *per sententiam condemnatoriam vel declaratoriam* excommunicatus aut infamis infamia iuris, aut exclusus ab actibus legitimis, neve c) sit clericus depositus vel degradatus.

3) ut non sit pater vel mater vel coniux baptizandi.

4) ut sit designatus ab ipso baptizando eiusve parentibus vel tutoribus aut, his deficientibus, a ministro.

5) ut baptizandum in actu baptismi per se vel per procuratorem physice teneat aut tangat vel statim levet seu suscipiat de sacro fonte aut de manibus baptizantis [51].

Qualitates ad **licite** suscipiendum munus patrini sunt item quinque. Requiritur pro patrino:

1) ut decimum quartum annum aetatis attigerit, nisi aliud iusta de causa ministro videatur. Potest igitur sacerdos baptizans ab hac condicione dispensare, iusta exsistente causa.

2) ut non sit notorie excommunicatus vel exclusus ab actibus legitimis, vel infamis infamia iuris, quin tamen sententia condemnatoria aut declaratoria intercesserit. Si enim talis sententia intercessit, homo non solum illicite, sed invalide fungitur officio patrini, ut supra dictum est. Nec sit notorie interdictus nec publicus peccator, e. gr. publicus franco-muratorius, nec infamis infamia facti. Haec omnia possunt breviter comprehendi: illicite admittuntur ad patrini officium publici peccatores, ut iam in Rituali Rom. statutum erat.

3) ut fidei rudimenta noverit.

4) ut non sit in aliqua religione novitius vel professus, nisi necessitas urgeat et expressa habeatur venia superioris saltem localis.

5) ut non sit clericus in sacris ordinibus constitutus, nisi accedat expressa Ordinarii proprii licentia [52].

In dubio, utrum quis valide vel licite admitti possit necne ad patrini munus, parochus, si tempus suppetit, consulat Ordinarium [53] et generatim maxima cum prudentia procedere debet in repudiando aliquo patrino, cum secus gravia incommoda oriantur.

4. Cognatio spiritualis oriens ex baptismo nunc valde est restricta, cum amplius non exsistat nisi inter baptizatum ex una parte et baptizantem et patrinos ex altera parte [54]. Iam supra n. 1 dictum est, cognationem spiritualem non oriri a) ex caerimoniis suppletis post baptismum privatum; b) ex iterato baptismo sub condicione, nisi tamen in hoc ultimo casu idem patrinus adhibitus est in priore et secundo baptismo.

5. Patrinorum est officium, spiritualem filium perpetuo sibi commendatum habere, atque in iis, quae ad christianae vitae institutionem spectant, curare diligenter, ut ille talem se in tota vita praebeat, qualem futurum esse sollemniter in baptismo spoponderunt [55].

[51] c. 765. [52] c. 766. [53] c. 767. [54] c. 768. [55] c. 769.

CAPUT V.

De tempore et loco baptismi conferendi.

Q. 282. *Quo tempore et quo loco baptismus conferendus sit?*

R. 1. Quantum ad *tempus:* Infantes debent quamprimum baptizari, et notabilis dilatio baptismi est grave peccatum [56]. Adulti convenienter baptizandi sunt sollemniter in pervigilio Paschatis et Pentecostes praecipue in metropolitanis aut cathedralibus ecclesiis [57]. Baptismus sollemnis qualibet die, baptismus autem privatus (urgente necessitate) etiam nocte administrari potest.

2. Quantum ad *locum:* a) Baptismus *privatus, urgente necessitate,* quolibet loco administrandus est [58]. b) Baptismus *sollemnis* administrandus est ordinarie in baptisterio erecto in ecclesia vel oratorio publico [59]. Quaelibet ecclesia paroecialis habeat baptismalem fontem, et revocantur quaevis contraria statuta vel privilegia vel consuetudines. Si tamen in aliquo loco exsistit baptisterium, in quo omnium incolarum baptismata administrantur, ut e. gr. Florentiae, tunc iuxta novum ius incolae libere possunt baptizari aut in propria paroecia aut in tali baptisterio [60]. Loci Ordinarius potest pro fidelium commoditate permittere vel iubere, ut fons baptismalis ponatur etiam in alia ecclesia vel publico oratorio intra paroeciae fines [61]. Si baptizandus sine gravi incommodo portari nequit ad fontem baptismalem, baptismus sollemnis a parocho conferri potest et debet in alia ecclesia aut oratorio publico intra paroeciae fines sito [62]. In domibus privatis baptismus sollemnis administrari non debet nisi hisce in adiunctis: a) si baptizandi sunt filii aut nepotes eorum, qui supremum actu tenent populorum principatum vel ius habent succedendi in thronum, quoties isti id rite poposcerint; b) si loci Ordinarius pro suo prudenti arbitrio et conscientia iusta ac rationabili de causa in casu aliquo extraordinario id concedendum censuerit [63]. — In locis Missionum solent vigere specialia statuta de loco baptismi.

CAPUT VI.

De collati baptismi adnotatione et probatione.

Q. 283. *Quomodo collatus baptismus sit probandus et adnotandus?*

R. 1. Ad collatum baptismum comprobandum satis est unus testis omni exceptione maior, vel ipsius baptizati iusiurandum, si ipse in adulta aetate baptismum recepit [64].

2. Post baptismum collatum parochus debet nomina baptizatorum in baptismali libro sedulo et sine mora referre et simul mentionem facere de ministro, parentibus, patrinis, de loco et die collati bap-

[56] c. 770; cf. nostr. Man. theol. mor. III 126.
[57] c. 772. [58] c. 771. [59] c. 773.
[60] Pontif. Com. d. 12 Nov. 1922 (Acta Ap. Sed. XIV 662).
[61] c. 774. [62] c. 775. [63] c. 776, § 1. [64] c. 779.

tismi[65]. Quando filius illegitimus baptizatus est, matris nomen est inserendum, si publice eius maternitas constat vel ipsa sponte sua scripto vel coram duobus testibus id petit; item nomen patris, dummodo ipse sponte sua id a parocho vel scripto vel coram duobus testibus requirit vel ex publico authentico documento est notus; in ceteris casibus inscribatur natus tamquam filius patris ignoti vel ignotorum parentum[66]. Hoc statutum de modo inscribendi filios illegitimos est novum; respondet quidem nonnullis iuribus civilibus, sed videtur esse satis durum pro filio illegitimo, quippe qui, sic volentibus parentibus, ex nullo publico documento ecclesiastico possit scire suos genitores. Si ex inscriptione nominis matris aut patris oritur gravis infamia pro genitoribus vel proxime coniunctis, ut facile accidere potest si filius illegitimus est incestuosus aut adulterinus aut sacrilegus, tunc, quamvis forte alteruter genitor petat inscriptionem nominis, parochus debet prius recurrere ad S. Congregationem Concilii[67]. — Si baptismus nec a proprio parocho nec eo praesente administratus fuit, minister de ipso collato quamprimum proprium ratione domicilii parochum baptizati certiorem reddat[68].

TITULUS II.

De confirmatione.

Materia huius sacramenti est chrisma, quod debet esse ab episcopo consecratum, etiamsi sacramentum a presbytero ex iure vel ex apostolico indulto administratur[1]. Unctio autem chrismatis ne fiat aliquo instrumento, sicut e. gr. unctio fieri potest in sacramento extremae unctionis, sed ipsa ministri manu capiti confirmandi rite imposita[2].

Ampliora de materia et forma huius sacramenti vide in nostro Man. theol. mor. III 145 sqq.

CAPUT I.

De ministro confirmationis.

Q. 284. *Quis sit minister sacramenti confirmationis?*

R. 1. Minister ordinarius confirmationis est solus episcopus; minister vero extraordinarius est presbyter, cui vel iure communi vel peculiari S. Sedis indulto ea facultas concessa est[3]. Hac facultate ipso iure gaudent: 1) S. R. E. Cardinales; 2) abbas vel praelatus nullius; 3) vicarius et praefectus apostolicus. Presbyteri sub n[is] 2 et 3 enumerati nequeunt hac facultate uti nisi intra fines sui territorii et durante munere tantum[4]. — Presbyter latini ritus, cui vi specialis indulti apostolici haec facultas competit, confirmationem valide confert solis fidelibus sui ritus, nisi in indulto aliud expresse cautum

[65] c. 777, § 1. [66] Ib. § 2.
[67] Pontif. Com. d. 14 Iul. 1922 (Acta Ap. Sed. XIV 528). [68] c. 778.
[1] c. 781, § 1. [2] Ib. § 2. [3] c. 782, § 1 2. [4] Ib. § 3.

fuit. Presbyter autem ritus orientalis, qui facultate vel privilegio gaudet confirmationem una cum baptismo infantibus sui ritus conferendi, graviter peccat, si confirmationem ministrat infantibus latini ritus[5]. Utrum talis confirmatio sit quoque invalida, non ita constat. Probabilius tamen haec confirmatio est valida[6].

2. Episcopus in sua dioecesi hoc sacramentum etiam extraneis legitime ministrat, nisi obstat expressa proprii Ordinarii prohibitio. In aliena autem dioecesi episcopus indiget licentia Ordinarii loci saltem rationabiliter praesumpta ad confirmationem administrandam. Proprios autem subditos episcopus potest ubique confirmare privatim ac sine baculo et mitra[7]. Presbytero quoque privilegiato licet in territorio sibi designato omnes confirmare, etiam extraneos, nisi id ipsorum Ordinarius expresse vetuit[8].

3. Episcopus tenetur hoc sacramentum administrare suis subditis rite et rationabiliter petentibus, praesertim tempore visitationis dioecesis[9]. Eadem obligatione tenetur presbyter, privilegio apostolico donatus, erga illos, quorum in favorem est concessa facultas. Quae quidem obligatio episcopi et sacerdotis privilegiati est gravis in hoc sensu, quod isti debent aliquando et saltem intra quodlibet *quinquennium* omnibus suis subditis occasionem atque facilitatem praebere recipiendi hoc sacramentum. Sed isti non stricte tenentur cuilibet petenti qualibet die hoc sacramentum administrare; immo non constat de proprie dicta obligatione administrandi hoc sacramentum alicui graviter aegroto id petenti. Ratio est, quia hoc sacramentum, quamvis pretiosissimas gratias conferat, tamen non est de necessitate salutis.

CAPUT II.

De subiecto confirmationis.

Q. 285. *Quid requiratur in subiecto ad valide et licite recipiendum sacramentum confirmationis?*

R. 1. Ad *valide* recipiendum sacramentum confirmationis requiritur baptismus valide susceptus et in adulto insuper intentio suscipiendi hoc sacramentum. Licet sacramenti confirmationis administratio convenienter in Ecclesia latina differatur ad *septimum* circiter aetatis annum, nihilominus etiam conferri potest infanti, qui in mortis periculo est constitutus, vel si id ministro ob graves et iustas causas expedire videtur[10]. In Ecclesia orientali hoc sacramentum solet administrari infantibus statim post baptismum, sicut in usu fuit primis saeculis in universa Ecclesia.

2. Ad *licite* recipiendum sacramentum confirmationis requiritur insuper status gratiae, sicut in quolibet sacramento vivorum.

3. Quamquam hoc sacramentum non est de necessitate medii ad salutem, nemini tamen licet, oblata occasione, illud negligere; immo

[5] c. 782, § 5. [6] Cf. nostr. Man. theol. mor. III 159. [7] c. 783.
[8] c. 784. [9] c. 785. [10] c. 788.

parochi curent, ut fideles ad illud tempore opportuno accedant[11]. Quanta sit obligatio fidelibus recipiendi hoc sacramentum, disputatur inter theologos. Probabilius haec obligatio est levis solummodo[12].

4. Si plures confirmantur, debent adesse primae manuum impositioni seu extensioni, nec nisi expleto ritu discedant[13].

CAPUT III.

De tempore et loco confirmationis conferendae.

Q. 286. *Quo tempore et loco confirmationis sacramentum sit conferendum?*

R. 1. Sacramentum confirmationis conferri potest *quovis tempore;* maxime autem decet illud administrare in hebdomade Pentecostes[14].

2. Locus proprius confirmationis administrandae est ecclesia; ex iusta tamen et rationabili causa potest hoc sacramentum administrari in quolibet loco decenti[15]. Episcopo ius est intra fines suae dioecesis confirmationem administrandi in locis quoque exemptis[16]; in aliena autem dioecesi illud nequit administrare, nisi adsit aut licentia saltem rationabiliter praesumpta Ordinarii loci, aut nisi agatur de privata administratione (sine baculo et mitra) pro propriis subditis ibi degentibus[17], ut iam dictum est.

CAPUT IV.

De patrinis.

Q. 287. *Quid statuat vigens Ecclesiae disciplina de patrinis in confirmatione?*

R. 1. Ex vetustissimo Ecclesiae more adhibendus est patrinus in confirmatione, si haberi potest[18]. Unus quidem patrinus (non plures) sit pro singulis confirmandis; sed iste patrinus non praesentet nisi unum aut duos confirmandos. Ex iusta tamen causa minister confirmationis potest permittere, ut unus patrinus multos confirmandos praesentet[19], sicut usuvenit in nonnullis regionibus.

2. Ad **valide** exercendum munus patrini in confirmatione requiruntur sequentes condiciones[20]:

a) ut patrinus sit ipse quoque confirmatus, rationis usum assecutus et intentionem habeat id munus gerendi.

b) ut α) non sit haereticae vel schismaticae sectae adscriptus, β) neque sit per sententiam condemnatoriam aut declaratoriam excommunicatus aut infamis infamia iuris aut exclusus ab actibus legitimis, γ) neque sit clericus depositus vel degradatus. Haec condicio est eadem ac pro patrino baptismi, ut supra dictum est.

[11] c. 787. [12] Cf. nostr. Man. theol. mor. III 161. [13] c. 789. [14] c. 790. [15] c. 791. [16] c. 792. [17] c. 783, § 2. [18] c. 793. [19] c. 794. [20] c. 795.

c) ut non sit pater, mater, coniux confirmandi.

d) ut sit a confirmando eiusve parentibus vel tutoribus vel, si hi desunt, aut renuunt, a ministro vel a parocho designatus.

e) ut confirmandum in confirmationis actu physice tangat per se vel per procuratorem.

Ad **licite** exercendum munus patrini in confirmatione requiruntur tres condiciones[21]:

a) ut sit alius a patrino baptismi, nisi rationabilis causa, iudicio ministri, aliud suadeat, aut statim post baptismum legitime confirmatio conferatur.

b) ut sit eiusdem sexus ac confirmandus, nisi aliud ministro in casibus particularibus ex rationabili causa videtur.

c) ut adsint eaedem condiciones, ac pro licita susceptione muneris patrini in baptismo[22], e. gr. ut sit 14 annos natus, ut non sit religiosus neque clericus in maioribus ordinibus constitutus.

3. Ex valida confirmatione oritur quidem inter confirmatum et patrinum *cognatio spiritualis,* ex qua patrinus obligatur confirmatum perpetuo sibi commendatum habere eiusque christianam educationem curare[23]; sed haec spiritualis cognatio iam non inducit impedimentum matrimonii.

CAPUT V.

De collatae confirmationis adnotatione et probatione.

Q. 288. *Quid statuat vigens Ecclesiae disciplina de probatione et adnotatione confirmationis?*

R. Eadem fere valent, quae supra dicta sunt de probatione et adnotatione baptismi.

1. Ad collatam confirmationem probandam satis est unus testis omni exceptione maior, vel ipsius confirmati iusiurandum, nisi confirmatus fuit in infantili aetate[24]. Ceterum satis raro talis probatio est necessaria.

2. Nomina ministri, confirmatorum, parentum, patrinorum, diem ac locum confirmationis parochus inscribat in peculiari libro confirmatorum ac deinde eandem adnotationem faciat in libro baptizatorum[25]. Quodsi proprius confirmati parochus praesens non fuit, de collata confirmatione minister vel per se vel per alium quamprimum eundem certiorem faciat[26]. Si igitur e. gr. episcopus confirmationis sacramentum administrat in aliquo collegio puerorum, debet curare, ut parochi singulorum puerorum confirmatorum certiores reddantur de confirmatione peracta ac de nominibus supra indicatis. Hoc onus exigit profecto laborem non parvum.

[21] c. 796. [22] Cf. supra q. 281. [23] c. 797. [24] c. 800. [25] c. 798. [26] c. 799.

TITULUS III.

De SS. Eucharistia.

SS. Eucharistia considerari potest ut sacrificium et ut sacramentum; quare totus titulus dividitur in duo capita: 1. de s. Missae sacrificio; 2. de SS. Eucharistiae sacramento. Ut iam supra monuimus, omittuntur omnia, quae ad Dogmaticam, ad Theologiam moralem, ad Liturgiam stricte dictam pertinent.

CAPUT I.

De sacrosancto Missae sacrificio.

Istud caput dividitur in quattuor articulos: 1. de sacerdote Missam celebrante; 2. de Missae ritibus et caerimoniis; 3. de tempore et loco Missae celebrandae; 4. de Missarum stipendiis seu eleemosynis.

ARTICULUS I.

De sacerdote Missae sacrificium celebrante.

Q. 289. *Quaenam praecipue observare debeat sacerdos Missam celebrans?*

R. 1. Potestatem offerendi Missam nemo habet nisi sacerdos, qui ne omittat ad hoc tremendum sacrificium sese disponere piis precibus, eoque expleto gratias Deo agere pro tanto beneficio. Quodsi sibi conscius est peccati mortalis nondum confessi, quantumvis se contritum existimet, sine praemissa sacramentali confessione Missam celebrare ne audeat. Si tamen, deficiente copia confessarii et urgente necessitate, elicito perfectae contritionis actu licite celebravit, quamprimum, i. e. saltem infra triduum confiteatur[1]. Non licet in ritu latino pluribus sacerdotibus concelebrare, praeterquam in Missa ordinationis presbyterorum et in Missa consecrationis episcoporum[2]. In Ecclesia orientali persistit usus concelebrandi in nonnullis festis.

2. Sacerdotes omnes (ergo non solum curati) debent Missam celebrare pluries per annum. Quoties haec obligatio sit gravis, non concordant theologi. Ceterum curet episcopus vel superior religiosus, ut sacerdotes subditi saltem singulis diebus dominicis aliisque festis de praecepto Missam celebrent[3]. Hodie exsistit laudabilis consuetudo, ut omnes sacerdotes legitime non impediti cotidie celebrent Missam. Sacerdotes ordinarie nequeunt celebrare nisi unam Missam cotidie. Sunt tamen quattuor exceptiones: a) die Nativitatis Domini et b) die Commemorationis omnium defunctorum quilibet sacerdos potest tres Missas dicere; c) ex indulto apostolico nonnulli sacerdotes, e. gr. in missionibus, possunt plures Missas dicere uno die etiam feriali; d) loci Ordinarius potest concedere propter penuriam sacerdotum facultatem binationis, i. e. potest concedere (etsi alii sacerdotes in eadem ecclesia Missas celebrant), ut sacerdotes celebrent duas Missas diebus dominicis et festivis de praecepto, si secus notabilis fidelium pars (e. gr. 20 personae) Missae assistere nequit[4].

[1] c. 807. Latius de hac re agunt Moralistae. Cf. nostr. Man. theol. mor. III 194.
[2] c. 803. [3] c. 805.

3. Sacerdos extraneus ecclesiae, in qua celebrare postulat, debet exhibere legitimas litteras commendatitias. Quodsi iis litteris caret et est ignotus rectori ecclesiae, potest quidem admitti ad Missae celebrationem semel vel bis, dummodo a) ecclesiastica veste indutus sit, b) nihil ex celebratione ab ecclesia, in qua celebrat, quovis titulo percipiat, c) nomen, officium, suam dioecesim in peculiari libro signet[5]. Ceterum praestat, ut, salvo hoc statuto, Ordinarius loci normas peculiares praescribat de celebratione sacerdotis extranei. Quibus normis omnes tenentur, etiam religiosi exempti, nisi agatur de admittendis religiosis ad celebrandum in ecclesia suae religionis[6].

4. Sacerdoti celebrare non licet nisi ieiunio naturali a media nocte servato[7]. Attamen, ut Moralistae recte docent, aliquando licet sacerdoti etiam non ieiuno Missam celebrare, e. gr. ad sacrificium Missae complendum, ad scandalum vitandum etc.[8]

5. Sacerdos, Missam celebraturus, deferat vestem convenientem, quae ad talos pertingat, et sacra ornamenta a rubricis sui ritus praescripta[9]. Ita de iure ordinario. In casibus autem extraordinariis nonnullae mitigationes huius statuti concedi possunt. Abstineat sacerdos a pileolo et anulo, nisi sit S. R. E. Cardinalis, episcopus vel abbas benedictus, aut nisi apostolicum indultum eorundem usum in Missa celebranda eidem permittat[10]. Pariter durante Missa non videtur posse portare comam fictam, nisi habet S. Sedis licentiam, quam concedere potest Nuntius Apostolicus[11]. Nulli sacerdoti celebranti, praeter episcopum aliosque praelatos usu pontificalium fruentes, licet *sola honoris aut sollemnitatis causa* habere presbyterum assistentem[12]. Presbyter assistens permittitur in prima Missa neosacerdotis, cum non sola honoris causa adsit, sed ut eum adiuvet in rubricis bene observandis.

6. Sacerdos Missam ne celebret sine ministro serviente et respondente. Haec obligatio est gravis. Minister ne sit mulier, nisi deficiente viro et iusta de causa et hac condicione, ut mulier ex longinquo respondeat nec ullo pacto ad altare accedat[13]. Ex privilegio nonnulli sacerdotes possunt Missam celebrare sine ministro.

7. Sacerdos potest Missam applicare pro quibusvis vivis et defunctis in purgatorio degentibus. Si tamen Missam applicet pro excommunicatis, hoc fiat *privatim et remoto scandalo*, et pro excommunicato vitando nequit Missam applicare nisi pro eius conversione[14]. Hoc statuto omnes veteres controversiae hac de re cessare debent.

[4] c. 806. [5] c. 804, § 1 2. [6] Ib. § 3. [7] c. 808.
[8] Cf. nostr. Man. theol. mor. III 201. [9] c. 811, § 1. [10] Ib. § 2.
[11] Facult. Nunt. n. 35. [12] c. 812. [13] c. 813. [14] c. 809.

ARTICULUS II.

De Missae ritibus et caerimoniis.

Q. 290. *Quaenam sit obligatio ritus et caerimoniarum in Missa praescriptarum?*

R. 1. Quilibet sacerdos debet, nisi adsit indultum apostolicum, sub gravi sequi proprium ritum. Hinc e. gr. sacerdos latini ritus debet ubique (etiam in Oriente) sequi ritum latinum adhibendo panem azymum; econtra sacerdos orientalis debet etiam in Occidente adhibere panem fermentatum[15]. Sacerdos Dominicanus debet ubique adhibere ritum dominicanum in Missa, nisi habeat indultum apostolicum.

2. Nefas est et gravissime prohibitum, urgente etiam extrema necessitate, alteram materiam sine altera (vinum sine pane et vice versa) aut etiam utramque materiam extra Missae celebrationem consecrare[16]. Haud desunt auctores, qui talem consecrationem non solum graviter illicitam, sed etiam invalidam putant.

3. Reprobata quavis contraria consuetudine sacerdos celebrans accurate et devote servare debet rubricas atque cavere, ne alias caerimonias aut preces proprio arbitrio adiungat[17]. Quousque singulae rubricae in Missae sacrificio obligent, disputant theologi[18].

ARTICULUS III.

De tempore et loco Missae celebrandae.

Q. 291. *Quid sit iure communi statutum de tempore et loco Missae?*

R. 1. *Celebrationis hora.* Iure communi (aliud est de iure particulari aut de privilegio) Missae celebrandae initium ne fiat prius quam una hora ante auroram, i. e. circiter tribus horis ante solis ortum, vel serius quam una hora post meridiem[19]. In nocte autem Nativitatis Domini incohari media nocte potest sola Missa conventualis vel paroecialis, non autem alia sine apostolico indulto vel privilegio[20]. In omnibus tamen religiosis seu piis domibus oratorium habentibus cum facultate ss. Eucharistiam habitualiter asservandi, nocte Nativitatis Domini unus sacerdos tres rituales Missas (vel unam) celebrare potest et s. communionem petentibus ministrare[21]. Exsistunt tamen etiam in hac re privilegia.

2. *Celebrationis locus.* Numquam licet Missam celebrare nisi super *altari consecrato,* quod est vel fixum vel portatile. Privilegium altaris portatilis, quod est facultas celebrandi ubique in loco honesto et decenti

[15] c. 816. [16] c. 817. [17] c. 818.
[18] Cf. nostr. Man. theol. mor. III 302 sqq. [19] c. 821, § 1. [20] Ib. § 2.
[21] Ib. § 3. Exsistente iusta causa iam non est prohibitum administrare s. communionem in hac Missa paroeciali vel conventuali, cum sit generaliter statutum c. 867, § 4: „s. communio iis tantum horis distribuatur, quibus Missae sacrificium offerri potest." Non est dubium, quin s. communio possit fidelibus dari nocte Nativitatis non solum in oratoriis, sed etiam in *ecclesiis* religiosorum et religiosarum, saltem si portae manent clausae (S. Off. d. 26 Nov. 1908).

(etiam in mari), conceditur nonnullis ab ipso iure, e. gr. Cardinalibus, episcopis[22], aliis ex speciali privilegio apostolico. Attamen in aliquo casu extraordinario et per modum actus (i. e. non habitualiter) Ordinarius quoque loci (et, si agitur de domo religionis exemptae, etiam superior maior) potest, exstante iusta et rationabili causa, concedere altare portatile, non autem potest concedere, ut Missa dicatur in cubiculo vel in mari[23]. Potest Ordinarius permittere unius vel alterius, sed non plus quam trium Missarum celebrationem in domo privata in sic dicta „camera ardente", praesente cadavere; sed requiritur *casus extraordinarius,* e. gr. obitus episcopi vel personae insignis[24].

3. Non licet Missam celebrare in templo haereticorum vel schismaticorum, etsi olim rite consecrato aut benedicto[25]. Ita saltem de iure communi. Aliquando autem propter gravissimas necessitates permittitur, ut idem templum serviat diversis horis vel diebus cultui catholico et heterodoxo (sic dictae ecclesiae simultaneae). Deficiente altari proprii ritus, sacerdoti fas est ritu proprio celebrare in altari consecrato alius ritus catholici, non autem super Graecorum antimensiis[26]. In altaribus papalibus nemo celebret sine apostolico indulto[27].

ARTICULUS IV.

De Missarum eleemosynis seu stipendiis.

Q. 292. *Num et quantum stipendium accipere possit sacerdos celebrans Missam?*

R. 1. De iure communi quilibet sacerdos (etiam dives) celebrans et applicans Missam potest unam eleemosynam vel stipendium accipere. Ita ex recepta et approbata Ecclesiae consuetudine, quae est immunis a labe simoniaca[28]. Non autem licet plura stipendia accipere, si sacerdos plures Missas in die celebrat, excepta die Nativitatis Domini, qua licet tria stipendia accipere. Pro labore vel alio titulo *extrinseco,* qui est coniunctus cum altera Missa, sacerdos potest retributionem acceptare[29]. Haud raro conceditur loci Ordinariis indultum apostolicum vi cuius sacerdotes binantes non solum possunt, sed etiam debent pro altera Missa acceptare stipendium, quod tamen erogari oportet in causas pias determinatas[30]. Non licet Missam applicare ad intentionem illius, qui applicationem nondum petiit, sed petiturus est[31]. Item non licet stipendium recipere pro Missae applicatione ex alio titulo oneroso debita[32] neque acceptare duplex stipendium: alterum pro celebratione, alterum pro applicatione Missae, nisi certo constat, unum stipendium esse oblatum pro sola celebratione sine applicatione[33].

[22] c. 239, § 1, n. 8; c. 349, § 1. [23] c. 822.
[24] S. C. de Sacr. d. 3 Maii 1926 (Acta Ap. Sed. XVIII 388).
[25] c. 823, § 1. [26] Ib. § 2. [27] Ib. § 3. [28] c. 824.
[29] Ib. § 2. Pontif. Com. d. 20 Maii 1923 (Acta Ap. Sed. XVI 116).
[30] S. C. Conc. d. 8 Maii 1920 (Acta Ap. Sed. XII 541).
[31] c. 825, n. 1. [32] Ib. n. 2. [33] Ib. n. 4.

2. *Quantitas* stipendii imprimis pendet ab offerentis voluntate. Quare sacerdos potest accipere pro Missa ultro oblatum stipendium valde magnum; immo ordinarie etiam stipendium valde parvum infra taxam dioecesanam, nisi tamen in hoc ultimo casu Ordinarius id prohibuit[34]. Ordinarii loci est, manuale Missarum stipendium in sua dioecesi definire pro omnibus sacerdotibus, etiam exemptis. Praestat, ut haec stipendii definitio fiat in synodo dioecesana. Ubi deest haec definitio, servetur ab omnibus sacerdotibus, etiam exemptis, consuetudo dioecesis. Nemini licet maius stipendium *exigere*, quam illud ita definitum[35].

Si quis pecuniae summam obtulit pro Missarum applicatione non indicans earum numerum, hic supputetur secundum eleemosynam loci, *in quo oblator morabatur*, nisi aliam fuisse eius intentionem legitime praesumi debeat[36]. Attamen in isto casu non semper stricte observanda est taxa dioecesana, sed potest legitime praesumi, oblatorem voluisse dare bonum stipendium, sicuti solent facere alii eiusdem condicionis. Si grave dubium remanet, consulendus est Ordinarius loci, qui potest manuale stipendium determinare. Tot autem celebrandae et applicandae sunt Missae, quot stipendia etiam exigua data et accepta fuerunt[37]. Quare reductio Missarum ad solam S. Sedem pertinet. Quamvis sine culpa illius, qui onere celebrandi gravatur, Missarum eleemosynae iam perceptae perierint, obligatio non cessat[38]. Hoc quidem nunc certo valet de Missis manualibus; quantum ad Missas fundatas, si bona oblata et accepta perierint, adeunda est S. Sedes. „Pecuniae pro Missis manualibus vel aliis celebrandis acceptae, ante ipsarum celebrationem, nullo pacto nullaque de causa, neque ex toto neque ex parte expendi possunt, sed integre servari debent." Hoc salutare statutum pro religiosis datum a S. Congr. de Rel. d. 30 Iulii 1909[39] videtur quoque esse observandum a sacerdotibus saecularibus.

3. Stipendia Missarum distinguuntur triplicis generis: manualia, quasi manualia, fundata.

Stipendia manualia sunt ea, quae a fidelibus offeruntur de manu ad manum. Nihil refert, utrum fideles ista stipendia offerant sponte ex propria devotione an tamquam exsecutores testamentarii[40].

Stipendia quasi manualia seu ad instar manualium sunt quidem stipendia fundata, sed talia, quae, non persoluta in proprio loco neque ab iis qui ea applicare debuerunt secundum tabulas fundationis, traduntur (ex iure aut ex S. Sedis indulto) aliis sacerdotibus persolvenda. Uno verbo: stipendia quasi manualia seu ad instar manualium sunt stipendia fundata extraneis sacerdotibus legitime tradita.

Stipendia fundata sunt stipendia ex reditibus fundationis legitime percepta[41] et in loco fundationis persoluta.

Q. 293. *Quid sit statutum de persolutione stipendiorum?*

R. 1. A stipendiis Missarum quaelibet etiam species negotiationis

[34] c. 832. [35] c. 831. [36] c. 830. [37] c. 828. [38] c. 829.
[39] Acta Ap. Sed. I 698. [40] c. 826. [41] Ib.

vel mercaturae arceatur[42]. Qui autem secus fecerit, pro gravitate culpae puniatur ab Ordinario loci, non exclusa, si res ferat, suspensione aut beneficii vel officii ecclesiastici privatione, vel, si de laicis agitur, excommunicatione[43]. Omnes autem poenae *latae sententiae* hucusque exsistentes contra abusum in re stipendiaria sunt abrogatae.

2. Non solum tot Missae sunt celebrandae, quot stipendia percepta sunt, sed etiam peculiares circumstantiae Missarum ab oblatore volitae et a sacerdote acceptae sunt servandae[44]. Quomodo istae circumstantiae, e. gr. altaris privilegiati, Missarum gregorianarum in particulari obligent, videsis nostrum Man. theol. mor. III 266 sqq.

3. Missae acceptae *debito tempore* celebrandae sunt. Quare Missae, pro quibus celebrandis tempus ab oblatore expresse praescriptum est, eo omnino tempore sunt celebrandae. Si oblator nullum tempus pro Missarum manualium celebratione expresse praescripsit, tunc a) Missae pro urgenti causa oblatae, e. gr. pro valetudine recuperanda, pro felici partu etc., quamprimum tempore utili sunt celebrandae. b) In aliis casibus Missae sunt celebrandae intra modicum tempus pro maiore vel minore Missarum numero. Quae decretum „Ut debita" d. 11 Maii 1904 hac de re statuit, iam amplius non habent nisi valorem directivum, sc. unam Missam receptam esse celebrandam infra mensem, centum Missas receptas infra semestre. — Si oblator arbitrio sacerdotis tempus celebrationis expresse reliquit, sacerdos poterit tempore sibi bene viso eas celebrare; nemini autem licet tot Missarum onera per se celebrandarum recipere, quibus *intra annum* satisfacere nequit[45]. Hoc statutum videtur tamen non valere, si oblator expresse consentit, Missas celebratum iri post annum. Non enim est ratio, cur oblator nequeat permittere, ut Missae dicantur post annum[46]. — In ecclesiis, in quibus ob fidelium devotionem peculiarem Missarum oblationes ita affluunt, ut omnes Missae celebrari ibidem debito tempore nequeant, moneantur fideles per tabellam in loco patenti et obvio positam, Missas oblatas celebratum iri vel ibidem, cum commode poterit, vel alibi[47]. Qui Missas per alios celebrandas habet, eas quamprimum distribuat, sed tempus legitimum pro earundem celebratione incipit a die, quo sacerdos celebraturus easdem receperit, nisi aliud constat[48].

4. Ius et officium vigilandi, ut onera Missarum adimpleantur, in ecclesiis saecularium pertinet ad loci Ordinarium, in religiosorum ecclesiis ad eorum superiores[49].

Q. 294. *Quid statutum sit de transmissione Missarum ad alios sacerdotes?*

R. 1. Qui Missas per alios celebrandas habet, eas quamprimum distribuat (ut iam dictum est), et quidem sacerdotibus sibi acceptis,

[42] c. 827. [43] c. 2324. [44] c. 833. [45] c. 835.
[46] Cf. c. 841. Ita etiam Vermeersch-Creusen l. c. II, n. 105.
[47] c. 836. [48] c. 837. [49] c. 842.

dummodo probe sibi constet, eos esse omni exceptione maiores vel eos esse commendatos testimonio proprii ipsorum Ordinarii[50]. Severiora statuta hac de re lata a S. Congregatione Conc. d. 22 Maii 1907 et 9 Sept. 1907 sunt revocata. Episcopus vel etiam concilium provinciale nequit prohibere, ne mittantur stipendia *manualia* sine permissione Ordinarii extra dioecesim. Aliud est de Missis fundatis et ad instar manualium, cum ista stipendia non solum sacerdotis celebrantis, sed etiam causae piae inserviant utilitati[51].

2. Qui Missas aliis celebrandas tradidit, obligatione tenetur, usquedum testimonium obtinuit acceptatae ab iisdem obligationis et recepti stipendii[52]. Si igitur stipendium in transmissione perit, perit transmittenti.

3. Qui Missas *manuales* ad alios transmittit, omnino debet acceptum stipendium integrum transmittere, nisi aut oblator expresse permittat aliquid retinere, aut certo constet, excessum supra taxam dioecesanam datum fuisse intuitu personae. Qui vero transmittit Missas *ad instar manualium,* potest, nisi obstat mens fundatoris, legitime retinere excessum supra taxam *dioecesis, in qua Missa celebratur.* Praesumitur enim, pinguem eleemosynam locum pro parte tenere dotis beneficii aut causae piae[53].

4. Omnes et singuli administratores causarum piarum aut quoquo modo ad Missarum onera implenda obligati (sive ecclesiastici sive laici) debent, sub exitum cuiuslibet anni, Missarum onera, quibus nondum fuit satisfactum, suis Ordinariis tradere secundum modum ab his definiendum. Qui quidem anni finis hoc modo computandus est: in Missis ad instar manualium obligatio eas deponendi decurrit a fine illius anni, intra quem onera impleri debuissent. Si igitur e. gr. talis Missa dicenda fuisset mense Maii 1920, die 31 Dec. 1920 ea est tradenda Ordinario. In Missis manualibus haec obligatio oritur solummodo 365 dies post diem acceptae Missae[54]. Per se patet, hanc regulam non valere, si oblator aliud determinavit.

Q. 295. *Quid sit statutum de adnotatione Missarum?*

R. 1. Rectores ecclesiarum aliorumque piorum locorum (sive saecularium sive religiosorum), in quibus eleemosynae Missarum recipi solent, peculiarem debent habere librum, in quo accurate notent Missarum receptarum a) numerum, b) intentionem, c) eleemosynam, d) celebrationem. Ordinarii autem (episcopi, superiores religiosi) tenentur obligatione saltem *quotannis* huiusmodi libros recognoscendi sive per se sive per suos delegatos[55].

2. Ordinarii quoque locorum et superiores religiosi, qui propriis subditis aliisve Missas celebrandas committunt, Missas acceptas cum suis eleemosynis cito in librum per ordinem referant curentque pro viribus, ut quamprimum celebrentur[56]. Immo omnes omnino sacerdotes

[50] c. 838. [51] S. C. C. d. 19 Febr. 1921 (Acta Ap. Sed. XIII 230).
[52] c. 839. [53] c. 840. [54] c. 841. [55] c. 843. [56] c. 844, § 1.

(sive saeculares sive religiosi) debent accurate adnotare Missas acceptas et celebratas[57].

3. In Codice iur. can. nihil statuitur de tabella Missarum fundatarum, quae in sacristia appendi debuit. Proinde haec obligatio iam non stricte exsistit. Nihilominus curandum est, ut Missae fundatae diligenter adnotentur[57a].

CAPUT II.

De SS. Eucharistiae sacramento.

Istud caput dividitur in tres articulos: 1. de ministro s. communionis; 2. de subiecto s. communionis; 3. de tempore et loco, quo s. communio distribui potest.

ARTICULUS I.

De ministro s. communionis.

Q. 296. *Quis sit minister s. communionis?*

R. 1. Minister ordinarius s. communionis est solus sacerdos; minister vero extraordinarius est diaconus de Ordinarii loci vel parochi licentia, gravi de causa concedenda, quae tamen in casu necessitatis legitime praesumi potest[58]. Quare in casu necessitatis superior quoque religiosus potest permittere, ut diaconus subditus in propria ecclesia s. communionem distribuat. Diaconus indebite communionem ministrans certo peccat, sed non fit irregularis.

2. Quilibet sacerdos potest s. communionem administrare *intra* Missam etiam in oratorio privato celebratam, nisi tamen loci Ordinarius distributionem communionis in oratorio privato iustis de causis prohibuit[59]. Si sacerdos privatim celebrat (aliud est de Missa sollemni), potest communionem quoque distribuere immediate ante et post Missam. Extra Missam s. communio potest distribui iis tantum horis, quibus Missae sacrificium offerri potest, nisi aliud rationabilis causa suadeat[60].

3. S. communionem distribuere per modum viatici est ius paroeciale, quod tamen ius nonnullas exceptiones patitur: sc. a) in casu vere urgentis necessitatis quilibet sacerdos vel diaconus (immo et alius clericus) viaticum administrare potest; b) viaticum administrare episcopo aegroto pertinet ad dignitates vel canonicos capituli; c) in omni religione clericali hoc ius pertinet ad superiorem religiosum; d) in monialium domo idem ius et officium habet confessarius ordinarius vel eius vicesgerens. — Iam non exsistit excommunicatio lata contra Regulares, qui sine debita licentia viaticum administrant saecularibus.

4. Communio infirmorum, quae ordinarie publice est deferenda[61], administranda est a parocho eiusve vicesgerente. In casu tamen necessitatis, et insuper si ista communio privatim defertur (et quidem

[57] c. 844, § 2. [57a] c. 1549. [58] c. 845. [59] c. 846 et 869.
[60] c. 867, § 4. [61] c. 847.

non ut viaticum), potest quilibet sacerdos eam administrare [62], ut iam dictum est.

5. Sacerdos debet suum ritum servare in distributione s. communionis; ubi vero necessitas urget, nec sacerdos diversi ritus adest, sacerdos orientalis potest dare s. communionem in pane azymo et vicissim sacerdos latinus in pane fermentato; debet tamen uterque proprii ritus rubricas servare [63]. In Ecclesia latina s. communio sub sola specie panis praeberi omnino debet [64].

ARTICULUS II.

De subiecto s. communionis.

Q. 297. *Quaenam statuta sint de prima communione puerorum?*

R. 1. Pueris, qui propter mentis aetatisque imbecillitatem nondum huius sacramenti cognitionem et gustum habent, s. communio ne administretur; si tamen versantur in periculo mortis, possunt et debent s. communionem recipere, si sciunt discernere s. Corpus Christi a communi cibo illudque reverenter adorare [65].

2. Extra mortis periculum plenior cognitio doctrinae christianae ac accuratior praeparatio exigitur, ea scilicet, qua pueri saltem fidei mysteria necessaria necessitate medii ad salutem pro suo captu percipiunt atque devote pro suae aetatis modulo ad s. communionem accedunt [66]. De sufficienti autem puerorum dispositione ad primam communionem iudicium competit quidem confessario vel parentibus eorum. Attamen officium parochi est, advigilare (etiam per examen, si opportunum prudenter iudicavit), ne pueri ad s. communionem accedant ante adeptum usum rationis vel sine sufficienti dispositione; itemque curare, ut pueri usum rationis assecuti et sufficienter dispositi quamprimum hoc divino cibo reficiantur [67]. De accurata aetate puerorum ad primam communionem requisita nihil iure communi statutum est.

Q. 298. *Quaenam statuta sint de communione Paschali?*

R. 1. Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis, i. e. ad usum rationis, pervenerit, debet semel in anno, saltem in Paschate, Eucharistiae sacramentum recipere, nisi forte de consilio proprii sacerdotis ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab eius perceptione duxerit abstinendum [68]. Paschalis autem communio fiat a dominica Palmarum ad dominicam in Albis, sed locorum Ordinariis fas est, ex rationabili causa hoc tempus Paschale etiam pro omnibus fidelibus anticipare, non tamen ante quartam dominicam Quadragesimae, vel prorogare, non tamen ultra festum SS. Trinitatis [69]. Hoc praeceptum Paschalis communionis adhuc urget, si quis illud praescripto tempore, quavis de causa, non implevit [70]. Debet igitur talis homo, expleto tempore Paschali, quamprimum s. communionem

[62] c. 849. [63] c. 851. [64] c. 852. [65] c. 854, § 1 2. [66] Ib. § 3. [67] Ib. § 4 5. [68] c. 859, § 1. [69] Ib. § 2. [70] Ib. § 4.

recipere neque potest exspectare usque ad tempus Paschale anni sequentis. Ut communionem Paschalem sumant in ecclesia paroeciali, suadetur quidem, sed non stricte praecipitur fidelibus; qui, si eam in aliena ecclesia sumpserunt, curent proprium parochum de adimpleto praecepto certiorem facere [71]. Omnes illi, qui non tenentur viaticum sumere ex manu parochi [72], etiam non tenentur communionem Paschalem recipere in ecclesia paroeciali.

2. Praecepto communionis recipiendae non satisfit per sacrilegam communionem [73].

Q. 299. *Quaenam dispositiones requirantur in eo, qui vult s. communionem recipere?*

R. 1. Ex parte *corporis* requiritur praecipue *ieiunium naturale* a media nocte. Hoc ieiunii praeceptum non obligat: 1. si communio recipitur per modum viatici; 2. si adest necessitas impediendi irreverentiam in sacramentum [74]; 3. si quis infirmus iam a mense decumbit sine certa spe ut cito convalescat. Iste enim potest de prudenti consilio confessarii s. communionem sumere semel vel bis in hebdomada, etsi aliquam medicinam (e. gr. pastillum) vel aliquid *per modum potus* (etiam nutritivi) antea sumpserit [75].

2. Ex parte *animae* requiritur status gratiae sanctificantis. Quare nemo, quem conscientia peccati mortalis gravat, quantumcumque etiam se contritum existimet, sine praemissa sacramentali confessione ad s. communionem accedat. Solummodo si urget necessitas communionis ac copia confessarii deest, potest quis ad s. communionem accedere, postquam actum perfectae contritionis prius elicuit [76].

3. Arcendi sunt ab Eucharistia *publice* indigni, quales sunt excommunicati, interdicti, manifestoque infames, nisi de eorum poenitentia et emendatione constat et publico scandalo prius satisfecerunt [77]. Pariter arcendi sunt qui immodeste vestiti accedunt ad s. communionem. Occultos vero peccatores, si occulte petunt s. communionem et eos non emendatos agnovit (extra sacramentalem confessionem), minister repellat; non autem, si publice petunt et sine scandalo ipsos praeterire nequit [78].

4. Nemini licet s. communionem recipere bis in die, excepto casu, quo post priorem communionem receptam eodem die in periculum mortis incidit et tunc viaticum vult recipere [79]. Sacerdos dicens duas vel tres Missas eodem die potest utique plus quam semel s. communionem recipere in uno die, ut patet.

Q. 300. *Quoties s. communio recipienda sit?*

R. 1. Iam dictum est, s. communionem esse sumendam tempore Paschali. Valde quoque expedit, ut fer. V in Coena Domini omnes

[71] c. 859, § 3. [72] Cf. supra q. 296, n. 3. [73] c. 861. [74] c. 858, § 1. [75] Ib. § 2. Cf. quae latius diximus de ieiunio eucharistico in nostro Man. theol. mor. III 198 sqq. [76] c. 856. [77] c. 855, § 1. [78] Ib. § 2 [79] c. 857 et 864, § 2.

clerici, etiam sacerdotes, qui ea die a Missa dicenda abstinent, s. communionem in Missa sollemni seu conventuali recipiant[80].

2. In periculo mortis fideles sub gravi tenentur s. communionem recipere per modum viatici. Perdurante mortis periculo sanctum viaticum secundum prudens confessarii consilium pluries, distinctis diebus, administrari licet et decet[81]. Theologi docent viaticum posse, durante periculo mortis, quolibet die sumi[82]. Sanctum viaticum infirmis ne nimium differatur; et qui animarum curam gerunt, sedulo advigilent, ut infirmi plene sui compotes viatico reficiantur[83]. Sanctum viaticum moribundis ritu proprio (latino vel orientali) accipiendum est; sed, urgente necessitate, potest quolibet ritu accipi[84].

3. Excitentur fideles, ut frequenter, etiam cotidie, pane eucharistico reficiantur, utque Missae adstantes non solum spirituali affectu, sed etiam sacramentaliter rite dispositi communicent[85]. Ut autem facilius fideles possint frequenter sumere s. Eucharistiam, illis permittitur, ut hoc sacramentum quolibet ritu (latino vel orientali) suscipiant[86].

ARTICULUS III.
De tempore et loco, quo s. communio distribui potest.

Q. 301. *Quaenam statuta sint de tempore et loco s. communionis distribuendae?*

R. 1. Quantum ad *tempus* s. communio ut *viaticum* potest distribui omnibus diebus et horis totius anni. S. communio potest distribui non ut viaticum a) omnibus diebus totius anni, excepta fer. VI in Parasceve; b) iis horis, quibus Missae sacrificium offerri potest. Attamen ex rationabili causa s. communio etiam aliis horis dari potest[87], e. gr. post meridiem. Sabbato Sancto s. communio nequit fidelibus ministrari nisi vel intra Missam vel statim post eam[88].

2. Quantum ad *locum* s. communio *ut viaticum* potest distribui in omni loco; non ut viaticum, ubicumque Missa dicitur. Potest tamen Ordinarius loci prohibere ex iusta causa, ut s. Communio distribuatur in oratorio privato, ut iam dictum est. Sacerdoti celebranti non licet s. communionem *intra Missam* distribuere fidelibus adeo distantibus, ut ipse altare e conspectu amittat[89]. Ratio est, quia sacerdos durante Missa non ita longe ab altari discedere potest. Nihil autem obstat, ne sacerdos ante vel post Missam istis fidelibus ita distantibus s. communionem porrigat.

TITULUS IV.
De poenitentia.

Iste titulus dividitur in quinque capita: 1. De ministro sacramenti poenitentiae. 2. De reservatione peccatorum. 3. De subiecto sacramenti poenitentiae. 4. De loco ad confessiones excipiendas. 5. De indulgentiis.

[80] c. 862. [81] c. 864, § 1 3. [82] Cf. nostr. Man. theol. mor. III 202. [83] c. 865. [84] c. 866, § 3. [85] c. 863. [86] c. 866, § 1. [87] c. 867. [88] Ib. § 3. [89] c. 868.

CAPUT I.
De ministro sacramenti poenitentiae.

Q. 302. *Quaenam requirantur in ministro ad valide administrandum sacramentum poenitentiae?*

R. *Ad valide administrandum sacramentum poenitentiae requiruntur* duo: ordo sacerdotalis et iurisdictio legitima. In Codice iur. can. iam non est explicitus sermo de approbatione, sed cum iurisdictio delegata non sit concedenda nisi iis, qui idonei per examen reperti fuerunt, nisi agatur de sacerdote, cuius theologica doctrina aliunde comperta habeatur[1], vetus disciplina de necessitate approbationis non videtur esse essentialiter mutata.

Q. 303. *Quid notandum sit de iurisdictione necessaria ad administrandum sacramentum poenitentiae?*

R. 1. Duplex distinguitur iurisdictio: ordinaria, quae competit sacerdoti vi ipsius officii suscepti, e. gr. quae competit episcopo, parocho, superiori religioso; et delegata, quae expresse demandatur a superiore ecclesiastico competenti.

2. *Ordinariam* iurisdictionem ad confessiones excipiendas habent pro universa Ecclesia Summus Pontifex et S. R. E. Cardinales; pro proprio territorio episcopus, vicarius generalis, vicarius capitularis, canonicus poenitentiarius, parochus, ii qui locum parochi tenent, vicarius et praefectus apostolicus etc.; pro suis subditis superiores religiosi exempti et generatim omnes, qui in iure veniunt sub nomine Ordinarii. Haec autem iurisdictio ordinaria cessat a) amissione officii, b) *post sententiam condemnatoriam vel declaratoriam* etiam excommunicatione, suspensione ab officio, interdicto[2].

3. *Delegatam* iurisdictionem ad recipiendas confessiones quorumlibet sive saecularium sive religiosorum confert sacerdotibus tam saecularibus quam religiosis etiam exemptis Ordinarius loci, in quo confessiones excipiuntur; sacerdotes autem religiosi eadem ne utantur sine licentia saltem praesumpta sui superioris[3]. Locorum Ordinarii iurisdictionem ad audiendas confessiones habitualiter ne concedant religiosis, qui a proprio superiore non praesentantur; iis vero, qui a proprio superiore praesentantur, sine gravi causa eam ne denegent, si idonei reperti fuerunt[4]. His statutis magna claritas inducitur in re hucusque satis controversa. Nunc enim constat, omnem confessarium posse absolvere (servatis servandis) quemlibet poenitentem vi iurisdictionis collatae ab Ordinario loci, qui solet esse episcopus loci. Attamen *in religione clericali exempta* confert quoque competens superior religiosus iurisdictionem delegatam ad audiendas confessiones subditorum suorum idque omnibus confessariis sive suae sive alienae religionis sive ex clero saeculari[5]. Res est iterum valde clara et in praxi

[1] c. 877, § 1. [2] c. 873. [3] c. 874, § 1. [4] Ib. § 2 et c. 877. [5] c. 875, § 1.

magnam facilitatem causat. *In religione laicali exempta* superior proponit confessarium, qui tamen iurisdictionem obtinere debet ab Ordinario loci, in quo religiosa domus reperitur[6]. Ergo e. gr. si quod monasterium monialium subiectum est superiori regulari, hic proponit earum confessarium, sed ad episcopum loci pertinet, ei iurisdictionem concedere. Ut quis assumere valeat munus confessarii ordinarii vel extraordinarii in aliqua communitate religiosa mulierum, omnino requiritur iurisdictio peculiaris data ab Ordinario loci. Quodlibet contrarium privilegium forte exsistens revocatum est[7]. Nihil autem obstat, ne quilibet confessarius rite approbatus audiat confessionem alicuius singularis religiosae ad ipsum venientis in loco debito.

4. Iurisdictio delegata potest quidem circumscribi quibusdam finibus, sed sine rationabili causa haec coarctatio ne nimis fiat[8]. Pariter iurisdictio semel concessa ne revocetur aut suspendatur nisi ob gravem causam[9]. Immo episcopus, inconsulta S. Sede, nequit omnibus alicuius religiosae domus *formatae* confessariis una simul iurisdictionem adimere[10].

5. Iurisdictio delegata debet esse a) expressa scripto vel verbo, ideoque non sufficit tacita aut praesumpta; b) gratis concessa[11].

6. Circa *extensionem* iurisdictionis haec notentur:

a) Quicumque confessarius rite approbatus potest in loco, ubi iurisdictionem habet, sacramentum poenitentiae administrare cuicumque ad se venienti ideoque etiam peregrinis, vagis, catholicis ritus orientalis[12]. Qui autem habet ordinariam iurisdictionem, ut e. gr. parochus, potest proprios subditos absolvere ubique terrarum[13].

b) Quicumque *sacerdos* (ergo etiam non approbatus) potest quemcumque poenitentem in periculo mortis versantem valide et licite absolvere a quibusvis peccatis et censuris, idque etiamsi praesens est alius sacerdos approbatus[14]. Attamen si tunc agitur de absolutione proprii complicis, absolutio est graviter illicita, si alius sacerdos praesens est[15]. Praeterea aliquando tunc recursus est necessarius, si poenitens reconvaluerit, ut dicetur in tractatu de censuris q. 569.

c) Specialiter extensa est iurisdictio confessariorum iter maritimum peragentes. Isti enim, si sunt approbati vel a proprio Ordinario[16] vel ab aliquo Ordinario portus, in quo navis est vel appellit, possunt toto itinere cum in navi tum in terra portus, ad quem obiter (i. e. non ultra triduum, si loci Ordinarius facile adiri possit)[17] appellunt, audire confessiones quorumlibet fidelium eosque absolvere etiam a casibus Ordinario loci reservatis[18].

d) Confessario ablata est iurisdictio quantum ad absolutionem proprii complicis in peccato turpi. De ampliore explicatione huius casus videsis nostrum Man. theol. mor.[19]

[6] c. 875, § 2. [7] c. 876. [8] c. 878. [9] c. 880, § 1. [10] Ib. § 2. [11] c. 879. [12] c. 881, § 1. [13] c. 881. [14] c. 882. [15] c. 884.

[16] Probabilius iste Ordinarius est Ordinarius loci etiam pro confessariis regularibus, qui durante hoc itinere volunt audire confessiones extraneorum. Sunt tamen qui autument in hoc casu sufficere facultatem habitam ab Ordinario religioso.

[17] Pontif. Com. d. 20 Maii 1923 (Acta Ap. Sed. XVI 114). [18] c. 883.

Q. 304. *Quaenam sint obligationes ministri sacramenti poenitentiae?*

R. 1. Meminerit confessarius, „se iudicis pariter et medici personam sustinere ac divinae iustitiae simul et misericordiae ministrum a Deo esse constitutum, ita ut honori divino et animarum saluti consulat"[20]. Concinno modo ita exprimit Codex diversa confessarii munia, sc. iudicis, medici, doctoris, patris; de quibus omnibus late disserunt Moralistae.

2. Confessarius absolutionem poenitenti rite confesso et disposito ne deneget neve differat[21]. Pro qualitate et numero peccatorum et condicione poenitentis salutares et convenientes satisfactiones iniungat[22]. Caveat omnino, ne a poenitente complicis nomen inquirat; ne curiosis aut inutilibus quaestionibus (maxime circa sextum praeceptum) quemquam detineat[23]. Preces ab Ecclesia adiunctae formulae absolutionis ne omittat sine iusta causa[24], qualis est e. gr. magnus concursus poenitentium.

3. Confessarius strictissime servet sigillum sacramentale; quare caveat diligentissime, ne verbo aut signo aut alio quovis modo et quavis de causa prodat peccatorem[25]. Obligatione servandi sigillum sacramentale tenentur quoque interpres aliique omnes, ad quos notitia confessionis quoquo modo pervenit[26]. Omnino prohibitus est confessario usus scientiae ex confessione acquisitae cum gravamine poenitentis, etiamsi est exclusum quodvis revelationis periculum. Quare superiores nullo modo uti possunt notitia, quam de peccatis in confessione hauserunt, ad externam gubernationem[27]. Ne talis usus accidere possit, prohibitum est magistro novitiorum eiusque socio, superiori seminarii collegiive audire sacramentales confessiones suorum alumnorum secum in eadem domo commorantium, nisi tamen in casibus particularibus alumni ex gravi et urgenti causa id sponte petunt[28].

4. Parochi omnesque alii, quibus cura animarum est demandata vi muneris, tenentur *ex iustitia* sive per se sive per alios audire confessiones fidelium sibi commissorum, quoties ii audiri rationabiliter petunt[29]. Urgente necessitate, omnes confessarii *ex caritate* tenentur audire confessiones fidelium, et in mortis periculo omnes sacerdotes[30]. Agitur enim de magno beneficio praestando indigenti.

CAPUT II.

De reservatione peccatorum.

Q. 305. *A quonam et quomodo peccata possint reservari?*

R. 1. Reservatio, quae est avocatio alicuius casus (peccati vel censurae) ad proprium tribunal, dempta potestate inferioris ab hoc casu

[19] III n. 454 sqq. [20] c. 888, § 1.

[21] c. 886. De absolutione danda aut differenda aut neganda latius tractatur in Man. theol. mor. III 438.

[22] c. 887. [23] c. 888, § 2. [24] c. 885. [25] c. 889, § 1.

[26] Ib. § 2. [27] c. 890. [28] c. 891. [29] c. 892, § 1. [30] Ib. § 2.

absolvendi, fieri potest ab iis, qui iure ordinario valent concedere facultatem audiendi confessiones aut ferre censuras. Excipiuntur autem vicarius capitularis et generalis, qui sine speciali mandato carent potestate sibi reservandi casus [31]. Reservationes in aliquo loco vigentes, utpote principaliter limitationes iurisdictionis confessarii, solent incurri etiam ab ignorantibus eas atque obligant quoque peregrinos [32]. Hic solummodo agitur de reservatione peccatorum; de censuris reservatis alibi sermo redibit.

2. Qui peccata sibi reservare possunt, sunt: S. Sedes, locorum Ordinarii, superior generalis religionis clericalis exemptae, abbas in monasterio sui iuris.

3. Unicum peccatum ratione sui reservatum S. Sedi est falsa denuntiatio, qua sacerdos innocens accusatur de crimine sollicitationis apud iudices ecclesiasticos [33]. Idem tamen peccatum plectitur etiam excommunicatione S. Sedi specialiter reservata, ut dicetur infra q. 599.

4. Locorum Ordinarii peccata ne reservent, nisi, re in synodo dioecesana discussa, vel extra synodum, auditis capitulo cathedrali et aliquot ex prudentioribus ac probatioribus suae dioecesis animarum curatoribus, vera reservationis necessitas aut utilitas comprobata fuerit [34]. Casus autem reservandi sint pauci omnino, tres scilicet vel ad summum quattuor ex gravioribus tantum et atrocioribus criminibus externis specifice determinatis. Deinde reservatio ne in vigore maneat diutius, quam necesse est ad publicum aliquod inolitum vitium exstirpandum et collapsam forte christianam disciplinam instaurandam [35]. Prorsus autem abstineant omnes a reservandis iis peccatis, quae iam sunt S. Sedi etiam ratione censurae reservata; immo et regulariter ab iis quoque, quibus censura nemini reservata a iure imposita est [36]. — Statutis semel reservationibus, quas vere necessarias aut utiles iudicaverunt, curare debent locorum Ordinarii, ut ad subditorum notitiam veniant, quo meliore ipsis videatur modo, e. gr. per instructiones a parochis datas. Neque Ordinarii locorum dent cuivis (etiam non excellenti) confessario facultatem absolvendi a reservatis [37], secus enim reservatio fit illusoria.

5. Superior generalis religionis clericalis exemptae et abbas monasterii sui iuris possunt quidem cum consensu proprii cuiusque consilii nonnulla peccata sibi reservare, sed debent in unaquaque domo religiosa pluribus confessariis dare facultatem absolvendi ab huiusmodi reservatis; immo si in casu particulari aliquis religiosus onustus tali peccato reservato adiret alium quemcumque confessarium ab Ordinario loci approbatum, posset valide et licite absolvi [38]. Ex quibus patet, reservationem peccatorum in religionibus clericalibus exemptis

[31] c. 893. [32] Pontif. Com. d. 24 Nov. 1920 (Acta Ap. Sed. XII 575).
[33] c. 894. [34] c. 895. [35] c. 897. [36] c. 898.
[37] c. 899, § 1. [38] c. 896.

fere nullius esse momenti practici. — Religiosi non exempti subduntur reservationibus Ordinarii loci, non autem religiosi exempti.

Q. 306. *Quomodo possint absolvi peccata reservata?*

R. 1. Reservatio potest cessare vel ipso iure vel ex facultate demandata ab eo, qui reservationem tulit, vel ab eius superiore aut successore.

2. *Quaevis reservatio* peccatorum cessat a) in periculo mortis poenitentis, ut iam supra q. 303 dictum est; b) cum confessionem peragunt sive aegroti, qui domo egredi non valent, sive sponsi matrimonii ineundi causa; c) quoties vel legitimus superior petitam pro aliquo determinato casu absolvendi facultatem denegaverit, vel, prudenti iudicio confessarii, absolvendi facultas a legitimo superiore peti nequeat sine gravi poenitentis incommodo aut sine periculo violationis sigilli sacramentalis; d) extra territorium reservantis, etiamsi dumtaxat ad absolutionem obtinendam poenitens eo discessit [39]. — Quamvis supradicta valeant de *quavis* reservatione peccatorum, tamen vix ullum practicum momentum habent nisi pro peccatis reservatis episcopo. Etenim est unum solum peccatum reservatum S. Sedi, nempe falsa denuntiatio confessarii, ut supra dictum est. Iamvero istud peccatum simul plectitur excommunicatione speciali modo S. Sedi reservata, a qua nequit ullo in casu absolvi, nisi poenitens falsam denuntiationem formaliter retractavit et damna forte causata pro viribus reparavit [40]. Ergo reservatio huius casus numquam cessat nisi a) in periculo mortis poenitentis; b) quando poenitens (aegrotus vel sponsus) non incurrit censuram e. gr. propter suam ignorantiam (non crassam) censurae. A peccatis autem superiori regulari reservatis potest aliis iisque facilibus modis absolvi, ut supra dictum est.

3. A peccatis reservatis Ordinario loci absolvere possunt: a) canonicus poenitentiarius ecclesiae et cathedralis et collegiatae. Haec facultas competit ei ex ipso iure [41]; b) vicarii foranei (ex habituali facultate ipsis ab episcopo commissa); quibus committatur facultas quoque subdelegandi confessarios sui districtus pro casu particulari; c) parochi aliive, qui parochorum nomine in iure censentur, i. e. quasi-parochi, vicarii, qui plena potestate paroeciali sunt praediti; haec facultas iis quidem ab ipso iure demandatur, sed ea uti nequeunt nisi toto tempore ad praeceptum Paschale adimplendum utili; d) singuli missionarii, quando missiones vel exercitia spiritualia ad populum habent [42].

CAPUT III.

De subiecto sacramenti poenitentiae.

Q. 307. *Quaenam sint obligationes subiecti poenitentiae?*

R. 1. Omnis homo, qui post baptismum peccata mortalia perpetravit, debet ea, quorum post diligentem sui discussionem con-

[39] c. 900. Iste canon agit de sola reservatione ratione peccati, non autem ratione censurae. Pontif. Com. d. 10 Nov. 1925 (Acta Ap. Sed. XVII 583).
[40] c. 2363. [41] c. 401, § 1. [42] c. 899, § 2 3.

scientiam habet, rite confiteri, et quidem non solum in globo, sed etiam secundum speciem et numerum atque secundum circumstantias, quae speciem peccati mutant. Haec obligatio est gravis et non solum in periculo mortis, sed etiam saltem semel in anno adimplenda[43]. Praecepto autem confitendi peccata non satisfacit ille, qui confessionem facit sacrilegam vel voluntarie nullam[44]. Peccata post baptismum commissa, sive mortalia potestate clavium iam directe remissa sive venialia, sunt materia quidem sufficiens sed non necessaria sacramenti poenitentiae[45], ac proinde possunt, sed non debent, declarari in confessione sacramentali.

2. Qui aliter confiteri non potest, non prohibetur, si velit, per interpretem confiteri peccata sua, praecavendo tamen abusus et scandala[46]. Sicut quilibet fidelis potest s. Eucharistiam sumere etiam secundum alium ritum, ita cuivis fideli integrum est, confessario legitime approbato etiam alius ritus, cui maluerit, peccata sua confiteri[47].

3. Poenitens debet sacerdotem, reum delicti sollicitationis in confessione, intra mensem denuntiare loci Ordinario vel S. Congregationi S. Officii; confessarius autem debet, graviter onerata eius conscientia, de hoc onere poenitentem monere[48]. De crimine sollicitationis ad turpia, de obligatione et modo denuntiationis latius egimus in Man. theol. moralis[49].

CAPUT IV.

De loco ad confessiones excipiendas.

Q. 308. *Quid statuat vigens Ecclesiae disciplina de loco ad confessiones excipiendas?*

R. 1. Sacramentalis confessionis proprius locus est ecclesia vel oratorium publicum aut semipublicum[50]. Ab hac regula generali dantur exceptiones. Sic e. gr. non solum clericorum sed etiam laicorum virorum confessiones etiam in aedibus privatis excipere licet[51]; aegrotorum aliorumque, qui nequeunt in publica ecclesia confiteri, e. gr. surdastrorum, confessiones possunt excipi in quolibet loco decenti; attamen si agitur de audiendis confessionibus feminarum, eae ne audiantur ordinarie extra sedem confessionalem nisi ex causa infirmitatis aliave verae necessitatis et adhibitis cautelis, quas Ordinarius loci opportunas iudicaverit[52]. Attendenda sunt igitur statuta particularia.

2. Sedes confessionalis ad audiendas mulierum confessiones semper collocetur in loco patenti et conspicuo, atque generatim in ecclesia vel oratorio publico semipublico mulieribus destinato. Sedes confessionalis crate fixa ac tenuiter perforata inter poenitentem[53] et con-

[43] c. 906. [44] c. 907. [45] c. 902. [46] c. 903. [47] c. 905. [48] c. 904. [49] III 461 sqq. [50] c. 908. [51] c. 910, § 2. [52] Ib. § 1.
[53] Etiam masculinum, nisi tamen viri confessio audiatur in domo privata. Pontif. Com. d. 24 Nov. 1920 (Acta Ap. Sed. XII 576).

fessarium sit instructa[54], immo insuper in audiendis confessionibus religiosarum saepe usuvenit velum spissum, ita ut confessarius et poenitens se invicem videre nequeant.

CAPUT V.

De indulgentiis.

Istud caput dividitur in duos articulos: 1. De indulgentiarum concessione. 2. De indulgentiis acquirendis.

ARTICULUS I.

De indulgentiarum concessione.

Q. 309. *Quinam concedere valeant indulgentias?*

R. Indulgentiae (quae sunt remissio coram Deo poenae temporalis debitae peccato actuali iam remisso quoad culpam, facta extra sacramentum poenitentiae ab ecclesiastica auctoritate) sunt ab omnibus magni faciendae; conceduntur autem ex thesauro Ecclesiae (sive per modum absolutionis pro vivis sive per modum suffragii pro defunctis):

a) a Summo Pontifice, cui totus thesaurus Ecclesiae a Christo commissus est, et qui hodie solet concedere indulgentias per S. Poenitentiariam;

b) ab iis, quibus id vel a iure vel a Summo Pontifice demandatum est. Ii, quibus ius demandat facultatem concedendi indulgentias, dicuntur habere potestatem ordinariam; alii potestatem dumtaxat delegatam, ut e. gr. Nuntii Apostolici. Potestatem *ordinariam* conferendi indulgentias habent α) Cardinales, qui possunt concedere: 200 dies[55], β) metropolitae in dioecesibus tam sua quam suffraganeorum: 100 dies[56], γ) episcopi in propria dioecesi: 50 dies[57]. Item Vicarii et Praefecti Apostolici[58]. Cum autem consecratur ecclesia aut altare, episcopus consecrator concedit indulgentiam unius anni ecclesiam vel altare visitantibus in ipsa consecrationis die; in die vero anniversaria 50 dierum, si est episcopus; 100, si est archiepiscopus; 200, si est Cardinalis[59].

Nota. Qui sunt inferiores Romano Pontifice, nequeunt:

1. facultatem concedendi indulgentias aliis committere, nisi id iis a S. Sede expresse fuit indultum;

2. indulgentias concedere defunctis applicabiles, nisi id sit indultum ex speciali privilegio, quale habent Nuntii Apostolici;

3. eidem rei seu actui pietatis vel sodalitio, cui iam a S. Sede vel ab alio indulgentiae concessae sunt, alias adiungere, nisi novae condiciones adimplendae praescribantur[60].

[54] c. 909. [55] c. 239, § 1, n. 24. [56] c. 274.
[57] c. 349, § 2, n. 2. Ex privilegio etiam nonnulli alii, e. gr. abbates, possunt concedere indulgentias.
[58] c. 294, § 2. [59] c. 1166, § 3. [60] c. 913.

Q. 310. *Quinam possint dare benedictionem papalem cum indulgentia plenaria?*

R. Praeter Summum Pontificem possunt dare benedictionem papalem cum indulgentia plenaria (secundum praescriptam formulam): 1. episcopi in sua quisque dioecesi *bis in anno*, hoc est: die sollemni Paschatis et alio die festo sollemni ab ipsis designando; 2. abbates vel praelati nullius, vicarii et praefecti apostolici (etsi episcopali dignitate carent) in suis territoriis *semel in anno*, idque uno ex sollemnioribus diebus. — Regulares, qui privilegium habent impertiendi benedictionem papalem, non solum debent servare formulam praescriptam, sed hoc privilegio uti nequeunt nisi in suis ecclesiis et in ecclesiis monialium vel tertiariorum suo ordini legitime aggregatorum; non autem eodem die et loco, quo episcopus eam impertiat[61].

Q. 311. *Quid statutum sit de altari privilegiato?*

R. 1. Altare privilegiatum dicitur indulgentia plenaria adnexa Missae dictae vel in certo altari vel a sacerdote privilegiato; ideoque distinguitur altare privilegiatum locale et personale[62]. Hic non loquimur nisi de altari privilegiato *locali*, quod debet esse stabile.

2. Episcopi, abbates vel praelati nullius, vicarii ac praefecti apostolici, superiores maiores religionis clericalis exemptae possunt designare et declarare unum altare privilegiatum cotidianum perpetuum, (dummodo aliud non habeatur), in suis ecclesiis cathedralibus, abbatialibus, collegiatis, conventualibus, paroecialibus, quasi-paroecialibus, non autem in oratoriis publicis vel semipublicis, nisi sint ecclesiae paroeciali unita seu eiusdem subsidiaria[63].

3. Die Commemorationis omnium fidelium defunctorum omnes Missae gaudent privilegio, ac si essent ad altare privilegiatum celebratae. Pariter omnia altaria ecclesiae per eos dies, quibus in ea peragitur supplicatio 40 horarum, sunt privilegiata[64].

4. Ut indicetur altare esse privilegiatum, nihil aliud inscribatur nisi *altare privilegiatum*, perpetuum vel ad tempus, cotidianum vel non, secundum concessionis verba[65]. Ergo vitetur inscriptio: altare privilegiatum pro vivis et defunctis. Ceterum hodie rarissime conceditur altare privilegiatum pro vivis, ita ut vivus pro quo Missa applicatur, lucretur indulgentiam plenariam. — Pro Missis celebrandis in altari privilegiato nequit, sub obtentu privilegii, maior exigi eleemosyna[66].

Q. 312. *Quid statutum sit de promulgatione ac de recta explicatione indulgentiarum?*

R. 1. Novae indulgentiae omnes, quae Romae promulgatae non sunt, ne pervulgentur inconsulto Ordinario loci[67]. In edendis libris, libellis, quibus concessiones indulgentiarum pro variis precibus aut piis operibus recensentur, requiritur expressa licentia S. Sedis, si agitur

[61] c. 915. [62] Cf. nostrum Man. theol. mor. III 564. [63] c. 916.
[64] c. 917. [65] c. 918, § 1. [66] Ib. § 2. [67] [illegible]

a) de collectione *authentica* precum piorumque operum, quibus S. Sedes indulgentias adnexuit; b) de elencho indulgentiarum, quae vocantur apostolicae; c) de summario indulgentiarum nunc primo edendo. In aliis casibus requiritur et sufficit licentia Ordinarii loci[68].

2. Qui a Summo Pontifice impetravit indulgentiarum concessiones pro *omnibus* fidelibus, sub poena nullitatis gratiae obtentae tenetur authentica exemplaria earundem concessionum ad S. Poenitentiariam deferre[69]. Haec delatio non est necessaria, si agitur de indulgentiis particularibus, e. gr. dandi benedictionem papalem, de indulgentiis concessis alicui confraternitati etc.

3. Indulgentia plenaria concessa pro festis D. N. I. Chr. vel festis B. M. V. intelligitur concessa dumtaxat pro festis, quae in kalendario universali (non particulari alicuius dioecesis vel ordinis) reperiuntur[70]. Indulgentia plenaria vel partialis concessa pro festis Apostolorum intelligitur concessa dumtaxat pro eorum festo natali[71].

Indulgentia plenaria concessa ut *cotidiana perpetua* vel *ad tempus* visitantibus aliquam ecclesiam vel publicum oratorium ita intelligenda est, ut quacumque die, sed *semel tantum in anno*, ab unoquoque fideli acquiri possit, nisi aliud in decreto expresse dicatur[72].

4. Indulgentiae adnexae festis vel sacris supplicationibus etc. *translatae* intelliguntur in eum diem, quo festa huiusmodi legitime transferuntur perpetuo vel cum sollemnitate et externa celebratione. Manet autem indulgentia pristino diei affixa, si transfertur festum tantummodo *ad tempus et absque sollemnitate ac externa celebratione*[73].

5. Ad lucrandam indulgentiam alicui diei affixam, si visitatio ecclesiae vel oratorii requiritur, haec fieri potest *a meridie* diei praecedentis usque ad mediam noctem, quae statutum diem claudit[74].

6. *Cessatio.* Indulgentiae adnexae alicui ecclesiae non cessant, si ecclesia funditus eversa rursus intra 50 annos aedificatur in eodem fere loco et sub eodem titulo[75].

Indulgentiae coronis aliisve rebus adnexae tunc tantum cessant, a) cum coronae aliaeve res prorsus esse desinunt; b) cum venduntur[76]. Ergo indulgentiae non cessant, si tales res ab aliis adhibentur, etiam indulgentias lucrandi causa[77]. Cum in coronis globuli et non catena benedicantur, indulgentiae non amittuntur, si globuli nova catena vel filo successive uniuntur.

ARTICULUS II.
De indulgentiis acquirendis.

Q. 313. *Quaenam ex parte subiecti requirantur ad lucrandas indulgentias?*

R. Ex parte subiecti ad lucrandas indulgentias requiritur:

[68] c. 919, § 2. [69] c. 920. [70] c. 921, § 1. [71] Ib. § 2. [72] Ib. § 3.
[73] c. 922 et S. Poenit. d. 18 Febr. 1921 (Acta Ap. Sed. XIII 165).
[74] c. 923. [75] c. 924, § 1. [76] Ib. § 2.

1. ut sit baptizatus, subditus concedentis, non excommunicatus et in statu gratiae saltem in fine operum praescriptorum[78]. Omnes homines baptizati sunt subditi Romano Pontifici, ac proinde omnes possunt lucrari indulgentias a Romano Pontifice concessas. Econtra indulgentias ab episcopo concessas non omnes lucrari possunt, sed solummodo a) eius subditi etiam extra dioecesim peregrinantes; b) omnes, etiam exempti et extranei, qui in dioecesi actu degunt[79]. — Si plura opera praescripta sunt ad aliquam indulgentiam acquirendam, sufficit, ut ultimum opus peragatur in statu gratiae sanctificantis.

2. ut habeat intentionem saltem generalem acquirendi indulgentias[80]. Sufficit autem, ut homo aliquando eliciat intentionem lucrandi omnes indulgentias, quarum est capax.

3. ut impleat opera iniuncta, idque statuto tempore et debito modo secundum concessionis tenorem[81]. Quantum ad opera iniuncta generaliter notandum est, requiri opera *supererogatoria*, et non sufficere opera iam aliunde praecepta, nisi tamen aliud expresse dicatur. Hinc e. gr. si praescribitur visitatio ecclesiae, non sufficit audire Missam dominicalem. Attamen a) qui perficit opus pro sacramentali poenitentia iniunctum, quocum coniuncta est indulgentia, eam lucratur[82]; b) si pro indulgentiis diversis lucrandis praescribuntur confessio et communio, una confessione et communione possunt diversae indulgentiae acquiri, nisi aliud expresse statutum est[83]. Si ad lucrandas indulgentias oratio in genere ad mentem Summi Pontificis praescribitur, *mentalis* quidem oratio non sufficit, sed quaecumque oratio *oralis* poterit pro arbitrio eligi, nisi peculiaris aliqua oratio assignatur[84]. Si peculiaris oratio assignata est, indulgentiae acquiri possunt, quocumque idiomate oratio recitatur; sed indulgentiae penitus cessant ob quamlibet additionem, detractionem vel interpolationem[85]. Nihil autem obstat, ne in recitatione rosarii addatur etiam post quodlibet Ave Maria mentio singulorum mysteriorum[86].

Ad indulgentiarum acquisitionem satis est orationem alternis cum socio recitare, *aut mente eam prosequi*, dum ab alio recitatur[87]. Pia opera ad lucrandas indulgentias iniuncta confessarii possunt in alia commutare pro iis, qui, legitimo detenti impedimento, eadem praestare nequeunt[88]. Immo muti possunt indulgentias lucrari adnexas publicis precibus, si una cum fidelibus in eodem loco orantibus mentem ad Deum attollunt; sin autem agitur de privatis precibus, satis est, ut eas mente recolant signisve effundant vel tantummodo oculis percurrant[89]. — Specialia notanda sunt de visitatione ecclesiae, communione et confessione forte praescriptis ad indulgentias lucrandas.

[78] c. 925, § 1. [79] c. 927. [80] c. 925, § 2. [81] Ib. [82] c. 932. [83] c. 933. [84] c. 934, § 1. [85] Ib. § 2. [86] S. Poenit. d. 22 Ian. 1921 (Acta Ap. Sed. XIII 164). [87] c. 934, § 3. [88] c. 935. [89] c. 936.

Visitatio ecclesiae *determinatae* utique peragenda est, sicuti praescripta est, nisi adsit speciale privilegium aut confessarius legitime impeditos dispensaverit; attamen si haec visitatio facienda est statuto die, potest etiam pridie fieri a *meridie*, ut iam supra dictum est. Si visitatio alicuius ecclesiae in genere praescripta est, tunc fideles omnes, qui in domibus ecclesia vel publico sacello carentibus, de consensu Ordinarii constitutis, vitam communem agunt (ut in collegiis, hospitalibus etc.), itemque personae omnes ad illis ministrandum ibidem commorantes, possunt visitare propriae domus sacellum, in quo obligationi audiendi sacrum iure satisfacere possunt[90].

Communio et confessio praescriptae possunt fieri tota octava, quae sequitur diem statutum. Confessio potest quoque peragi intra octo dies qui immediate praecedunt diem statutum; communio autem pervigilio quoque eiusdem diei[91]. Immo christifideles, qui solent, nisi legitime impediuntur, aut saltem bis in mense ad poenitentiae sacramentum accedere, aut s. communionem in statu gratiae et cum recta piaque mente recipere cotidie, quamvis semel aut iterum per hebdomadam ab eadem abstineant, possunt omnes indulgentias consequi, etiam sine confessione, quae ceteroquin ad eas lucrandas necessaria foret, exceptis indulgentiis sive iubilaei ordinarii et extraordinarii sive ad instar iubilaei[92]. Quare e. gr. sacerdos fere cotidie dicens Missam potest lucrari omnes fere indulgentias etiam sine confessione, dummodo alia opera praescripta peragat.

4. ut indulgentias acquirat vel pro semetipso vel pro animabus in purgatorio. Nemo autem lucrari potest indulgentias pro aliis vivis[93].

Nota. 1. Plenaria indulgentia ita concessa intelligitur, ut, si quis eam plenarie lucrari non possit (e. gr. propter eius insufficientem dispositionem), eam tamen partialiter lucretur pro dispositione, quam habet[94].

2. Plenaria indulgentia, nisi aliud expresse cautum est (ut e. gr. in indulgentiis Toties-Quoties), acquiri potest semel tantum in die, quamvis idem opus praescriptum pluries ponatur. Nihil autem obstat, ne quis lucretur plures indulgentias plenarias ob diversa opera vel ob diversos titulos; pariter nihil obstat, ne quis partiales indulgentias lucretur pluries in die eodem opere repetito, nisi tamen contrarium sit expresse notatum[95].

TITULUS V.

De extrema unctione.

Iste titulus dividitur in tria capita: 1. De ministro. 2. De subiecto. 3. De ritibus et caerimoniis extremae unctionis.

CAPUT I.

De ministro extremae unctionis.

Q. 314. *Quis sit minister extremae unctionis?*

R. Solus sacerdos est minister sacramenti extremae unctionis. Exceptis casibus supra q. 243 enumeratis minister ordinarius huius

[90] c. 929. [91] c. 931, § 1. [92] Ib. § 3. [93] c. 930. [94] c. 926. [95] c. 928.

sacramenti est parochus loci, in quo degit infirmus; in casu autem necessitatis vel de licentia saltem rationabiliter praesumpta eiusdem parochi vel Ordinarii loci alius quilibet sacerdos hoc sacramentum licite administrare potest[1]. Sublata est censura prius exsistens contra regulares praesumentes administrare extremam unctionem laicis. Parochus ex iustitia, et quidem sub gravi tenetur hoc sacramentum per se vel per alium suis subditis administrare; in casu autem necessitatis ex caritate quilibet sacerdos[2].

CAPUT II.

De subiecto extremae unctionis.

Q. 315. *Quis sit subiectum extremae unctionis?*

R. 1. Subiectum extremae unctionis est fidelis qui post adeptum usum rationis ob infirmitatem vel senium (non autem ob aliquam causam externam) in periculo mortis versatur[3]. In eadem autem infirmitate hoc sacramentum iterari non potest, nisi infirmus post susceptam unctionem convaluerit et in aliud vitae discrimen inciderit[4].

2. Denegandum est hoc sacramentum illis, qui impoenitentes in manifesto peccato mortali perseverant, e. gr. concubinariis, francomuratoribus impoenitentibus.

3. *Sub condicione* („si es capax") hoc sacramentum administrandum est, si dubitatur, a) num infirmus usum rationis attigerit; b) num in periculo mortis revera versetur; c) num mortuus sit; d) num in peccato mortali contumaciter perseveret[5].

4. Infirmis, qui nunc quidem mentis sunt impotentes, sed qui, cum suae mentis compotes essent, illud sacramentum saltem implicite petierunt (e. gr. vita religiosa) aut verisimiliter petiissent, extrema unctio *absolute* praebeatur[6].

5. Quamvis hoc sacramentum per se non sit de necessitate salutis, nemini tamen licet illud negligere. Quare omni studio et diligentia curandum est, ut infirmi, dum sui plene compotes sunt, illud recipiant[7].

CAPUT III.

De ritibus et caerimoniis extremae unctionis.

Q. 316. *Quid sit statutum de infirmorum oleo atque unctione?*

R. 1. Oleum olivarum, in sacramento extremae unctionis adhibendum, debet esse ad hoc benedictum ab episcopo, vel a presbytero, qui facultatem illud benedicendi a S. Sede obtinuit[8]. Istud autem oleum loco nitido et decenter ornato in vase argenteo vel stanneo diligenter custodiatur, idque nunquam in tabernaculo ss. sacramenti nec etiam domi, nisi propter necessitatem aliamve rationabilem causam accedente Ordinarii licentia[9]. Oleum catechumenorum vel etiam chrisma est materia dubie valida huius sacramenti.

2. Unctiones verbis, ordine et modo in libris ritualibus praescripto, accurate peragantur, in casu autem necessitatis sufficit unica unctio in fronte cum praescripta forma breviore: „Per istam sanctam unctionem indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti. Amen." Sed si periculum cessavit, singulae unctiones omnes supplendae sunt idque absolute et non condicionate[10]. Tunc enim, cum moralis unio inter diversas unctiones adhuc exsistat, unum sacramentum administratur.

3. Unctio renum semper omittatur; ergo etiam in viris; unctio autem pedum ex qualibet rationabili causa omitti potest[11]. Extra casum gravis necessitatis, si e. gr. adest grave periculum contagionis, unctiones ipsa ministri manu nulloque adhibito instrumento fiant[12].

[1] c. 938. [2] c. 939. [3] c. 940, § 1. [4] Ib. § 2. [5] c. 941 et 942. [6] c. 943. [7] c. 944. [8] c. 945.

TITULUS VI.

De ordine.

Iste titulus dividitur in 6 capita: 1. De ministro. 2. De subiecto. 3. De iis, quae ordinationi praeire debent. 4. De ritibus et caerimoniis sacrae ordinationis. 5. De tempore et loco s. ordinationis. 6. De adnotatione ac testimonio peractae ordinationis. Praemittuntur autem quaedam notiones generales: 1. Ordo ex Christi institutione clericos a laicis in Ecclesia distinguit illosque ordinat ad fidelium regimen et cultus divini ministerium[1].

2. Sub nomine ordinum maiorum vel sacrorum intelliguntur: presbyteratus, diaconatus, subdiaconatus; ordines autem minores vocantur: acolythatus, exorcistatus, lectoratus, ostiariatus[2].

3. In iure verba: ordinare, ordo, ordinatio, sacra ordinatio, comprehendunt praeter consecrationem episcopalem septem ordines modo enumeratos et insuper primam tonsuram, nisi aliud ex natura rei vel ex contextu verborum eruatur[3]. Prima tonsura tamen non est ordo proprie dictus.

CAPUT I.

De ministro s. ordinationis.

Q. 317. *Quis sit minister s. ordinationis?*

R. 1. Minister ordinarius s. ordinationis est episcopus consecratus, minister vero extraordinarius est sacerdos, qui a iure vel a S. Sede per peculiare indultum potestatem accepit conferendi ordines minores[4]. Huiusmodi sacerdotes privilegiati sunt: a) Cardinales[5]; b) vicarius et praefectus apostolicus, abbas vel praelatus nullius, qui possunt in proprio territorio et durante munere suo conferre primam tonsuram et ordines minores, idque tam propriis subditis quam aliis, qui litteras dimissorias iure requisitas exhibeant; ordinatio autem extra hos limites ab iisdem peracta irrita est[6]; si autem isti charactere

[9] c. 946. [10] c. 947, § 1. S. Offic. d. 9 Mart. 1917. [11] Ib. § 2 3. [12] Ib. § 4. [1] c. 948. [2] c. 949. [3] c. 956. [4] c. 951. [5] c. 239, § 1, n. 22. [6] c. 957, § 2.

episcopali pollent, episcopo dioecesano aequiparantur[7]; d) abbas regularis de regimine, qui potest primam tonsuram et ordines minores conferre, dummodo benedictionem abbatialem legitime acceperit et dummodo agatur de ordinandis propriis subditis saltem vi professionis simplicis[8].

2. Nemini licet ordinatum a Romano Pontifice ad altiorem ordinem promovere sine facultate S. Sedis[9].

3. Consecratio episcopalis reservatur Romano Pontifici, ita ut nulli episcopo liceat quemquam consecrare episcopum, nisi prius constat de pontificio mandato[10]. Episcopus autem sic a Romano Pontifice delegatus debet alios duos episcopos adhibere, qui sibi in consecratione assistant, nisi hac super re a S. Sede dispensatum fuit[11].

4. Episcopus nequit licite ordinare nisi proprios subditos aut rite ad se dimissos. De his rebus ponitur specialis quaestio.

Q. 318. *Quis sit episcopus proprius s. ordinationis et quid statutum sit de litteris dimissoriis?*

R. 1. Cum unusquisque regulariter ordinandus sit a proprio episcopo, oportet scire, quinam sit proprius ordinandi episcopus. Antiquis temporibus fuerunt quattuor, nunc autem non sunt nisi duo tituli *competentiae*, ex quibus episcopus fit proprius, sc. a) titulus domicilii una cum origine; b) titulus domicilii sine origine. In primo casu ordinandus debet habere in dioecesi episcopi ordinantis et originem et actuale domicilium; in altero vero casu ordinandus debet habere solummodo actuale domicilium, sed insuper debet animum perpetuo manendi in dioecesi iureiurando firmare, nisi agatur a) de clerico ad ordines promovendo, qui dioecesi iam incardinatus est per primam tonsuram, vel b) de promovendo alumno, qui servitio alterius dioecesis destinatus est[12], vel c) de promovendo religioso professo[13]. Episcopus igitur proprius cuiusque religiosi professi (quantum ad ordinationem) est episcopus dioecesis, in qua sita est domus religiosa, ad cuius familiam ordinandus pertinet[14]. Caveant autem superiores religiosi, ne in fraudem episcopi dioecesani subditum ordinandum ad aliam religiosam domum mittant[15]. Ordinatio autem religiosorum professorum non exemptorum generatim regitur iure saecularium[16]. Attamen talis religiosus (et a fortiori religiosus exemptus), qui ordinatur ab episcopo domicilii, non debet iurare, se velle perpetuo manere in dioecesi.

[7] c. 957, § 1. [8] c. 964, n. 1. [9] c. 952.
[10] c. 953. [11] c. 954.
[12] Iste casus haud raro accidit e. gr. pro alumnis oriundis ex Hollandia, qui student in Universitate Friburgensi Helvetiorum et destinati sunt pro dioecesibus Americanis. Duplex modus procedendi praesto est: 1. Indultum apostolicum obtineatur de talibus ordinandis. 2. Tales ordinandi, si retineant adhuc domicilium originis, ordinentur ad primam tonsuram ab episcopo originis, sed cum destinatione ad certam futuram dioecesim.
[13] c. 956. [14] c. 965. [15] c. 967. [16] c. 964, n. 4.

2. Episcopus proprius, iusta causa non impeditus, per se ipse suos subditos ordinet, sed si habet subditos ritus orientalis, illos licite ordinare non potest sine indulto apostolico[17].

3. **Litterae dimissoriae** tunc necessariae sunt, quando ordinandus non est sub iurisdictione ordinaria episcopi ordinantis. Tales litteras dimissorias concedere possunt pro *saecularibus* (quamdiu iurisdictionem in territorio retinent):

a) Episcopus proprius, postquam possessionem suae dioecesis legitime cepit, licet nondum sit consecratus.

b) Vicarius generalis, ex speciali tamen mandato episcopi.

c) Vicarius capitularis, sed solummodo de consensu capituli et post annum elapsum a sede vacante. Intra annum vero solis „*arctatis*“ ratione beneficii recepti vel recipiendi aut ratione certi alicuius officii, cui propter necessitatem dioecesis sine dilatione est providendum.

d) Vicarius ac praefectus apostolicus, abbas vel praelatus nullius, licet episcopali charactere careant (etiam ad ordines maiores)[18].

e) Rectores seminariorum et collegiorum pro missionibus institutorum, quae dependent a S. Congregatione de Prop. Fide[19].

Pro religiosis *exemptis* proprius superior maior concedit litteras dimissorias, quas tamen subditis *a votis simplicibus* temporariis nequit concedere nisi ad primam tonsuram et ordines minores[20]. Ordinatio religiosorum *non exemptorum* regitur iure saecularium[21], ac proinde litterae dimissoriae pro istis religiosis concedendae sunt sicut pro saecularibus clericis. Pleraeque tamen religiones iuris pontificii, quamvis nòn exemptae, habent privilegia concedendi litteras dimissorias suis subditis.

4. Illi, qui clericis saecularibus et religiosis non exemptis litteras dimissorias concedunt, possunt eas dirigere ad quemcumque episcopum dignum (non alterius ritus)[22]; sed superior maior religionis exemptae debet ordinarie dirigere litteras dimissorias ad episcopum, in cuius dioecesi sita est domus religiosa, ad quam ordinandus pertinet. Tunc tantum potest litteras dimissorias dirigere ad alium episcopum, cum episcopus dioecesanus aut licentiam dedit aut est diversi ritus aut est absens aut non est ordinationem habiturus proximo legitimo tempore, vel denique cum dioecesis vacat, nec is, qui eam regit, charactere episcopali pollet[23]. Necesse est, ut singulis in casibus id episcopo ordinaturo constet ex authentico testimonio curiae episcopalis[24]. Caveant autem superiores religiosi, ne concessionem litterarum dimissoriarum de industria in id tempus differant, quo episcopus vel abfuturus vel nullas habiturus est ordinationes[25].

5. Qui potest litteras dimissorias ad ordines recipiendos dare, potest quoque eosdem ordines conferre per se ipse, si necessariam ordinis potestatem habet[26]. Haec regula generalis valet pro iis, qui saecularibus

[17] c. 955, § 2. [18] c. 958, § 1. [19] Acta Ap. Sed. XIII (1921) 259.
[20] c. 964, n. 2 et 3. [21] Ib. n. 4. [22] c. 961. [23] c. 966, § 1.
[24] Ib. § 2. [25] c. 967. [26] c. 959.

concedunt litteras dimissorias; pro religiosis autem exemptis solummodo valent quantum ad ordines minores suscipiendos a subditis alicuius abbatis regularis de regimine. Ceteri enim superiores religiosi nullam habent potestatem ordines conferendi. Soli abbates nullius episcopali charactere insigniti possunt omnibus suis subditis ss. ordines conferre.

6. Litterae dimissoriae ne concedantur, nisi habitis antea omnibus testimoniis, quae iure exiguntur; sc. promovendus *saecularis* aut *religiosus non exemptus* debet habere quattuor testimonia:

a) Testimonium ultimae ordinationis aut, si de prima tonsura agitur, recepti baptismatis et confirmationis.

b) Testimonium de peractis studiis pro singulis ordinibus requisitis.

c) Testimonium rectoris seminarii aut sacerdotis, cui candidatus extra seminarium commendatus fuit, de bonis eiusdem candidati moribus.

d) Testimoniales litteras Ordinarii loci, in quo promovendus tantum temporis commoratus est, ut canonicum impedimentum contrahere ibi potuerit. Tale tempus censetur pro militibus trimestre, pro aliis semestre, post pubertatem, nisi episcopus ordinans prudenter etiam brevius tempus in casu particulari determinet[27]. Si promovendus per tot dioeceses vagatus est, ut impossibile vel nimis difficile sit, omnes litteras testimoniales exquirere, provideat Ordinarius saltem per iuramentum suppletorium a promovendo praestandum[28].

Promovendus autem *religiosus exemptus* habeat litteras testimoniales sui superioris maioris, qui debet testari promovendum emisisse professionem religiosam, esse de familia domus religiosae sibi subditae, et etiam de studiis peractis aliisque de iure requisitis[29].

7. Quilibet episcopus, acceptis legitimis litteris dimissoriis, alienum subditum licite ordinat[30]. Litterae autem dimissoriae possunt ab ipso concedente vel ab eius successore limitari aut revocari, sed semel concessae non exstinguuntur resoluto iure dantis[31], e. gr. per mortem aut translationem episcopi.

8. *Poenae,* quas incurrunt ii, qui sine debitis litteris testimonialibus aut dimissoriis ordines contulerunt vel receperunt, indicabuntur infra lib. V, tit. 16 (q. 600 sq.).

CAPUT II.

De subiecto s. ordinationis.

Q. 319. *Quis sit subiectum s. ordinationis.*

R. 1. Subiectum *validae* s. ordinationis est solus vir baptizatus cuiuscumque aetatis; ad *licite* autem recipiendam s. ordinationem requiruntur multae qualitates, de quibus infra singulariter sermo erit. — Nemo habet strictum ius ad s. ordinationem; ideoque proprius episcopus vel superior religiosus maior potest suis clericis ex quavis canonica causa (occulta quoque) etiam extraiudicialiter, ascensum ad ordines interdicere, salvo

[27] c. 994. [28] Ib. § 2. [29] c. 995; cf. formularium in appendice II.
[30] c. 962. [31] c. 963.

tamen iure recursus ad S. Sedem vel etiam ad moderatorem generalem, si agitur de religiosis, quibus ascensum interdixit superior provincialis[32]. Nefas est quemquam quovis modo, ob quamlibet rationem, ad statum clericalem cogere vel canonice idoneum ab eodem avertere[33]. Ratio est obvia, cum agatur de re gravissima.

2. Curandum est, ut adspirantes ad ss. ordines inde a teneris annis in seminario recipiantur. Quodsi hoc est difficile, omnes tenentur ibidem commorari saltem per integrum s. theologiae cursum, nisi Ordinarius in casibus peculiaribus, gravi de causa, dispensavit[34]. Cum tamen aliquando bonum sit, ut adspirantes ad statum clericalem incumbant theologicis studiis in publicis Universitatibus, isti adspirantes aut vivant in convictu clericali aut saltem commendentur pio et idoneo sacerdoti, qui iis invigilet eosque ad pietatem informet[35].

ARTICULUS I.

De requisitis in subiecto s. ordinationis.

Q. 320. *Quaenam conditiones requirantur ex parte subiecti ad licitam susceptionem s. ordinationis?*

R. Ut quis licite ordinari possit, requiruntur:

1. *Vocatio divina,* de qua late egimus in Man. theol. mor. III 602.

2. *Recepta sacra confirmatio.*

3. *Status gratiae.* Ordo est enim sacramentum vivorum.

4. *Mores ordini recipiendo congruentes.* De hac re statuitur: „episcopus ss. ordines nemini conferat, quin ex positivis argumentis moraliter certus sit de eius canonica idoneitate; secus non solum gravissime peccat, sed etiam periculo sese committit alienis communicandi peccatis“[36]. Insuper statutum est, ut ordinatus superiores ordines recipere recusans neque possit ab episcopo ad eos recipiendos cogi neque prohiberi a receptorum ordinum exercitio, nisi impedimento canonico detinetur aliave gravis, iudicio episcopi, obest causa[37].

5. *Aetas canonica,* sc. 21. aetatis annus completus pro subdiaconatu, 22. annus completus pro diaconatu, 24. annus completus pro presbyteratu[38], 30. annus completus pro episcopatu[39]. Nulla aetas canonica tonsurae et ordinibus minoribus praefinitur; istae tamen ordinationes nequeunt recipi ante inceptum cursum theologicum.

6. *Debita scientia,* sc. nemo ad primam tonsuram promoveatur ante inceptum cursum theologicum; ad subdiaconatum nisi exeunte tertio cursus theologici anno; ad diaconatum nisi incepto quarto anno; ad presbyteratum nisi post medietatem eiusdem quarti anni. Cursus autem theologicus peractus esse debet non privatim, sed in scholis ad id institutis[40].

[32] c. 970. [33] c. 971. [34] c. 972, § 1. [35] Ib. § 2. Cf. infra q. 413.
[36] c. 973, § 3. [37] Ib. § 2. [38] c. 975. [39] c. 331, § 1, n. 2.
[40] c. 976. Nunquam potest aliquis clericus ministerium animarum exercere, e. gr. confessiones audiendo, ante quartum annum studii theologici completum, nisi Curia Romana dederit specialem licentiam. Per tale enim ministerium solet

7. *Ordinum inferiorum susceptio gradatim facta,* cum sic dicta ordinatio per saltum graviter prohibeatur et puniatur[41]. Ordines suscepti per saltum sunt validi, excepto episcopatu, quem non antecessit valida ordinatio sacerdotalis.

8. *Interstitiorum observatio,* sc. inter primam tonsuram et ostiariatum vel inter singulos ordines minores interstitia committuntur prudenti iudicio episcopi, ita tamen ut iam amplius non liceat primam tonsuram conferre una cum aliquo ex ordinibus minoribus, neque omnes ordines minores una simul[42], (nisi tamen adsit consuetudo legitima). Inter acolythatum et subdiaconatum sint interstitia saltem unius anni; inter subdiaconatum et diaconatum, inter diaconatum et presbyteratum sint interstitia trium mensium. Ab interstitiis episcopus potest dispensare, si id necessitas aut utilitas ecclesiae expostulat; numquam tamen nisi de peculiari licentia Romani Pontificis, possunt conferri eidem uno eodemque die ordines minores cum subdiaconatu, vel duo sacri ordines[43]. Eandem facultatem habent quoque superiores regulares (omnesque qui participant eorum privilegia) circa proprios subditos[44].

9. *Titulus canonicus,* si agitur de ordinibus maioribus. Titulus canonicus *sustentationis* pro clericis saecularibus est titulus *beneficii,* eoque deficiente, titulus *patrimonii* aut *pensionis.* Ergo iuxta vigentem disciplinam pro clericis saecularibus non datur ex iure communi nisi unus titulus ordinarius, sc. beneficii ecclesiastici, et tres tituli subsidiarii, sc. patrimonii, pensionis, servitii dioecesis, de quo infra. Titulus debet esse vere securus pro tota ordinati vita et vere sufficiens ad congruam eiusdem sustentationem, prout Ordinarius determinavit[45]. Si ordinatus titulum amisit, alium sibi provideat, nisi, iudicio episcopi, eius congruae sustentationi aliter cautum est. Quod quidem praesertim valet pro religiosis saecularizatis. Qui sine apostolico indulto suum subditum ad ordines maiores scienter promovit absque titulo canonico, ipse eiusque successores debent eidem egenti alimenta necessaria praebere, donec congruae eiusdem sustentationi aliter provisum fuit[46]. Sin autem episcopus aliquem ordinavit sine titulo canonico, cum pacto ut ordinatus non petat ab ipso alimenta, hoc pactum omni vi caret[47]. Si titulus neque beneficii neque patrimonii neque pensionis praesto est, suppleri potest titulo servitii dioecesis et in locis S. Cong. de Prop. Fide subiectis titulo missionis, ita tamen ut ordinandus, iureiurando interposito, se devoveat perpetuo dioecesis aut missionis servitio sub Ordinarii loci pro tempore auctoritate. Ordinarius debet presbytero, quem promovit titulo servitii ecclesiae vel missionis, officium vel beneficium vel subsidium ad congruam eiusdem sustentationem sufficiens conferre[48].

graviter impediri studium. Ita decrevit S. Congregatio de Rel. d. 27 Oct. 1923 (Acta Ap. Sed. XV 549). Quod quidem decretum videtur attingere clericos quoque saeculares, cum eadem sit ratio.

[41] c. 977 et 2374. [42] c. 978, § 3. [43] Ib. § 2 3.
[44] Cf. *Leo XIII,* Const. „Plura inter" d. 11 Iul. 1826. [45] c. 979.
[46] c. 980, § 2. [47] Ib. § 3. [48] c. 981.

Pro regularibus (votorum sollemnium) titulus canonicus est sollemnis *religiosa professio* seu *titulus paupertatis.* Pro religiosis votorum simplicium perpetuorum est *titulus mensae communis* congregationis aliusve similis ad normam constitutionum uniuscuiusque religionis. Ceteri religiosi omnes (sive exempti sive non) iure saecularium reguntur quantum ad ordinationis titulum[49].

10. *Immunitas ab irregularitatibus et impedimentis* s. ordinationis. Sed de his agitur in speciali articulo.

ARTICULUS II.

De irregularitatibus aliisque impedimentis.

Q. 321. *Quaenam sint iuxta vigentem disciplinam irregularitates et impedimenta s. ordinationis?*

R. 1. Irregularitates, quae sunt impedimenta *de se perpetua* quae primario ordinum susceptionem et secundario eorum exercitium prohibent, sunt septem ex defectu et septem ex delicto; item septem impedimenta temporaria s. ordinationis exsistunt.

2. Sunt irregulares **ex defectu:**

a) Illegitimi (sive illegitimitas sit publica sive occulta), nisi fuerint legitimati per subsequens matrimonium vel per rescriptum Rom. Pontificis vel per sollemnem professionem.

b) Corpore vitiati, qui secure propter debilitatem vel decenter propter deformitatem altaris ministerio defungi non valent, e. gr. caeci, claudi, carentes brachio vel etiam pollice. Episcopi est iudicare in dubio, num adsit irregularitas ex hoc capite, attendens, ad impediendum *exercitium* ordinis legitime recepti graviorem requiri defectum quam ad recipiendum ordinem[50].

c) Qui epileptici vel amentes vel a daemone possessi sunt vel fuerunt; quodsi post receptos ordines tales evaserint et iam liberos esse certo constat, Ordinarius potest suis subditis receptorum ordinum exercitium rursus permittere.

d) Bigami, qui nempe duo vel plura matrimonia valida successive contraxerunt. Bigamia sic dicta interpretativa iam non constituit irregularitatem. Bigamia vero similitudinaria est tertia inter irregularitates *ex delicto.*

e) Qui infamia iuris notantur. De infamia iuris longior sermo erit in tractatu de poenis q. 577. Hic solummodo breviter notatur, hanc infamiam non incurri nisi in septem casibus in iure expressis[51].

f) Iudex, qui mortis sententiam tulit. Haec irregularitas, quae antiquitus vocata est defectus lenitatis, restricta est ad solos iudices sive singulares sive collegiales (vulgo jury), qui sententiam mortis tulerunt.

[49] c. 982. [50] c. 984, n. 2.
[51] Cf. cc. 2314 2320 2328 2343 2351 2356 2357.

g) Qui munus carnificis susceperunt eorumque voluntarii ac immediati ministri in exsecutione capitalis sententiae. Milites, qui munere coacti occidunt reum, non videntur hanc irregularitatem incurrere.

3. Sunt irregulares **ex delicto**[52]:

a) Apostatae a fide, haeretici, schismatici. Ergo sic dicti „Convertiti“ videntur hac irregularitate ligari (saltem in foro externo).

b) Qui, praeterquam in casu extremae necessitatis, baptismum ab acatholicis quovis modo sibi conferri siverunt.

c) Qui matrimonium attentare aut civilem tantum actum ponere ausi sunt, vel ipsimet vinculo matrimoniali aut ordine sacro aut votis religiosis etiam simplicibus ac temporariis ligati, vel cum muliere iisdem votis adstricta aut matrimonio valido coniuncta. Haec irregularitas est magis extensa, quam in antiquo iure fuit irregularitas ex bigamia similitudinaria. Se extendit enim etiam ad eos, qui sunt ligati votis simplicibus vel vinculo matrimoniali.

d) Qui voluntarium homicidium perpetrarunt aut foetus humani abortum procuraverunt, effectu secuto, omnesque cooperantes. Hac irregularitate non puniuntur, qui alium occiderunt in legitima defensione, cum legitima defensio non sit delictum.

e) Qui se ipsos vel alios mutilaverunt vel sibi vitam adimere tentaverunt. Requiritur gravis mutilatio.

f) Clerici medicam vel chirurgicam artem sibi vetitam exercentes, si exinde mors sequatur.

g) Qui actum ordinis, clericis in ordine sacro constitutis reservatum, ponunt, quando vel eo ordine carent vel ab eius exercitio sunt prohibiti poena aliqua canonica, e. gr. aliqua censura vel poena vindicativa.

Nota. Haec delicta irregularitatem non pariunt, nisi fuerint peccata a) gravia, b) externa (sive publica sive occulta), c) post baptismum commissa (excepto tamen ipso abusu baptismi supra allato)[53].

4. Sunt simpliciter **impediti** ad tempus:

a) „Filii acatholicorum, quamdiu parentes in suo errore permanent.“ Ergo iam non prohibentur recipere ss. ordines, si avus est haereticus. Pariter, si parentes acatholici mortui sunt. Econtra impeditis adnumerandi sunt, si unus solus parens est acatholicus, alter vero catholicus. Id valet quoque de filiis ortis ex matrimoniis mixtis cum debita dispensatione celebratis[54].

b) Viri uxorem habentes. Quare mutata est vetus disciplina permittens, ut vir ss. ordines recipiat, si uxor libere in monasterium intrat.

[52] c. 985. [53] c. 986.
[54] Pontif. Com. d. 16 Oct. 1919 (Acta Ap. Sed. XI 478) declaravit hoc impedimentum exsistere etiam si alteruter parens est acatholicus; postea autem d. 14 Iul. 1922 (Acta Ap. Sed. XIV 528) eadem Pontif. Com. (mutando vetus ius) restrinxit impedimentum ad filium, cuius pater est acatholicus. Nihilominus prima decisio Pontif. Com. non videtur esse revocata.

c) Qui officium vel administrationem gerunt clericis vetitam, cuius rationes reddere debent, donec, deposito officio et administratione atque rationibus redditis, liberi facti sunt.

d) Servi servitute proprie dicta ante acceptam libertatem.

e) Qui ad *ordinarium* (non ad supplementare) militare servitium civili lege adstringuntur, antequam illud expleverint.

f) Neophyti, donec iudicio Ordinarii, sufficienter probati fuerint. Illi igitur, qui ex infidelitate convertuntur, nequeunt statim amplecti statum clericalem.

g) Qui infamia *facti* laborant, dum ipsa, iudicio Ordinarii, perdurat. Infamia facti contrahitur, quando quis ob patratum delictum vel ob pravos mores bonam existimationem apud fideles probos et graves amisit, de quo iudicium spectat ad Ordinarium. De infamia facti infra erit sermo specialis q. 577.

Q. 322. *Quomodo tollantur irregularitates et impedimenta s. ordinationis?*

R. 1. Non tolluntur *ignorantia,* quippe quae iam non excuset neque ab irregularitatibus neque ab impedimentis[55].

2. Impedimenta s. ordinationis tolluntur etiam lapsu temporis, irregularitates non nisi dispensatione. Ab omnibus irregularitatibus dispensare potest Summus Pontifex; ab irregularitatibus ex delicto *occulto* provenientibus potest dispensare Ordinarius (episcopus, superior maior religiosus). Excipitur a) irregularitas orta ex homicidio voluntario vel procuratione abortus, b) irregularitas deducta ad forum iudiciale[56]. Eadem facultate, quam habet Ordinarius, pollet quilibet confessarius in casibus occultis *urgentioribus,* in quibus Ordinarius adiri nequit et periculum imminet gravis damni vel infamiae, sed ad hoc dumtaxat, ut poenitens ordines iam susceptos *exercere* licite valeat[57]. Uno verbo: confessarius potest dispensare ad exercendos, non autem ad suscipiendos ordines. Ab irregularitate incursa propter procurationem abortus nemo potest dispensare nisi Curia Romana. Attamen cum nulla lex positiva obliget cum magno incommodo, taliter irregularis potest ordines suscipere et exercere, si secus incurreret gravem infamiam; debet autem tunc quantocius petere dispensationem a S. Poenitentiaria.

3. In precibus pro irregularitatum ac impedimentorum dispensatione *omnes* irregularitates ac impedimenta indicanda sunt; secus dispensatio *generalis* valebit quidem etiam pro reticitis bona fide (excepta irregularitate ob homicidium vel procurationem abortus contracta aut ea, quae ad forum iudiciale deducta est), non autem pro reticitis mala fide[58].

4. Irregularitates et impedimenta multiplicantur ex diversis eorundem causis, non autem ex repetitione eiusdem causae, nisi agatur de irregularitate ex homicidio voluntario[59]. Hinc e. gr. qui quattuor homicidia commisit, quattuor irregularitates quoque contraxit atque istum numerum delictorum in precibus dispensationis exprimere debet sub

[55] c. 988. [56] c. 990, § 1. [57] Ib. § 2. [58] c. 991, § 1. [59] c. 989.

poena nullitatis concedendae dispensationis[60]. Idem probabiliter valet de multiplici abortu patrato etiam foetus nondum animati. — Dispensatio generalis ab irregularitatibus concessa non solum valet pro omnibus ordinibus suscipiendis et exercendis, sed etiam pro obtinendis beneficiis etiam curatis (sed non consistorialibus). Sed talis dispensatus ab irregularitatibus nequit fieri sine nova dispensatione Cardinalis, episcopus, abbas vel praelatus nullius, superior maior in religione clericali exempta[61]. — Dispensatio in foro interno non sacramentali concessa *scripto* consignetur, et de ea in secreto Curiae libro constare debet[62]. Cum hoc statutum sit satis onerosum, saepe praestat, ut dispensatio irregularitatis, quando in foro interno dari potest, concedatur in foro sacramentali.

CAPUT III.

De iis, quae s. ordinationi praeire debent.

Q. 323. *Quaenam praeire debeant s. ordinationi?*

R. 1. Omnes ordinandi debent opportuno tempore denuntiari episcopo eiusve vicesgerenti atque praebere litteras testimoniales necessarias, de quibus supra, et aliquando etiam litteras dimissorias, de quibus item supra sufficienter dictum est[63].

2. Omnes ordinandi (sive saeculares sive regulares) debent praevium ac diligens examen subire circa ipsum ordinem suscipiendum; promovendi autem ad sacros ordines in aliquibus quoque tractatibus theologicis examinentur[64]. Loci Ordinarii est statuere, qua methodo, coram quibus examinatoribus, quibus in tractatibus theologicis promovendi debeant examinari[65]. Sed potest quoque hanc rem committere vel superiori seminarii vel superiori religioso vel episcopo ordinaturo[66].

3. Nomina promovendorum ad singulos sacros ordines (exceptis religiosis a votis *perpetuis* sive sollemnibus sive simplicibus) publice denuntientur in paroeciali cuiusque candidati ecclesia; sed Ordinarius potest in hoc statuto dispensare vel alio modo providere, e. gr. praecipiendo, ut nomina ordinandorum affigantur publice ad valvas ecclesiae per aliquot dies, in quibus unus saltem dies festus comprehendatur[67]. Quodsi ista aliaque publicatio facta est, fideles tenentur impedimenta ad ss. ordines, si qua norint, Ordinario vel parocho ante s. ordinationem revelare[68].

4. Exercitia spiritualia ab ordinandis peragi debent ante ordinationem et quidem per *tres* saltem dies integros, si agitur de receptione primae tonsurae aut ordinum minorum; per *sex* saltem dies integros, si agitur de suscipiendo ordine maiore. Qui tamen intra semestre ad plures ordines maiores promovendus est, potest ab Ordinario petere dispensationem, ut exercitia spiritualia ante diaconatum ad tres integros dies reducantur[69]. Si, expletis exercitiis, s. ordinatio ultra *semestre* differtur, exercitia iterentur; si dilatio est minor, Ordinarius iudicet, utrum exercitia iteranda sint necne[70]. Haec spiritualia exercitia religiosi peragant in propria domo vel in alia de prudenti superioris arbitrio; saeculares vero in seminario aut in alia pia vel religiosa domo ab episcopo designata[71]. De peractis autem exercitiis episcopus certior fiat testimonio superioris domus, in qua peracta fuerunt; vel, si de religiosis agitur, attestatione proprii superioris maioris[72].

[60] c. 991, § 2. [61] Ib. § 3. [62] Ib. § 4. [63] c. 992 993 994 995. [64] c. 996, § 1 2. [65] Ib. § 3. [66] c. 997. [67] c. 998. [68] c. 999.

5. Professio fidei et iusiurandum antimodernisticum praestanda sunt ante subdiaconatum[73].

CAPUT IV.

De ritibus et caerimoniis s. ordinationis.

Q. 324. *Quid sit breviter notandum de ritibus et caerimoniis s. ordinationis?*

R. Ad amussim observandum est Pontificale Romanum vel alius liber Ritualis legitime approbatus, nec ulla ratione licet caerimonias praescriptas omittere aut invertere[74].

2. Missa ordinationis (vel consecrationis episcopalis) semper debet ab ipsomet ordinationis vel consecrationis ministro celebrari[75]. Ergo non est licitum e. gr., ut vicarius generalis dicat Missam et episcopus durante Missa faciat ordinationes.

3. Si quis, ritu orientali ad aliquos ordines iam promotus, a S. Sede indultum obtinet superiores ordines suscipiendi ritu latino, debet prius ritu latino recipere ordines, quos ritu orientali non recepit[76].

4. Omnes, qui recipiunt ordines maiores, debent s. communionem recipere in ipsa ordinationis Missa[77].

CAPUT V.

De tempore et loco s. ordinationis.

Q. 325. *Quo tempore et loco s. ordinatio fieri possit?*

R. 1. Quantum *ad tempus:*

a) Consecratio episcopalis conferri debet intra Missarum sollemnia die dominico vel natalitio Apostolorum[78].

b) Ordines maiores conferantur intra Missarum sollemnia sabbatis Quattuor Temporum, sabbato ante Dominicam Passionis et Sabbato Sancto; gravi tamen causa interveniente, episcopus potest hos ordines conferre etiam quolibet die dominico aut festo de praecepto[79]. Sunt nonnulli ordines religiosi, quorum membra possunt ex privilegio recipere ss. ordines extra tempora.

[69] c. 1001, § 1. [70] Ib. § 2. [71] Ib. § 3. [72] Ib. § 4. [73] Cf. infra q. 421. [74] c. 1002. [75] c. 1003. [76] c. 1004. [77] c. 1005. [78] c. 1006, § 1. [79] Ib. § 2 3.

c) Ordines minores possunt conferri singulis diebus dominicis et festis duplicibus, mane tamen [80].

d) Prima tonsura conferri potest quolibet die et hora [81].

Tempora ita praescripta observanda sunt, et reprobatur consuetudo contraria forte alicubi exsistens [82]. Sed quoties ordinatio iteranda est vel aliquis ritus supplendus (sive absolute sive condicionate), id fieri potest etiam extra tempora et secreto [83].

2. Quantum *ad locum:*

a) Episcopus, nisi est Cardinalis, nequit extra proprium territorium sine Ordinarii loci licentia ordines conferre, in quorum collatione pontificalia exercentur [84].

b) Ordinationes *generales* convenienter fiunt in cathedrali ecclesia, vocatis praesentibusque canonicis; possunt tamen etiam alibi fieri: eligatur autem, quantum fieri potest, ecclesia dignior [85]. Ordinationes *particulares* possunt ex iusta causa fieri etiam in oratorio domus episcopalis aut seminarii aut religiosae domus [86]. Prima tonsura et ordines minores conferri possunt etiam in privatis oratoriis [87].

CAPUT VI.

De adnotatione et testimonio peractae ordinationis.

Q. 326. *Quid iure statutum sit de adnotatione et testimonio peractae ordinationis?*

R. 1. Expleta ordinatione nomina singulorum ordinatorum ac ministri ordinantis, locus et dies ordinationis notentur in peculiari libro, in curia loci ordinationis diligenter custodiendo, et omnia singularum ordinationum documenta accurate serventur [88]. Praeterea loci Ordinarius (si agitur de ordinatis e clero saeculari) aut superior maior (si agitur de suis subditis ordinatis) notitiam celebratae ordinationis uniuscuiusque subdiaconi transmittat ad parochum baptismi, qui id adnotet in suo libro baptizatorum [89].

2. Singulis ordinatis detur authenticum ordinationis receptae testimonium; qui, si ab episcopo extraneo cum litteris dimissoriis promoti fuerunt, hoc testimonium exhibeant proprio Ordinario pro ordinationis adnotatione in speciali libro in archivo servando [90].

TITULUS VII.

De matrimonio.

Titulus iste dividitur, postquam quaedam de essentia, distinctione, promissione matrimonii praelibata sunt, in 12 capita: 1. De iis, quae matrimonii celebrationi praemitti debent et praesertim de publicationibus matrimonialibus. 2. De impedimentis in genere. 3. De impedimentis impedientibus. 4. De impedimentis dirimentibus. 5. De consensu matrimoniali. 6. De forma celebrationis matrimonii. 7. De matrimonio conscientiae. 8. De tempore et loco celebrationis matrimonii. 9. De matrimonii effectibus. 10. De separatione coniugum. 11. De matrimonii convalidatione. 12. De secundis nuptiis.

[80] c. 1006, § 4. [81] Ib. [82] Ib. § 5. [83] c. 1007. [84] c. 1008. [85] c. 1009, § 1. [86] Ib. § 2. [87] Ib. § 3. [88] c. 1010, § 1. [89] c. 1011. [90] c. 1010, § 2.

1. **Essentia matrimonii.** Matrimonium est viri et mulieris maritalis coniunctio individuam vitae societatem retinens. Matrimonium est igitur verus contractus, qui a Christo elevatus est inter christianos ita ad dignitatem sacramenti, ut contractus matrimonialis validus eo ipso sit sacramentum. Essentia matrimonii perspici quoque potest ex eius fine, qui primario est procreatio et educatio prolis, secundario autem est mutuum adiutorium et remedium concupiscentiae [1]. Essentiales autem proprietates cuiusque matrimonii (etiam paganorum) sunt unitas et indissolubilitas, quae quidem in matrimonio christiano peculiarem obtinent firmitatem ratione sacramenti [2].

Cum matrimonium christianum sit sacramentum, regitur solo iure divino et ecclesiastico; civilis autem potestas habet competentiam circa solos effectus civiles [3].

2. **Distinctiones.** Distinguitur matrimonium *ratum,* quod est validum matrimonium christianorum nondum copula carnali consummatum; et matrimonium *consummatum,* si coniuges per copulam carnalem facti sunt una caro [4]. Matrimonium validum inter non-baptizatos vocari solet matrimonium legitimum. Celebrato matrimonio, si coniuges simul cohabitaverunt, praesumitur consummatio matrimonii, donec contrarium probatum est [5]. Demum distinguitur matrimonium *putativum,* quod est quidem reapse invalidum, sed celebratum est in bona fide ab una saltem parte. Quando autem utraque pars certa evasit de nullitate matrimonii, cessat matrimonium putativum [6].

3. **Promissio matrimonii** sive unilateralis sive bilateralis seu sponsalitia irrita est pro utroque foro, nisi facta fuit per scripturam subsignatam a partibus et vel a parocho aut loci Ordinario vel a duobus saltem testibus. Quodsi utraque vel alterutra pars contrahentium scribere nescit vel nequit, ad validitatem sponsalium id in ipsa scriptura adnotetur et alius testis addatur, qui cum parocho aut loci Ordinario vel cum duobus testibus scripturam subsignare debet [7]. De validitate sponsalium non videtur requiri, ut locus et tempus eorum in scriptura indicetur; hoc est tamen valde conveniens, et in Decreto „Ne temere" praescriptum erat. Cum sponsalia non sint ita necessaria, nequeunt iniri per procuratorem, sicuti nonnulli scriptores docuerunt. Pariter parochus nequit delegare alium sacerdotem ad assistendum sponsalibus. Si parochus abest, alius sacerdos assistens sponsalibus, debet cum uno teste et duobus contrahentibus subscribere. Ex sponsalibus validis non datur actio ad petendam matrimonii celebrationem, datur tamen ad reparationem damnorum, si qua debeatur [8]. Si sponsalia fuerunt invalida ob defectum formae supra descriptae vel ob aliam causam, nec etiam datur actio ad reparationem damnorum, nisi tamen ab una parte adhibita fuerunt vis, dolus, metus aliaque iniusta media.

Cum abundanter scripserimus de matrimonio in nostro Man. theol. mor., hic non damus nisi brevem explicationem Codicis iur. can.

[1] c. 1013, § 1. [2] Ib. § 2. [3] c. 1016. [4] c. 1015, § 1. [5] Ib. § 2 3. [6] Ib. § 4. [7] c. 1017, § 1 2. [8] Ib. § 3.

CAPUT I.

De iis, quae matrimonii celebrationi praemitti debent et praesertim de publicationibus matrimonialibus.

Q. 327. *Quaenam praecedere debeant matrimonii celebrationem?*

R. Matrimonii celebrationem praecedere ordinarie debent duo, sc. examen sponsorum et publicationes matrimoniales.

Q. 328. *Ad quaenam debeat se extendere examen sponsorum?*

R. Examen sponsorum debet se extendere ad investigationem earum qualitatum, quae sunt necessariae ad valide et licite ineundum matrimonium. Hinc generatim statuitur: „Antequam matrimonium celebratur, constare debet nihil eius validae et licitae celebrationi obsistere."[9] Si matrimonium in periculo mortis celebratur et aliae probationes haberi nequeunt, sufficit, nisi contraria adsint indicia, affirmatio *iurata* contrahentium, se baptizatos esse neque ullo detineri impedimento[10]. Investigationes faciendae pertinent ad parochum, cui ius est assistendi matrimonio; ergo ordinarie ad parochum sponsae. Iste parochus cum sponsum tum sponsam etiam seorsum et caute interroget, num aliquo detineantur impedimento, an consensum libere praestent, an in doctrina christiana sufficienter instructi sint, nisi ob personarum qualitatem haec ultima interrogatio inutilis appareat[11]. Valde praestat, ut Ordinarius loci peculiares normas pro huiusmodi investigatione statuat. Ne omittat parochus sponsos docere sanctitatem matrimonii, mutuas coniugum obligationes, parentum obligationes erga prolem; eosdem vehementer adhortetur, ut ante matrimonii celebrationem sua peccata sincere confiteantur et s. Eucharistiam pie recipiant[12].

Nisi baptismus collatus fuit in ipso suo territorio, parochus debet exigere baptismi testimonium ab utraque parte[13]. Hoc valet etiamsi altera pars est haeretica. Ratio est, quia secus in hoc ultimo casu posset adesse impedimentum disparitatis cultus. Testimonium baptismi et status liberi per curiam episcopalem petendum et transmittendum esse monuit S. Congregatio de Sacr. d. 4 Iul. 1921[14]. Nihilominus Ordinarii locorum non videntur prohiberi quominus alium modum securum praescribant.

Catholici qui sacramentum confirmationis nondum receperunt, illud ante matrimonium recipiant, si id possunt sine gravi incommodo[15].

Parochus graviter adhortetur filiosfamilias minores, ne nuptias ineant insciis aut rationabiliter invitis parentibus; quodsi abnuerint, eorum matrimonio ne assistat, nisi consulto prius loci Ordinario[16]. Parochus numquam assistat matrimonio vagorum (excepto casu necessitatis, e. gr. si vagi sunt actu itinerantes)[17] nisi prius ab Ordinario loci eiusve delegato licentiam obtinuerit[18].

[9] c. 1019, § 1. [10] Ib. § 2. [11] c. 1020, § 1 2. [12] c. 1033.
[13] c. 1021, § 1. [14] Acta Ap. Sed. XI 349. [15] c. 1021, § 2.
[16] c. 1034. [17] c. 1097, § 1, n. 3. [18] c. 1032.

Q. 329. *Quid statuat vigens Ecclesiae disciplina de publicationibus matrimonialibus?*

R. 1. Publicationes matrimoniales fiant a proprio parocho tribus continuis diebus dominicis vel festivis de praecepto in ecclesia inter Missarum sollemnia aut inter alia divina officia, ad quae populus frequens accedit[19]. Si altera pars contrahentium in alio loco per sex menses commorata est post pubertatem, parochus rem exponat Ordinario loci, qui pro sua prudentia vel publicationes inibi faciendas exigat vel alias probationes seu coniecturas super status libertate colligendas praescribat[20]. Generatim ex statutis particularibus eruendum est, in quibus locis proclamationes matrimoniales faciendae sint. Potest quoque loci Ordinarius pro suo territorio publicationibus substituere publicam ad valvas ecclesiae affixionem nominum contrahentium per spatium saltem 8 dierum, ita tamen, ut hoc spatio duo dies festi de praecepto comprehendantur[21].

2. Publicationes matrimoniales ne fiant pro matrimoniis, quae contrahuntur cum dispensatione super impedimento disparis cultus aut mixtae religionis. Nihilominus etiam pro istis matrimoniis Ordinarius loci potest pro sua prudentia permittere publicationes, dummodo dispensatio impedimenti praecesserit et mentio omittatur religionis partis non catholicae[22].

3. Omnes fideles tenentur impedimenta matrimonii, si qua norint, parocho aut loci Ordinario ante matrimonii celebrationem denuntiare[23]. Quodsi impedimentum denuntiatum est *certum* et dispensabile, parochus debet quantocius dispensationem istius impedimenti obtinere eo modo, sicut infra dicetur de dispensatione impedimentorum matrimonii. Quodsi autem impedimentum detectum est dubium et mansit dubium, investigatione accuratiore peracta, parochus debet consulere Ordinarium, antequam matrimonio assistat.

4. Peractis publicationibus et nullo impedimento detecto, parochus potest matrimonio assistere, postquam *tres dies* decurrerunt ab ultima publicatione, nisi rationabilis causa aliud postulet[24]. Si igitur ultima publicatio facta est die dominica, matrimonium ne celebretur nisi feria V^a^ sequenti, nisi rationabilis causa aliud postulet. Si intra sex menses post peractas publicationes matrimonium nondum est contractum, publicationes repetantur, nisi aliud loci Ordinario videatur[25].

5. *Dispensatio* in publicationibus matrimonialibus etiam in aliena dioecesi faciendis fieri potest ex legitima causa a loci Ordinario proprio. Quodsi plures sunt Ordinarii proprii, ille ius habet dispensandi, in cuius dioecesi matrimonium celebratur[26]. Parochus nequit dispensare, nisi sit delegatus a loci Ordinario.

[19] c. 1023 et 1024. [20] c. 1023, § 2. [21] c. 1025.
[22] c. 1026. [23] c. 1027. [24] c. 1030, § 1.
[25] Ib. § 2. [26] c. 1028.

CAPUT II.

De impedimentis in genere.

Q. 330. *Quis possit impedimenta matrimonii statuere aut abrogare?*

R. 1. Nonnulla impedimenta matrimonii statuuntur ex iure naturali vel divino, e. gr. impedimentum defectus consensus, ligaminis etc. Ad solam S. Sedem pertinet huiusmodi impedimenta authentice declarare.

2. Sola S. Sedes potest alia impedimenta matrimonialia pro baptizatis constituere per modum legis sive universalis sive particularis [27].

3. Ordinarius loci potest quidem in suo territorio vetare aliquod matrimonium particulare, sed ad tempus tantum, iusta de causa eaque perdurante [28].

Tale vetitum illicitum quidem reddit matrimonium, sed non invalidum, cum sola S. Sedes possit ferre vetitum cum clausula irritante matrimonium [29].

4. Consuetudo iam non valet neque inducere neque abrogare aliquod impedimentum [30].

5. Praeter Romanum Pontificem nemo potest iuris ecclesiastici impedimenta abrogare aut illis derogare [31].

Q. 331. *Quomodo impedimenta matrimonialia distinguantur?*

R. 1. Distinguuntur impedimenta *iuris divini*, e. gr. ligamen, consanguinitas in linea recta, et *iuris humani*, e. gr. publica honestas.

2. Distinguuntur impedimenta *impedientia* et *dirimentia*. Priora graviter prohibent, posteriora insuper irritant matrimonium subsequens. Quamquam impedimentum ex una tantum parte se habet, afficit quoque alteram, ita ut matrimonium sit illicitum vel invalidum [32]. Hinc illud vetus adagium: „matrimonium non potest claudicare".

3. Distinguuntur impedimenta *publica* et *occulta*. Priora possunt probari in foro externo, posteriora non.

4. Distinguuntur impedimenta *minoris* et *maioris* gradus. Priora sunt quinque: a) consanguinitas in tertio gradu lineae collateralis; b) affinitas in secundo gradu lineae collateralis; c) publica honestas in secundo gradu; d) cognatio spiritualis; e) crimen ex adulterio cum promissione vel attentatione matrimonii etiam per civilem actum tantum. Posteriora sunt omnia alia impedimenta [33]. Dispensatio concessa super impedimento minoris gradus non irritatur propter obreptionem vel subreptionem, ut infra dicetur q. seq.

Q. 332. *Quid statuat vigens Ecclesiae disciplina de dispensatione impedimentorum?*

R. 1. Summus Pontifex potest dispensare in omnibus impedimentis matrimonialibus iuris *ecclesiastici*. Praeter ipsum nemo potest in iis

[27] c. 1038. [28] c. 1039, § 1. [29] Ib. § 2. [30] c. 1041.
[31] c. 1040. [32] c. 1036. [33] c. 1042.

dispensare, nisi iure communi vel indulto speciali à S. Sede haec potestas concessa fuerit [34]. De iure communi valent haec:

2. *Urgente mortis periculo* locorum Ordinarii possunt dispensare 1° super forma in matrimonii celebratione servanda i. e. super assistentia testium, 2° super omnibus impedimentis matrimonialibus iuris ecclesiastici exceptis duobus, sc. a) s. presbyteratus, b) affinitatis in linea recta provenientis ex consummato matrimonio. Hac dispensandi facultate Ordinarii possunt uti tam cum propriis subditis etiam extra dioecesim commorantibus, quam cum omnibus etiam extraneis, qui actu degunt in dioecesi. Debent tamen curare, ut scandalum removeatur, et insuper, si agitur de dispensatione super disparitate cultus aut mixta religione, de praestandis cautionibus consuetis [35].

3. Parochus vel sacerdos matrimonio legitime assistens vel confessarius eadem facultate dispensandi pollet, quae descripta est in numero praecedenti, si loci Ordinarius adiri nequit [36]. Sed oportet notari: a) parochus vel sacerdos legitime assistens matrimonio, qui dispensat in urgenti mortis periculo pro foro externo, debet postea Ordinarium loci statim certiorem facere atque dispensationem concessam adnotare in libro matrimoniorum; b) confessarius nequit dispensare nisi pro foro interno et in actu sacramentalis confessionis tantum [37].

4. *In casu urgentis necessitatis* (extra articulum mortis), si nempe matrimonii celebratio aut convalidatio differri nequit sine probabili gravis damni periculo, usquedum a S. Sede dispensatio obtineatur, Ordinarius loci potest eodem modo et sub iisdem condicionibus dispensare ab impedimentis matrimonialibus, sicuti in articulo mortis alterutrius contrahentis, sed nequit dispensare a forma in matrimonii celebratione servanda, i. e. ab assistentia testium [38]. Quando in tali casu urgentis necessitatis Ordinarius loci vel omnino non vel nonnisi cum periculo violationis secreti adiri potest, tunc eadem dispensandi facultate, *dummodo agatur de casu occulto*, pollent a) parochus, b) sacerdos alius in casu extraordinario assistens, c) confessarius [39].

5. *In aliis casibus*, i. e. extra urgens mortis periculum et extra urgentem necessitatem, dispensatio super impedimentis *occultis* petenda est a S. Poenitentiaria, cuius rescriptum (nisi aliud sit expresse praescriptum) concessum pro foro interno non-sacramentali adnotetur in secreto archivo curiae episcopalis. Neque tunc alia dispensatio pro foro externo necessaria est, etsi postea occultum impedimentum publicum evasit. Si tamen dispensatio a S. Poenitentiaria est solummodo concessa pro foro sacramentali, tunc, si postea impedimentum evadit publicum, nova dispensatio necessaria est [40]. In impedimentis publicis dispensatio melius obtinetur mediante Ordinario loci, qui vel ipse vi

[34] c. 1040. [35] c. 1043 et 1045.
[36] Ordinarius censetur adiri non posse, si nonnisi per telegraphum vel telephonium ad eum recurri potest. Ita Pontif. Com. d. 12 Nov. 1922 (Acta Ap. Sed. XIV 663).
[37] c. 1044. [38] c. 1045. [39] Ib. § 3. [40] c. 1047.

facultatum specialium dispensationem concedit vel facilius eam obtinet a Curia Romana.

6. Quantum *ad usum facultatis dispensandi* haec notentur:

a) Qui gaudet indulto generali dispensandi super *certo* quodam impedimento, e. gr. super impedimento criminis, potest (nisi in ipso indulto aliud expresse praescribitur) super eo dispensare, etiamsi est multiplex. Qui gaudet indulto generali dispensandi super pluribus diversae speciei impedimentis, potest super iis dispensare etiam publicis et in uno eodemque casu occurrentibus[41]. Aliis verbis: iuxta vigentem disciplinam conceditur sic dicta „facultas cumulandi".

b) Si quando cum impedimento seu impedimentis *publicis,* super quibus aliquis ex indulto pontificio dispensare potest, concurrit aliud impedimentum, super quo dispensare nequit, pro omnibus impedimentis in isto casu adiri debet S. Sedes. Attamen si post impetratam a S. Sede dispensationem adhuc detegitur aliud impedimentum, tunc ille, qui habet indultum, suis facultatibus uti potest[42].

c) Per dispensationem super impedimento dirimenti concessam per indultum generale (non vero per rescriptum in casu particulari) conceditur quoque eo ipso legitimatio prolis, si qua ex personis dispensatis iam nata vel concepta fuit, excepta tamen prole adulterina vel sacrilega[43]. Si ergo e. gr. episcopus vi indulti generalis convalidat matrimonium, quod fuit irritum propter impedimentum consanguinitatis, eo ipso legitimat prolem forte natam aut conceptam.

d) Dispensationes super publicis impedimentis Ordinario oratorum commissas exsequatur Ordinarius ille, qui litteras testimoniales dedit vel preces transmisit ad S. Sedem, etiamsi sponsi, relicto domicilio aut quasi-domicilio illius dioecesis, in aliam dioecesim discesserunt et amplius non revertentur. Debet tamen tunc certior fieri Ordinarius loci, in quo matrimonium celebrabitur[44].

e) Excepta modica praestatione ex titulo expensarum cancellariae in dispensationibus pro *non-pauperibus,* loci Ordinarius eiusve officialis, reprobata quavis contraria consuetudine, nequit occasione concessae dispensationis emolumentum ullum exigere, nisi id ei expresse a S. Sede concessum fuit. Si nihilominus aliquid exigit, tenetur ad restitutionem.[45] Ergo abolitae sunt taxae episcopales antiquitus exsistentes.

f) Omnis, qui ex potestate a S. Sede delegata dispensationem concedit, in eadem *expressam* pontificii indulti mentionem facere debet[46].

7. Quantum *ad rectam intelligentiam* dispensationum haec notentur:

a) Dispensatio ab impedimento consanguinitatis vel affinitatis concessa in aliquo gradu impedimenti valet, quamvis in petitione vel in concessione error circa gradum irrepserit, dummodo gradus revera exsistens sit *inferior*[47]. Hinc e. gr. si in petitione vel concessione dispensationis indicatus fuit secundus gradus consanguinitatis, revera

[41] c. 1049. [42] c. 1050. [43] c. 1051. [44] c. 1055.
[45] c. 1056. [46] c. 1057. [47] c. 1052.

autem adest tertius attingens secundum, dispensatio valet iuxta adagium: Maius continet minus. Idem valet, si reticitum fuit aliud impedimentum eiusdem speciei in aequali vel minore gradu.

b) Si S. Sedes dedit dispensationem super matrimonio rato et non consummato, vel si permisit transitum ad alias nuptias ob praesumptam coniugis mortem, eo ipso dispensavit ab impedimento criminis forte exsistente et proveniente ex adulterio cum promissione vel attentatione matrimonii, non autem ab impedimento criminis proveniente ex coniugicidio[48].

c) Dispensatio concessa super impedimentis minoris gradus nullo vitio obreptionis vel subreptionis irritatur, idque etiam, si unica causa finalis in precibus exposita falsa fuit[49].

CAPUT III.

De impedimentis impedientibus.

Q. 333. *Quaenam sint impedimenta impedientia iuxta vigentem Ecclesiae disciplinam?*

R. 1. In hoc capite non enumerantur nisi tria impedimenta impedientia, sc. a) votum simplex, b) cognatio legalis in iis regionibus ubi lege civili legalis cognatio ex adoptione orta nuptias reddit illicitas sed non invalidas, c) mixta religio. Sponsalia, cum non dent actionem ad matrimonium petendum[50], iam non enumerantur inter impedimenta impedientia. Vetitum Ecclesiae et tempus clausum aliqualiter modificata sunt[51].

2. Vota, quae constituunt impedimentum impediens, sunt quinque, sc. votum virginitatis, castitatis perfectae, non nubendi, suscipiendi ordines sacros, amplectendi statum religiosum[52]. Latius de istis votis egimus in nostro Manuali Theol. mor. III, n. 774 sqq.

3. De cognatione legali infra q. 335, n. 13 sermo redibit.

Q. 334. *Quae sit vigens Ecclesiae disciplina circa matrimonia mixta?*

R. 1. Severissime Ecclesia ubique prohibet matrimonia mixta, nec ea umquam permittere potest, si adest periculum perversionis coniugis catholici et prolis[53]. Quare Ordinarii aliique animarum pastores fideles a mixtis nuptiis, quantum possunt, absterreant, et, si eas impedire non valent, omni studio curent, ne contra Dei et Ecclesiae leges contrahantur. Insuper mixtis nuptiis iam celebratis sedulo invigilent, ut coniuges fideliter impleant promissiones factas. Absterreantur quoque fideles a matrimonio contrahendo cum iis, qui notorie aut catholicam fidem abiecerunt (etsi ad sectam acatholicam non transierunt) aut societatibus ab Ecclesia damnatis adscripti sunt. Si publicus peccator aut censura notorie innodatus ante matrimonium recusat ad sacramentalem confessionem accedere aut cum Ecclesia

[48] c. 1053. [49] c. 1054. [50] c. 1017, § 3. [51] Cf. c. 1039 et 1108.
[52] c. 1058. [53] c. 1060.

reconciliari, parochus eius matrimonio ne assistat, nisi gravis causa urgeat, de qua, si fieri potest, consulat Ordinarium[54].

2. Super impedimento mixtae religionis Ecclesia, i. e. S. Sedes, numquam dispensat, nisi adsint sequentes condiciones:

a) graves et iustae causae, e. gr. imminens periculum solius matrimonii civilis;

b) coniugis acatholici promissio amovendi a coniuge catholico perversionis periculum atque baptizandi et educandi universam prolem in catholica religione. Etiam coniux catholicus debet promittere, fore ut universa proles catholice baptizetur et educetur;

c) moralis certitudo de istis promissionibus adimplendis. Quae quidem promissiones regulariter in scriptis exigantur[55].

Coniux catholicus tenetur non solum ipse fideliter observare religionem catholicam, sed debet insuper prudenter curare conversionem compartis acatholicae[56].

3. Etsi ab Ecclesia obtenta est dispensatio super impedimento mixtae religionis, coniuges nequeunt vel ante vel post matrimonium coram Ecclesia initum adire quoque (sive per se sive per procuratorem) ministrum acatholicum *uti sacris addictum* ad matrimonialem consensum praestandum vel renovandum[57]. Quodsi parochus certe noverit, sponsos hanc legem violaturos esse vel iam violasse, eorum matrimonio ne assistat *nisi ex gravissimis causis.* Prius autem removeri debet in hoc casu scandalum et consuli Ordinarius[58]. Non improbatur, quod, si lex civilis in aliquibus regionibus id iubet, coniuges se sistant etiam coram ministro acatholico, sed solummodo in quantum est *officialis civilis* ad actum civilem explendum et effectus civiles obtinendos[59].

4. Consuetae publicationes ante celebrationem matrimonii mixti ne fiant nisi sub clausulis iam supra q. 329, n. 2 indicatis. Celebratio ipsa matrimonii fiat extra ecclesiam, nisi Ordinarius ad graviora mala vitanda dispensaverit. Semper autem excluditur Missa nuptialis[60]; immo etiam alia Missa, quae ex rerum adiunctis haberi possit uti complementum caerimoniae nuptialis[61].

5. **Poenae** contra illicite matrimonium mixtum ineuntes sunt hae: a) Catholici, qui matrimonium mixtum etsi validum sine Ecclesiae dispensatione inire ausi fuerint, ipso facto ab actibus legitimis ecclesiasticis et sacramentalibus exclusi manent, donec ab Ordinario dispensationem obtinuerint[62]. b) Excommunicationem Ordinario reservatam incurrunt catholici, qui matrimonium ineunt coram ministro acatholico[63].

Scholion. De passiva assistentia parochi. Parochus dicitur *passive* assistere celebrationi matrimonii, si abstinendo prorsus *ab omni religioso* ritu (i. e. sine vestibus sacris, precibus, benedictionibus et in loco non sacro) et

[54] c. 1066. [55] c. 1061. [56] c. 1062. [57] c. 1063, § 1.
[58] Ib. § 2. [59] Ib. § 3. [60] c. 1102, § 2; c. 1109, § 3.
[61] Pontif. Com. d. 10 Nov. 1925 (Acta Ap. Sed. XVII 583).
[62] c. 2375. [63] c. 2319, § 1, n. 1.

a quovis approbationis signo unice gerit vicem testis qualificati seu auctorizabilis, qui deinceps pro suo officio matrimonium sic contractum in librum matrimonium referre queat[64]. Huiusmodi passiva assistentia iam non videtur esse neque licita neque valida ac proinde matrimoniis mixtis, in quibus debitae cautiones recusantur, parochus nequit valide assistere[65].

CAPUT IV.

De impedimentis dirimentibus.

Praenotamen. Numerus impedimentorum dirimentium remansit idem, qui in antiquo iure stabilitus erat. De impedimentis tamen ex defectu consensus, sc. vi, metu, errore, agitur in sequenti capite. Ambitus et indoles nonnullorum impedimentorum in novo iure aliqualiter mutata sunt.

Q. 335. *Quaenam sint singula impedimenta dirimentia matrimonii?*

R. 1. Impedimentum *defectus aetatis.* Vir ante decimum sextum aetatis annum completum, mulier ante decimum quartum annum item completum, matrimonium validum inire non possunt. Licet autem matrimonium post praedictam aetatem contractum validum sit, curent tamen animarum pastores ab eo avertere iuvenes ante eam aetatem, qua secundum regionis receptos mores matrimonium iniri solet[66]. Vetus in hac re adagium: „Malitia supplet aetatem", iam nullum practicum valorem habet, cum nihil aliud sit attendendum quam aetas indicata.

2. Impedimentum *impotentiae, quod est* impossibilitas coeundi seu vitium vel animi vel corporis vel utriusque, quo quis non valet naturali modo carnaliter alii commisceri[67], dirimit ipso naturae iure matrimonium, si impotentia est *antecedens* et *perpetua*[68]. Nihil refert, utrum haec impotentia sit ex parte viri an ex parte mulieris; utrum alteri cognita an non; utrum sit absoluta an relativa[69]. Si impotentia est dubia (sive dubio iuris sive dubio facti), matrimonium non est impediendum[70]. Hinc cum ex vasectomia vel ex excisione uteri et ovariorum non oriatur nisi dubium impedimentum impotentiae, matrimonium non est impediendum post tales operationes chirurgicas. Sterilitas matrimonium nec dirimit nec impedit[71]. Late tractavimus de hoc impedimento impotentiae in nostro Man. Theol. mor. III, n. 808 sqq.

3. Impedimentum *ligaminis* est inhabilitas contrahendi novum matrimonium durante vinculo prioris matrimonii validi sive rati sive consummati. Vinculum matrimonii *legitimi* etiam consummati solvi potest sic dicto privilegio Paulino, de quo infra. Vinculum matrimonii rati solvi potest a) dispensatione S. Sedis, b) professione religiosa sol-

[64] Litt. Gregorii XVI d. 30 Apr. 1841.
[65] In nonnullis regionibus, e. gr. in dioecesibus Bavariae, Hungariae, veteris regni Austriaci, reipublicae Chilensis, assistentia passiva a S. Sede sub certis condicionibus permissa est, sed S. Officium d. 26 Nov. 1919 generatim respondit: „Contrariae S. Sedis praescriptiones atque contraria indulta per ipsum Codicem iuris canonici abrogata sunt" (Linzer Quartalschrift 1921, 249).
[66] c. 1067. [67] Cf. *Raymundus de Peñaforte,* Summa l. 4, § 2.
[68] c. 1068, § 1. [69] Ib. [70] Ib. § 2. [71] Ib. § 3.

lemni, ut item infra dicetur. — Quamvis prius matrimonium sit irritum aut solutum qualibet ex causa, non ideo licet aliud contrahere, antequam de prioris nullitate aut solutione legitime et certo constiterit[72].

4. Impedimentum *disparitatis cultus* dirimit matrimonium inter partem non baptizatam et partem baptizatam in Ecclesia catholica vel ad eandem ex haeresi vel schismate conversam[73]. Proinde hoc impedimentum iam non adest, si persona non baptizata, e. gr. Iudaeus, contrahit matrimonium cum persona, quae baptizata est in secta acatholica et nondum est conversa. Si tempore contracti matrimonii pars tamquam baptizata communiter habebatur aut eius baptismus erat dubius, standum est pro valore matrimonii, donec certo probetur, alteram partem baptizatam esse, alteram vero non baptizatam[74]. — Statuta de cautelis quae supra de mixtis matrimoniis allata sunt, applicari quoque debent in matrimoniis, quibus obstat impedimentum disparitatis cultus[75].

5. Impedimentum *sacri ordinis* inhabilitat ex iure ecclesiastico clericos in sacris ordinibus (non coacte sed libere) constitutos ad valide contrahendum matrimonium[76].

6. Impedimentum *voti religiosi inhabilitat* ad valide contrahendum matrimonium tam omnes sollemniter professos quam simpliciter professos in Societate Iesu[77]. Obtento saecularizationis indulto hoc impedimentum eo ipso cessat.

7. Impedimentum *raptus* oritur, si vir rapuit intuitu matrimonii mulierem, quae adhuc est in potestate raptoris. Sin autem mulier rapta a raptore separata et in loco tuto ac libero constituta illum in virum habere consenserit, impedimentum eo ipso cessat[78]. Raptui par habetur in hac re retentio violenta mulieris, cum nempe mulierem vir in loco, ubi ea commoratur vel ad quem libere accessit, violenter intuitu matrimonii detinet[79]. Vetus igitur controversia hac de re nunc finita est.

8. Impedimentum *criminis* oritur: 1) ex adulterio cum promissione matrimonii; 2) ex adulterio cum attentatione matrimonii per civilem actum; 3) ex adulterio cum coniugicidio ab alterutro patrato; 4) ex coniugicidio mutua opera physica vel morali patrato[80]. Ampliorem explicationem huius impedimenti videsis in nostro Man. Theol. mor. III, n. 853 sqq.

9. Impedimentum *consanguinitatis* seu cognationis naturalis dirimit matrimonium a) inter omnes ascendentes et descendentes cum legitimos tum naturales, i. e. in linea recta, b) in linea collaterali usque ad tertium gradum inclusive. Multiplicatio huius impedimenti solummodo oritur ex multiplicato stipite, et iam non ex multiplici via, qua ascenditur ad communem stipitem[81]. Numquam matrimonium permittatur (ineundum), si quod dubium adest, num contrahentes sint consanguinei in aliquo gradu lineae rectae aut in primo gradu lineae collateralis[82].

[72] c. 1069, § 2. [73] c. 1070, § 1. [74] Ib. § 2. [75] c. 1071. [76] c. 1072. [77] c. 1073. [78] c. 1074, § 1 2. [79] Ib. § 3. [80] c. 1075. [81] c. 1076, § 1 2. [82] Ib. § 3.

10. Impedimentum *affinitatis* oritur ex solo matrimonio valido (sive rato sive consummato)[83]. Ergo ablata est affinitas ex copula illicita. Affinitas autem dirimit matrimonium in linea recta in quolibet gradu; in linea autem collaterali usque ad secundum gradum inclusive[84]. Affinitas multiplicatur: 1) quoties multiplicatur consanguinitas, ex qua procedit; 2) iterato successive matrimonio cum consanguineo coniugis defuncti[85].

11. Impedimentum *publicae honestatis*, quod oritur ex matrimonio invalido vel ex publico et notorio concubinatu, matrimonium dirimit usque ad secundum gradum inclusive lineae rectae inter virum et consanguineas mulieres et vice versa[86]. In antiquo iure publica honestas aliquid prorsus aliud significavit.

12. Impedimentum *cognationis spiritualis* solummodo contrahit baptizatus cum baptizante et cum patrinis[87]. Valde igitur limitatum est hoc impedimentum.

13. Impedimentum *cognationis legalis* tunc oritur ex adoptione legali, quando in aliqua regione leges civiles huiusmodi adoptionem habent ut irritantem subsequens matrimonium. Uno verbo: Ius canonicum hac in re adoptat ius civile uniuscuiusque regionis[88].

CAPUT V.

De consensu matrimoniali.

Q. 336. *Quomodo se habeat consensus matrimonialis ad matrimonium?*

R. 1. Consensus matrimonialis debitis qualitatibus vestitus est simul materia, forma et causa sacramenti matrimonii. Omittimus hic loqui de materia et forma sacramenti matrimonii, cum haec res pertineat ad Theologiam. Consensus matrimonialis solus causat matrimonium, ita ut nulla humana potestate suppleri valeat[1]. Qui quidem consensus est actus voluntatis, quo utraque pars tradit et acceptat in corpus ius perpetuum et exclusivum in ordine ad actus per se aptos ad prolis generationem[2]. Ut autem talis consensus haberi possit, necesse est, ut contrahentes saltem non ignorent matrimonium esse societatem permanentem inter virum et mulierem ad filios procreandos[3]. Haec autem ignorantia post pubertatem non praesumitur[4], sed probari debet.

2. Consensus matrimonialis, ut revera causet sacramentum matrimonii, debet habere complures qualitates, sc.: debet esse verus et non fictus, liber et deliberatus, de praesenti, mutuus et simultaneus, absolutus et non condicionatus, externe et legitime manifestatus. Quaenam requirantur ad legitimam manifestationem consensus, dicetur in capite sequenti, ubi de forma celebrationis matrimonii tractabitur.

[83] c. 97, § 1. [84] c. 1077, § 1. [85] Ib. § 2. [86] c. 1078. [87] c. 1079. [88] c. 1080.
[1] c. 1081, § 1. [2] Ib. § 2. [3] c. 1082, § 1. [4] Ib § 2.

Consensus debet esse a) verus et non fictus. Verus internus consensus semper quidem praesumitur, si verba vel signa externa talem consensum in celebratione matrimonii expresserunt; sed cum praesumptio debeat locum cedere veritati, si alterutra vel utraque pars positivo voluntatis actu excludit matrimonium ipsum aut omne ius ad actum coniugalem aut essentialem aliquam matrimonii proprietatem, invalide contrahit[5]. De libertate consensus erit sermo infra in quaestione sequenti.

Consensus matrimonialis debet esse b) mutuus et simultaneus; ideoque necesse est, ut contrahentes sint praesentes sive per se ipsi sive per procuratorem. Ut autem omne dubium tollatur, sponsi debent matrimonialem consensum exprimere claris verbis; nec aequipollentia signa adhibere ipsis licet, si loqui possunt[6].

Expressio consensus potest quoque fieri *per procuratorem* vel *per interpretem,* sed tunc de iure communi haec debent observari:

Matrimonium nequit valide per procuratorem iniri, nisi procurator habeat ad contrahendum cum certa persona *speciale* mandatum subscriptum cum a mandante tum vel a parocho vel Ordinario loci, in quo mandatum fit, vel a sacerdote ab alterutro delegato, vel a duobus saltem testibus[7]. Si mandans scribere nescit, id in ipso mandato adnotetur, et alius testis addatur, qui scripturam ipse quoque subsignet; secus mandatum irritum est. Si, antequam procurator nomine mandantis contraxit, mandans mandatum revocavit aut in amentiam incidit, invalidum est matrimonium, licet sive procurator sive alia pars contrahens haec ignoraverit[8]. Procurator non potest alium delegare, sed debet ipse suo munere fungi[9]. Matrimonio per procuratorem vel etiam per interpretem contrahendo parochus ne assistat, nisi a) sit iusta causa; b) constet de authenticitate mandati vel de fide interpretis; c) adsit licentia Ordinarii, si tempus suppetat[10].

Expressio consensus iam nequit fieri per epistulam vel litteras, cum Codex iur. can. c. 1088, § 1 statuat: „Ad matrimonium valide contrahendum necesse est, *ut contrahentes sint praesentes sive per se ipsi sive per procuratorem.*"

Consensus matrimonialis debet esse c) de praesenti, absolutus et non condicionatus.

Quantum ad condicionem forte appositam, haec valent:

α) Si est condicio de futuro sed necessaria, aut si est impossibilis aut turpis, non autem contra substantiam matrimonii, habetur pro non adiecta.

β) Si est condicio de futuro et contra substantiam matrimonii, matrimonium est invalidum.

γ) Si est condicio de futuro licito, valorem matrimonii suspendit.

δ) Si est condicio de praeterito vel de praesenti, matrimonium erit validum vel non, prout condicio verificatur vel non[11].

3. Consensus matrimonialis semel praestitus praesumitur perseverare, donec de eius revocatione constiterit, quamvis matrimonium invalide initum fuerit ratione impedimenti exsistentis[12]. Haec prae oculis habenda sunt, si agitur de convalidatione matrimonii.

[5] c. 1086. [6] c. 1088, § 2. [7] c. 1089, § 1. [8] Ib. § 3.
[9] Ib. § 4. [10] c. 1091. [11] c. 1092. [12] c. 1093.

Q. 337. *Quaenam tollant consensum matrimonialem ac proinde irritent matrimonium?*

R. Sunt tria: error, vis et metus; quae proinde antiquitus inter impedimenta dirimentia matrimonii enumerabantur.

1. **Error** tollit consensum matrimonialem ac proinde matrimonium reddit invalidum:

a) si versatur circa ipsam personam compartis. Exemplum est matrimonium Iacob cum Lia.

b) si versatur circa personae qualitatem, quae tamen redundat in errorem personae. In praxi error qualitatis numquam censetur redundare in errorem personae, nisi talis qualitas expresse fuerit stipulata ante contractum matrimonialem.

c) si versatur circa condicionem servilem compartis, i. e. si persona libera matrimonium contrahit cum persona, quam liberam esse putat, cum contra sit serva servitute proprie dicta[13].

Simplex error circa matrimonii unitatem vel indissolubilitatem aut sacramentalem dignitatem, etsi det causam contractui, non vitiat consensum matrimonialem[14]. Quapropter Protestantes, qui putant matrimonium esse solubile et non esse sacramentum, nihilominus habent sufficientem consensum matrimonialem, si volunt verum matrimonium et non merum concubinatum inire. — Etiam scientia aut opinio nullitatis matrimonii consensum matrimonialem necessario non excludit[15]. Ita saltem, si talis scientia aut opinio supervenit matrimonio iam contracto.

2. **Vis et metus** gravis, ab externo et iniuste incussus, a quo quis nequit se liberare nisi ineundo matrimonio, invalidant matrimonium[16]. Nullus alius metus, e. gr. levis, iuste incussus, etiamsi dat causam contractui, matrimonii nullitatem secum fert[17].

CAPUT VI.

De forma celebrationis matrimonii.

Q. 338. *Quaenam statuat vigens Ecclesiae disciplina de forma celebrationis matrimonii?*

R. 1. Claritatis causa oportet distinguere celebrationem matrimonii a) in ordinariis casibus; b) in periculo mortis vel in aliis casibus necessitatis, si sine gravi incommodo haberi vel adiri nequit parochus vel Ordinarius vel sacerdos ab ipsis delegatus.

2. **Celebratio matrimonii in casibus ordinariis.** Regula generalis est: Ea tantum matrimonia valida sunt, quae contrahuntur coram parocho vel loci Ordinario vel sacerdote ab alterutro delegato et duobus saltem testibus[18].

[13] c. 1083. [14] c. 1084. [15] c. 1085. [16] c. 1087.
[17] Ampliora de impedimentis erroris, vis et metus videsis in nostro Man. theol. mor. III 786 sqq.
[18] c. 1094.

Ad hoc autem, ut parochus vel loci Ordinarius assistere valeat celebrationi matrimonii, quaedam requiruntur ad validitatem, quaedam autem ad liceitatem.

a) *Ad validitatem requiritur:* α) ut assistat intra fines dumtaxat sui territorii; ibi autem non solum suorum subditorum sed etiam extraneorum matrimonio *valide* assistit; β) ut canonice possideat suum beneficium; γ) ne sit per sententiam excommunicatus vel interdictus vel suspensus ab officio aut ut talis declaratus; δ) ut neque vi neque metu gravi constrictus requirat excipiatque contrahentium consensum[19].

Parochus et loci Ordinarius, qui matrimonio possunt valide assistere, possunt quoque expresse dare licentiam alii sacerdoti *determinato,* ut intra fines sui territorii matrimonio valide assistat. Delegationes istae non possunt *habitualiter* concedi nisi vicariis cooperatoribus; aliis sacerdotibus debent dari in quolibet casu particulari sub poena nullitatis[20].

b) *Ad liceitatem* requiritur: α) ut constet de statu libero contrahentium, i. e. de immunitate a quolibet impedimento; β) ut saltem alteruter contrahens habeat in loco matrimonii vel domicilium vel quasi-domicilium vel menstruam commorationem, aut, si de *vago agitur,* ut habeat ibi actualem commorationem et adsit licentia Ordinarii loci eiusve delegati[21]; γ) ut, si deficiunt condiciones sub β) indicatae, adsit licentia parochi vel Ordinarii domicilii vel quasi-domicilii vel menstruae commorationis; in casu tamen gravis necessitatis, e. gr. si vagi sunt actu itinerantes[22], haec licentia praesumi potest; δ) ut ordinarie matrimonium celebretur coram parocho *sponsae,* nisi iusta causa excuset. Si contrahentes sunt catholici mixti ritus, ordinarie debent matrimonium celebrare in ritu viri et coram eiusdem parocho[23]. Parochus, qui contra statutum sub γ) indicatum assistit matrimonio, emolumenta stolae non facit sua eaque proprio parocho remittere debet[24].

3. **Celebratio matrimonii in periculo mortis vel in alio casu necessitatis.** Si sine gravi incommodo haberi vel adiri nequit parochus vel Ordinarius loci vel sacerdos delegatus, qui matrimonio rite assistat, tunc validum et licitum est matrimonium contractum coram *solis* duobus testibus: a) in periculo mortis; b) si tale grave incommodum prudenter et morali certitudine praevidetur duraturum per mensem; attamen, si praesto est alius sacerdos non delegatus, debet vocari et una cum testibus matrimonio assistere. Vocatio autem istius sacerdotis non est de validitate matrimonii[25].

4. Extra casum necessitatis in matrimonii celebratione serventur ritus in libris ritualibus ab Ecclesia approbatis praescripti aut laudabiles consuetudines receptae[26].

5. Parochus curet, ut sponsi benedictionem sollemnem accipiant, quae dari iis potest, etiam postquam diu vixerunt in matrimonio, sed solum in Missa, servata speciali rubrica et excepto tempore feriato.

[19] c. 1095, § 1. [20] Ib. § 2; c. 1096. [21] c. 1032. [22] c. 1097, § 1, n. 3. [23] Ib. § 1 2. [24] Ib. § 3. [25] c. 1098. [26] c. 1100.

Hanc sollemnem benedictionem ille tantum sacerdos per se ipse vel per alium dare potest, qui valide et licite matrimonio potest assistere[27]. Quomodo matrimonium mixtum celebrandum sit, iam supra dictum est q. 334.

Q. 339. *Quinam teneantur ad supra statutam formam celebrationis matrimonii servandam?*

R. 1. Omnes, qui ineunt matrimonium *pure catholicum,* i. e. omnes in catholica Ecclesia baptizati et omnes conversi ex haeresi vel schismate. Nihil refert, num isti catholici vel conversi postea ab Ecclesia catholica defecerint[28].

2. Omnes, qui ineunt matrimonium *mixtum,* i. e. catholici vel conversi, qui matrimonium ineunt cum acatholico (sive baptizato sive non), postquam debitam dispensationem obtinuerunt.

3. Orientales, qui cum latinis matrimonium contrahunt, non autem si contrahunt inter se. Pariter non tenentur istis statutis acatholici inter se contrahentes; item ab acatholicis nati etsi in Ecclesia catholica baptizati, qui ab infantili aetate in haeresi vel schismate vel infidelitate vel sine ulla religione adoleverunt, quoties cum parte acatholica contrahunt[29].

Q. 340. *Quomodo matrimonium celebratum adnotandum sit?*

R. 1. Celebrato matrimonio, parochus vel eius vicesgerens quam primum describat in libro matrimoniorum nomina coniugum et testium, locum et diem celebrati matrimonii atque alia secundum modum in libris ritualibus et a proprio Ordinario praescriptum; idque, licet alius sacerdos rite delegatus matrimonio adstiterit[30]. Ergo obligatio inscribendi incumbit semper parocho vel eius vicario.

2. Praeterea parochus in libro quoque baptizatorum adnotet, coniugem tali die in sua paroecia matrimonium contraxisse. Quodsi coniux alibi baptizatus fuit, matrimonii parochus notitiam initi contractus ad parochum baptismi transmittat per Cancellariam Ordinarii loci, ut matrimonium in baptizatorum libro adnotetur[31].

3. Matrimonium contractum in periculo mortis vel in alio casu necessitatis debet adnotari in libris matrimoniorum et baptizatorum. Haec autem adnotatio ut fiat, curare debent sacerdos, qui forte astitit, deinde testes et ipsi contrahentes[32].

CAPUT VII.

De matrimonio conscientiae.

Q. 341. *Quid ius statuat de matrimonio conscientiae?*

R. 1. Matrimonium conscientiae seu matrimonium secretum celebratur omissis publicationibus secreto coram parocho vel Ordinario

[27] c. 1101. [28] c. 1099, § 1, n. 1. [29] Ib. § 2. [30] c. 1103, § 1.

[31] Ib. § 2. S. Congregatio de Sacr. d. 4 Iul. 1921 iussit, ut denuntiatio matrimonii celebrati ad parochum baptismi fiat mediante Cancellaria Ordinarii (Acta Ap. Sed. XIII 349). [32] c. 1103, § 3.

loci eiusve delegato et duobus testibus. Requiritur antea permissio specialis, quae nonnisi ex gravissima et urgentissima causa dari potest ab ipso Ordinario loci, non autem ab eius vicario generali sine speciali mandato[33].

2. Cum sacerdos assistens tum Ordinarius eiusque successores tum testes tum coniuges (nisi uterque coniux consenserit) tenentur sub gravi ad secretum servandum[34]. Attamen Ordinarius loci iam amplius non tenetur ad hoc secretum servandum, a) si scandalum aut b) gravis erga sanctitatem matrimonii iniuria ex secreti observantia imminet, vel etiam c) si parentes non curant filios ex tali matrimonio susceptos baptizandos, aut d) si quidem baptizandos eos curant sed sub falsis nominibus, quin interim Ordinario intra 30 dies prolis susceptae et baptizatae cum sincera indicatione parentum notitiam praebeant, vel etiam e) si christianam filiorum educationem negligunt[35].

3. Matrimonium conscientiae non est adnotandum in consueto libro matrimoniorum ac baptizatorum, sed in peculiari libro servando in secreto archivo Curiae episcopalis[36].

CAPUT VIII.

De tempore et loco celebrationis matrimonii.

Q. 342. *Quo tempore et quo loco matrimonium celebrari possit?*

R. 1. Matrimonium ipsum contrahi potest quolibet anni tempore, sed sollemnis nuptiarum benedictio vetatur a prima dominica Adventus usque ad diem Nativitatis Domini inclusive et a fer. IV Cinerum usque ad dominicam Paschatis inclusive. Nihilominus Ordinarius loci potest etiam istis temporibus clausis hanc benedictionem sollemnem permittere ex iusta causa, monitis sponsis, ut a nimia pompa abstineant, et salvis legibus liturgicis[37].

2. Matrimonium inter catholicos celebrari debet ordinarie in ecclesia paroeciali, potest tamen celebrari etiam in oratorio saltem semipublico. Ex iusta et rationabili causa Ordinarius loci permittere potest, ut matrimonium celebretur in aedibus privatis; sed Ordinarii ne permittant celebrationem matrimonii in ecclesiis vel oratoriis seminarii vel religiosarum, nisi urgente necessitate ac opportunis adhibitis cautelis[38]. Matrimonium mixtum celebretur extra ecclesiam, nisi Ordinarius loci aliud permisit ad graviora mala vitanda[39]. Numquam autem Ordinarius pro matrimonio mixto potest permittere Missam nuptialem, ut iam supra q. 334 dictum est.

CAPUT IX.

De matrimonii effectibus.

Q. 343. *Quinam sint effectus matrimonii christiani?*

R. Effectus matrimonii christiani sunt:

[33] c. 1104. [34] c. 1105. [35] c. 1106. [36] c. 1107.
[37] c. 1108. [38] c. 1109, § 1 2. [39] Ib. § 3.

1. *Vinculum,* quod est ex natura sua perpetuum et exclusivum.

2. *Augmentum gratiae* sanctificantis et collatio gratiae sacramentalis[40], nisi tamen adest obex.

3. *Ius et obligatio ad debitum coniugale* (ab initio matrimonii)[41].

4. *Uxor particeps fit status mariti circa canonicos effectus,* nisi aliud iure speciali cautum sit[42].

5. *Obligatio gravissima providendi bono spirituali et temporali prolis*[43].

6. *Legitimitas prolis.* Circa hanc rem sequentia sunt statuta:

a) Legitimi *sunt* filii concepti aut saltem nati ex matrimonio valido vel etiam putativo, nisi (in casu rarissimo) parentibus ob sollemnem professionem religiosam vel susceptum ordinem sacrum prohibitus tempore conceptionis fuit usus matrimonii antea contracti[44].

b) Legitimi *praesumuntur* filii, qui nati sunt saltem post sex menses a die celebrati matrimonii, vel intra decem menses a die dissolutae vitae coniugalis. Pater autem is est, quem iustae nuptiae demonstrant, nisi evidentibus argumentis contrarium probetur[45], e. gr. per patris absentiam per decem menses.

c) *Legitimantur* filii per subsequens parentum matrimonium sive verum sive putativum, sive noviter contractum sive convalidatum (etiam non consummatum), dummodo tamen parentes habiles exstiterint ad matrimonium inter se contrahendum tempore conceptionis vel praegnationis vel nativitatis[46]. Aliis verbis: per subsequens matrimonium legitimantur sic dicti *filii naturales* seu filii progeniti ex simplici fornicatione; non autem filii *spurii,* i. e. adulterini, sacrilegi, incestuosi. Tales filii nequeunt legitimari coram Ecclesia nisi per rescriptum S. Sedis. — Filii legitimati per subsequens matrimonium (ad effectus canonicos quod attinet) in omnibus aequiparantur legitimis, nisi aliud expresse cautum fuerit[47], e. gr. quoad suscipiendam dignitatem cardinalitiam aut episcopalem.

CAPUT X.

De separatione coniugum.

Caput istud dividitur in duos articulos. Possunt enim separari coniuges vel 1. quoad vinculum, vel 2. quoad torum, mensam et habitationem.

ARTICULUS I.

De dissolutione vinculi.

Q. 344. *Quibus modis solvi possit vinculum matrimonii?*

R. 1. Matrimonium validum ratum et consummatum nulla humana potestate nullaque causa praeterquam morte dissolvi potest[48].

[40] c. 1110. [41] c. 1111. [42] c. 1112.
[43] c. 1113. [44] c. 1114. [45] c. 1115.
[46] c. 1116. [47] c. 1117. [48] c. 1118.

2. Matrimonium *non consummatum* dissolvi potest quoad vinculum a) per sollemnem professionem religiosam, b) per dispensationem S. Sedis, si utraque vel saltem alterutra pars id petit[49].

3. Matrimonium *legitimum* (etiam consummatum) dissolvitur in casu Apostoli, seu per sic dictum privilegium Paulinum. Hoc autem privilegium non obtinet in matrimonio, quod pars baptizata iniit cum parte non-baptizata ex dispensatione concessa super impedimento disparitatis cultus[50].

4. Matrimonium *legitimum* (etiam consummatum) potest alterutro coniuge baptizato dissolvi etiam per dispensationem S. Sedis. Ita sententia hodie certa; cf. c. 1125.

Q. 345. *Sub quibusnam condicionibus privilegium Paulinum adhiberi possit?*

R. 1. Antequam coniux conversus et baptizatus novum matrimonium valide contrahat, debet partem infidelem interpellare:

a) an velit et ipsa converti et baptizari;

b) an saltem velit secum cohabitare pacifice sine contumelia Creatoris[51]. Aliquando tamen, si istae interpellationes sunt impossibiles, S. Sedes concedit dispensationem ab illis.

2. Istae interpellationes fiant regulariter, forma saltem summaria et extraiudiciali, de auctoritate Ordinarii coniugis conversi, a quo Ordinario concedendae sunt quoque coniugi infideli induciae forte petitae ad deliberandum, eo tamen monito, fore ut, induciis inutiliter praeterlapsis, responsio praesumatur negativa[52]. Interpellationes etiam privatim factae ab ipsa parte conversa valent, immo sunt etiam licitae, si forma superius praescripta servari nequeat; hoc tamen in casu de ipsis pro foro externo constare debet duobus saltem testibus vel alio legitimo probationis modo[53].

3. Si interpellationes ex declaratione S. Sedis omissae fuerint, aut si infidelis iisdem negative responderit expresse vel tacite, pars baptizata ius habet novas nuptias cum persona catholica contrahendi, nisi tamen ipsa *post baptismum* dederit parti non baptizatae iustam discedendi causam, e. gr. per adulterium[54].

4. Privilegium Paulinum adhiberi potest etiam multum tempus post conversionem, et licet coniux fidelis cum parte infideli matrimonialiter vixerit, dummodo fiant interpellationes supra n. 1 indicatae[55].

5. Vinculum prioris matrimonii in infidelitate contracti tunc tantum solvitur, quando pars fidelis reapse novas nuptias valide iniverit[56]. Ergo e. gr. si pars conversa manet caelebs, matrimonium prius non solvitur.

6. In re dubia privilegium Paulinum gaudet favore iuris[57]. Ergo hoc privilegium etiam in dubio adhiberi potest.

---

[49] c. 1119. Latius egimus de hac re in Man. theol. mor. III 681 sqq.
[50] c. 1120. [51] c. 1121. [52] c. 1122, § 1. [53] Ib. § 2. [54] c. 1123.
[55] c. 1124. [56] c. 1126. [57] c. 1127.

ARTICULUS II.

De separatione tori, mensae, habitationis.

Q. 346. *Ob quas causas sit licita coniugum separatio quoad torum, mensam, habitationem?*

R. 1. Quamvis coniuges ordinarie debeant servare vitae coniugalis unionem, tamen adsunt causae, quae permittant divortium imperfectum quoad torum, mensam, habitationem, sc.:

a) *Adulterium carnale,* dummodo sit moraliter certum, formale, libere commissum, non condonatum, neque mutuum. Tacita condonatio habetur, si coniux innocens, postquam de crimine adulterii certior factus est, cum altero coniuge sponte maritali affectu conversatus fuit; *praesumitur* autem haec condonatio, nisi intra sex menses coniux innocens adulterum expulerit vel dereliquerit aut legitimam accusationem fecerit[58]. Coniux innocens nulla umquam obligatione *tenetur* coniugem adulterum rursus admittendi ad vitae consortium; *potest* autem eundem admittere aut revocare, nisi ex ipsius consensu ille statum matrimonio contrarium, e. gr. statum religiosum, susceperit[59].

b) *Adulterium spirituale,* i. e. apostasia a fide: si coniux sectae acatholicae nomen dederit vel si prolem acatholice educaverit.

c) *Vita criminosa et ignominiosa* unius coniugis.

d) *Grave periculum animae vel corporis,* e. gr. si alter coniux committit saevitias in alterum, ita ut vita communis nimis difficilis reddatur.

Haec aliaque id genus sunt pro altero coniuge totidem legitimae causae discedendi non solum auctoritate Ordinarii, sed etiam propria auctoritate, si de iis certo constat et periculum est in mora[60].

Attamen si istae causae separationis cessaverint, vitae consuetudo restauranda est. Sed si separatio ab Ordinario pronuntiata fuit ad certum incertumve tempus, coniux ad restaurationem vitae coniugalis non tenetur, nisi ex decreto Ordinarii vel exacto tempore antea determinato[61].

2. Instituta separatione filii educandi sunt penes coniugem innocentem et, si alter coniugum est acatholicus, penes coniugem catholicum, nisi in utroque casu Ordinarius pro ipsorum filiorum bono, salva semper eorundem catholica educatione, aliud decreverit[62].

CAPUT XI.

De matrimonii convalidatione.

Convalidatio matrimonii invalide contracti potest fieri dupliciter: 1. per convalidationem simplicem; 2. per sanationem in radice. De utraque singulariter tractandum est.

---

[58] c. 1129. [59] c. 1130. [60] c. 1131, § 1.
[61] Ib. § 2. [62] c. 1132.

ARTICULUS I.

De convalidatione simplici.

Q. 347. *Quomodo convalidatione simplici matrimonium irritum evadat validum?*

R. Distinctione opus est, sc. videndum est, quam ob causam matrimonium sit irritum.

1. Si matrimonium est irritum *ob defectum consensus,* convalidatur, si pars, quae non consenserat, iam consentit, dummodo consensus ab altera parte praestitus perseveret[63]. Si defectus consensus fuit mere *internus,* satis est, ut pars, quae non consenserat, interius consentiat; sin autem defectus consensus fuit *externus,* necesse est consensum etiam externe manifestare, et quidem forma iure praescripta, i. e. coram parocho et duobus testibus, si defectus fuit publicus, vel alio privato et secreto modo, si defectus fuit quidem externus, sed occultus[64].

2. Si matrimonium est irritum *ob defectum formae,* convalidatur per legitimam formam nunc praestitam[65], i. e. si consensus manifestatur coram parocho et duobus testibus. In isto casu solet Ordinarius concedere dispensationem a publicationibus faciendis.

3. Si matrimonium est irritum *ob aliquod impedimentum dirimens,* requiritur, a) ut istud impedimentum cesset per dispensationem vel alio modo; b) ut saltem pars conscia impedimenti renovet consensum matrimonialem idque per novum actum voluntatis[66]. Haec renovatio consensus iure ecclesiastico requiritur *ad validitatem,* etiamsi initio utraque pars consensum praestitit nec revocavit[67]. Si impedimentum est *publicum,* e. gr. consanguinitas, consensus ab utraque parte renovandus est idque coram parocho et duobus testibus[68]. Sin autem impedimentum est *occultum et utrique parti notum,* satis est, ut consensus ab utraque parte renovetur privatim et secreto[69]. Sed etiam in isto casu melius est in praxi, ut consensus renovetur coram sacerdote, qui obtinuit dispensationem ab impedimento obstante. Si demum impedimentum est occultum et *uni parti ignotum,* satis est, ut sola pars impedimenti conscia consensum privatim et secreto renovet, dummodo altera in consensu praestito perseveret[70]. Hoc ultimo statuto consopitae sunt veteres theologorum sententiae de diversis modis, quibus in hoc casu etiam altera pars impedimenti ignara induci possit ad consensum renovandum.

ARTICULUS II.

De sanatione in radice.

Q. 348. *Quomodo convalidari possit matrimonium per sanationem in radice?*

R. 1. Matrimonii in radice sanatio est eiusdem convalidatio, secum ferens praeter dispensationem vel cessationem impedimenti dispen-

[63] c. 1136, § 1. [64] Ib. § 3. [65] c. 1137. [66] c. 1133 1134. [67] c. 1133, § 2. [68] c. 1135, § 1 [69] Ib. § 2. [70] Ib. § 3.

sationem a renovando consensu, et insuper retrotractionem (per fictionem iuris) circa effectus canonicos usque ad initium (ad radicem) matrimonii[71]. Propterea convalidatio ipsius matrimonii ac proinde collatio gratiae sacramentalis fit a momento concessionis gratiae; retrotractio vero circa effectus iuridicos, e. gr. quantum ad legitimationem prolis intelligitur facta ad initium matrimonii, nisi aliud expresse caveatur. Dispensatio a renovando consensu concedi etiam potest vel una vel utraque parte inscia[72].

2. Ut matrimonium sanetur in radice, requiritur omnino, a) ut validitati matrimonii non obstiterit in initio impedimentum iuris naturalis aut divini; b) ut consensus matrimonialis perseveret; ideoque, si consensus vere matrimonialis nunquam adfuit vel si fuit certo retractatus, sanatio in radice dari nequit; c) ut concedatur indultum apostolicum, cum a sola S. Sede (vel eius delegato) sanatio in radice concedi possit[73].

CAPUT XII.

De secundis nuptiis.

Q. 349. *Quid statuat ius de secundis nuptiis?*

R. 1. Licet casta viduitas honorabilior sit, secundae tamen et ulteriores nuptiae, quibus non obstat impedimentum, validae et licitae sunt[74]. Mulieri autem in secundis nuptiis non datur sollemnis benedictio, si ei iam data fuit in primis nuptiis[75].

2. Secundis nuptiis obstare possunt eadem impedimenta quae obstant primis nuptiis; insuper autem obstare potest impedimentum ligaminis, a quo Ecclesia inter christianos dispensare nequit, saltem si exsistit matrimonium consummatum. Si dubium est de morte prioris coniugis, omnino requiritur iudicialis declaratio mortis a competenti iudice ecclesiastico facta. Novus Codex nihil habet de modo procedendi in hac re. Observanda est S. Officii „Instructio ad probandum obitum alicuius coniugis" data a. 1868[76] et S. Congregationis de sacr. „Instructio super probatione status liberi" data d. 4 Iul. 1921[77]

TITULUS VIII.

De sacramentalibus.

Q. 350. *Quid sint sacramentalia?*

R. Sacramentalia, quae ab antiquis vocata sunt quoque *sacramenta minora,* sunt res aut actiones, quibus Ecclesia (in aliquam sacramentorum imitationem) uti solet ad obtinendos ex sua impetratione

[71] c. 1138, § 1. [72] Ib. § 3. [73] c. 1139 1140 1141. [74] c. 1142. [75] c. 1143. [76] Collectan. de Prop. Fide II 1321.
[77] Acta Ap. Sed. XIII 348 sq. Vide plures tales casus solutos a S. Congregatione de sacr. d. 18 Dec. 1914, 25 Iun. 1915 (Acta Ap. Sed. VII 40 sqq. 476 sqq.).

effectus praesertim spirituales[1]. Sacramentalia igitur sunt res aut actiones ideoque distingui solent sacramentalia *permanentia,* sc. res, e. gr. cruces, numismata benedicta, et *transeuntia,* sc. actiones, ut benedictiones, exorcismi etc. Sacramentalia nunc instituuntur aut authentice declarantur aut abolentur aut mutantur a sola S. Sede[2].

Efficacia sacramentalium provenit ex impetratione Ecclesiae et producit cum effectus temporales, e. gr. sanitatem, tum praecipue effectus spirituales, e. gr. gratias actuales.

Legitimus sacramentalium minister est *clericus,* cui ad id potestas collata est quique a competenti auctoritate ecclesiastica non est impeditus[3]. In sacramentalibus conficiendis seu administrandis accurate serventur ritus ab Ecclesia probati[4].

Q. 351. *Quid specialiter statutum sit de sacramentalibus, quae sunt benedictiones et consecrationes?*

R. 1. *Benedictiones* sunt frequentissimae in Ecclesia et distinguuntur in reservatas vel non reservatas. Benedictiones non reservatas potest dare quilibet sacerdos. Diaconi autem et lectores illas tantum valide et licite benedictiones dare possunt, quae ipsis expresse a iure permittuntur[5], e. gr. benedictionem cerei paschalis potest facere diaconus; pariter, si ex debita licentia portat viaticum, potest cum ss. sacramento benedicere infirmum et assistentes, potest benedicere sepulcrum[6]. Lectores possunt benedicere panem et novos fructus. Benedictiones nonnullae reservantur Summo Pontifici, episcopis, ordinibus religiosis etc. Benedictio reservata, quae a presbytero datur sine necessaria licentia, illicita quidem est, sed non invalida, nisi in reservatione S. Sedes aliud expressit[7]. Ergo e. gr. si sacerdos, putans erronee se habere facultatem, rosaria benedicit, ea revera benedicta sunt, nisi invaliditatem talis benedictionis S. Sedes expresse declaravit.

Formula praescripta in benedictionibus omnino servanda est, secus benedictiones cum constitutivae tum invocativae sunt invalidae[8].

Benedictiones imprimis impertiendae catholicis dari quoque possunt catechumenis, immo, nisi obstat Ecclesiae prohibitio, etiam acatholicis ad obtinendum fidei lumen, vel una cum illo corporis sanitatem[9].

2. *Consecrationes* nemo, qui charactere episcopali caret, valide peragere potest, nisi vel iure vel apostolico indulto id ei permittatur[10]. De iure communi e. gr. Cardinales, abbates et praelati nullius, etiamsi non sunt episcopi, possunt consecrare ecclesias, altaria etc.

---

[1] c. 1144. De modo, quo sacramentalia producant effectus, vide nostrum Man. theol. mor. III 89 sqq.

[2] c. 1145. [3] c. 1146. [4] c. 1148. [5] c. 1147, § 4.

[6] S. R. C. d. 14 Aug. 1858, decr. auth. n. 3074.

[7] c. 1147, § 3. [8] c. 1148, § 2. [9] c. 1149.

[10] c. 1147, § 1. Tali indulto fruuntur e. gr. abbates Benedictini.

Res consecratae vel benedictae (constitutiva benedictione) reverenter tractentur neque ad usum profanum vel non proprium adhibeantur, etiamsi in dominio privatorum sunt. Sic e. gr. calices, vestes sacrae etc. nequeunt adhiberi ad usum profanum.

Q. 352. *Quid statutum sit de usu exorcismi?*

R. Nemo potestate exorcizandi praeditus exorcismos in obsessos legitime proferre potest, nisi ab Ordinario peculiarem et expressam licentiam obtinuerit[11]. Ratio est obvia, quia secus magna incommoda et scandala facile oriri possunt. Haec autem licentia ab Ordinario concedatur tantummodo sacerdoti pietate, prudentia ac vitae integritate praedito, qui ad exorcismos ne procedat, nisi postquam diligenti prudentique investigatione compererit, exorcizandum esse revera a daemone obsessum. Per se patet, non requiri specialem licentiam ad faciendos exorcismos, qui occurrunt in quolibet sollemni baptismo, in consecrationibus et benedictionibus.

Exorcismi, praehabita licentia Ordinarii, fieri possunt non solum in fideles et catechumenos, sed etiam in acatholicos et excommunicatos[12].

Nota. Nonnisi pro exorcismis sollemnibus et publicis in obsessos requiritur licentia Ordinarii. Nihil videtur obstare, quominus sacerdos prorsus secreto modo, i. e. etiam nesciente ipso exorcizando, exorcismos pronuntiet ex rationabili causa.

PARS II.

De locis et temporibus sacris.

Ista pars duas sectiones comprehendit: loca sacra et tempora sacra.

SECTIO I.

De locis sacris.

Q. 353. *Quaenam sint loca sacra?*

R. „Loca sacra ea sunt, quae divino cultui fideliumve sepulturae deputantur consecratione vel benedictione, quam probati libri liturgici ad hoc praescribunt.“[1] Enumerantur quattuor loca sacra: ecclesiae, oratoria, altaria, coemeteria, dummodo sint benedicta.

---

[11] c. 1151. Cum canon iste ius vetus ex integro referat, explicandus est iuxta receptas apud probatos auctores interpretationes veteris iuris (c. 6, n. 2). Iamvero veteres probati auctores, e. gr. *Ferraris, Wernz,* docuerunt, etiam regulares exemptos non posse sollemnem exorcismum adhibere cum sola licentia proprii superioris, sed indigere licentia episcopi loci. Ita quoque statuit *Benedictus XIV* in Encyclica „Magno cum“ (§ 34) d. 2 Iun. 1751, allegata inter fontes huius canonis. Quare religionis exemptae superior maior, quamvis sit Ordinarius, non videtur posse permittere sollemnem exorcismum (saltem in non subditos).

[12] c. 1152. [1] c. 1154.

Q. 354. *Quid sit iure statutum generatim de consecratione et benedictione locorum sacrorum?*

R. 1. Non obstante quolibet privilegio, nemo potest locum sacrum consecrare vel benedicere sine Ordinarii consensu [2]. Iste Ordinarius est pro religiosis clericis exemptis proprius *superior maior*, si agitur de benedictione. Ius etenim benedicendi locum sacrum pertinentem ad religionem non exemptam vel ad laicalem competit quidem Ordinario territorii, in quo locus reperitur; sed si talis locus pertinet ad religionem clericalem exemptam, ius benedicendi competit superiori religioso maiori. Cum Ordinarius loci tum superior religiosus potest alium sacerdotem ad hoc delegare [3]. — *Consecratio* alicuius loci (etiam ad regulares exemptos pertinentis) semper spectat ad Ordinarium territorii, in quo locus ipse reperitur, dummodo iste Ordinarius charactere episcopali sit insignitus. Vicarius generalis nequit sine speciali mandato locum consecrare. Cardinales possunt consecrare ecclesiam et altaria sui tituli absque ulla alia licentia; ad consecrandas autem alias ecclesias vel altaria indigent licentia Ordinarii loci [4]. Ordinarius loci, licet charactere episcopali careat, potest cuilibet eiusdem ritus episcopo licentiam dare consecrationes peragendi in suo territorio.

De peracta consecratione vel benedictione redigatur documentum, cuius alterum exemplar in curia episcopali, alterum in ecclesiae archivo servetur [5]. In dubio, utrum aliquis locus sacer sit consecratus vel benedictus necne, consecratio vel benedictio iteretur ad cautelam; sufficit autem unus testis omni exceptione maior ad probandam consecrationem vel benedictionem, dummodo exinde nemini damnum causetur [6].

2. Loca sacra exempta sunt a iurisdictione auctoritatis civilis, et in iis legitima Ecclesiae auctoritas iurisdictionem suam libere exercet [7]. Hinc talia loca gaudent quoque iure asyli, ita ut rei, qui ad illa confugerunt, inde non sint extrahendi, nisi necessitas urgeat, sine assensu Ordinarii vel saltem rectoris ecclesiae [8]. Nihilominus in multis regionibus neque ius asyli neque immunitas locorum sacrorum ab auctoritate civili agnoscitur. Proinde videnda sunt Concordata, si qua exsistunt.

TITULUS IX.

De ecclesiis.

Q. 355. *Quid veniat nomine ecclesiae?*

R. „Ecclesiae nomine intelligitur aedes sacra divino cultui dedicata eum potissimum in finem, ut omnibus christifidelibus usui sit ad divinum cultum publice exercendum.“ [9]

In hoc sensu iam *S. Paulus* [10] iuxta aliquos exegetas (aliis contradicentibus) verbum ecclesiae sumpsit scribens: *„Numquid domos non habetis ad manducandum et bibendum aut ecclesiam Dei contemnitis?“* Certo Tertullianus in hoc sensu iam loquitur de ecclesia: „Constanter audeant et in vicis virgines videri, sicut audent in ecclesiis.“ [11] Item S. Cyprianus, Eusebius aliique. Tempore Apostolorum fideles solebant pro cultu congregari in domibus privatis seu coenaculis, sicuti fecerat ipse Salvator cum discipulis in ultima coena. Tempore persecutionum christiani veteres congregabantur in catacumbis pro cultu, et etiam istis prioribus saeculis iam exsistebant ecclesiae sub divo, ut narrat *Eusebius* [12]. Antiquis temporibus et alia nomina pro ecclesia usuvenerunt, sc.:

a) *Dominicum* (graece: κυριακόν, a quo nomine graeco derivantur in linguis vernaculis diversa nomina moderna Kirche, Kerk, Church), i. e. domus Domini. Sic e. gr. *S. Cyprianus* [13] dicit: „In Dominicum sine sacrificio venis.“ *S. Hieronymus* [14] loquitur de Dominico quod vocatur aureum et quod coeptum est aedificari Antiochiae a. 322.

b) *Basilica. S. Isidorus Hispalensis* [15] scribit: „Ideo divina templa basilicae nominantur, quia ibi regi omnium Deo cultus et sacrificium offeruntur.“ Nostris temporibus nomen basilicae reservatur quibusdam ecclesiis insignioribus, ut patet ex quaest. seq.

c) *Templum* (ναός), quod nomen tribus primis saeculis non occurrit, quia fana paganorum vocabantur templa, ideoque christiani abhorrebant ab hac denominatione. Primus videtur fuisse Lactantius [16], qui ecclesiam vocavit templum.

d) *Oratorium* (εὐκτήριον, προσευκτήριον, οἶκος εὐκτήριος), i. e. domus orationis, sicuti Christus ipse vocavit templum Hierosolymitanum. Eusebius pluries hoc nomine vocavit ecclesias [17].

e) *Martyrium, confessio, memoria.* Haec tria nomina sunt synonyma et significabant illas ecclesias, quae in memoriam alicuius martyris constructae erant. Sic e. gr. occurrunt expressiones: martyrium Thomae [18], martyrium Petri et Pauli, martyrium Euphemiae, ad significandas ecclesias erectas super corpora horum sanctorum. Immo ecclesia a Constantino erecta super sepulcrum Domini vocabatur: martyrium Salvatoris [19].

f) *Titulus* significat ecclesiam, quia quaelibet ecclesia denominatur a suo Patrono seu Sancto titulari. Adhuc nostris temporibus Cardinales creantur e. gr. titulo S. Praxedis, i. e. ecclesiae S. Praxedis [20].

Q. 356. *Quomodo ecclesiae distinguantur?*

R. 1. Distinguuntur *Basilicae* maiores et minores.

Nulla ecclesia potest basilicae titulo decorari nisi ex apostolica concessione aut ex immemorabili consuetudine [21]. Basilicae maiores sunt quattuor

---

[2] c. 1157. [3] c. 1156. [4] c. 1155 1157. [5] c. 1158. [6] c. 1159.
[7] c. 1160. [8] c. 1179. [9] c. 1161. [10] 1 Cor 11, 22.

[11] De velandis virgin. (*Migne,* P. l. 2, 956).
[12] Hist. eccl. II 7 et 13 (*Migne,* P. g. 20, 673).
[13] De opere et eleemosyna n. 15 (*Migne,* P. l. 4, 613).
[14] Eusebii Chronic. l. 2 (*Migne,* P. l. 27, 497).
[15] Etym. l. 15, c. 4 (*Migne,* P. l. 82, 545); cf. c. 4 D 42; c. 6, X, 3, 38.
[16] † circa a. 325. [17] e. gr. De vita Constantini 3, 48.
[18] *Socrates,* Hist. eccl. 4, 18 (*Migne,* P. g. 67, 504).
[19] *Eusebius,* De vita Constantini 4, 40 (*Migne,* P. g. 20, 1189).
[20] Pro aliis minus usitatis denominationibus ecclesiae cf. *Bona,* Rer. liturg l. 1, c. 19, § 4.
[21] c. 1180.

ecclesiae patriarchales Romae, sc. 1. Lateranensis, quae sedem romanam significat et quae est prima inter omnes ecclesias totius mundi; 2. Vaticana, quae sedem constantinopolitanam repraesentat; 3. S. Pauli in via ostiensi, quae alexandrinam sedem; 4. Liberiana (S. Maria Maggiore), quae antiochenam sedem significat. Pius X die 9 Aprilis 1909 declaravit etiam assisiensem ecclesiam S. Mariae Angelorum de Portiuncula basilicam patriarchalem et capellam papalem[22]. Quidam auctores tamquam basilicam maiorem enumerant quoque ecclesiam S. Laurentii extra muros. In basilicis maioribus sunt sic dicta altaria papalia, in quibus sine speciali licentia nullus alius sacerdos praeter Papam Missam celebrare potest. Basilicae minores sunt complures cum Romae tum in aliis regionibus, et iis competunt tria privilegia, sc. ius conopaei, tintinnabuli et cappae magnae[23]. Si qua alia privilegia adsint, ea diiudicanda sunt ex apostolica concessione vel ex immemorabili consuetudine[24].

2. Ecclesiae *cathedrales,* quae nempe sunt sedes alicuius episcopi; quae quidem vocantur metropolitanae, primatiales, patriarchales, si episcopus est metropolita, primas, patriarcha. Ecclesiae cathedrali assimilatur ecclesia *quasi-cathedralis,* quae est sedes praelati „nullius". Ecclesia cathedralis, cum sit ecclesia episcopi, censetur velut paroecia totius dioecesis aliarumque ecclesiarum matrix et caput. Quare S. Congregatio Concilii determinavit[25], ad parochum ecclesiae cathedralis pertinere funera peragenda super cadaveribus eorum, qui in civitate episcopali suam paroeciam non habent.

3. Ecclesiae *abbatiales* sunt ecclesiae, quae sunt sedes alicuius abbatis (sive saecularis sive regularis).

4. Ecclesiae *collegiales* sunt eae, quibus adscriptum est collegium canonicorum, vel quibus hoc privilegium specialiter est datum. Sic e. gr. omnes ecclesiae Fratrum Praedicatorum sunt ex privilegio collegiales[26]. Inter ecclesias collegiales sunt duo gradus: alterae sunt insignes, alterae simpliciter collegiales.

5. Ecclesiae *paroeciales* sunt eae, quae sunt sedes alicuius parochi.

6. Ecclesiae *regulares* sunt eae, quae adnexae sunt alicui ordini religioso.

Sunt et multae aliae denominationes ecclesiarum, quas longum est hic enumerare, cum statim ex ipsis terminis intelligantur, e. gr. ecclesia matrix et ecclesia filialis.

Q. 357. *Quaenam iuridice requirantur ad aedificationem alicuius ecclesiae?*

R. 1. Requiritur *expressus consensus Ordinarii loci in scriptis datus,* quem tamen vicarius generalis praestare nequit sine mandato speciali[27]. Ratio est, quia ad episcopum pertinet advigilare in universa dioecesi

[22] Acta Ap. Sed. I 394.

[23] S. R. C. d. 27 Aug. 1836 (Decr. auth. n. 2744). Explicationem horum privilegiorum videsis apud Gardellini vel in Kirchenlexikon s. v. Basilika.

[24] c. 1180.

[25] In Novar. d. 22 Iun. 1895 et in Roman. d. 27 Aug. 1904, ad I.

[26] Cf. const. ord. Praed. n. 89.

[27] c. 1162, § 1.

cultum divinum. Episcopus ius habet, ut ipsi adumbratio ecclesiae aedificandae (vulgo Plan) mox porrigatur et ab ipso approbetur. Excipiuntur tamen ecclesiae exemptae, ut sunt ecclesiae regularium[28]. Pro aliquibus ecclesiis aedificandis requiritur praeter licentiam episcopi etiam licentia S. Sedis, sc. pro ecclesiis cathedralibus, collegiatis et etiam regularibus. In aliquibus regionibus, e. gr. in Germania, Austria, requiritur insuper licentia auctoritatis civilis. Etiam sodales religiosi, licet consensum constituendae novae domus in dioecesi vel civitate ab Ordinario loci retulerint, tamen antequam ecclesiam vel oratorium publicum in certo ac determinato loco aedificent, Ordinarii loci licentiam obtinere debent[29]. Ordinarie itaque in praxi, antequam nova domus religionis clericalis in aliquo loco erigatur, obtinenda est ab Ordinario loci simul licentia et domus erigendae et ecclesiae aedificandae, ne postea difficultates inutiles oriantur.

2. *Ratio sufficiens* (sc. necessitas, utilitas et incrementum cultus divini) requiritur. Iudicare de hac ratione sufficienti ad episcopum pertinet. Quodsi quis putat, ecclesiae aedificationem esse sibi nocivam, permittitur ei appellatio, quae vocatur *„nuntiatio novi operis"*[30]. Haec nuntiatio dirigenda est vel ad episcopum vel ad metropolitam vel ad S. Sedem et efficit, ut aedificatio statim cessare debeat, donec sententia de legitimitate nuntiationis lata sit. Ita saltem ordinarie[31]. Ut autem haec nuntiatio evitetur, ne sc. nova ecclesia ceteris iam exsistentibus detrimentum afferat, maiore fidelium spirituali utilitate non compensatum, Ordinarius, antequam consensum praebeat, audire debet vicinarum ecclesiarum rectores, quorum intersit. Non requiritur *consensus* istorum rectorum et notanter parochi, ut e. gr. aliqua ecclesia religiosorum aedificetur; quare Ordinarius, iudicans adesse sufficientes rationes, potest, etiam dissentientibus istis rectoribus, aedificationem ecclesiae permittere.

3. Requiritur *dos sufficiens* pro aedificanda et conservanda ecclesia, pro sustentatione ministrorum, pro expensis cultus. Iuxta vigentem praxim quantitas istius dotis determinanda est ab episcopo[32]. Pro aedificatione ecclesiarum Mendicantium non requiritur dos determinata, sed sufficit moralis certitudo, ut ex eleemosynis collectis conveniens aedificatio, conservatio ecclesiae et sustentatio ministrorum habeantur.

4. Antequam aedificatio ecclesiae incohetur, requiritur sollemnis benedictio et impositio primarii lapidis, quae pertinet ad Ordinarium loci eiusve delegatum, vel, si agitur de ecclesia religionis clericalis exemptae, ad superiorem maiorem eiusve delegatum[33].

5. Curent Ordinarii, audito etiam, si opus fuerit, peritorum consilio, ut in ecclesiarum aedificatione et refectione serventur formae a

[28] Cf. Conc. prov. westmonast. I, decr. 29; *Vogt,* Kirchl. Vermögensrecht § 26.

[29] c. 1162, § 4. [30] c. 5 X, tit. 32; c. 1676. [31] Cf. c. 1676, § 2.

[32] „Olim sancitum est, ut unicuique ecclesiae unus mansus integer et absque ullo servitio tribuatur." c. 1 X, 3, 39. Iuxta *Du Cange,* Glossarium s. v. Mansus, unus mansus aequivalebat duodecim agri iugeribus.

[33] c. 1163.

traditione christiana receptae et artis sacrae leges [34]. Iam ab antiquis temporibus mos fuit ecclesias verti ad Orientem. Christiani enim orare solebant versi ad Orientem. De ratione huius modi orandi non conveniunt doctores: alii referentes illum ad memoriam Christi, qui ut sol iustitiae ex Oriente surrexit, alii ad paradisum terrestre amissum, quem Deus ab Oriente [35] plantaverat. — In ecclesia nullus aperiatur aditus vel fenestra ad laicorum domus, sicuti aliquando accidit in antiquis ecclesiis. Loca, si qua adsunt subter ecclesiae pavimentum aut supra ecclesiam, ad usum mere profanum ne adhibeantur [36].

Q. 358. *Quaenam notanda sint de consecratione ecclesiarum?*

R. 1. Divina officia celebrari in nova ecclesia nequeunt, antequam eadem vel sollemni consecratione vel saltem benedictione divino cultui fuerit dedicata [37]. Ad episcopum dioecesanum eiusve delegatum privative pertinet consecrare omnes ecclesias (etiam regularium) suae dioecesis, ut iam supra dictum est.

2. Si prudenter praevidetur, ecclesiam conversum iri ad usus profanos, Ordinarius eam ne consecret neve benedicat. Si tamen periculum profanationis non est ita proximum, benedictio quidem, sed non consecratio est impertienda. Hinc in Anglia usus invaluit nullam ecclesiam consecrandi, quae adhuc debitis est onerata, ne casu, quo fabrica ecclesiae sit solvendi impar, res consecrata sub hasta vendatur. Sollemni consecratione dedicentur ecclesiae cathedrales et, quantum fieri potest, ecclesiae collegiatae, conventuales, paroeciales. Ecclesia autem ex ligno vel ferro vel alio metallo constructa benedici quidem, sed non consecrari potest [38]. Ecclesia constructa ex sic dicto „caemento armato“ (vulgo Eisenbeton) consecrari potest, dummodo duodecim crucium loca et postes ianuae principalis sint ex lapide [39].

3. Simul cum ecclesia semper debet consecrari altare maius vel, si istud iam est consecratum, altare secundarium [40].

4. Ecclesiarum consecratio, quamvis quolibet die fieri possit, decentius tamen diebus dominicis aliisve festis de praecepto peragitur. Episcopus consecrans et omnes, qui petunt ecclesiam sibi consecrari (parochus, conventus religiosus etc.), per eum diem, qui consecrationem praecedit, ieiunent [41]. Reliquiae includendae in altari, quod consecratur cum ecclesia, pridie in aliqua propinquiore ecclesia vel oratorio vel sub tentorio ornato inter luminaria exponantur, et coram iis celebrandae sunt Vigiliae (i. e. dicenda sunt Matutinum et Laudes de communi martyrum) cum oratione de communi sine nomine ex-

[34] c. 1164, § 1.
[35] Ita Gen 2, 8 iuxta lectionem LXX et iuxta versionem Italam. In Vulgata autem legitur: a principio.
[36] c. 1164, § 2. [37] c. 1165, § 1. [38] Ib. § 4.
[39] S. R. C. d. 12 Nov. 1909 (Decr. auth. n. 4240). [40] c. 1165, § 5.
[41] c. 1166, § 1 2; S. C. C. d. 3 Iul. 1909 (Acta Ap. Sed. I 624).

presso, cum non sint partes officii diei [42]. Post peractam consecrationem Missa celebrari debet ab ipso pontifice consecratore, qui tamen, si nimis defatigatus est, faciat Missam celebrari per aliquem sacerdotem. Dicenda est Missa „Terribilis est“ de communi dedicationis, nisi propter festum sollemne dicenda est Missa de festo. *Essentia* consecrationis est unctio cum sacro chrismate supra duodecim crucibus in muris aut columnis ecclesiae simul cum prolatione verborum correspondentium [43]. Cum consecratur ecclesia vel altare, episcopus consecrator, licet iurisdictione in territorio careat, indulgentiam concedit unius anni ecclesiam vel altare visitantibus in ipsa consecrationis die; in die vero anniversaria 50 dierum, si est episcopus; 100 dierum, si archiepiscopus; 200 dierum, si Cardinalis [44].

5. Unaquaeque ecclesia consecrata vel benedicta suum habeat titulum, qui, peracta ecclesiae consecratione, mutari nequit. Ecclesiae dedicari non possunt Beatis, sine Sedis Apostolicae indulto [45]. Quolibet anno dies anniversarius consecrationis ecclesiae debet celebrari sub ritu primae classis cum octava. Hodie autem in multis regionibus uno eodemque die celebratur festum dedicationis ecclesiarum in tota dioecesi. Ad quod festum commune tenentur quoque ecclesiae solummodo benedictae, sicuti pariter oratoria publica benedicta et semipublica *sollemniter* benedicta [46]. Etiam festum tituli ecclesiae quotannis celebretur ad normas legum liturgicarum.

6. Consecrationem vel benedictionem ecclesia non amittit, nisi tota destructa fuerit, vel maior parietum pars corruerit, vel in usus profanos ab Ordinario loci redacta sit [47]. Ergo ecclesia non exsecratur, neque si ampliatur in longitudine vel latitudine, dummodo pars addita sit minor parte antiqua, neque si parietes et alia omnia successive reparantur, neque si vi aut malitia hominum sine licentia Ordinarii ad usus profanos est reducta (per breve tempus); in hoc ultimo casu autem eget reconciliatione, ut infra dicetur.

Q. 359. *Quaenam notanda sint de benedictione ecclesiarum?*

R. 1. Minister benedictionis ecclesiarum est Ordinarius loci eiusve delegatus; minister vero benedictionis ecclesiarum ad religionem clericalem exemptam pertinentium est superior maior religiosus eiusve delegatus [48] ut iam dictum est.

2. Ritus benedictionis desumendus est ex Rituali Romano [49] vel ex alio Rituali approbato.

3. *Essentia* benedictionis consistit in aspersione aquae benedictae super parietes ecclesiae in eorum parte superiore et inferiore, idque sive extra sive intra ecclesiam. Ita communis sententia doctorum.

[42] S. R. C. d. 14 Iun. 1845 (Decr. auth. n. 2886). Cf. *Martinucci* (Man. sacr. caerim. l. 7, c. 16, n. 13 nota), qui hoc modo explicat verba Pontificalis.
[43] S. R. C. d. 12 Apr. 1604 (Decr. auth. n. 319).
[44] c. 1166, § 3. [45] c. 1168, § 1 3.
[46] S. R. C. d. 9 Iul. 1895, d. 5 Iun. 1899 (Decr. auth. n. 3863 et 4025).
[47] c. 1170. [48] c. 1156. [49] tit. 8, c. 27.

4. Peracta benedictione Missa celebranda est super altari portatili vel de tempore occurrenti vel Missa sollemnis votiva de Sancto, in cuius nomine ecclesia est dedicata[50].

Q. 360. *Quid specialiter notandum sit de patrono vel titulo (titulari) ecclesiae?*

R. 1. Titulus, ut ex ipso verbo apparet, est specialis denominatio ecclesiae. Quodsi ecclesia denominatur in honorem alicuius sanctae personae creatae, tunc iste sanctus (sive angelus sive homo) vocatur quoque patronus ecclesiae, qui non est confundendus cum patrono loci vel provinciae vel regni vel dioecesis. Sin autem ecclesia denominatur in honorem SS. Trinitatis vel alicuius personae divinae vel alicuius mysterii fidei (e. gr. Immac. Concept. B. M. V., Resurrect. Christi etc.) vel alicuius miraculi (conversio S. Pauli, vincula S. Petri), tunc haec denominatio vocatur titulus (titularis) ecclesiae. Ut iam supra dictum est, ecclesiae nequeunt dedicari Beatis sine S. Sedis indulto.

2. Titulus seu patronus eligi debet in benedictione primi lapidis ecclesiae aedificandae atque, peracta dedicatione ecclesiae, nequit mutari sine licentia S. Rituum Congregationis[51]. Si vero ecclesia amisit consecrationem vel benedictionem (per destructionem vel profanationem)[52], amisit quoque titulum seu patronum, et in nova consecratione vel benedictione potest alius patronus vel titulus eligi, licet hoc minus deceat[53].

3. Quotannis festum titularis debet celebrari sub ritu duplici primae classis cum octava „ab omnibus e clero, quibus eadem ecclesia propria est aut ratione beneficii aut ratione subiectionis", i. e. a toto clero huius ecclesiae[54].

Q. 361. *Quomodo ecclesia violetur et profanetur?*

R. 1. Violatio vel pollutio ecclesiae est moralis contaminatio seu atrox iniuria illata sanctitati ecclesiae per aliqua facta *(publica* et *notoria)* in iure expressa et intra ipsam ecclesiam posita[55].

2. Quattuor facta in Codice iur. can.[56] recensentur inducentia violationem seu pollutionem ecclesiae, sc.

a) *Delictum homicidii.* Requiritur, ut sit *delictum;* ergo non violatur ecclesia, si homicidium fit ob iustam defensionem cum moderamine inculpatae tutelae, neque si fit ab amente. Ut autem dicatur homicidium patratum in ecclesia, requiritur et sufficit, ut causa *proxima* mortis, e. gr. vulnus, venenum accipiatur in ecclesia, licet mors reapse accidat extra ecclesiam.

[50] Cf. S. R. C. d. 23 Febr. 1884 (Decr. auth. n. 3605).
[51] S. R. C. d. 12 Sept. 1857 (Decr. auth. n. 2719).
[52] Cf. supra q. 358, n. 6.
[53] S. R. C. d. 2 Maii 1626 (Decr. auth. n. 402).
[54] S. R. C. d. 9 Iul. 1895 et 27 Iun. 1899 (Decr. auth. n. 3863 et 4043).
[55] Cf. c. 10 X 3, 40; c. unic. in VI° 3, 21; c. 1172.
[56] Ib.

b) *Iniuriosa et gravis effusio sanguinis humani;* si effusio non est iniuriosa aut gravis, ecclesia non polluitur.

c) *Impii et sordidi usus,* quibus ecclesia addicta fuit. Tales usus censentur omnes actiones prorsus profanae, quae repugnant sanctitati loci, ut e. gr. si ecclesia adhibetur tamquam emporium vel stabulum.

d) *Sepultura infidelis vel excommunicati* post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam. Iste casus hodie rarus est, cum lex quoque civilis soleat prohibere sepulturam in ecclesiis.

Nota. Ut quattuor facta recensita revera effectum pollutionis seu violationis producant, requiritur, ut *intra* ecclesiam fiant, non autem in turri aut campanili, neque in sacristia, neque in porticu exteriore neque super fornices ecclesiae. Antiquitus effusio quoque graviter peccaminosa seminis humani polluebat ecclesiam, sed in novo iure ista causa pollutionis sublata est.

Violata ecclesia non ideo coemeterium, etsi contiguum, violatum censetur; et viceversa[57].

3. In violata ecclesia, antequam reconcilietur, nefas est adeoque grave peccatum divina officia celebrare, sacramenta administrare, mortuos sepelire[58]. Si violatio accidit tempore divinorum officiorum, haec statim cessare debent; si ante Missae canonem vel post communionem, Missa dimitti debet; secus sacerdos Missam prosequatur usque post communionem[59].

4. *Profanatio ecclesiae,* i. e. eius redactio ad usus profanos, licite fieri nequit, nisi ex licentia Ordinarii loci. Si qua enim ecclesia iam nullo modo ad cultum divinum adhiberi potest et omnis possibilitas interclusa est ad eam reficiendam, potest ab Ordinario loci redigi in usum profanum (non tamen sordidum). Tunc autem huius ecclesiae onera cum reditibus (et titulus paroeciae, si ecclesia est paroecialis) in aliam ecclesiam ab eodem Ordinario transferantur[60].

Q. 362. *Quomodo ecclesia violata reconcilietur?*

R. 1. Ecclesia violata reconcilietur, quam citissime poterit, secundum ritus in probatis liturgicis libris descriptos[61] „ne divinae laudis organa suspendantur"[62]. Si dubitatur, num ecclesia sit violata, reconciliari potest ad cautelam[63].

2. Ecclesia violata ob sepulturam excommunicati vel infidelis ne reconcilietur, antequam cadaver exinde removeatur, si remotio sine gravi incommodo fieri potest[64]. Hanc violationem esse hodie rarissimam, iam supra dictum est.

3. Ecclesiam *benedictam* reconciliare potest rector eiusdem vel quilibet sacerdos de consensu saltem praesumpto rectoris[65]. Ergo controversiae hac de re olim exsistentes nunc omnes exstinctae sunt.

Ecclesiam *consecratam* reconciliare potest Ordinarius loci eiusve delegatus vel superior religiosus maior eiusve delegatus, si agitur de re-

[57] c. 1172, § 2. [58] c. 1173, § 1. [59] Ib. § 2. [60] c. 1187. [61] c. 1174, § 1. [62] c. 10 X 3, 40. [63] c. 1174, § 2. [64] c. 1175. [65] c. 1176, § 1.

conciliatione ecclesiae pertinentis ad religionem clericalem exemptam. In casu tamen gravis et urgentis necessitatis (e. gr. si secus Missa dominicalis esset omittenda), si Ordinarius adiri nequit, rectori ecclesiae consecratae eandem reconciliare fas est, certiore facto postea Ordinario[66].

4. Reconciliatio ecclesiae *benedictae* fieri potest aqua lustrali communi; reconciliatio vero ecclesiae *consecratae* fiat aqua ad hoc benedicta secundum leges liturgicas; quam tamen non solum episcopi, sed etiam presbyteri, qui ecclesiam reconciliant, benedicere possunt[67].

Q. 363. *Quid sit iure statutum de campanis ecclesiarum?*

R. 1. Cuilibet ecclesiae campanas esse convenit, quibus fideles ad divina officia aliosque religionis actus invitentur[68]. Non solum ecclesiae, sed etiam oratoria publica et semi-publica possunt habere campanas. Olim ecclesiis Mendicantium nonnisi una campana permittebatur[69], sed hodie haec lex non amplius viget. Ecclesiarum campanae possunt ex quocumque metallo apto confici, sed debent consecrari vel benedici secundum ritus in probatis liturgicis libris traditos, idque ab iis, qui possunt ecclesiam consecrare vel benedicere[70]. Earum usus unice subest ecclesiasticae auctoritati neque fiat ad usus mere profanos, nisi ex causa necessitatis aut ex licentia Ordinarii aut denique ex legitima consuetudine[71]. Sic e. gr. in aliquibus regionibus est consuetudo pulsandi campanas, quando in aliqua domo paroeciae incendium exarsit.

2. Si Ordinarius loci ob causam publicam sonitum campanarum praescribit, etiam religiosi exempti debent oboedire[72].

Q. 364. *Quaenam sint obligationes et iura rectoris ecclesiae?*

R. 1. Rector ecclesiae curet, a) ut in ecclesia servetur illa mundities, quae domum Dei decet; b) ut arceantur negotiationes et nundinae, quamquam ad finem pium habitae, atque generatim quidquid a sanctitate loci absonum est[73]. Potest permitti ut in porticu ecclesiae vendantur parvae res piae, ut cerei, rosaria, numismata etc.

2. Ingressus in ecclesiam ad sacros ritus sit omnino gratuitus, et reprobatur quaelibet contraria consuetudo[74]. Etiam extra sacros ritus valde decens est, ut fideles possint orandi causa libere intrare in ecclesiam. Aliud est, si volunt intrare ad inspiciendas res artificiosas; pariter non videtur esse prohibitum ne modica taxa exigatur pro usu sedilium.

3. Administratio bonorum, quae destinata sunt reparandae decorandaeque ecclesiae divinoque in eadem cultui exercendo, pertinet ad rectorem ecclesiae, nisi aliud ex speciali titulo vel legitima consuetudine constat. Rector ecclesiae cathedralis censetur esse in hac

[66] c. 1176, § 2 3. [67] c. 1177. [68] c. 1169.
[69] c. unic. in Extrav. comm. 1, 15.
[70] c. 1169. Parva tintinnabula non sunt benedicenda. [71] Ib. § 3 4.
[72] c. 612. [73] c. 1178. [74] c. 1181.

materia episcopus cum capitulo; ecclesiae vero collegiatae rector est capitulum[75]. Etiam oblationes factas in commodum paroeciae aut missionis aut ecclesiae sitae intra paroeciae vel missionis fines administrat parochus vel missionarius, nisi agatur de ecclesia propriam administrationem habente, distinctam ab administratione paroeciae vel missionis. Aliquando tamen ius particulare aut legitima consuetudo aliter de hac re statuunt. Parochus vel missionarius vel rector cuiusque ecclesiae saecularis debet de huiusmodi oblationum administratione rationem reddere Ordinario loci[76].

4. Ad rectorem ecclesiae pertinet (salva tamen Ordinarii auctoritate) nominare et dimittere sacristam, cantores, organorum moderatorem, pueros chorales, campanae pulsatorem, sepulcrorum fossores ceterosque inservientes. Attamen hac in re attendendae sunt imprimis leges particulares, conventiones et consuetudines legitimae, si quae sunt[77].

Q. 365. *Quid sit officium sic dictae fabricae ecclesiarum?*

R. 1. Fabrica ecclesiae est consilium administrationis materialis institutum ab Ordinario loci eiusve delegato (vel iuxta statuta Concordatorum in diversis regionibus exsistentium) ad adiuvandum parochum vel rectorem ecclesiae in administratione temporali paroeciae vel ecclesiae. Parochus vel rector ecclesiae eiusve vicesgerens debet esse praeses fabricae. Membra fabricae convenienter assumuntur etiam e laicis bonis et peritis in administratione temporali. Ex se tales fabricae sunt optimae, sed haud raro propter iniquas leges civiles libertatem Ecclesiae et parochi nimis coarctant.

2. Consilium fabricae nullatenus se ingerere potest in ea omnia, quae ad *spirituale* munus pertinent, praesertim:

a) in exercitium cultus in ecclesia;

b) in modum et tempus pulsandi campanas et in curam tuendi ordinis in ecclesia atque in coemeterio;

c) in definiendam rationem, qua collectae, denuntiationes aliique actus ad divinum cultum ornatumque ecclesiae quoquo modo spectantes in ecclesia fieri possint;

d) in dispositionem materialem altarium, mensae pro distributione Sanctissimae Eucharistiae, cathedrae sive suggestus, e quo ad populum verba fiunt, organorum, loci cantoribus assignati, sedilium, scamnorum, capsularum oblationibus recipiendis, aliarumque rerum, quae ad exercitium religiosi cultus spectant;

e) in administrationem vel reiectionem sacrorum utensilium aliarumque rerum, quae sive ad usum sive ad cultum sive ad ornatum in ecclesia vel sacrario destinantur;

f) in scriptionem, dispositionem, custodiam librorum paroecialium aliorumque documentorum, quae ad archivum paroeciale pertinent[78].

[75] c. 1182, § 1. [76] Ib. § 2 3. [77] c. 1185. [78] c. 1184.

3. Si ecclesia reficienda est, quaestio oriri potest, cuinam incumbat hoc onus. Quare Codex iur. can. c. 1186 sequentes regulas statuit:

a) Imprimis attendendae sunt legitimae consuetudines et conventiones factae etiam ex constituto legis civilis.

b) Onus reficiendi ecclesiam *cathedralem* incumbit ordine, qui sequitur:

bonis fabricae, salva ea parte, quae necessaria est ad cultum divinum celebrandum et ad ordinariam ecclesiae administrationem;

episcopo et canonicis pro rata proventuum, detractis necessariis ad honestam sustentationem;

dioecesanis, quos tamen Ordinarius loci suasione magis quam coactione inducat ad sumptus necessarios, pro eorum viribus, praestandos.

c) Onus reficiendi ecclesiam *paroecialem* incumbit ordine, qui sequitur: bonis fabricae, ut supra;

patrono, si adest;

iis, qui fructus aliquos ex ecclesia provenientes percipiunt secundum taxam pro rata redituum ab Ordinario statuendam;

paroecianis, quos tamen Ordinarius loci magis hortetur quam cogat.

Haec cum debita proportione serventur, etiam quod attinet ad alias ecclesias.

TITULUS X.

De oratoriis.

Q. 366. *Quid et quotuplex sit oratorium?*

R. 1. *Notio.* „Oratorium est locus divino cultui destinatus, non tamen eo potissimum fine, ut *universo* fidelium populo usui sit ad religionem publice colendam“[1].

2. *Divisio.* Distinguitur triplex oratorium:

a) *publicum,* quod quidem erectum est praecipue in commodum alicuius collegii aut etiam privatorum; sed tempore saltem divinorum officiorum omnes fideles habent ius illud adeundi[2]. Iuxta vigentem disciplinam videtur oratorium publicum ab oratorio semi-publico vel privato in hoc essentialiter distingui, quod legitima auctoritas concessit omnibus fidelibus ius illud adeundi saltem tempore divinorum officiorum.

Regula generalis est: *Oratoria publica eodem iure quo ecclesiae reguntur*[3]. Quapropter debent erigi sub iisdem condicionibus, quae supra q. 357 indicatae sunt pro erectione ecclesiarum. Possunt e. gr. benedici et consecrari sicut ecclesiae; omnes sacrae functiones inibi peragi possunt sicut in ecclesiis; subiacent visitationi episcopi, qui debet statuere relationes inter ecclesiam paroecialem et oratorium publicum in eius territorio situm. Si oratorium publicum est exemptum aut pertinens ad religionem exemptam, attendenda sunt ea, quae supra dicta sunt de potestate Ordinarii in loca exempta.

b) *semi-publicum,* „quod in commodum alicuius communitatis vel coetus fidelium eo convenientium erectum est, neque liberum est cuique illud adire“[4].

---

[1] c. 1188, § 1. [2] Ib. § 2, n. 1. [3] c. 1191. [4] c. 1188, § 2, n. 2.

Oratoria semi-publica erigi nequeunt (nisi adsit privilegium) sine Ordinarii licentia, quae quidem ne concedatur, nisi prius ipse Ordinarius aliusve ecclesiasticus vir ab ipso delegatus ea visitavit et decenter instructa repperit. Data autem licentia, oratorium semi-publicum ad usus profanos converti nequit sine eiusdem Ordinarii auctoritate[5]. Talia oratoria semi-publica censentur oratoria (licet privata) Cardinalium et omnium episcoporum etiam titularium; talia sunt oratoria principalia erecta in seminariis, collegiis ecclesiasticis, in nosocomiis etc. In collegiis autem et convictibus iuventuti instituendae, in gymnasiis, lyceis, arcibus, praesidiis militum, carceribus, xenodochiis etc. praeter oratorium principale alia minora ne erigantur, nisi Ordinarii iudicio necessitas aut magna utilitas id exigat[6]. — In oratoriis semi-publicis legitime erectis omnia divina officia functionesve ecclesiasticae celebrari possunt, nisi obstent Rubricae aut Ordinarius aliqua exceperit[7]. Cum privilegia regularium circa oratoria semi-publica non sint revocata, immo cum expresse statuerit S. R. Congregatio d. 23 Ian. 1899 in decreto, ubi ex professo tractatur de oratoriis: „Voluit autem Sanctitas Sua sarta et tecta iura ac privilegia oratoriorum, quibus fruuntur... ordines congregationesque regulares“, religiosi superiores maiores possunt adhuc propria auctoritate erigere oratoria semi-publica non solum in domibus formatis, sed etiam in domibus ruralibus. Ita saltem eae religiones, quae antea hoc privilegio pollebant, ut e. gr. Fratres Praedicatores ex concessione Benedicti XIV d. 22 Ian. 1755. Iam supra q. 244 de hac materia sermo fuit.

c) *privatum* seu *domesticum,* „quod in privatis aedibus in commodum alicuius tantum familiae vel personae *privatae* erectum est“[8]. Talia oratoria privata censentur quoque aediculae in coemeterio a familiis seu personis privatis ad suam sepulturam erectae[9].

Oratoria domestica — non idem valet de oratoriis semi-publicis — nec consecrari nec benedici possunt *more ecclesiarum*[10], convenienter autem benedicuntur benedictione communi locorum domorumve, vel benedictione „loci, in quo Missa celebranda est“[11]. In oratoriis domesticis ex indulto apostolico erectis, nisi aliud in eodem indulto expresse cavetur, celebrari potest, postquam Ordinarius eiusve delegatus oratorium visitavit et approbavit, *unica Missa,* eaque lecta, singulis diebus, exceptis festis sollemnioribus (quae solent esse duodecim). Aliae functiones ecclesiasticae seu liturgicae ibidem ne fiant excepta distributione s. communionis[12]. Ergo seclusa speciali facultate non est licitum, ibi dare benedictionem sacramentalem, distribuere cineres, palmas, concionem proprie dictam habere; non vero prohibitum est, modo privato et familiari disserere de rebus spiritualibus. Praecepto audiendi Missam diebus dominicis et festivis satisfacere possunt in istis oratoriis privatis non omnes, sed solummodo determinatae personae in indulto expressae. Quare adamussim observandae sunt clausulae in indulto appositae. Cum istae clausulae aliquando possint angustias causare, melius est, in prima petitione indulti omnia clare exponere, ne ulla difficultas oriri queat. — In privatis coemeteriorum aediculis, de quibus supra, Ordinarius loci permittere *habitualiter* potest etiam plurium Missarum celebrationem; in aliis oratoriis domesticis *(carentibus indulto apostolico)* Ordinarius

---

[5] c. 1192, § 1 2 3. [6] c. 1189 et 1192, § 4. [7] c. 1193.
[8] c. 1188, § 2, n. 3. [9] c. 1190. [10] c. 1196.
[11] Rit. Rom. ed. typ. inter benedictiones novissimas. [12] c. 1195.

loci nequit propria auctoritate habitualiter permittere celebrationem Missae, sed solummodo in casu aliquo extraordinario iusta et rationabili de causa potest concedere, ut una Missa dicatur[13]. Oratoria domestica (et a fortiori semi-publica) debent esse divino cultui reservata et ab omnibus domesticis usibus libera. Minime autem necessarium est de iure communi, ut non sint cubilia supra ista oratoria in alio contabulato. Decisiones enim romanae, quae videntur contrarium statuere, loquuntur de oratoriis, in quibus asservatur ss. sacramentum, non autem de aliis.

Nota. Oratorium privatum minime confundendum est cum privilegio altaris portatilis, quod includit facultatem dicendi Missam in quolibet loco decenti (excepto cubiculo et navigio in mari). Ordinarius loci potest *per modum actus,* i. e. in paucis casibus extraordinariis, concedere, ut Missa dicatur in quolibet loco decenti et etiam sub divo (non tamen in cubiculo)[14].

TITULUS XI.

De altaribus.

Brevis conspectus historicus de usu, forma, materia, consecratione altarium. 1. *Usus* altarium tam vetus est quam cultus divinitatis adeoque genus humanum. Quare cum apud paganos tum apud iudaeos invenitur usus altarium in cultu divinitatis.

2. *Forma* altarium ab initio aerae christianae fuit ad instar mensae, supra quam D. N. Iesus Christus primus Eucharistiam celebravit. Quando autem in catacumbis sacrificium Missae offerebatur, altare solebat exstrui super tumulum vel sepulcrum alicuius martyris. Inde usus paulatim invaluit, ut in quolibet altari consecrato martyrum reliquiae includerentur. Concilium nicaenum II (a. 787) can. 7 prohibet omnino, ne sine reliquiis martyrum ecclesiae consecrentur: „Quaecumque templa consecrata sunt absque sacris reliquiis martyrum, in iis fieri statuimus reliquiarum depositionem cum consuetis precibus; episcopus autem post haec templum consecrans sine sanctis reliquiis deponatur, ut qui ecclesiasticas traditiones transgressus sit." Quibus verbis apparet, tempore Concilii nicaeni II iam traditionem exstitisse reliquias in ecclesiis (et in altaribus insimul consecratis) includendi.

3. *Materia* altarium christianorum primis temporibus videtur fuisse lignum, ut patet ex S. Athanasio[15], S. Augustino[16] et praesertim ex S. Silvestro. Legitur enim in Breviario in festo Dedicationis Basilicae SS. Salvatoris: „Quodsi beatus Silvester postea in consecratione altaris Principis Apostolorum decrevit, ut deinceps nisi *ex lapide* altaria non aedificarentur, tamen Basilicae Lateranensis altare fuit e ligno erectum."

4. *Consecratio* vel dedicatio altaris primis temporibus solebat fieri insimul cum consecratione vel dedicatione ecclesiae; in unaquaque enim ecclesia ordinarie non fuit nisi unum altare. Ritus consecrationis altarium non semper idem fuit. In sacramentario Gelasiano altaria consecrari dicuntur precibus aspersionibusque cum aqua mixta vino. Saeculo VI in consecratione altarium

[13] c. 1194. [14] S. C. de Sacr. d. 22 Mart. 1915 (Acta Ap. Sed. VII 147).
[15] Hist. Arian. n. 56 (*Migne,* P. g. 25, 760).
[16] Ep. 185, n. 27 (*Migne,* P. l. 33, 805).

adhibebatur quoque unctio chrismatis, ut patet ex Conc. agathensi (a. 506) can. 14: „Altaria placuit non solum unctione chrismatis, sed etiam sacerdotali benedictione sacrari"[17], et Conc. epaonensi (a. 751) can. 26: „Altaria, si non fuerint lapidea, chrismatis unctione non sacrentur."[18] Nonnumquam tamen altaria sola consecrabantur sine consecratione ecclesiae, et quidem altaria cum fixa tum portatilia (quae vocabantur quoque altare gestatorium, itinerarium, viaticum, tabula, lapis itinerarius). Aliquando videntur altaria fuisse nimis numerosa, quare Concilium meldense c. 8 praecipit: „altaria superflua destruantur"[19]. Altaria portatilia iam initio Ecclesiae fuisse in usu videntur, persecutione Christianorum hoc poscente. Venerabilis Beda († 735) expresse loquitur de altaribus portatilibus narrans de duodecim presbyteris: „Quotidie sacrificium Deo victimae salutaris offerebant, habentes secum vascula sacra et *tabulam altaris vice dedicatam.*"[20] Hincmarus Remensis († 882) dicit: „Si necessitas poposcerit, donec ecclesia vel altaria consecrentur, et in capellis etiam, quae consecrationem non merentur, *tabulam* quisque presbyter, cui necessarium fuerit, de marmore vel nigra petra aut lithio honestissimo... habeat et nobis ad consecrandum afferat, quam secum, cum expedierit, deferat."[21]

Q. 367. *Quomodo distinguantur altaria?*

R. Distinguuntur altaria immobilia seu fixa et altaria mobilia seu portatilia, quae vocantur quoque ara portatilis seu petra sacra. — De altari privilegiato sermo fuit supra in tractatu de indulgentiis.

Q. 368. *Quaenam requirantur pro altari fixo?*

R. Distinctione opus est: Requiruntur pro altari fixo in sensu liturgico plura quam in materia indulgentiarum. Si indulgentiae conceduntur alicui altari fixo, sufficit, ut istud altare sit aliquo modo stabile et immobile, licet non sit consecratum et ei sit tantum superpositum altare portatile[22]. Sensu autem *liturgico* requiritur pro altari fixo:

1. ut cum mensa altaris immobilis tum petra sacra ex unico constent lapide naturali, integro et non friabili[23]. Ergo lapis artefactus (e. gr. ex caemento) non sufficit. Pariter omnino requiritur, ut lapis sit integer; ideoque, si habet plures partes vel si est fractus, non est altare fixum.

2. ut tabula seu mensa lapidea ad integrum altare protendatur. Ergo non licet illam tabulam circumdare aliqua corona ex metallo vel ex alio lapide (etsi consecratio forte non invalidetur)[24].

3. ut tabula seu mensa lapidea sit immobiliter coniuncta cum stipite item ex lapide naturali, vel saltem cum columellis ex lapide naturali. Potest igitur stipes, qui sustentat mensam lapideam, partim constare ex muro vel ex lateribus, sed tunc saltem debent adesse columellae lapideae (et non ex metallo), quae quoque sustentant mensam, quacum sunt immediate coniunctae.

[17] C. 32, D. 1 de consecr. [18] C. 31, D. 1 de consecr.
[19] Habetur c. 18, D. 1 de consecr. *Berardi* (Gratiani canones genuini ... I 477) probat hunc textum non in Concilio meldensi, sed apud Ansegisum inveniri.
[20] Hist. eccl. angl. l. 5, c. 10 (*Migne,* P. l. 95, 244).
[21] Capitular. l. 3, c. 3 (*Migne,* P. l. 125, 794). [22] S. C. Indulg. d. 18 Iul. 1902.
[23] c. 1198, § 1. [24] S. R. C. d. 25 Nov. 1904 (Decr. auth. n. 4145).

4. ut adsit sepulcrum cum reliquiis. Sepulcrum altaris (seu confessio) est aliquis loculus concavus, in quo reponitur vasculum sigillatum continens sacras reliquias de ossibus alicuius martyris. Ordinarie sepulcrum paratur in parte superiore mensae in medio, ita ut durante sacrificio Missae hostia vel calix ponatur super sepulcrum reliquiarum. Potest tamen sepulcrum quoque poni in stipite, et quidem vel in parte anteriore vel in parte posteriore vel in summitate immediate sub mensa. In actu consecrationis sepulcrum, quod item debet constare ex lapide et non ex caemento[25], clauditur ab ipso consecratore.

5. ut habeat titulum, sicut supra dictum est de ecclesiis. Altare autem nequit dedicari alicui Beato sine S. Sedis indulto[26]. Titulus primarius altaris maioris idem debet esse ac titulus ecclesiae. Titulus altaris fixi consecrati nequit mutari sine licentia S. Sedis.

Q. 369. *Quaenam requirantur pro altari portatili?*

R. 1. Altare portatile seu petra sacra debet constare ex unico lapide naturali, integro, non friabili et ita amplo, ut saltem hostiam et maiorem partem calicis capere possit[27].

2. Debet continere sepulcrum reliquiarum, sicut supra dictum est de altari fixo. Quae quidem reliquiae debent esse *de ossibus* sanctorum martyrum. Ergo non sufficiunt solae reliquiae alicuius confessoris vel reliquiae de vestibus aliisque rebus ad sanctos pertinentibus. Ad validitatem consecrationis sufficit, ut in sepulcro includantur reliquiae unius solummodo martyris vel unius martyris et confessorum aut virginum[28].

Scholion. De antimensiis Orientalium. Apud Orientales loco altaris portatilis vel petrae sacrae adhibentur antimensia, quae sunt quaedam lintea (nostris *corporalibus* satis similia), quae ab episcopo consecrantur et in quorum angulis deponuntur sacrae reliquiae. Antimensium extenditur super altare non consecratum. Sacerdos latinus nequit Missam celebrare super antimensio[29], nisi habeat speciale indultum apostolicum. Benedictus XIV[30] tale indultum concessit sacerdotibus latinis in russica Polonia degentibus.

Q. 370. *Quaenam requirantur ad consecrationem altarium?*

R. 1. Requiritur altare fixum vel portatile, sicut supra descriptum est.

2. Requiritur legitimus minister. Altaria *portatilia* consecrare possunt omnes episcopi etiam titulares, vicarii et praefecti apostolici aliique habentes speciale privilegium[31]. Altaria vero fixa consecrare possunt (Ordinario consentiente) Cardinales[32], episcopi residentiales[33], abbates et praelati nullius[34] aliique habentes speciale privilegium.

3. Requiritur observatio legum liturgicarum. Consecratio altaris immobilis, quae fit sine ecclesiae dedicatione, quamvis omni die fieri

[25] c. 1198, § 4. S. R. C. d. 30 Aug. 1901 (Decr. auth. n. 4082).
[26] c. 1201. [27] c. 1198, § 1 3.
[28] S. R. C. d. 16 Febr. 1906, ad III (Decr. auth. n. 4180). [29] c. 823, § 2.
[30] Const. „Imposito nobis“ d. 29 Mart. 1751. [31] c. 294, § 2; c. 1199, § 2.
[32] c. 239, § 1, n. 20. [33] c. 1199, § 2. [34] c. 323, § 2.

possit, magis tamen decet, ut fiat die dominico aliove festo de praecepto[35]. Altare debet esse divinis tantum officiis et praesertim Missae celebrationi reservatum, quolibet profano usu excluso[36]. Immediate subtus altare nullum sit reconditum cadaver alicuius hominis non sancti; cadavera autem, quae prope altare sepulta forte sunt, distent ab eo saltem spatio unius metri; secus Missam in altari celebrare non licet, donec cadaver removeatur[37].

Q. 371. *Quomodo altaria amittant consecrationem?*

R. 1. Altare *immobile seu fixum* amittit consecrationem, si tabula vel mensa separatur a stipite, etiam per temporis momentum[38]. Quo in casu Ordinarius loci permittere potest, ut presbyter consecrationem altaris rursum perficiat ritu formulaque breviore. Num autem altare fixum amittat consecrationem, si totum altare *quin separetur mensa a stipite* transferatur ab uno loco in alium non ita certo constat ac proinde negativa sententia est probabilis et tuta.

2. Altare cum immobile tum portatile (petra sacra) amittunt consecrationem:

a) si franguntur *enormiter*. Quaenam sit fractio enormis, relinquitur iudicio episcopi. Si tantum unus angulus tabulae vel petrae sacrae frangitur, videtur esse fractio levis; econtra fractio per totam longitudinem vel latitudinem censetur enormis, vel si fractio accidit in loco unctionis.

b) si amoventur reliquiae aut frangitur vel removetur sepulcri operculum, excepto tamen casu, quo ipse episcopus eiusve delegatus operculum amovet ad illud firmandum vel reparandum vel subrogandum aut ad visitandas reliquias[39]. Levis fractio operculi non inducit exsecrationem, et quilibet sacerdos potest rimulam caemento firmare.

Nota. Exsecratio ecclesiae non secum fert exsecrationem altarium immobilium sive mobilium; et viceversa exsecratio altarium non inducit exsecrationem ecclesiae[40].

TITULUS XII.

De sepultura ecclesiastica.

Conspectus historicus. Non vacat loqui de modo funerandi apud paganos et iudaeos[1]. Sicuti Christus ipse in sepulcro conditus est, ita christiani inde ab initio non cremabant, sed inhumabant corpora mortuorum. Iam saeculo tertio ineunte Minutius Felix inducit Caecilium paganum dicentem de christianis c. 11: „Inde videlicet et exsecrantur rogos et damnant ignium sepulturas.“ Cui postea c. 34 respondet Octavius christianus: „Nec, ut creditis, ullum damnum sepulturae timemus, sed *veterem et meliorem consuetudinem* humandi frequentamus.“[2] Eodem tempore narrat Tertullianus chri-

[35] c. 1199, § 3. [36] c. 1202, § 1. [37] Ib. § 2.
[38] c. 1200, § 1. [39] Ib. § 2. [40] Ib. § 4.
[1] Videsis hac de re *Lud. Ruland*, Die Geschichte der kirchl. Leichenfeier (Regensburg 1901) 8—28. [2] *Migne*, P. l. 3, 267 et 347.

stianos sponte pecuniam in arcam contulisse pro „egenis alendis humandisque“[3]. Idem ridet vulgus paganorum cremationi corporum incumbens: „At ego magis ridebo vulgus tunc quoque, cum ipsos defunctos atrocissime exurit, quos postmodum gulosissime nutrit. O pietatem de crudelitate ludentem!“[4] Ipsa quoque loca et monumenta veterum sepulturarum *christianarum*, quae adhuc in catacumbis conspiciuntur, non sunt urnae ad recipiendos cineres paratae, sed loculi ad totum corpus condendum dispositi. Econtra inveniuntur numerosae urnae paganorum. Idem constat ex ipso verbo κοιμητήριον, dormitorium, quod in hypothesi, quod christiani corpora cremassent, satis absonum fuisset. Demum vetustissimum fuit officium ecclesiasticum *fossorum*, quibus incumbebat onus inhumandi cadavera. — Locus sepulturae ecclesiasticae primis saeculis fuit extra civitates et oppida, cum leges romanae vetarent, ne mortui sepelirentur in oppidis. Hoc enim constat ex antiquissima lege XII Tabularum tab. X, § 1: „Hominem mortuum in urbe ne sepelito neve urito.“ Sed lex prohibens sepulturam in civitatibus et oppidis paulatim in desuetudinem abiit. Iam tempore S. Ambrosii usuvenit, ut mortui sepelirentur in basilicis, et ipse elegit sibi sepulcrum in basilica: „Dignum est enim, ut ibi requiescat sacerdos, ubi offerre consuevit.“[5] Circa a. 450 imperatrix Pulcheria scripsit S. Leoni Magno: „episcopi Flaviani corpus esse allatum in gloriosam civitatem constantinopolitanam et in basilica apostolorum, in qua consueverunt praedecessores episcopi sepeliri, competenter esse positum“[6]. Saeculis sexto, septimo sqq. passim concessa fuit sepultura non quidem in ipsis ecclesiis, sed in atrio, porticu aut in aliis exterioribus aedificiis ecclesiae. Saeculo duodecimo ubique consuetudo invaluit, ut laici quoque indistincte in ipsis ecclesiis sepelirentur[7].

Ritus sepulturae ecclesiasticae non inveniebatur determinatus, sed psalmi recitabantur, quando corpus efferebatur, Missa dicebatur, speciales preces pro defuncto dicebantur et aliquando etiam laus funebris habebatur (λόγος ἐπιτάφιος)[8].

Negatio sepulturae ecclesiasticae in usu fuit iam ab antiquissimis temporibus. Sic sepultura ecclesiastica privabantur catechumeni nondum baptizati[9], suicidae[10], damnati ad mortem ob sua scelera[11], eiecti et excommunicati ab Ecclesia; quare S. Leo Magnus scribit ad Rusticum[12]: „Nos autem, quibus viventibus non communicavimus, mortuis communicare non possumus.“[13]

Praenotamen. Praesens titulus post brevem explicationem, in quo consistat sepultura ecclesiastica, dividitur in tria capita: 1. De coemeteriis; 2. De cadaveris translatione ad ecclesiam, funere ac depositione; 3. De iis, quibus sepultura ecclesiastica concedenda est aut neganda.

[3] Apol. 39. [4] De resurrect. carn. c. 1 (*Migne*, P. l. 2, 795).
[5] Ep. 22, n. 15 (*Migne*, P. l. 16, 1023). [6] *Migne*, P. l. 54, 907.
[7] Cf. c. 6 X, 3, 28. [8] Cf. *Gregor. Nazianz.* (*Migne*, P. g. 35, 756).
[9] Cf. *S. Chrysost.*, Hom. 3 in ep. ad Philipp. (*Migne*, P. g. 62, 204).
[10] Cf. Conc. bracar. I a. 563, can. 16. [11] Ib.
[12] Ep. 167 (*Migne*, P. l. 54, 1206).
[13] De historia sepulturae latius tractaverunt praeter Ruland supra citatum P. *Lex*, Das kirchl. Begräbnisrecht, historisch-kanonistisch dargestellt (Regensburg 1904); *Moulart*, De sepultura et coemeteriis (Lovanii 1863); idem, La question des cimetières (Tournay 1874); *Hornstein*, Les sépultures devant l'histoire, l'archéologie, la liturgie etc. (Paris 1893).

Q. 372. *In quo consistat sepultura ecclesiastica?*

R. Sepultura ecclesiastica consistit in tribus:
1. in cadaveris translatione ad ecclesiam;
2. in exsequiis super illud in eadem celebratis;
3. in depositione illius in loco legitime deputato fidelibus defunctis condendis seu in coemeterio[14]. Circa depositionem corporis Ecclesia praecipit eius inhumationem et graviter prohibet cremationem[15]. Per se quidem crematio cadaveris neque religionem neque bonos mores laedit, cum nihil referat, utrum cadaver igne in cineres an humo in pulveres resolvatur. Quare etiam in casu particulari ob rationes speciales, e. gr. ob periculum contagionis, crematio permitti posset[16]. Sed quia crematio est mos barbarus, qui a modernis infidelibus tam strenue commendatur ad negandam resurrectionem et ad impugnandam religionem catholicam, et quia inhumatio in coemeterio tam pulchre significat somnum mortis ac resurrectionem futuram, hinc Ecclesia iure merito prohibet cremationem cadaverum. Si quis quovis modo mandavit, ut corpus suum cremetur, illicitum est exsequi hanc voluntatem; quae, si adiecta fuit alicui contractui, testamento aut alii cuilibet actui, tamquam non adiecta habeatur[17]. Immo ecclesiastica sepultura privantur, nisi ante mortem aliqua dederint signa poenitentiae ii, qui mandaverunt suum corpus cremationi tradi[18], etiamsi crematio reapse non sequatur[19]. Pro huiusmodi defunctis non licet Missam publice, sed tantum privatim applicare[20]. Pariter iisdem moribundis, qui nolunt retractare mandatum cremationis, nequeunt sacramenta morientium ministrari, cum nolint oboedire gravi praecepto Ecclesiae[21]. Quoties vero agitur de iis, quorum corpora non propria sed aliena voluntate cremationi traduntur, ecclesiae ritus et suffragia adhiberi possunt, cum domi tum in ecclesia, non autem usque ad cremationis locum, *remoto scandalo*. Scandalum autem removeri poterit, si notum fiat, cremationem non propria defuncti sed aliorum voluntate electam fuisse[22]. In casibus particularibus, in quibus dubium vel difficultas oritur de sepultura ecclesiastica, consulendus est Ordinarius, qui, accurate perpensis omnibus adiunctis, id decernat, quod magis expedire in Domino iudicaverit.

CAPUT I.

De coemeteriis.

Q. 373. *Quid sit coemeterium?*

R. 1. Coemeterium (κοιμητήριον), latine locus dormitionis, est locus sepeliendis christianorum cadaveribus destinatus.

[14] c. 1204. [15] c. 1203, § 1.
[16] S. Offic. d. 19 Iun. 1926 (Acta Ap. Sed. XVIII 282).
[17] c. 1203, § 2. [18] c. 1240, § 1, n. 5.
[19] Pontif. Com. d. 10 Nov. 1925 (Acta Ap. Sed. XVII 583).
[20] S. Offic. d. 27 Iul. 1892. [21] S. Offic. ib. [22] S. Offic. d. 15 Dec. 1886.

Tertullianus videtur primus adhibuisse verbum coemeterii in hoc sensu[23]. Mors, ita docente fide catholica, est sicut somnus, a quo mortui resurgunt in sonitu tubae ultimi iudicii. Uti iam supra dictum est, coemeteria initio erant extra moenia, quia romanae leges (sicuti et modernae leges civiles) non permittebant sepulturam intra urbes. Postea vero primum magnates, episcopi aliique homines praestantes, deinde omnes non tantum in civitate, sed aliquando etiam in atrio, in porticu, prope muros ecclesiae, immo intra ipsam ecclesiam sepulti sunt. Praesertim distinguebantur coemeteria *contigua* ecclesiae et coemeteria *distantia* ab ecclesia. Vigens Ecclesiae disciplina statuit, ut cadavera fidelium sepelienda sint in coemeterio, quod secundum ritus in probatis libris liturgicis traditos sit benedictum sive sollemni sive simplici benedictione ab iis, qui possunt consecrare vel benedicere ecclesias[24]. Quinam possint consecrare vel benedicere ecclesias, dictum est supra q. 358 sq.

2. In ecclesiis[25] cadavera ne sepeliantur, nisi agatur de cadaveribus episcoporum residentialium, abbatum vel praelatorum nullius in propria ecclesia sepeliendis, vel Romani Pontificis, regalium personarum aut S. R. E. Cardinalium[26]. Sicubi tamen consistit consuetudo immemorabilis, ut cadavera sacerdotum vel aliarum personarum eminentium sepeliantur in ecclesia, episcopus potest talem consuetudinem tolerare; sed sepulcrum debet distare saltem spatio unius metri a quocumque altari, in quo Missa dicitur, ut supra dictum est[27], et esse *sub terra*, non autem in sarcophago elato super terram.

3. Quae de interdicto, violatione, reconciliatione ecclesiarum a iure statuta sunt, valent quoque de coemeteriis[28]. Si interdictum fuerit coemeterium, fidelium cadavera sepeliri quidem possunt ibidem, sed sine ullo ecclesiastico ritu[29].

Q. 374. *Quibusnam competat ius habendi coemeterium?*

R. 1. Ius est catholicae Ecclesiae possidendi propria coemeteria, cum coemeterium benedictum sit locus sacer, qui certo possideri potest ab Ecclesia. Quare auctoritas civilis iniuriam causat Ecclesiae, si statuit, ut omnes cives, etiam acatholici et iudaei, in eodem coemeterio civili sepeliantur. Sicubi autem hoc Ecclesiae ius violatur, nec spes exsistit, ut violatio reparetur, curent locorum Ordinarii, ut ista coemeteria civilia benedicantur more catholico, si in iis sepeliendi sunt *maiore ex parte* catholici. Cum autem hoc saepe impossibile sit propter resistentiam acatholicorum, curent Ordinarii, ut catholicis sepeliendis spatium determinatum idque benedictum deputetur in communi coemeterio. Si ne hoc quidem obtineri potest, toties quoties

[23] De anima c. 51 (*Migne*, P. l. 2, 738). Alia nomina antiquitus adhibita sunt: Catacumbae, sarcophagus, area, sepulcrum, monumentum, tumulus. Cf. *Lex*, Das kirchl. Begräbnisrecht 9 sqq.
[24] c. 1205, § 1.
[25] Etiam in ecclesiis subterraneis (cryptis), quae sunt vere et proprie ecclesiae cultui divino addictae, non possunt fideles sepeliri (Pontif. Com. d. 16 Oct. 1919, Acta Ap. Sed. IX 478). Aliud est de caveis forte sub ecclesia exsistentibus.
[26] c. 1205, § 2. [27] c. 1202, § 2. [28] c. 1207. [29] c. 2272, § 2.

benedicantur secundum ritus in probatis liturgicis libris traditos singuli tumuli[30].

2. Non solum singulae paroeciae possunt habere proprium coemeterium, sed etiam religiosi exempti. Immo etiam aliis personis moralibus vel familiis privatis Ordinarius loci potest permittere peculiare sepulcrum, extra commune coemeterium positum et ad instar coemeterii benedictum[31]. Religiosi igitur exempti possunt sine licentia episcopi condere coemeterium illudque benedicere, si sunt clerici religiosi exempti.

3. Cum in coemeteriis paroecialibus tum in coemeteriis privatis legitime conditis fideles sibi suisque exstruere possunt sepulcra particularia; quae possunt quoque alienare, obtento consensu Ordinarii vel superioris[32]. Quae quidem emptio et alienatio minime est simoniaca, cum non ematur aut vendatur locus *sacer*, sed locus *honorabilior aut commodior*. Veteres autem canonistae, e. gr. Schmalzgrueber, Reiffenstuel etc., disputabant, num quis possit sepulcrum a se emptum alii vendere seu alienare. Sententia affirmativa nunc certa est ex modo dictis, sed requiritur licentia Ordinarii aut superioris, ne abusus irrepant.

4. Sepulcra sacerdotum et clericorum, ubi fieri potest, a sepulcris laicorum separata sint ac in decentiore loco sita; praeterea, ubi id commodum fuerit, alia pro sacerdotibus, alia pro inferioris ordinis clericis parentur.[33]. — Etiam infantium corpuscula, quatenus commode fieri potest, speciales et separatos ab aliis loculos et sepulturas habeant[34].

Q. 375. *Quaenam insuper statuta sint de coemeteriis?*

R. 1. Quodlibet coemeterium sit undique apte clausum et caute custoditum[35]. Ratio est obvia; coemeterium enim est locus sacer.

2. In coemeteriis epitaphia, laudationes funebres, ornatus monumentorum ne quidquam prae se ferant a catholica religione ac pietate absonum[36]. Est eadem ratio.

3. Extra coemeterium benedictum alius, si haberi queat, sit locus clausus item et custoditus, ubi humentur ii, quibus ecclesiastica sepultura non conceditur, e. gr. infantes sine baptismo mortui[37].

4. Nullum corpus sepeliatur nisi post congruum temporis intervallum, quod satis est ad omnem prorsus de vero obitu dubitationem tollendam[38]. Ceterum iam leges civiles de hac re stricte curant.

5. Nullum cadaver perpetuae sepulturae ecclesiasticae (aliud est de sepultura sic dicta interimistica) ubivis traditum exhumare licet, nisi de licentia Ordinarii; quam licentiam Ordinarius numquam concedat, si cadaver ab aliis corporibus certo discerni nequeat[39]. Ceterum videtur posse praesumi licentia Ordinarii, si lex civilis propter graves causas iubet exhumationem.

[30] c. 1206. [31] c. 1208. [32] c. 1209, § 1. [33] Ib. § 2. [34] Ib. § 3.
[35] c. 1210. [36] c. 1211. [37] c. 1212. [38] c. 1213. [39] c. 1214.

CAPUT II.

De cadaveris translatione ad ecclesiam, funere ac depositione.

Q. 376. *Quid in genere sit statutum de cadaveris translatione?*

R. 1. Nisi gravis causa obstet, cadavera fidelium, antequam tumulentur, transferenda sunt a loco, in quo reperiuntur, in ecclesiam, ubi funus, i. e. totus ordo exsequiarum, quae in probatis liturgicis libris describuntur, persolvatur[40]. Consuetudo non transferendi cadavera fidelium, antequam tumulentur, in ecclesiam est reprobanda[41]. In nonnullis autem regionibus statuunt leges civiles, ne cadavera portentur in ecclesiam, sed statim ad coemeterium transferantur. De modo ipso translationis, utrum vehendo an portando, ius nihil praecipit, nisi ut *laici* cadaver, cuiusvis sit generis aut dignitatis, non portetur a clericis[42].

2. Ecclesia, in quam cadaver pro funere seu exsequiis transferri debet, ex iure ordinario est ecclesia paroecialis propria defuncti vel alia ecclesia habens ius funerandi legitime electa[43]. Pro religiosis professis ecclesia funerans est ecclesia vel oratorium propriae religionis[44]. Religiosis in hac re aequiparantur novitii et famuli actu servientes et commorantes et mortui *in domo religiosa.* Si isti famuli extra domum religiosam mortui sunt, debent funerari sicut alii paroeciani[45].

3. Cardinales, qui in Urbe decesserunt, transferendi sunt, funeris causa, in ecclesiam, quam Romanus Pontifex designaverit; sin autem extra Urbem decesserunt, deferendi sunt in ecclesiam insigniorem civitatis seu loci, ubi mors accidit[46]. Defuncti episcopi residentiales, abbates vel praelati nullius deferendi sunt, funeris causa, in ecclesiam cathedralem, abbatialem, praelatitiam; quodsi id commode fieri nequit, in ecclesiam insigniorem civitatis seu loci[47]. Beneficiarii residentiales, e. gr. canonici mortui, transferendi sunt ad ecclesiam sui beneficii, i. e. in hoc casu in ecclesiam cathedralem vel collegiatam[48]. Seminaristae defuncti deferendi sunt in ecclesiam vel oratorium seminarii, et totum officium tumulandi fieri debet a rectore seminarii[49].

Nota: Exceptis religiosis professis omnes supranumerati possunt libere eligere aliam ecclesiam funerantem et sepulturae coemeterium.

Q. 377. *Quid iure statutum sit de electione funeris?*

R. 1. Omnibus, paucis exceptis, licet libere eligere ecclesiam sui funeris aut coemeterium sepulturae. Uxor autem et filii *puberes* in hac electione prorsus immunes sunt a maritali vel patria potestate[50]. Ab hac electione prohibentur *religiosi professi* cuiuslibet gradus aut dignitatis, non tamen si sunt episcopi. Ratio est, quia religiosi professi non habent velle et nolle, ut dicit Bonifatius VIII[51], vel potius, quia eligere sepulturam est pars ultimae voluntatis. Iamvero nullus religiosus professus testari potest sine licentia S. Sedis. Antiquitus soli regulares proprie dicti hac lege obligabantur, nunc autem omnes prorsus religiosi professi[52]. Ceterum de privilegiis religiosorum circa sepulturam infra q. 379 sermo specialis redibit. — Impuberes, cum nequeant testari, nequeunt quoque sepulturam eligere, sed loco ipsorum (etiam mortuorum) hoc valent eorum parentes seu tutores[53].

[40] c. 1215. [41] Pontif. Com. d. 16 Oct. 1919 (Acta Ap. Sed. IX 479).
[42] c. 1233, § 4. [43] c. 1216, § 1. [44] c. 1221, § 1. [45] Ib. § 3.
[46] c. 1219, § 1. [47] Ib. § 2. [48] c. 1220. [49] c. 1368.
[50] c. 1223. [51] c. 5 in VI°, 3 12.

2. Ut electio ecclesiae funeris valeat, requiritur: a) ut eligens id faciat claro modo per se aut per legitimum mandatarium[54]. Cum electio sepulturae a defuncto sit factum positivum, debet probari et non praesumi; b) ut electio cadat in ecclesiam, quae habet ius funerandi.

Huiusmodi ecclesiae sunt: α) ecclesiae paroeciales omnes; β) ecclesiae regularium omnes (non autem ecclesiae aliorum religiosorum, nisi adsit speciale privilegium); γ) ecclesiae monialium, sed pro solis mulieribus, quae famulatus, educationis, infirmitatis aut hospitii causa *intra clausuram* eiusdem monasterii commorabantur idque non precario; δ) ecclesia patronatus pro patrono; ε) aliae ecclesiae ex speciali privilegio donatae iure funerandi[55];

c) ut electio sit libere facta. Quare religiosi et clerici saeculares destricte vetantur, ne quos inducant ad promittendum, fore ut apud ipsorum ecclesias funus aut apud ipsorum coemeterium sepulturam eligant vel factam electionem non immutent. Quodsi contra factum fuerit, electio est nulla[56]; d) ut electio acceptetur ab iis, a quibus coemeterium vel ecclesia funerans pendet[57]. Patet, parochum non posse recusare funus proprii paroeciani, qui non est indignus sepultura ecclesiastica.

Q. 378. *Quaenam sint iura parochi in sepultura fidelium?*

R. 1. Exceptis casibus supra enumeratis et excepto casu, quo quis habet sic dictum *sepulcrum maiorum*[58], ad parochum pertinet sepulturam[59] suorum paroecianorum peragere; est enim ius paroeciale strictum. Si defunctus plures habuit paroecias proprias (ratione quasi-domicilii), ecclesia funeris est ecclesia paroeciae, in cuius territorio decessit fidelis[60].

[52] c. 1224, n. 2. [53] Ib. n. 1. [54] c. 1226.
[55] c. 1225. [56] c. 1227. [57] c. 1228.
[58] Codex iur. can. c. 1229 statuit: „Si quis, sepulcrum maiorum in aliquo coemeterio possidens, non electa alibi sepultura, decesserit, in eodem sepeliendus est, si illuc commode asportari possit (vel si heredes id postulant). Pro uxore attenditur sepulcrum viri, et, si plures habuerit, sepulcrum ultimi. Plura si sint maiorum aut viri sepulcra, defuncti familia aut heredes locum sepulturae deligant."
[59] Oportet notari, quod declaravit S. Congregatio Concilii d. 12 Ian. 1924 (Acta Ap. Sed. XVI 189 sq): „Sepultura ecclesiastica i. e. exsequiarum ordo *semel* tantum ex praescripto Ecclesiae fieri debet. Unde, ubi agitur de translatione cadaveris *iam humati* in aliam sepulturam, necesse non est ut iusta funebria iterum persolvantur, si haec peracta fuerint in prima tumulatione", ideoque haec translatio cadaveris ad aliam sepulturam sicuti etiam Missa de Requie aliique ritus sacri peragi possunt de iure communi a *quocumque sacerdote* legitime requisito a familia defuncti vel ab amicis aut ab extraneis. Ergo tunc parocho nullum ius competit
[60] c. 1216, § 2.

2. Licet mors acciderit extra propriam paroeciam, cadaver tamen in ecclesiam paroeciae propriae ob funus transferendum est, si ad eam commode *pedestri itinere* asportari potest; secus in ecclesiam paroeciae, in qua mors accidit. Quamvis autem incommoda et longa sit translatio cadaveris ad ecclesiam aut coemeterium, semper tamen familia, heredes aliive, quorum interest, possunt cadaver illuc deferre, susceptis translationis expensis[61].

3. Ad parochum loci quoque pertinet sepulturam ecclesiasticam peragere eorum, qui defuncti sunt in hospitalibus, in collegiis iuventutis educandae, in castris, sed saepe ex iure particulari ab episcopo aliter statutum est[62].

4. Proprius defuncti parochus ius et officium habet levandi per se vel per alium cadaver, illud comitandi ad suam ecclesiam paroecialem ibique exsequias persolvendi[63]. Quodsi mors accidit in loco alienae paroeciae et cadaver ad ecclesiam propriae paroeciae commode asportari potest, parochi proprii est, praemonito tamen parocho loci, illud levare, comitari ad suam ecclesiam ibique exsequias peragere[64]. Si cadaver mittitur ad locum, ubi nec defunctus propriam paroeciam habebat nec ecclesia funeris legitime electa fuit, ius levandi cadaver, peragendi exsequias et cadaver ad sepulturam deducendi pertinet ad ecclesiam cathedralem eiusdem loci vel, si haec deest, ad ecclesiam paroeciae, in qua coemeterium situm est; nisi aliud loci consuetudo aut dioecesana statuta ferant[65].

5. Parochus vel alius sacerdos, qui legitime comitatur cadaver ad ecclesiam funeris vel ad locum sepulturae, libere transire potest (cum stola quoque et cruce elevata) per territorium alius paroeciae vel dioecesis, etiam sine parochi vel Ordinarii licentia[66]. Attamen si cadaver tumulandum est extra fines civitatis vel loci, parochus potest quidem corpus levare atque exsequias peragere, sed nequit sibi vindicare ius comitandi illud usque ad sepulcrum multum distans[67].

6. Associantes cadaver tenentur morem gerere parocho circa ductum funeris; attamen parochus propria auctoritate nequit sine iusta et gravi causa ab Ordinario probata excludere clericos saeculares, religiosos ac pia sodalitia, quae familia vel heredes advocare volunt ad deducendum cadaver ad ecclesiam funeris vel ad sepulturam et ad assistendum funeri; clerici vero ipsi ecclesiae addicti a familia vel heredibus prae aliis omnibus invitari debent. Numquam autem admittantur societates vel insignia religioni catholicae manifeste hostilia[68]. Quando autem insignia seu vexilla neque pertinent ad societates religioni catholicae manifeste contrarias, neque prae se ferunt ipsa aliquod emblema de se vetitum, possunt in ecclesiis admitti; immo ritu ecclesiastico benedici (adhibita formula Ritualis Rom.)[69].

---

[61] c. 1218. [62] Cf. c. 1222. [63] c. 1230, § 1. [64] Ib. § 2.
[65] Ib. § 7. [66] c. 1232, § 1. [67] Ib. § 2. [68] c. 1233.
[69] S. R. C. d. 26 Mart. 1924 (Acta Ap. Sed. XVI 171).

7. Parochus habet ius ad *taxam funeralium*, quae ab Ordinario loci de consilio capituli cathedralis pro tota dioecesi determinari debet[70]. Destricte autem prohibetur, ne parochus aut alius quisquam (etiam religiosus exemptus)[71] sepulturae vel exsequiarum seu anniversarii mortuorum causa quidquam exigat ultra taxam dioecesanam. Immo pauperes gratis omnino ac decenter funerentur et sepeliantur[72]. Quoties autem paroecianus non funeratur in ecclesia paroeciali propria, parocho proprio[73] debetur nihilominus portio funebris. Sunt tamen duae exceptiones: 1. si ius particulare contrarium statuit; 2. si cadaver nequit commode asportari in ecclesiam propriae paroeciae[74]. Hinc e. gr. si paroecianus moritur in itinere ibique sepelitur, parochus nullum ius ad aliquam portionem funebrem habet. Si quis habet plures paroecias proprias (e. gr. ratione domicilii et quasi-domicilii), *ad quas cadaver commode deferri possit*, et alibi funeratur, portio funebris paroecialis dividenda est inter parochos proprios[75].

8. *Quantitas portionis paroecialis* determinetur in taxa dioecesana, et, si ecclesia paroecialis et ecclesia funerans ad diversas dioeceses pertinent, quantitas portionis paroecialis attenditur secundum taxam ecclesiae funerantis[76]. Detrahi debet portio paroecialis ex omnibus et solis emolumentis, quae statuta sunt pro funere et tumulatione in taxa dioecesana[77]. Si quacumque de causa primum sollemne officium funebre non statim sed intra mensem completum a die tumulationis (non a die notitiae obitus)[78] fiat, licet hoc die non defuerint minora publica officia, portio tamen paroecialis ex huius etiam funeris sollemnis emolumentis debetur[79]. Omnes Missae, quae celebrari solent occasione tertiae, septimae, trigesimae vel anniversariae diei mortis, possunt dici aut cantari in alia ecclesia, quin parochus possit reclamare aut aliquod emolumentum inde exigere[80]. Ita saltem de iure communi; nam aliquando de iure particulari aut de legitima consuetudine huiusmodi Missae nequeunt dici sine praevia licentia parochi[81]. In praxi multo melius est ad evitandas lites, ut taxa dioecesana absolute et non relative determinetur, quanta sit portio paroecialis in quolibet funere talis classis.

9. *De libro defunctorum.* Expleta tumulatione minister in libro defunctorum describat nomen et aetatem defuncti, nomen parentum vel coniugis, tempus mortis, quis et quae sacramenta administraverit, locum et tempus tumulationis[82]. Iste liber defunctorum enumeratur inter libros paroeciales, de quibus supra q. 157, n. 7 sermo fuit. Proinde inscriptio videtur esse facienda in paroecia propria defuncti, nisi tamen in ista regione nondum sunt constitutae paroeciae.

---

[70] c. 1234. [71] Pontif. Com. d. 6 Mart. 1927 (Acta Ap. Sed. XIX 161).
[72] c. 1235. [73] Quis sit parochus proprius, dictum est supra q. 55, n. 2.
[74] c. 1235, § 1. [75] Ib. § 2. [76] c. 1237, § 3. [77] Ib. § 1.
[78] Pontif. Com. d. 24 Nov. 1920 (Acta Ap. Sed. XII 576).
[79] c. 1237, § 2. [80] S. R. C. d. 13 Maii 1879 (Decr. auth. n. 3494).
[81] Cf. causam segusinam d. 12 Iul. 1913 (Acta Ap. Sed. V 523—531).
[82] c. 1238.

Q. 379. *Quaenam specialiter notanda sint de funere peracto a religiosis?*

R. 1. Totum funus a) alicuius religiosi professi; b) novitii, qui non alibi funus elegit; c) famuli actu servientis, stabiliter commorantis et mortui in domo religiosa, qui item non alibi funus sibi elegit, fit a superiore religioso, quin parochus loci ullum ius habeat. Attamen supponitur, quod omnes isti mortui sunt *in domo religiosa*; si enim moriantur longe a domo religiosa, ita ut in ecclesiam suae domus vel saltem suae religionis nequeant commode asportari, funerandi sunt in ecclesia paroeciae, ubi decesserunt. Nihilominus etiam in isto casu superior religiosus potest translationem cadaveris in propriam ecclesiam praecipere. Si famulus, de quo supra, mortuus est extra domum religiosam, superior religiosus iam omne ius amisit, atque ideo tumulandus est sicut ceteri paroeciani[83], ut iam dictum est.

2. Religiosas et novitias *in religiosa domo* defunctas ad clausurae limen deferant aliae religiosae; indeque, si agitur de monialibus, ad propriam religiosae domus ecclesiam vel oratorium deducit et exsequias peragit *capellanus* religiosarum. Sin autem agitur de religiosis feminis defunctis, quae non sunt moniales vel quae mortuae sunt extra domum religiosam, tunc tumulandae sunt sicut ceteri paroeciani[84], nisi tamen episcopus aliter statuerit[85].

3. Pueros aut iuvenes in collegiis religiosorum educationis causa degentes ibique mortuos nequeunt religiosi funerare, nisi a) isti pueri *post* pubertatem sepulturam apud religiosos elegerint vel *ante* pubertatem eorum parentes vel tutores eandem electionem fecerint. Si igitur tales pueri ante pubertatem mortui sunt, eorum parentes vel tutores possunt libere statuere, ut funus non a parocho, sed a religioso superiore peragatur; b) adsit speciale privilegium aut particulare statutum[86].

4. Si quis elegit funus apud religiosos exemptos, qui habent ius funerandi, distinctione opus est:

a) Si tales religiosi habent coemeterium proprium et cadaver deduci potest in ecclesiam religiosorum, hoc modo procedendum est: religiosi debent invitare parochum, ut sub cruce ecclesiae religiosorum procedat et levet corpus defuncti. Proinde parochus habet ius gestandi stolam, aspergendi cadaver, incipiendi antiphonam „Exsultabunt" et generatim omnia statuendi usque ad ingressum in ecclesiam religiosorum. Si parochus debite requisitus recuset aut venire aut alium mittere, tunc etiam levatio corporis pertinet ad religiosos. Postquam cadaver portatum est in ecclesiam religiosorum, cessat ius parochi, ceteraque omnia funeris et tumulationis peragenda sunt a religiosis. Portio autem paroecialis (de qua supra dictum est) solvenda est parocho.

b) Si tales religiosi non habent coemeterium proprium, neque cadaver (ob prohibitionem legis civilis) asportari potest in ecclesiam

[83] c. 1221. [84] c. 1230, § 5. [85] Cf. *Jansen*, Ordensrecht[2] p. 80. [86] c. 1222.

religiosorum, tunc S. Congregatio Ep. et Reg. d. 1 Aug. 1902[87] sequentia statuit:

„Parochi est stolam deferre, cadaver e domo levare et funus ducere usque ad ianuam publici coemeterii.

Regularibus ecclesiae tumulantis ius competit in propria ecclesia iusta funebria peragendi, una cum parocho ab ecclesia paroeciali ad domum defuncti accedendi et, cadavere per parochum levato, ad publicum coemeterium associandi; si tamen velint, possunt ad coemeterii ianuas exspectare, quin ad funeris associationem teneantur. Pariter regularibus spectat recipere cadaver ad ianuas coemeterii ceteraque omnia peragere, quae in cadaveris tumulatione fieri solent. Denique si una cum parocho regulares ecclesiae tumulantis funebri associationi intersint, unica crux conventualis seu ecclesiae tumulantis deferenda est, sub qua et ipse parochus incedere tenetur, dummodo ecclesiae cathedralis vel collegiatae capitulum non adfuerit, cui privative spectat crucem in associatione levare." Etiam in hoc casu portio paroecialis solvenda est parocho, ut patet.

CAPUT III.

De iis, quibus sepultura ecclesiastica concedenda est aut neganda.

Q. 380. *Quibus sepultura ecclesiastica sit neganda?*

R. Sepultura ecclesiastica deneganda est:

1. *omnibus non baptizatis;* catechumeni tamen, qui nulla sua culpa sine baptismo moriuntur, baptizatis accensendi sunt. Censentur enim suscepisse baptismum flaminis. Infantes, qui in utero materno mortui sunt cum matre, cum matre quoque sepeliendi sunt.

2. sequentibus baptizatis *peccatoribus,* nisi tamen ante mortem aliqua dederint poenitentiae signa[88]:

a) notoriis apostatis a christiana fide aut notorie addictis sectae haereticae vel schismaticae aut sectae massonicae aliisve eiusdem generis societatibus.

b) excommunicatis vel interdictis post sententiam condemnatoriam vel declaratoriam. Tales excommunicati hodie sunt rarissimi.

c) suicidis, i. e. iis, qui se ipsi occiderunt idque deliberato consilio; non igitur iis, qui in amentia vel ex subitanea passione se occiderunt.

d) iis, qui mortui sunt in duello aut ex vulnere inde relato.

e) iis, qui mandaverunt suum corpus tradi cremationi.

f) aliis omnibus peccatoribus publicis et manifestis, e. gr. iis, qui in manifesto concubinatu vivebant.

Nota. 1. Occurrente praedictis in casibus aliquo dubio, consulatur, si tempus sinat, Ordinarius; permanente dubio, cadaver sepulturae ecclesiasticae tradatur, ita tamen ut removeatur scandalum[89].

[87] Anal. eccles. X (1902) 486. [88] c. 1240, § 1. [89] Ib. § 2.

2. Iis, quibus denegatur sepultura ecclesiastica, deneganda quoque sunt quaelibet Missa exsequialis (etiam anniversaria) et alia publica officia funebria [90]. Nihil autem obstat, ne Missae privatae dicantur pro istis defunctis, cum liceat Missam dicere pro omnibus defunctis in purgatorio exsistentibus, cumque non sit certum, talem defunctum esse in gehenna.

3. Cadaver excommunicati vitandi, quod est sepultum in loco sacro, exhumandum est, obtenta licentia Ordinarii, si exhumatio fieri potest sine gravi incommodo, et tunc sepeliendum in loco profano [91].

SECTIO II.

De temporibus sacris.

Praenotamen. Cum tempora sacra sint a) dies festi, b) dies abstinentiae et ieiunii, haec sectio in duos titulos dividitur, sc. 1. de diebus festis et 2. de abstinentia et ieiunio. Dies festi, item dies abstinentiae et ieiunii, supputantur a media nocte usque ad mediam noctem [1], nisi tamen agitur de lucranda aliqua indulgentia stato die festo. Talis enim indulgentia acquiri potest a meridie diei praecedentis festum usque ad mediam noctem ipsius diei festi, ut iam dictum est [2]. Festa solent dividi in festa *fori* seu de praecepto et festa *chori* seu de devotione. Priora celebranda sunt ab omnibus per abstinentiam a laboribus servilibus et per auditionem Missae; posteriora autem solummodo celebrantur ab iis, qui debent recitare Officium divinum. Aliquando accidit, ut festum quoad externam sollemnitatem transferatur in diem dominicam, sed eius Officium recitari debeat stato die. Numerus festorum, labentibus saeculis, nimis excreverat, ita ut Urbanus VIII [3] ea limitaverit. Sed postea etiam hic catalogus urbanianus festorum adhuc multum diminutus est, ita ut hodie non sint nisi decem festa de praecepto (praeter dies dominicas), ut infra dicetur.

Non solum in Iudaismo, sed etiam in paganismo celebrantur festa ad devotius colendam divinitatem.

Q. 381. *Quis valeat constituere, transferre, abolere tempora sacra, i. e. dies festos, ieiunii, abstinentiae?*

R. Antiquis temporibus episcopi habuerunt amplissimam facultatem festa instituendi et abolendi, sed iuxta vigentem Ecclesiae disciplinam episcopi iam nequeunt peculiares suis dioecesibus seu locis dies festos, abstinentiae, ieiunii indicere *habitualiter*, sed solummodo per modum actus, i. e. in casibus particularibus. Hinc solius S. Sedis est dies festos itemque dies abstinentiae et ieiunii universae Ecclesiae communes constituere, transferre, abolere [4].

Q. 382. *Quis valeat dispensare ab observantia dierum festorum, ieiunii, abstinentiae?*

R. 1. *Ordinarii locorum* possunt in casibus singularibus iusta de causa singulos homines singulasque familias in suo territorio degentes

[90] c. 1241. [91] c. 1242.
[1] c. 1246. [2] c. 923. [3] Const. „Universa" d. 13 Sept. 1642. [4] c. 1244.

(etiam peregrinos) dispensare ab observantia festorum, ieiunii et abstinentiae. Eandem dispensationem possunt concedere propriis subditis etiam extra territorium versantibus. Immo ex causa peculiari magni populi concursus aut publicae valetudinis, e. gr. grassante morbo contagioso, possunt *totam* quoque dioecesim seu locum, non quidem ab observantia diei festi, sed a ieiunio et ab abstinentia dispensare [5]. In hoc casu religiosi omnes (etiam exempti) in dioecesi aut loco habitantes possunt uti dispensatione concessa [6].

2. *Parochi* possunt in casibus particularibus iusta de causa dispensare suos subditos ubique degentes vel extraneos in suo territorio commorantes, sicut episcopus, sed non valent totam simul paroeciam dispensare.

3. *Superiores* (etiam locales) in religionibus clericalibus exemptis habent eandem dispensandi facultatem sicut parochi pro suis subditis. Sunt autem subditi omnes religiosi professi, novitii aliique in religiosa domo diu noctuque degentes [7].

4. *Confessarii* nequeunt dispensare ab observantia festorum, ieiunii, abstinentiae, nisi habeant speciales facultates; possunt tamen in casu particulari ex iusta causa *declarare*, hanc legem ecclesiasticam non obligare.

TITULUS XIII.

De diebus festis.

Q. 383. *Quinam sint dies festi iuxta vigentem Ecclesiae disciplinam, et quomodo sint celebrandi?*

R. 1. Iuxta vigentem Ecclesiae disciplinam dies festi sunt praeter dies dominicos decem sequentes: Nativitatis D. N. I. Chr., Circumcisionis, Epiphaniae, Ascensionis, Corporis Christi, Immaculatae Conceptionis et Assumptionis B. M. V., S. Ioseph eius sponsi, BB. Petri et Pauli Apostolorum, Omnium Sanctorum [8]. Sicubi aliquod ex istis festis legitime est abolitum vel translatum, nihil licet innovare, inconsulta S. Sede [9]. Dies festi patronorum, e. gr. paroeciae, dioecesis, regni; item alia omnia festa particularia iam non sunt de praecepto; itaque fideles tunc stricte non tenentur abstinere a servilibus operibus et audire Missam; potest tamen Ordinarius loci exteriorem sollemnitatem transferre ad dominicam proxime sequentem [10]. Si pro aliqua regione aliquod festum de praecepto translatum est in Dominicam, e. gr. festum S. Ioseph, Assumptionis B. M. V., etiam regulares proprium calendarium habentes debent se conformare huic translationi [11].

2. Diebus dominicis et festis supra enumeratis fideles tenentur a) Missam audire; b) abstinere ab operibus servilibus; c) ab actibus forensibus; d) a publico mercatu, nisi adsit legitima consuetudo

[5] c. 1245, § 1 2. [6] Cf. supra q. 241 Nota.
[7] c. 1245, § 3. [8] c. 1247, § 1. [9] Ib. § 3.
[10] Ib. § 2. Pontif. Com. d. 17 Febr. 1918 (Acta Ap. Sed. X 170).
[11] S. R. C. d. 5 Aug. 1904 (Decr auth. n. 4142).

contraria aut particulare statutum contrarium[12]. De istis obligationibus in longum et latum agunt Moralistae[13]. Sit hic solummodo breviter notatum, legi de audiendo sacro satisfacere eum, qui Missae adest, quocumque catholico ritu celebretur, sub dio aut in quacumque ecclesia vel oratorio publico aut semi-publico et in privatis coemeteriorum aediculis, non vero in aliis oratoriis privatis, nisi hoc privilegium a S. Sede concessum ei fuerit[14].

TITULUS XIV.

De abstinentia et ieiunio.

De hac quoque materia solet in longum et latum tractari in Theologia morali[15]. Quare hic non damus alia, quam quae in Codice iuris canonici statuta sunt.

Q. 384. *Quid praescribat lex ecclesiastica de ieiunio et abstinentia?*

R. 1. **Lex abstinentiae** vetat esum carnis atque iusculum carnis, non autem alios cibos vel potus, e. gr. lacticinia, ova, condimenta etiam ex adipe animalium[16]. Advertas autem condimenta ex adipe animalium adhibita diebus abstinentiae, debere esse in modica quantitate; quia secus iam non sunt condimenta sed cibus.

Lex abstinentiae servanda est a) omnibus feriis sextis totius anni, b) feriis quartis Cinerum et Quattuor Temporum, c) sabbatis Quadragesimae et Quattuor Temporum, d) pervigiliis Pentecostes, Assumptionis B. M. V., Omnium Sanctorum, Nativitatis I. Ch. Si istis diebus *extra Quadragesimam* occurrit festum de praecepto, lex abstinentiae cessat[17]. Quare e. gr. in festo S. Ioseph d. 19 Martii, quod semper cadit in Quadragesimam, observanda est lex tam abstinentiae quam ieiunii[18]. Ex iure igitur communi abstinentia observanda est in *omnibus* feriis Quattuor Temporum; ex iure vero particulari aliquando lex abstinentiae non obligat feria IV et Sabbato Quattuor Temporum, e. gr. in Helvetia.

Lege abstinentiae tenentur omnes, qui septimum aetatis annum expleverunt[19].

2. **Lex ieiunii** vetat plures completas comestiones eodem die, non autem vetat, ut praeter unam completam comestionem aliquid cibi mane (frustulum matutinum) et vespere (collatio vespertina) sumatur, dummodo servetur circa ciborum quantitatem et qualitatem probata locorum consuetudo[20]. Nec vetitum est carnes ac pisces in eadem refectione permiscere (permixtio epularum), nec serotinam refectionem cum prandio permutare[21]. Non autem est licitum manducare carnes pluries in die[22]. Ita Pontif. Com. d. 29 Oct. 1919.

[12] c. 1248. [13] Cf. nostrum Man. theol. mor. II 467 sqq. [14] c. 1249.
[15] Cf. nostrum Man. theol. mor. II 653 sqq. [16] c. 1250. [17] c. 1252.
[18] Pontif. Com. d. 24 Nov. 1920 (Acta Ap. Sed. XII 576).
[19] c. 1254, § 1. [20] c. 1251, § 1. [21] Ib. § 2. [22] Acta Ap. Sed. XI 480.

Lex ieiunii servanda est: a) omnibus diebus Quadragesimae, exceptis diebus dominicis; b) diebus Quattuor Temporum; c) pervigiliis Pentecostes, Assumptionis, Omnium Sanctorum, Nativitatis I. Chr. Attamen si diebus sub b) et c) occurrit festum de praecepto, cessat extra Quadragesimam lex ieiunii[23] et etiam abstinentiae, ut iam dictum est.

Lege ieiunii adstringuntur omnes ab expleto vicesimo primo aetatis anno ad inceptum sexagesimum[24].

Pro omnibus lex tam abstinentiae quam ieiunii cessat Sabbato Sancto post meridiem[25].

Nota. Supradicta statuta de abstinentia et ieiunio valent *de iure communi;* nihil enim mutatum est de indultis particularibus, de votis cuiuslibet personae physicae vel moralis, de constitutionibus ac regulis cuiusvis religionis vel instituti approbati[26].

PARS III.

De cultu divino.

Praenotamen. Quamvis ea quoque, quae in partibus praecedentibus dicta sunt de sacramentis, de sacramentalibus, de locis et temporibus sacris, ad cultum divinum pertineant, tamen specialiter pars tertia inscribitur de divino cultu, claritatis causa. Hic enim pressius tractatur de actibus virtutis religionis atque de iis, quae liturgia canonica statuit hac in re. Quare haud immerito haec pars tertia posset quoque inscribi de liturgia eaque canonica, seu de iure liturgico. Liturgia enim potest diversimode spectari et notanter dupliciter: 1. in quantum in particulari praecipit diversas caerimonias in diversis functionibus peragendas; quae quidem praecepta, cum soleant imprimi characteribus rubris in libris liturgicis, vocantur generaliter: Rubricae. 2. in quantum generaliter fert leges de obiecto, ministro, circumstantiis etc. cultus. Liturgia in primo sensu accepta retinet denominationem liturgiae, de qua non solet tractari in ipso iure canonico, dum in altero sensu accepta vocatur liturgia canonica seu ius liturgicum, de quo hic agitur. C. 1257 statuitur: „Unius Apostolicae Sedis est tum sacram ordinare liturgiam (in primo sensu acceptam) tum liturgicos approbare libros." Antiquis temporibus res liturgicae non solum a S. Sede, sed etiam ab episcopis vel conciliis particularibus ordinabantur. Quare non solum in Oriente, sed etiam in Occidente exsistebant et aliqualiter adhuc exsistunt diversae liturgiae, e. gr. liturgia S. Basilii, liturgia mozarabica in Hispania, vetus gallicana in Gallia, ambrosiana in Italia superiore. S. Pius V[1] procuravit correctionem librorum liturgicorum Missalis et Breviarii atque praescripsit liturgiam Romanam in toto Occidente (salvis quibusdam exceptionibus). Sixtus V[2] instituit S. Congregationem Rituum cum amplissima facultate sacrae liturgiae invigilandi.

Q. 385. *Quid sit cultus et quomodo dividatur?*

R. Cultus est honos exhibitus alteri propter superiorem eius excellentiam et protestatio nostrae erga eum submissionis. Omisso

[23] c. 1252, § 2 3 4. [24] c. 1254, § 2. [25] c. 1252, § 4. [26] c. 1253.
[1] Const. „Quod nobis" d. 9 Iul. 1568 et const. „Quo primum" d. 14 Iul. 1570.
[2] Const. „Immensa" d. 22 Ian. 1588.

cultu *civili*, quo honoratur excellentia naturalis alterius hominis, cultus sacer subdividitur: a) in cultum latreuticum seu *cultum latriae*, qui est adoratio stricte dicta et qui absolute exhibetur Sanctissimae Trinitati, singulis eiusdem personis, Christo Domino, etiam sub speciebus eucharisticis; b) in cultum *hyperduliae*, qui exhibetur soli B. Virgini Mariae, propter singularem eius excellentiam, in quantum est *mater Dei* atque claret splendidissimis virtutibus; c) in cultum *duliae*, qui exhibetur sanctis angelis et hominibus propter eorum excellentiam supernaturalem[3].

Item subdividitur cultus in *absolutum* et *relativum*. Primus est ille, qui exhibetur alicui *personae* ob eius excellentiam propriam et intrinsecam. Alter est ille, quo aliqua *res* colitur propter excellentiam alicuius personae, quam repraesentat aut ad quam refertur. Cultus exhibitus Deo et Sanctis est absolutus, cultus autem exhibitus sacris reliquiis et imaginibus est relativus[4].

Demum distinguitur cultus *publicus* et *privatus*. Primus defertur nomine Ecclesiae a personis legitime ad hoc deputatis et per actus ex Ecclesiae institutione Deo, sanctis ac beatis tantum exhibendos, quales sunt omnes devotiones stricte liturgicae, e. gr. Missa. Alter est, qui aut non est ab Ecclesia institutus aut non peragitur nomine Ecclesiae, e. gr. cultus exhibitus alicui servo Dei nondum beatificato[5].

Q. 386. *Quid sit ab Ecclesia statutum circa cultum divinum?*

R. 1. Locorum Ordinarii advigilent, ut sacrorum canonum praescripta de divino culto sedulo observentur, et praesertim ne in cultum divinum sive publicum sive privatum aut etiam in cotidianam fidelium vitam superstitiosa ulla praxis inducatur, aut quidquam admittatur a fide alienum vel ab ecclesiastica traditione absonum vel turpis quaestus speciem prae se ferens. Quodsi loci Ordinarius leges pro suo territorio hac in re tulerit, etiam religiosi omnes, *exempti quoque*, tenentur eas observare, et Ordinarius potest eorundem ecclesias et publica oratoria in hunc finem visitare[6]. Hinc e. gr. si Ordinarius prohibuit devotiones insolitas vel imagines, omnes in eius territorio degentes debent oboedire. Generatim orationes et pietatis exercitia ne permittantur in ecclesiis vel oratoriis sine revisione et expressa Ordinarii licentia, qui in casibus difficilioribus rem totam S. Sedi subiciat. Loci autem Ordinarius non potest novas litanias approbare publice recitandas[7]. Nequeunt enim publice (saltem in officiis stricte liturgicis) recitari aliae litaniae quam eae, quae sunt approbatae a S. Sede.

2. Ecclesiae ministri in cultu exercendo unice a superioribus ecclesiasticis dependere debent[8]. Haud raro auctoritates civiles inique sibi usurpaverunt et usurpant potestatem statuendi de cultu religioso, ut Iosephinistae, Regalistae etc. Quae quidem manifeste pugnant cum

[3] c. 1255, § 1. [4] Ib. § 2.
[5] c. 1256. Vocabulo ‚et' quidam tribuunt sensum vocis ‚vel'; cf. tamen Wernz l. c. III 361. [6] c. 1261. [7] c. 1259. [8] c. 1260.

libertate Ecclesiae et haud semel a Summis Pontificibus reprobata sunt. Pius X[9] huiusmodi iniquam usurpationem nuper proscripsit.

3. Communicatio *activa* in cultu heterodoxo haud licita est fidelibus; esset enim aliqua approbatio falsi cultus atque saepe imminens periculum perversionis. Tolerari autem potest, ut civilis officii vel honoris causa catholici *passive seu materialiter* ob gravem causam assistant in acatholicorum funeribus, nuptiis similibusque sollemniis, dummodo perversionis et scandali periculum absit[10].

4. Optandum est, ut mulieres in ecclesia sint separatae a viris, sicut fuit antiqua disciplina. Mulieres sint modeste vestitae et capite cooperto in ecclesia, maxime cum ad mensam Dominicam accedunt; viri autem sint nudo capite, dum sacris ritibus assistunt, nisi aliud ferant probati populorum mores aut peculiaria rerum adiuncta[11].

5. Quantum ad locum, quem obtinent fideles durantibus sacris ritibus, haec sunt observanda: a) Magistratibus aliisque laicis nobilibus potest quidem in ecclesia locus dignior designari, sed extra chorum et presbyterium, quod pro clericis reservetur[12]. b) Requiritur expressus consensus Ordinarii loci, ut concedatur alicui fideli locus reservatus sibi suisque. Ordinarius autem hunc consensum ne praestet, nisi ceterorum fidelium commoditati sit sufficienter consultum et nisi semper possit ex iusta causa concessionem datam revocare[13]. In multis regionibus exsistit mos locandi magnam partem sedilium pretio soluto. Qui quidem mos introductus est ad habendam sufficientem pecuniam pro expensis cultus. Cum ex hac locatione exaggerata possint magni abusus irrepere, requiritur ad eos cavendos praevia expressa licentia Ordinarii loci. Etiam religiosi exempti videntur tali licentia indigere pro suis ecclesiis. Quae quidem licentia debet esse expressa, et non videtur sufficere tacita vel praesumpta.

6. **De musica adhibenda** in cultu sacro quamplurima statuta lata sunt. Imprimis musicae, in quibus sive organo aliisve instrumentis sive cantu lascivum aut impurum aliquid miscetur, ab ecclesiis omnino arceantur[14]. Musica enim sacra debet inservire ad augendam sollemnitatem cultus divini et ad excitandam veram populi devotionem. Cantus gregorianus adhibendus est iuxta formam a Pio X praescriptam[15]. Religiosae mulieres possunt quidem de venia Ordinarii loci ad normam suarum constitutionum et legum liturgicarum canere in propria ecclesia aut oratorio publico, sed tali e loco canant, ubi a populo conspici nequeunt[16]. Aliae mulieres ne cantent in functionibus *stricte liturgicis*, ut in Missa sollemni, et, sicubi talis abusus exsistit, prudenter est eliminandus[17]. Nihil autem per se obstat, ne mulieres cantent in ecclesia durantibus functionibus non stricte liturgicis.

[9] Litt. encycl. „Iamdudum" d. 24 Maii 1911.
[10] c. 1258. Latius de hac re scripsimus in Man. theol. mor. I 523 sqq.
[11] c. 1262. [12] c. 1263, § 1; Caerimoniale episc. l. 1, c. 13, n. 13.
[13] c. 1263. Cf. S. C. C. d. 11 Dec. 1920 (Acta Ap. Sed. XIII 262 sqq.).
[14] c. 1264, § 1. [15] Cf. S. R. C. d. 8 Ian. 1904. [16] c. 1264, § 2.
[17] S. R. C. d. 17 Sept. 1897; d. 19 Febr. 1903.

TITULUS XV.

De custodia et cultu ss. Eucharistiae.

Q. 387. *Ubinam licitum sit, ss. Eucharistiam asservare?*

R. 1. Ut ss. Eucharistia in aliquo loco asservari queat, semper requiritur, ut adsit sacerdos, qui eius curam habeat et qui regulariter semel saltem in hebdomada ibi Missam celebret[18].

2. *Debet* asservari ss. Eucharistia: a) in ecclesia cathedrali, in ecclesia principe abbatiae vel praelaturae nullius, vicariatus et praefecturae apostolicae; istae enim ecclesiae censentur quasi ecclesiae paroeciales totius dioecesis vel districtus; b) in qualibet ecclesia paroeciali vel quasi-paroeciali; istis enim ecclesiis incumbit cura animarum cum provisione infirmorum; c) in ecclesia adnexa domui religiosorum exemptorum sive virorum sive mulierum. Ratio est, quia religiosi exempti recipiunt viaticum a proprio superiore eiusve delegato et ex propria ecclesia.

3. *Potest* asservari ss. Eucharistia *de licentia Ordinarii* loci: a) in ecclesiis collegiatis; b) in ecclesiis curatis, quamvis non stricte paroecialibus, sed subsidiariis[19]; c) in oratorio *principali* (sive publico sive semipublico) domorum religiosarum vel piarum vel collegiorum ecclesiasticorum, quae a clericis saecularibus aut a religiosis reguntur[20].

4. Requiritur indultum apostolicum, ut ss. Eucharistia asservari queat in aliis ecclesiis vel oratoriis. Ordinarius loci hanc licentiam concedere potest tantummodo ecclesiae aut oratorio publico ex iusta causa et per modum actus, i. e. non habitualiter, sed in casibus particularibus[21].

5. Nemini licet ss. Eucharistiam apud se retinere aut secum in itinere deferre[22]. Hoc enim est privilegium soli Summo Pontifici reservatum, quod vix umquam alii conceditur idque solummodo in locis Missionum.

6. In ipsa religiosa vel pia domo ss. Eucharistia asservari nequit nisi in publica ecclesia adnexa domui, si communitas ea utitur ad ordinaria et cotidiana pietatis exercitia explenda, secus in principali oratorio (sine praeiudicio iuris ecclesiae, si quod habet). Sin autem in eodem materiali aedificio habitant distinctae et separatae familiae, ita ut sint *formaliter* distinctae religiosae vel piae domus, e. gr. conventus et collegium, tunc unaquaeque potest in suo oratorio principali asservare SS. Sacramentum[23]. In ecclesia aut oratorio principali monialium potest quidem ss. Eucharistia asservari, non autem intra chorum aut septa monasterii[24]. Hucusque exsistebant indulta vel privilegia concedentia e. gr. ut in capella novitiatus ss. Eucharistia asservetur praeterquam in ecclesia religiosa. Omnia ista indulta vel privilegia per Codicem iur. can. revocata sunt[25].

[18] c. 1265, § 1. [19] Pontif. Com. d. 20 Maii 1923 (Acta Ap. Sed. XVI 115).
[20] c. 1265, § 1. [21] Ib. § 2. [22] Ib. § 3.
[23] Pontif. Com. d. 2—3 Iun. 1911 (Acta Ap. Sed. X 347).
[24] c. 1267. [25] Ib.

7. *Ecclesiae* (praesertim paroeciales), in quibus ss. Eucharistia asservatur, cotidie per aliquot saltem horas pateant fidelibus, qui possint visitare et adorare ss. Eucharistiam[26]. Etiam in oratoriis, ubi asservatur ss. Eucharistia, eius visitatio cotidiana valde est commendanda[27].

Q. 388. *Quaenam statuta sint de altari, tabernaculo, pyxide SS. Sacramenti?*

R. 1. „SS. Eucharistia continuo seu habitualiter asservari nequit nisi in uno tantum eiusdem ecclesiae altari."[28] Nihil autem obstat, dum SS. Eucharistia publice exponitur in altari maiore, ne asservetur habitualiter in altari laterali.

2. Asservetur ss. Eucharistia in praecellentissimo ac nobilissimo loco ac proinde regulariter in altari maiore, nisi aliud venerationi et cultui tanti sacramenti commodius et decentius videatur, servato praescripto legum liturgicarum, quod ad ultimos dies hebdomadae maioris attinet[29]. Sed in ecclesiis cathedralibus, collegiatis aut conventualibus, in quibus ad altare maius chorales functiones persolvendae sunt, ne ecclesiasticis officiis impedimentum afferatur, opportunum est, ut ss. Eucharistia regulariter non asservetur in altari maiore, sed in alio altari vel sacello[30].

3. „Altare, in quo ss. Eucharistia asservatur, sit prae omnibus aliis ornatum, ita ut suo ipso apparatu magis moveat fidelium pietatem ac devotionem."[31]

4. **Tabernaculum,** in quo ss. Eucharistia asservatur, sit inamovibile in medio altaris, sit affabre exstructum, undequaque solide clausum, ne fures id aperire valeant; sit ab omni alia re vacuum, sit decenter ornatum ad normam legum liturgicarum[32]. Quae quidem leges praescribunt, ut tabernaculum sit interius et exterius vel serico albo tectum vel auratum; sit velatum conopeo, cuius color sit albus vel mutetur secundum tempora et festa. — Cum hodie in nonnullis regionibus sit periculum sacrilegi furti vel alius violationis, non est vetitum (accedente licentia episcopi), ss. Eucharistiam nocturno tempore extra altare, super corporali tamen, in loco tutiore et decenti asservari, dummodo lampas ibi accendatur[33]. Clavis tabernaculi diligentissime custodiri debet, onerata graviter conscientia sacerdotis, qui ecclesiae vel oratorii curam habet[34].

5. Coram tabernaculo, in quo ss. Eucharistia asservatur, una saltem lampas diu noctuque continenter luceat, nutrienda oleo olivarum vel cera apum. Ubi vero oleum olivarum haberi nequeat, Ordinarius loci potest permittere, ut aliis oleis nutriatur, quantum fieri potest, vegetabilibus[35]; immo etiam ut ultimo loco adhibeatur lux electrica[35a].

6. Particulae consecratae pro communione fidelium asserventur in pyxide ex solida decentique materia, eaque munda et suo operculo

[26] c. 1266. [27] Cf. c. 1273. [28] c. 1268, § 1. [29] Ib. § 2.
[30] Ib. § 3. [31] Ib. § 4. [32] c. 1269, § 1 2. [33] Ib. § 3.
[34] Ib. § 4. [35] c. 1271. [35a] S. R. C. d. 23 Febr. 1916.

bene clausa, cooperta albo velo serico et, quantum res feret, ornato[36]. Valde decet, ut pyxis sit argentea intusque aurata, sed sufficit quoque alia materia solida; excluditur autem materia ligni, vitri etc. Hostiae consecratae pro fidelium communione aut pro expositione SS. Sacramenti sint recentes et frequenter renoventur, veteribus rite consumptis, ita ut nullum sit periculum corruptionis[37]. Cum nequeat pro omnibus locis eadem regula applicari, Ordinarius loci det instructionem, quoties particulae sint renovandae.

Q. 389. *Quid statutum sit de expositione ss. Eucharistiae?*

R. 1. Distinguitur duplex expositio: altera publica, altera privata. Expositio *publica* seu *cum ostensorio* fieri potest de iure communi die festo Corporis Christi et intra eiusdem octavam inter Missarum sollemnia et ad Vesperas in omnibus ecclesiis, quae legitime asservant ss. Eucharistiam; aliis vero temporibus semper et pro omnibus (etiam exemptis) requiritur licentia Ordinarii loci. Expositio *privata* seu *cum pyxide*, quae non extrahitur e tabernaculo, potest fieri ex qualibet iusta causa sine Ordinarii licentia[38]. Post talem expositionem privatam nihilominus dari potest benedictio cum pyxide velata, ut supra q. 241, n. 4 iam dictum est[39].

2. Minister expositionis et repositionis ss. Eucharistiae est sacerdos vel diaconus; minister vero benedictionis est solus sacerdos; diaconus solummodo potest cum pyxide benedicere infirmum et assistentes, quando legitime administravit viaticum[40].

3. Quotannis habeatur in omnibus ecclesiis, ubi SS. Sacramentum asservatur, expositio ss. Eucharistiae per 40 horas. Sicubi id fieri nequit sine gravi incommodo, curet loci Ordinarius, ut saltem per aliquot continuas horas statis diebus ss. Eucharistia sollemniore ritu exponatur[41].

TITULUS XVI.

De cultu sanctorum, sacrarum imaginum, reliquiarum.

Q. 390. *Quid sit statutum de cultu sanctorum?*

R. 1. Bonum et utile est colere atque suppliciter invocare sanctos et prae ceteris Beatissimam Virginem Mariam. Cultu *publico* non licet venerari nisi servos Dei beatificatos aut canonizatos et quidem ita, ut liceat canonizatos colere ubique et quovis actu duliae; beatificatos vero nisi loco et modo, quo Romanus Pontifex concessit[42]. Nil obstat quominus cultus *privatus* prudenter exhibeatur personis in odore sanctitatis mortuis.

2. Laudabiliter quoque sancti eliguntur patroni nationum, dioecesium, provinciarum, confraternitatum, familiarum religiosarum aliorumque locorum et moralium personarum. Ut autem tales patroni publice agnoscantur, requiritur confirmatio S. Sedis. Beati nequeunt eligi

[36] c. 1270. [37] c. 1272. [38] c. 1274, § 1.
[39] S. R. C. d. 30 Nov. 1895 (Decr. auth. n. 3875 ad 3).
[40] c. 1274, § 2. [41] c. 1275. [42] Cf. 1277.

patroni nisi ex peculiari indulto S. Sedis[43]. Quomodo festa talium patronorum sint celebranda, statuitur a iure liturgico.

Q. 391. *Quid sit iure statutum de sacris imaginibus?*

R. 1. Novae imagines *insolitae* nequeunt in ecclesiis (etiam exemptis) aliisve locis sacris poni, nisi sint ab Ordinario loci approbatae[44]. „Ordinarius autem sacras imagines publice ad fidelium venerationem exponendas ne approbet, quae cum probato Ecclesiae usu non congruunt"[45]. Quare e. gr. proscriptae sunt a Benedicto XIV imagines repraesentantes S. Spiritum sub specie pulchri iuvenis, vel SS. Trinitatem sub specie hominis habentis tres facies. Sicuti pro expositione, ita quoque pro editione et impressione sacrarum imaginum semper requiritur approbatio Ordinarii loci[46]. Optandum est, ut episcopi sint satis severi in approbatione sacrarum imaginum, quae, si sunt pulchrae et revera piae, optimum influxum in fideles exercent; secus autem iniciunt scandalum, immo et horrorem.

2. Si imagines publicae venerationi expositae *sollemniter* benedicuntur, haec benedictio Ordinario reservatur, qui tamen potest eam cuilibet sacerdoti committere[47]. Cum superiores maiores religionum clericalium exemptarum valeant benedicere ecclesias aliaque loca sacra et sacram supellectilem[48], videntur posse quoque sollemniter benedicere imagines sacras in propriis ecclesiis.

3. „Imagines *pretiosae*, i. e. vetustate, arte aut cultu praestantes, in ecclesiis vel oratoriis publicis fidelium venerationi expositae, si quando reparatione indigent, numquam restaurentur sine dato scriptis consensu ab Ordinario, qui, antequam licentiam concedit, prudentes ac peritos viros consulat"[49]. Ratio huius statuti est obvia; per restaurationes enim ineptas haud semel pretiosae imagines prorsus deturpatae sunt. Tales imagines pretiosae itemque aliae, quae in aliqua ecclesia magna populi veneratione honorantur, nequeunt valide alienari neque in aliam ecclesiam *perpetuo* transferri sine S. Sedis permissu[50].

Q. 392. *Quid sit iure statutum de sacris reliquiis?*

R. 1. „Publico cultu eae solae reliquiae in ecclesiis (quamquam exemptis) honorari possunt, quas genuinas esse constat authentico documento alicuius Cardinalis vel Ordinarii loci vel alius viri ecclesiastici, cui facultas authenticandi indulto apostolico est concessa."[51] Vicarius generalis nequit, sine speciali mandato, reliquias authenticas edicere[52]. Si quae reliquiae *certo* non sunt authenticae, a fidelium cultu prudenter amoveantur per Ordinarium loci; immo reliquiae, quarum authenticitatis documenta interierunt, publicae venerationi ne exponantur, nisi praecedat iudicium Ordinarii loci (non autem Vicarii generalis sine mandato speciali). Reliquiae tamen antiquae in ea veneratione, qua hactenus fuerunt, sunt retinendae, nisi in aliquo peculiari casu certis

[43] c. 1278. [44] c. 1279, § 1. [45] Ib. § 2. [46] c. 1385, § 1, n. 3.
[47] c. 1279, § 4. [48] c. 1156 et 1304. [49] c. 1280.
[50] c. 1281, § 1. [51] c. 1283, § 1. [52] Ib. § 2.

argumentis constat, eas falsas vel suppositicias esse[53]. Hodiernis temporibus exsistunt hypercritici, qui ex meris coniecturis aut ex solis probabilibus argumentis vel praeiudicatis opinionibus authenticitatem reliquiarum in dubium vocant. Talem hypercrisim Ordinarii ne permittant maxime in sacris concionibus, libris, ephemeridibus fovendae pietati destinatis[54].

2. *Insignes* vocantur reliquiae corpus, caput, brachium, antibrachium, cor, lingua, manus, crus aut illa pars corporis, in qua passus est martyr (dummodo sit integra et non parva). Tales insignes reliquiae a) nequeunt alienari aut perpetuo transferri in aliam ecclesiam sine licentia S. Sedis[55], b) nequeunt in aedibus vel oratoriis privatis asservari sine expressa Ordinarii loci licentia[56]. „Reliquiae non insignes debito cum honore etiam in domibus privatis servari pieque a fidelibus gestari possunt."[57].

3. Sedulo invigilandum est, a) ne sacrae reliquiae ullo modo profanentur, b) neve hominum incuria pereant, c) neve minus decenter custodiantur, d) neve vendantur, e) neve in manus acatholicorum transeant[58].

4. Quantum ad publicam *expositionem* reliquiarum, statutum est: a) ut semper sint clausae in thecis seu capsis obsignatis[59]; b) ut reliquiae sanctissimae Crucis numquam in eadem theca cum reliquiis sanctorum publicae venerationi exhibeantur, sed propriam thecam separatam habeant[60]. *Beatorum* reliquiae nequeunt sine peculiari indulto S. Sedis in processionibus circumferri neque in aliis ecclesiis exponi quam in iis, ubi eorum Officium et Missa celebrantur[61].

5. Qui falsas reliquias conficit, aut scienter vendit, distribuit vel publicae fidelium venerationi exponit, ipso facto excommunicationem Ordinario reservatam contrahit[62].

TITULUS XVII.

De sacris processionibus.

Q. 393. *Quid et quotuplices sint sacrae processiones?*

R. 1. Sacrae processiones, quae et rogationes et litaniae vocantur, sunt sollemnes supplicationes, quae a populo fideli, duce clero, fiunt eundo ordinatim de loco sacro ad locum sacrum, ad excitandam fidelium pietatem, ad commemoranda Dei beneficia eique gratias agendas, ad

[53] c. 1285. [54] c. 1286. [55] c. 1281. [56] c. 1282, § 1.
[57] Ib. § 2. [58] c. 1289. [59] c. 1287, § 1.
[60] Ib. § 2. De veneratione sanctissimae Crucis latius tractavimus in Man. theol. mor. II 386. Sanctissimae Crucis reliquiae, quas in cruce pectorali episcopus forte defert, ipso defuncto cedunt ecclesiae cathedrali atque transmittendae sunt episcopo successori. Quodsi episcopus pluribus dioecesibus praefuit, istae reliquiae cedunt ecclesiae cathedrali dioecesis, in cuius territorio supremum diem obiit, aut si extra dioecesim mortuus est, ei dioecesi, ex qua ultimo discessit. c. 1288.
[61] c. 1287, § 3. [62] c. 2326.

divinum auxilium implorandum[63]. Iam antiquissimis temporibus sacrae processiones habitae sunt ad sepulcra martyrum vel in translatione sacrarum reliquiarum. Processiones celebres seu sic dictae litaniae maiores (in festo S. Marci) et minores (diebus Rogationum) iam saeculo quinto videntur fuisse in usu. Rogationum sollemnitatem primus S. Mamertus episcopus Viennensis in Gallia instituit[64].

2. Distinguuntur processiones *ordinariae* et *extraordinariae*. Priores fiunt quolibet anno statis diebus ex iure sive communi sive particulari. Posteriores ex variis publicisque causis particularibus indicuntur a competenti auctoritate ecclesiastica[65], sc. ab Ordinario loci, audito capitulo cathedrali[66]. Ita saltem, si agitur de processionibus publicis. — Solent quoque distingui processiones *generales*, quibus intersunt totus clerus totusque populus diversarum ecclesiarum alicuius loci; et *particulares*, quae instituuntur ab aliqua ecclesia particulari aut a confraternitate etc.

Q. 394. *Quid specialiter de processione theophorica in festo Corporis Christi statutum sit?*

R. 1. Nisi aliter ferat immemorabilis consuetudo vel locorum circumstantiae (prudenti iudicio episcopi) aliud exigant, die festo Corporis Christi unica tantum sollemnisque per publicas vias processio in uno eodemque loco fieri debet ab ecclesia digniore, eique clerici omnes religiosaeque virorum familiae seu communitates *etiam exemptae* et laicorum confraternitates interesse debent[67]. Ab hac obligatione assistendi processioni eximuntur: 1) Regulares, qui in strictiore clausura perpetuo vivunt, ut Carthusiani; 2) qui a civitate ultra tria milia passuum distant; 3) qui habent speciale privilegium concessum post Concilium Tridentinum, ut Carmelitae, Iesuitae, Theatini, Barnabitae; 4) omnes mulieres religiosae. In nonnullis regionibus exsistit tamen consuetudo, ut mulieres religiosae intersint.

2. „Ceterae paroeciae et ecclesiae etiam regulares possunt intra Octavam Corporis Christi proprias processiones extra ecclesiae ambitum agere; sed ubi sunt plures ecclesiae, Ordinarii loci est, ne incommoda oriantur, horas ac dies praestituere, quibus suam quaeque processionem agat."[68]

3. Ad Ordinarium loci pertinet curare, ut in processionibus omnia ordinate et pie peragantur atque ut abusus exstirpentur[69]. Hinc e. gr. non adhibendi sunt currus magnifice exornati, in quibus ponitur ostensorium, vel statuae vel exuviae sanctorum[70]. Pariter ad eum pertinet, lites de praecedentia solvere iuxta statuta canonum, nempe iuxta c. 106 et 491.

Q. 395. *Quis possit processiones indicere, mutare, abolere?*

R. 1. Praeter Summum Pontificem solus Ordinarius loci, audito capitulo cathedrali, potest processiones extraordinarias publicas indicere

[63] c. 1290, § 1. [64] Cf. Kirchenlexikon s. v. Bittgänge. [65] c. 1290, § 2.
[66] c. 1292. [67] c. 1291, § 1. [68] Ib. § 2. [69] c. 1295.
[70] S. R. C. d. 22 Febr. 1924 (Acta Ap. Sed. XVI 103).

aut consuetas processiones transferre vel abolere[71]. Etiam regulares exempti nequeunt extra suas ecclesias et claustra processiones ducere sine Ordinarii loci licentia[72], nisi tamen habeant speciale privilegium. Sic e. gr. FF. Praedicatores possunt publicas processiones facere prima Dominica Octobris libere ingrediendo cum omni pompa limites cuiusque paroeciae[73].

2. Si Ordinarius loci ex publica causa legitime indixit processionem *extraordinariam*, tunc omnes ii interesse debent, qui tenentur ad processionem theophoricam in festo Corporis Christi et ad alias processiones ordinarias[74]. Religiosi (etiam exempti), qui illegitime recusant assistere[75] processionibus istis, possunt ab Ordinario loci puniri.

TITULUS XVIII.

De sacra supellectili.

Praenotamen. Iste titulus est brevis; omittit enim fere omnia, quae ad ius liturgicum stricte dictum pertinent. Et revera est impossibile, paucis verbis indicare ea omnia, quae leges liturgicae de materia, forma, benedictione, usu, custodia totius sacrae supellectilis statuerunt. Insuper attendenda essent ea, quae archaeologia sacra et ars sacra de istis rebus statuunt. Quare ad ampliorem doctrinam hauriendam consulendi sunt libri, qui ex professo tractant de iure liturgico vel de archaeologia sacra[76].

Q. 396. *Quid sit generatim statutum de sacra supellectili?*

R. 1. Sacra ecclesiarum supellex dicuntur omnia utensilia, quae ad cultum divinum inserviunt, ut vasa sacra, vestes liturgicae, ornamenta altarium etc. In primaeva Ecclesia haec aliquando vocata sunt „*anathemata*", eo quod sunt a communi usu seiuncta.

2. Sacra supellex, praesertim si est benedicta vel consecrata, caute custodiatur in ecclesiae sacrario aliove tuto ac decenti loco, nec ad usus profanos adhibeatur[77]. Insuper fiat eius inventarium, quod accurate servetur. Circa eius materiam et formam vero serventur praescripta liturgica, ecclesiastica traditio et sacrae artis quoque leges.

[71] c. 1292 et 1294. Id tamen videtur esse restringendum ad processiones, quae habitualiter fiunt. Nihil enim obstat, ne e. gr. parochus in casu particulari aliquam processionem in suo territorio prudenter indicat vel etiam mutet. Cf. c. 462, n. 7 et Pontif. Com. d. 12 Nov. 1922 (Acta Ap. Sed. XIV 661).

[72] c. 1293.

[73] Cf. const. FF. Praed. n. 112. In omnibus processionibus possunt Fratres Praedicatores Crucifixi imaginem ad se conversam tenere. S. R. C. d. 9 Apr. 1910.

[74] c. 1292. Assistentes in processionibus S. Marci et Rogationum debent exspectare, donec celebrans preces post Litanias dicendas concludat. S. R. C. d. 9 Apr. 1910 (Acta Ap. Sed. II 237).

[75] S. C. C. d. 27 Iul. 1626. Cf. causam Melitensem solutam a. 1902 (Anal. eccl. XI 71 sqq.).

[76] E. gr. *Gavantus-Merati*, Thesaurus sacrorum rituum; *Thomassinus*, Vetus et nova Ecclesiae disciplina; *Thalhofer*, Handbuch der Liturgik; *De Albertis*, De sacris utensilibus.

[77] c. 1296, § 1.

3. Ii, qui tenentur reparare ecclesiam, tenentur quoque providere de sacra supellectili ad cultum necessaria, nisi tamen aliter sit provisum[78].

4. Benedictionem sacrae supellectilis, antequam ad usum sibi proprium adhibeatur, impertire possunt[79]:

a) Cardinales et omnes episcopi etiam titulares sine ulla limitatione;

b) locorum Ordinarii, charactere episcopali carentes, pro ecclesiis et oratoriis proprii territorii;

c) parochus pro ecclesiis et oratoriis in territorio suae paroeciae positis et rectores ecclesiarum pro suis ecclesiis;

d) sacerdotes a loci Ordinario delegati intra fines delegationis et iurisdictionis delegantis. Potest igitur e. gr. episcopus delegare sacerdotem, ut possit casulas benedicere pro tota dioecesi;

e) superiores religiosi et sacerdotes eiusdem religionis ab ipsis delegati, pro propriis ecclesiis et oratoriis ac pro ecclesiis monialium sibi subiectarum. Potest igitur e. gr. Prior conventualis delegare sacerdotem sacristam, ut benedicat novas casulas.

5. Sacra supellex benedicta aut consecrata benedictionem aut consecrationem amittit:

a) si tales laesiones vel mutationes subierit, ut pristinam amiserit formam et iam ad suos usus non habeatur idonea. Hinc e. gr. si pes calicis est avulsus a cuppa, calix est exsecratus;

b) si ad usus indecoros adhibita vel publicae venditioni exposita fuerit. Hinc e. gr. casula, quae ex ecclesia fuit erepta, iudaeo tradita et in publico emporio vendita, eget nova benedictione. Non autem videtur esse iterum benedicenda casula, quae ab una ecclesia vendita fuit alteri, cum talis venditio non sit publica.

6. Calix et patena non amittunt consecrationem ob consumptionem vel renovationem auraturae[80]. Si autem auratio calicis vel patenae consumpta est, oritur gravis obligatio eam innovandi ante usum. Calix et patena, item purificatoria, pallae, corporalia, quae adhibita fuerunt in sacrificio Missae, ne *tangantur* nisi a clericis vel ab iis, qui eorum custodiam habent, ut sacristani[81]. Per se patet, in casu necessitatis quemlibet posse tangere istas res. Quare e. gr. si calix est denuo inaurandus, potest tangi ab opifice laico inaurante.

7. Purificatoria, pallae, corporalia in Missae sacrificio adhibita ne tradantur lavanda laicis (etiam religiosis mulieribus), nisi prius abluta fuerint a clerico in maioribus ordinibus constituto; aqua autem primae lotionis mittatur in sacrarium vel, si hoc deest, in ignem[82]. Ad hoc ut ista prima lotio licite fieri possit a religiosis mulieribus requiritur S. Sedis licentia.

Q. 397. *Quid specialiter sit statutum de sacra supellectili cardinalium, episcoporum, beneficiariorum?*

R. 1. Defuncti *Cardinalis*, qui in Urbe domicilium habebat, quaelibet sacra supellex (exceptis anulis et crucibus pectoralibus) aliaeque res

[78] c. 1297. [79] c. 1304. [80] c. 1305, § 2. [81] c. 1306, § 1. [82] Ib. § 2.

omnes stabiliter divino cultui destinatae semper cedunt pontificio sacrario, nisi Cardinalis eas donaverit aut testamento reliquerit alicui ecclesiae vel oratorio publico vel loco pio vel alicui personae ecclesiasticae aut religiosae. Optandum est, ut Cardinalis, qui hac facultate donandi vel testandi uti velit, saltem ex parte praeferat illas ecclesias, quas in titulum, administrationem seu commendam obtinuit[83].

2. Defuncti *episcopi residentialis* (etiamsi cardinalitia dignitate fulsit) sacra supellex cedit ecclesiae cathedrali, exceptis a) anulis et crucibus pectoralibus (reliquiae autem sanctissimae Crucis forte in cruce pectorali reconditae cedunt episcopo successori, ut supra dictum est); b) omnibus iis utensilibus, quae ab episcopo defuncto certo comparata fuerunt bonis ad ecclesiam non pertinentibus quaeque non transierunt in ecclesiae proprietatem[84]. Si quando episcopus duas vel plures dioeceses successive rexit aut simul praefuit duabus vel pluribus dioecesibus unitis aut in perpetuam administrationem concessis, cathedralem ecclesiam habentibus propriam et distinctam, hoc modo procedendum est: Ea sacra utensilia, quae certo comparata fuerunt reditibus unius tantum dioecesis, cedunt eiusdem cathedrali ecclesiae. Alia utensilia dividi debent aequis partibus inter singulas ecclesias cathedrales, dummodo dioecesium reditus ne sint divisi, sed unam mensam episcopalem perpetuam constituant. Si vero reditus divisi ac separati sunt, divisio fiat inter singulas ecclesias cathedrales pro ratione fructuum, quos in singulis dioecesibus episcopus percepit, et pro ratione temporis, quo iisdem praefuit[85]. Episcopus debet conficere authenticum inventarium sacrorum utensilium, in quo exprimat et distincte describat, quando et quibus reditibus ea comparata fuerint. Si deest tale inventarium, sacra utensilia episcopi praesumuntur esse comparata reditibus ecclesiae[86].

3. Quae modo dicta sunt de episcopo, valent quoque (mutatis mutandis) pro omnibus clericis beneficiariis[87], e. gr. pro parochis, canonicis etc.

4. Cardinales, episcopi residentiales omnesque clerici beneficiarii debent tempestive et in forma iure civili valida facere testamentum vel aliud instrumentum legale, ita ut, adveniente ipsorum morte, a persona integrae famae iuxta supra dicta statuta dispositiones fiant de sacra supellectili, immo etiam de libris aliisque, quae ad ecclesiam pertinent et in eorum domo reperiuntur[88]. Ratio huius statuti est obvia; etenim si clerici defuncti non exsistit testamentum in foro civili validum, eius bona relicta pertinent ad heredes, qui haud raro iis non recte utuntur cum scandalo fidelium et cum gravi detrimento ecclesiae.

5. Ecclesia cathedralis debet sacram supellectilem aliaque necessaria ad Missam ceterasque functiones liturgicas gratis subministrare

[83] c. 1298. [84] c. 1299, § 1. [85] Ib. § 2. [86] Ib. § 3.
[87] c. 1300. [88] c. 1301.

episcopo etiam privatim celebranti, idque non solum in ipsa ecclesia cathedrali, sed etiam in aliis ecclesiis civitatis vel suburbii (non autem in aliis ecclesiis extraneis)[89].

6. Pro usu sacrae supellectilis aliorumque ad Missae sacrificium necessariorum (e. gr. vini, candelarum, ministri) episcopus potest in synodo dioecesana vel extra synodum, audito capitulo, definire stipem solvendam a sacerdotibus, qui in ecclesiis pauperibus celebrant Missam in proprium commodum. Vicarius capitularis aut generalis nequit sine speciali mandato definire hanc stipem. Stips ista semel definita observanda est ab omnibus, etiam religiosis exemptis, ita ut nemo maiorem exigere licite possit[90].

TITULUS XIX.

De voto et iureiurando.

Praenotamen. Haec materia in longum et latum solet tractari in Theologia morali. Insuper de votis religiosis iam supra lib. II, tit. XI sufficienter dictum est. Quare hic non tanguntur nisi quaedam generalia principia.

CAPUT I.

De voto.

Q. 398. *Quid et quotuplex sit votum?*

R. 1. Votum est promissio Deo facta de bono possibili et meliore ac proinde est actus valde excellens virtutis religionis.

2. Votum multipliciter dividitur in:

a) votum *publicum* et *privatum*, prout nomine Ecclesiae a legitimo superiore acceptatur vel privato modo emittitur sine interventione Ecclesiae;

b) votum *sollemne* et *simplex*, prout ut tale ab Ecclesia agnoscitur[91];

c) votum *reservatum* et *non reservatum*, prout eius dispensatio est reservata Sedi Apostolicae vel non. Iuxta vigentem disciplinam Sedi Apostolicae reservata sunt praeter omnia vota publica (exceptis votis publicis in institutis iuris dioecesani, quae cessant per indultum saecularizationis concessum ab Ordinario loci) duo tantum vota privata, sc. votum perfectae ac perpetuae castitatis et votum ingrediendi in religionem votorum sollemnium; sed ista duo vota non sunt reservata, nisi emissa sunt absolute et post completum decimum octavum aetatis annum[92];

d) votum *personale, reale, mixtum,* prout vovetur vel actio personalis vel res aliqua vel simul actio personalis et res. Votum personale est e. gr. ieiunium; reale: eleemosyna; mixtum: peregrinatio cum obligatione cereum offerendi.

[89] c. 1303, § 1. [90] Ib. § 2 3 4.
[91] De essentia voti sollemnis videsis nostrum Man. theol. mor. II 391.
[92] c. 1309.

Q. 399. *Quomodo votum obliget?*

R. 1. Votum valide emissum obligat ex virtute religionis graviter vel leviter secundum gravitatem materiae et, si agitur de votis privatis, etiam secundum intentionem voventis. Omnes (etiam acatholici), qui non prohibentur iure, possunt se obligare voto, dummodo a) polleant sufficienti usu rationis; b) ne ex gravi et iniusto metu inducantur ad vovendum[93]. Omne enim votum metu gravi et iniusto causatum ipso iure est nullum. Quare vetus controversia de hac re nunc finita est.

2. Votum non obligat *ratione sui* nisi emittentem; attamen obligatio voti realis (non quidem in quantum est votum) transit ad heredes; item obligatio voti mixti, sed solummodo pro ea parte, qua reale est[94]. Quidquid est de controversia, utrum haec heredum obligatio oriatur ex iustitia an ex sola religione, in praxi heredes nequeunt liberari ab hac obligatione, nisi dispensatione S. Sedis.

Q. 400. *Quomodo obligatio votorum cesset?*

R. 1. Voti obligatio potest cessare ex causis intrinsecis vel extrinsecis. Causae *intrinsecae* sunt: a) lapsus temporis ad finiendam obligationem voti appositi; b) mutatio substantialis materiae promissae; c) defectus condicionis, a qua votum dependet; d) defectus causae finalis, ob quam votum emissum fuit. Causae *extrinsecae* sunt: irritatio, dispensatio, commutatio[95].

2. *Irritatio directa* votorum semper fieri potest *valide* ab eo, qui potestatem dominativam in voluntatem voventis legitime exercet; *licite* autem, si adest iusta causa. Irritatio directa prorsus exstinguit votum, cuius obligatio proinde postea numquam reviviscit. *Irritatio indirecta* votorum fieri potest valide ab eo, qui potestatem exercet non quidem in voluntatem voventis, sed in materiam voti. Irritatio indirecta non exstinguit, sed tamdiu suspendit votum, quamdiu adimplementum voti praeiudicium fert irritanti[96].

3. *Dispensatio* votorum, quae non est reservata Sedi Apostolicae, fieri potest iusta de causa et dummodo ne laedatur ius quaesitum alterius:

a) ab Ordinario loci, quod attinet ad omnes suos subditos ubique terrarum et ad peregrinos in suo territorio degentes;

b) a superiore religionis clericalis exemptae, quod attinet ad omnes illas personas, quibus potest viaticum et extremam unctionem administrare, sc. ad professos, novitios aliosque in religiosa domo diu noctuque degentes;

c) ab iis, quibus ab Apostolica Sede delegata fuit dispensandi facultas[97]. Huiusmodi dispensandi facultas delegata est habitualiter confessariis ex ordinibus Mendicantibus.

---

[93] c. 1307.
[94] c. 1310. De obligatione votorum multo latius scripsimus in Man. theol. mor. II 402 sqq.
[95] c. 1311. [96] c. 1312. [97] c. 1313.

4. *Commutatio* votorum (non reservatorum) fieri potest non solum ab iis, qui habent facultatem dispensandi, sed etiam ab ipso vovente, si agitur de commutatione in opus melius vel saltem aequale[98]. Vetus igitur controversia de hac re finita est.

5. „Vota ante professionem religiosam emissa suspenduntur, donec vovens in religione permanserit"[99]. Reviviscunt igitur, si vovens egressus est religionem.

CAPUT II.

De iureiurando.

Q. 401. *Quid et quotuplex sit iusiurandum?*

R. 1. Iusiurandum est invocatio nominis divini in testem veritatis. Habere debet iusiurandum sic dictos tres comites, sc. veritatem, iustitiam, iudicium[100]. Iusiurandum, quod ius ecclesiasticum aliquando exigit vel admittit e. gr. in iudiciis, nequit valide praestari per procuratorem[101].

2. Inter diversas distinctiones iurisiurandi imprimis notanda est distinctio iuramenti *assertorii* et *promissorii*. In iureiurando assertorio Deus invocatur in testimonium alicuius veritatis praeteritae vel praesentis; in iureiurando autem promissorio Deus invocatur in testem cum futuri eventus tum praesentis sincerae intentionis aliquid faciendi aut omittendi. Qui libere emittit iusiurandum promissorium, peculiari obligatione virtutis religionis tenetur implendi, quod promisit. Regula generalis est: Iusiurandum valide semel emissum etiam cum gravi incommodo tamdiu servandum est, quamdiu id fieri potest sine dispendio vitae aeternae[102]. Immo iusiurandum etiam per vim et metum extortum servandum est, donec sit a superiore ecclesiastico relaxatum[103]. Iusiurandum promissorium sequitur naturam et condiciones actus, cui adicitur; ideoque, si actus est nullus, etiam iusiurandum adiectum valore caret. Et notanter iusiurandum caret omni valore, si adicitur actui vergenti in damnum aliorum aut in praeiudicium boni publici vel salutis aeternae. In his casibus irritantur et ipse actus et iusiurandum adiectum[104]. Deus enim sanctus nequit invocari testis iniquitatis.

3. Iusiurandum stricte est interpretandum secundum ius et secundum intentionem iurantis, aut, si hic dolo agit, secundum intentionem, cui iuratur[105].

Q. 402. *Quomodo obligatio iurisiurandi promissorii cesset?*

R. Iurisiurandi promissorii obligatio simili modo cessare potest sicut obligatio voti, sc. causis intrinsecis et extrinsecis.

Ex causis *intrinsecis* obligatio iurisiurandi cessat:

1. si res iurata substantialiter mutatur aut mutatis adiunctis fit mala sive omnino indifferens, aut denique si maius bonum impedit;

---

[98] c. 1314. [99] c. 1315.
[100] c. 1316, § 1. Cf. nostrum Man. theol. mor. II 437 sqq. [101] c. 1316, § 2.
[102] c. 1317, § 1 3. [103] Ib. § 2. [104] c. 1318. [105] c. 1321.

2. si defecit eius causa finalis vel aliqua condicio, sub qua iusiurandum forte datum fuit[106].

Ex causis *extrinsecis* obligatio iurisiurandi cessat:

1. *condonatione* illius, in cuius commodum iusiurandum promissorium emissum fuit;

2. *irritatione, dispensatione, commutatione,* et quidem eodem modo, quo voti obligatio sic cessare potest. Qui enim irritare, dispensare, commutare possunt votum, eandem potestatem eademque ratione habent circa iusiurandum promissorium. Si tamen iurisiurandi cessatio vergit in praeiudicium aliorum, qui obligationem condonare recusant, tunc sola S. Sedes potest dispensare iusiurandum, idque propter necessitatem aut utilitatem Ecclesiae[107]. Secus nullius iurisiurandi dispensatio est reservata S. Sedi.

PARS IV.

De magisterio ecclesiastico.

Conexio materiae tractandae. In tribus partibus praecedentibus huius tertii libri Codicis tractatum est de omnibus iis, quae principaliter ad potestatem ordinis atque *ad cultum divinum* pertinent; in hac quarta parte tractabitur de iis, quae pertinent ad potestatem iurisdictionis atque ad *doctrinam* christianam seu fidei depositum. Christus Dominus fidei depositum concredidit Ecclesiae, ut ipsa, Spiritu Sancto iugiter assistente, doctrinam revelatam sancte custodiret et fideliter exponeret. Ecclesiae autem, independenter a qualibet civili potestate, ius est et officium gentes omnes evangelicam doctrinam docendi; hanc vero rite ediscere veramque Dei Ecclesiam amplecti omnes divina lege tenentur[1]. Quare maximam iniuriam committunt potestates civiles, quae impediunt aut arctant Ecclesiae magisterium hac in re. Pro Christianis satis non est haereticam pravitatem devitare, sc. errorem in iis, quae dogmatice definita sunt ab Ecclesia, sed oportet illos quoque errores diligenter fugere, qui ad haeresim plus minusve accedunt. Quare omnes debent etiam constitutiones et decreta servare, quibus pravae huiusmodi opiniones a S .Sede proscriptae et prohibitae sunt[2]. Magisterium in doctrina christiana non solum exercent Summus Pontifex et Concilium oecumenicum, sed etiam episcopi cum singuli tum congregati in Conciliis particularibus, quamvis episcopi ex se non polleant infallibilitate docendi[3]. Fideles non solum debent interius credere, sed etiam exterius aperte profiteri fidem, idque tam ex iure divino quam ex iure ecclesiastico. De obligatione fidem profitendi ex iure ecclesiastico infra tit. 24 specialiter sermo erit. Ex iure autem divino fideles tenentur fidem aperte profiteri, quoties eorum silentium, tergiversatio aut ratio agendi secum ferrent implicitam fidei negationem, contemptum religionis, iniuriam Dei vel scandalum proximi[4]. Nihilominus debent catholici cavere disputationes vel collationes (praesertim publicas) cum acatholicis sine venia S. Sedis aut, si casus urget, Ordinarii loci[5].

---

[106] c. 1319. [107] c. 1320.
[1] c. 1322. [2] c. 1324. [3] c. 1326.
[4] c. 1325, § 1. [5] Ib. § 3.

TITULUS XX.

De divini verbi praedicatione.

Q. 403. *Quibus incumbat munus praedicandi verbum Dei?*

R. 1. Munus praedicandi verbum Dei primo et praecipue commissum est *Romano Pontifici* pro universa Ecclesia. Qui cum per se ipse personaliter nequeat obire hoc munus ubique terrarum, mittit alios praedicatores, e. gr. missionarios apostolicos; maxime autem nostris temporibus doctrinam catholicam in universo orbe fovet per Encyclicas aliaque documenta pontificia.

2. *Episcopi dioecesani,* quibus aequiparantur hac in re praelati nullius, habent ius et officium praedicandi doctrinam catholicam in proprio territorio. Debent alios quoque viros in auxilium assumere ad huiusmodi praedicationis munus salubriter exsequendum[6].

3. *Parochi* omnesque alii curam animarum gerentes verbum Dei praedicare possunt et debent. Quae quidem obligatio est certo gravis, sed non potest accurate determinari, quandonam parochus omittens officium praedicationis graviter peccet[7].

4. *Canonicus theologus* quoque debet ex officio explanare sacram Scripturam vel alia doctrinae catholicae capita[8].

5. Omnibus aliis, qui receperunt sic dictam *canonicam missionem.* Nemini enim licet ministerium praedicationis exercere nisi ei, qui a legitimo superiore missionem receperit[9]. Clericis quidem, sed non laicis haec missio canonica conceditur. Antiquis temporibus laici, praesertim religiosi, exercuerunt ministerium praedicationis, sed iuxta vigentem disciplinam laicis nihil aliud committitur nisi aliquando catechetica institutio[10].

CAPUT I.

De catechetica institutione.

Q. 404. *Quid sit catechetica institutio et cui illa incumbat?*

R. 1. Institutio catechetica seu catechizatio in antiqua Ecclesia fuit simplex institutio catechumenorum, neophytorum vel rudium de praecipuis articulis fidei atque morum praeceptis; nunc autem est ea institutio de eadem materia, quae datur determinatis diebus potissimum pueris atque puellis sive in ecclesiis sive in scholis atque universo populo diebus dominicis in ecclesiis. Ecclesia semper sedulo invigilavit, ut catechetica institutio de rebus fidei et morum recte praeberetur populo christiano. Praesertim autem inde a Concilio Tridentino, cuius iussu celeberrimus Catechismus Romanus editus

---

[6] c. 1327.
[7] Cf. *S. Alphons.*, Theol. mor. III 269. Nonnulli auctores docent parochum peccare mortaliter, si durante anno negligit praedicare per unum mensem continuum vel per tres menses discontinuos.
[8] c. 400. [9] c. 1328. [10] c. 1333.

est. Summi Pontifices non cessaverunt salutaribus statutis catecheticam institutionem ordinare et inculcare.

2. „Proprium ac gravissimum officium pastorum animarum est, catecheticam populi christiani institutionem curare."[11] Proinde parochus debet statis temporibus continenti institutione catechetica pueros quotannis praeparare ad primam susceptionem sacramentorum poenitentiae et Eucharistiae, immo et confirmationis, si hoc sacramentum quotannis administratur[12]. Praeter hanc puerorum institutionem parochus ne omittat pueros, qui primam communionem receperunt, uberius et perfectius catechismo excolere. Insuper parochus debet diebus dominicis et festis de praecepto catechismum fidelibus adultis (sermone ad eorum captum accommodato) explicare[13]. Pius X.[14] statuit, ut parochi hoc modo in istis institutionibus catecheticis distribuant materiam, ut quadriennio vel quinquennio totam doctrinam christianam explicent. Parochus in catechetica puerorum institutione potest, immo, si legitime est impeditus, debet operam adhibere aliorum clericorum aut etiam, si necesse est, piorum laicorum, potissimum illorum, qui in pium sodalitium *doctrinae christianae* aliudve simile in paroecia erectum adscripti sunt[15]. In nostris regionibus ludi magistri catholici optimum adiutorium praebent parocho hac in re, cum in scholis explicant principaliora capita ex s. Biblia. Ordinarius loci potest praecipere non solum clericis saecularibus sibi subditis, sed etiam religiosis exemptis, si hoc est necessarium, ut adiuvent parochum in catechetica institutione populi[16]. Attamen regularis disciplina religiosorum ne capiat detrimentum. Hinc ordinarie episcopus nequit aliud praecipere religiosis exemptis, nisi ut in propriis ecclesiis populo faciant institutionem catecheticam.

3. Non solum parentes aliique, qui parentum locum tenent, sed heri quoque ac patrini debent curare, ut omnes sibi subiecti vel commendati erudiantur catechetica institutione[17].

4. Ad Ordinarium loci pertinet edicere prorsus omnia, quae ad populum in christiana doctrina instituendum spectant, e. gr. de materia, forma, loco, tempore, methodo, libris adhibendis etc.; et etiam religiosi exempti haec servare debent, quoties non exemptos docent[18]. Episcopus autem nihil potest praescribere religiosis exemptis de institutione catechetica suorum fratrum conversorum.

CAPUT II.
De sacris concionibus.

Q. 405. *Quibusnam competat facultas sacras conciones faciendi?*

R. 1. Sacram concionem, i. e. orationem, qua auditores excitantur ad profitendam et exercendam religionem catholicam, facere possunt

[11] c. 1329. [12] c. 1330. [13] c. 1332.
[14] Encycl. „Acerbo nimis" d. 15 Apr. 1905.
[15] c. 1333, § 1. [16] c. 1333 et 1334. [17] c. 1335. [18] c. 1336.

ii soli, qui habent missionem canonicam. Quae quidem missio canonica *ipso iure* competit omnibus, quibus incumbit ecclesiastica cura animarum, e. gr. Summo Pontifici, episcopis, parochis etc., *ex delegatione* autem iis, quibus loci Ordinarius id commisit. Concionandi facultas solis sacerdotibus vel diaconis fieri potest habitualiter, in casibus autem particularibus etiam aliis clericis. Laici (etiam religiosi) vetantur concionari saltem in ecclesia[19]. Antiquis quidem temporibus laici, praesertim ii, qui fuerunt praediti extraordinariis charismatibus, habuerunt conciones sacras, et aliquando etiam nostris temporibus laici concionantur extra ecclesiam; sed intra ecclesiam hoc nunc expresse prohibitum est, cum secus facile oriri possint gravia incommoda. A fortiori mulieres ne praedicent in ecclesia, iuxta illud: „Mulier taceat in ecclesia."

2. Quantum ad facultatem delegatam concionandi nunc eadem fere valent, *quae statuta sunt de audiendis confessionibus*. Etenim tam clericis saecularibus quam religiosis non exemptis facultatem concionandi pro suo territorio solus concedit loci Ordinarius[20]. Si agitur de religiosis *exemptis*, haec statuta sunt:

a) Si concio habenda est in religione clericali ad solos religiosos exemptos vel ad eorum commensales diu noctuque cum iis commorantes, facultatem concionandi dat eorum superior competens, qui in casu potest eam concedere etiam iis, qui de clero saeculari vel de alia religione sunt, dummodo a proprio Ordinario vel superiore fuerint idonei iudicati[21].

b) Si concio habenda est ad alios vel etiam ad moniales regularibus subiectas, semper requiritur facultas Ordinarii loci, et insuper licentia superioris regularis, si concio habenda est ad istas moniales exemptas[22].

c) Si concio habenda est ad sodales cuiuslibet religionis *laicalis*, semper requiritur facultas Ordinarii loci et insuper licentia superioris religiosi[23].

3. Ordinarii locorum religiosis praesentatis a proprio superiore facultatem concionandi sine gravi causa ne denegent atque semel concessam ne revocent, praesertim una simul universis domus religiosae sacerdotibus. Concionatores religiosi nequeunt licite uti facultate concionandi obtenta ab Ordinario loci sine licentia proprii superioris[24]. Nemini detur facultas et licentia concionandi, nisi certo constet de eius bonis moribus et de sufficienti doctrina. Proinde eodem modo ac pro audiendis confessionibus etiam pro concionibus faciendis debet requiri proprie dictum examen, nisi aliunde constet de idoneitate. Facultas et licentia concionandi debent revocari, si necessariae dotes in concionatore desunt; sin autem oritur dubium, opus est novo examine[25].

4. Sacerdotes extra dioecesim commorantes (sive saeculares sive religiosi) ad concionandum ne invitentur, nisi prius licentia ab Ordinario loci, in quo concio habenda est, obtenta fuerit; hic autem, nisi eorum idoneitatem aliunde compertam habuerit, licentiam ne con-

[19] c. 1342. [20] c. 1337. [21] c. 1338, § 1. [22] Ib. § 2.
[23] Ib. § 3. [24] c. 1339. [25] c. 1340.

cedat, nisi prius bonum testimonium super concionatoris doctrina, pietate, moribus a proprio eiusdem Ordinario habuerit; qui, graviter onerata conscientia, secundum veritatem respondere tenetur[26]. Licentiam tempestive[27] petere debet a) parochus, si agitur de paroeciali ecclesia aliave eidem subiecta; b) rector ecclesiae, si de ecclesia parochi auctoritati non obnoxia; c) prima dignitas, de capituli consensu, si de ecclesia capitulari; d) moderator seu capellanus confraternitatis, si de ecclesia eiusdem confraternitatis propria. Si ecclesia paroecialis est simul capitularis aut confraternitatis propria, ille licentiam petat, qui sacras functiones iure peragit[28]. Haec statuta videntur esse lata pro concionibus sollemnioribus et rarioribus; nam est nimis onerosum qualibet vice petere ab episcopo licentiam ad invitandum aliquem sacerdotem extradioecesanum pro concionibus ordinariis et frequenter occurrentibus. Quare tunc videtur esse sufficiens licentia Ordinarii habitualiter concessa advocandi concionatorem idoneum.

5. Ordinarii locorum et notanter episcopi dioecesani ius habent concionandi in qualibet ecclesia sui territorii, etiam exempta; immo quando ipsi praedicant in aliqua ecclesia vel quando curant, ut coram ipsis praedicetur in aliqua ecclesia, possunt prohibere, ne eodem tempore praedicetur in alia ecclesia eiusdem loci[29]. Haec autem facultas prohibendi dupliciter limitatur; nequit enim exerceri: a) *in magnis civitatibus,* e. gr. 100000 incolarum. Esset enim satis inconveniens, si e. gr. episcopus, dum praedicat occasione confirmationis in una ecclesia, vellet prohibere, ne tunc in viginti aliis ecclesiis eiusdem civitatis ulla praedicatio eadem hora haberetur; b) nisi agitur de praedicatione *ex causa publica atque extraordinaria* habita. Esset enim item satis inconveniens, si episcopus praedicans in aliqua domo religiosa vellet prohibere praedicationem in ecclesia paroeciali; vel si qualibet dominica, dum ipse assistit praedicationi alicuius sacerdotis, vellet prohibere, ne praedicatio haberetur in aliis ecclesiis etiam exemptis.

Q. 406. *Quid sit statutum de obligatione concionis faciendae et audiendae?*

R. 1. Diebus dominicis ceterisque per annum festis de praecepto parochus debet praesertim intra Missam, in qua maior solet esse populi frequentia, consueta homilia verbum Dei nuntiare; idque ordinarie per se ipse, neque *habitualiter* per alium nisi ob iustam causam ab Ordinario probatam[30]. Potest tamen Ordinarius permittere, ut sollemnioribus

[26] c. 1341, § 1.

[27] De hac re statuit S. Congregatio Consist. d. 28 Iun. 1917 (Acta Ap. Sed. IX 328). „Postulatio ad obtinendum concionatorem aliquem facienda est tempore utili et opportuno, ut Ordinarius commode queat informationes de eiusdem persona habere: hoc autem tempus, generatim loquendo, haud erit inferius duobus mensibus." Opportuna statuta hac de re ediderunt omnes episcopi Germaniae coadunati ad sepulcrum S. Bonifatii d. 21 Aug. 1918 pro tota Germania.

[28] c. 1341, § 2 3. [29] c. 1343. [30] c. 1344.

quibusdam festis aut etiam, ex iusta causa, aliquibus diebus dominicis concio omittatur. Sic e. gr. solet in aliquibus regionibus concio omitti aestate durantibus illis hebdomadis, quibus agricolae valde onerosos labores exercent.

2. Optandum est, ut in Missis, quae, fidelibus adstantibus, diebus festis de praecepto in omnibus ecclesiis vel oratoriis publicis celebrantur, brevis evangelii aut alicuius partis doctrinae christianae explanatio fiat; secus enim fideles non ita ferventes conantur semper audire Missam sine concione, ideoque eorum tepor magis magisque crescit. Si Ordinarius loci huiusmodi brevem explanationem praescripserit, omnes, etiam religiosi exempti in ipsorum ecclesiis, oboedire tenentur[31].

3. Tempore Quadragesimae et aliquando quoque tempore Adventus in ecclesiis cathedralibus et paroecialibus sacrae conciones frequentius habeantur. Canonici aliique de capitulo huic concioni, *si in propria ecclesia continuo post chorum habetur,* interesse tenentur, nisi iuste sunt impediti; et illos Ordinarius poenis quoque adhibitis ad id adigere potest[32]. Monendi et adhortandi diligenter fideles sunt, ut sacris concionibus frequenter intersint.

4. Concionatores obligantur abstinere profanis et abstrusis argumentis, profano apparatu et lenocinio inanis et ambitiosae eloquentiae, atque debent praedicare Christum Crucifixum. Quodsi errores aut scandala disseminent, arceantur a ministerio praedicandi verbum Dei atque debitis poenis plectantur[33].

CAPUT III.

De sacris missionibus.

Q. 407. *Quid sint sacrae missiones et quid de iis statutum sit?*

R. 1. Missiones sacrae sunt duplicis generis: sc. *exterae,* quae habentur ad fidem catholicam propagandam sive in propria patria sive praecipue apud gentes paganas; et *internae* sive populares, quae consistunt in extraordinariis concionibus et exercitiis spiritualibus per aliquos continuos dies habendis, eo fine ut vita christiana ferventius colatur atque ut peccatores convertantur.

2. Missiones *exterae* nunc reservantur S. Sedi[34] quae specialem Congregationem Cardinalium, sc. Congregationem de Propaganda Fide a. 1622 instituit ad missiones exteras moderandas. Si tamen agitur de propaganda fide catholica inter acatholicos in proprio territorio, tunc id pertinet ad locorum Ordinarios et parochos[35]. Ad amplexandam fidem catholicam nemo invitus cogatur[36].

3. Missiones *internae* rite peractae saluberrimos fructus solent reportare. Quare damnavit Pius VI[37] propositionem 65 Synodi Pistoriensis, quae asseruit, missiones istas nihil esse nisi irregularem strepitum

[31] c. 1345. [32] c. 1346. [33] c. 1347. [34] c. 1350, § 2. [35] Ib. § 1. [36] c. 1351. [37] Const. „Auctorem fidei" d. 28 Aug. 1794.

novarum institutionum. Ordinarii vigilent, ut saltem decimo quoque anno sacrae missiones in qualibet paroecia habeantur[38]. Omnes autem parochi, etiam religiosi, debent observare ea, quae Ordinarius loci de istis missionibus quoad tempus et modum determinavit[39].

TITULUS XXI.

De seminariis.

Q. 408. *Quid sint seminaria?*

R. 1. Seminaria in genere sunt convictus, in quibus iuvenes instituuntur ad aliquem vitae statum convenienter amplexandum. Sic e. gr. loquimur de seminariis ludi magistrorum, clericorum, medicorum etc. Aliquando tamen, praesertim in Universitatibus, seminarium adhuc latius sumitur pro instructionibus prorsus practicis ad aliquam disciplinam perfectius addiscendam. — Hic non agitur nisi de seminariis *clericorum,* quae sunt loca pia vel collegia, in quibus adulescentes aluntur et instituuntur ad statum clericalem saecularem convenienter amplexandum.

2. Seminaria clericalia apte dividuntur in minora et maiora. In seminariis minoribus pueri instituuntur, usquedum sint capaces ad perficienda studia philosophiae et theologiae. Seminaria maiora perficiunt studia praesertim theologiae ultimamque praeparationem ad sacerdotium peragunt. Solent insuper distingui seminaria *episcopalia* et *pontificia,* prout subduntur immediatae iurisdictioni aut episcopi aut Romani Pontificis. — Demum distinguuntur seminaria *dioecesana,* singulis dioecesibus propria; *provincialia* vel inter-dioecesana toti provinciae ecclesiasticae communia; *nationalia* sive principalia, quae ad omnes eiusdem regni vel reipublicae dioeceses pertinent.

3. Seminaria clericalia iam ab antiquissimis temporibus Ecclesiae exstiterunt in scholis, quas episcopi apud suas ecclesias fundaverunt pro alumnis clericis educandis. S. Augustinus instituit collegium pro clericis sancte educandis; pariter S. Fulgentius. Complura concilia particularia statuta tulerunt de istis seminariis, e. gr. Concilium Toletanum II a. 527 vel 531 et IV a. 633, Turonense II a. 567. Carolus Magnus et Chrodegangus episcopus Metensis scholas clericorum multum foverunt. Quando saeculo XII Universitates magnae ortae sunt, seminaria quoque clericalia apud eas floruerunt. Demum Concilium Tridentinum[40] edidit optima statuta de seminariis clericalibus, quae in Codice iur. can. renovata et ampliata sunt.

4. De *utilitate,* immo et de *necessitate* seminariorum clericalium non est cur longe disseratur. Res enim est luce clarior et a Concilio Tridentino et a multis Summis Pontificibus constanter asserta. Ea namque, quae necessaria sunt, ut clerus assequatur morum honestatem, virtutum perseverantiam, solidam scientiam theologicam aliaque, quae

[38] c. 1349, § 1. [39] Ib. § 2. [40] Sess. 23, c. 18 de reform.

ad fructuosum ministerium curae animarum requiruntur, extra seminarium clericale vix ac ne vix quidem obtineri possunt. Quare sapienter statutum est: „Unaquaeque dioecesis in loco convenienti ab episcopo electo seminarium seu collegium habeat, in quo, pro modo facultatum et dioecesis amplitudine, certus adulescentium numerus ad statum clericalem instituatur. Curandum, ut in maioribus praesertim dioecesibus bina constituantur seminaria: minus sc. pro pueris litterarum scientia imbuendis, maius pro alumnis philosophiae ac theologiae vacantibus. Si constitui seminarium dioecesanum nequeat, aut in constituto seminario conveniens institutio, praesertim in philosophicis ac theologicis disciplinis, desideretur, episcopus alumnos in alienum seminarium mittat, nisi seminarium interdioecesanum vel regionale auctoritate apostolica constitutum fuerit.“[41]

Q. 409. *Cui competat ius instituendi eos, qui ad statum clericalem anhelant?*

R. 1. Ecclesiae est ius proprium et exclusivum eos instituendi, qui ecclesiasticis ministeriis sese devovere cupiunt[42]. Ratio est, quia Ecclesiae, utpote societati perfectae et independenti ab auctoritate civili, competunt ea omnia, quae ad eius proprium finem obtinendum sunt necessaria. Iamvero prorsus necessarium est ad finem Ecclesiae obtinendum, ut adsint sacerdotes rite instituti tam quoad mores quam quoad scientiam. Ergo Ecclesia possidet ius exclusivum educandi clericos alumnos eosque praeparandi ad sacerdotium. Quare nonnisi summa iniuria auctoritas civilis sese immiscere potest in institutione clericorum.

2. Dent operam sacerdotes, praesertim parochi, ut pueros, qui indicia praebeant ecclesiasticae vocationis, peculiaribus curis a saeculi contagiis arceant, ad pietatem informent, primis litterarum studiis imbuant divinaeque in iis vocationis germen foveant[43].

Q. 410. *Quid sit iure statutum de regimine seminariorum?*

R. 1. Episcopi est, omnia et singula, quae ad rectam seminarii dioecesani administrationem, regimen, profectum necessaria et opportuna videntur, decernere, salvis praeceptis a S. Sede pro casibus particularibus latis[44]. Potissimum studeat episcopus frequenter seminarium ipse per se visitare, in omnem institutionem alumnorum sedulo vigilare et de alumnorum indole, pietate, vocatione ac profectu pleniorem sibi comparare notitiam, maxime ante sacras ordinationes. Seminarii interdioecesani vel regionalis regimen universum et administratio regitur normis a S. Sede statutis[45].

2. Distinguendum est regimen materiale et morale.

Pro regimine materiali, i. e. pro constitutione seminarii et alumnorum sustentatione, si proprii reditus deficiunt, episcopus potest:

a) parochos aliosve ecclesiarum etiam exemptarum rectores iubere

[41] c. 1354. [42] c. 1352. [43] c. 1353. [44] c. 1357, § 1. [45] Ib. § 4.

statis temporibus in ecclesia ad hunc finem stipem exquirere (vulgo Kollekte abhalten, faire la quête);

b) tributum seu taxam in sua dioecesi imperare. Cui tributo, quod solebat vocari „Seminaristicum", obnoxia sunt (quavis appellatione remota et abrogato quolibet contrario privilegio) α) mensa episcopalis; β) omnia omnino beneficia; γ) omnes paroeciae aut quasi-paroeciae; δ) domus hospitales auctoritate ecclesiastica erectae; ε) sodalitates canonice erectae et fabricae ecclesiarum, si suos reditus habeant; ζ) quaelibet religiosa domus, etsi exempta, nisi solis eleemosynis vivat aut in ea collegium discentium vel docentium ad commune Ecclesiae bonum promovendum habeatur[46]. Conventus igitur ordinum mendicantium, qui non habent stabiles reditus, sunt exempti ab hoc tributo. Quantitas eius sic statuitur: Hoc tributum sit generale et eiusdem proportionis pro omnibus, ita tamen ut numquam quinas quotannis centesimas partes (5%) redituum, qui sunt vectigali obnoxii[47], excedat. Reditus tributo obnoxii sunt ii soli, qui, deductis oneribus et necessariis expensis, supersunt. Nec in istis reditibus computari debent distributiones cotidianae canonicorum vel saltem, si omnes beneficii canonicalis fructus distributionibus constant, tertia eorundem pars; nec fidelium oblationes parocho factae vel saltem tertia earundem pars, si omnes paroeciae reditus coalescunt fidelium oblationibus[48]. — Reditus legati pro clericis instituendis tribui possunt alumnis seminarii sive maioris sive minoris, licet nondum clericali tonsura initiatis, nisi aliud in tabulis fundationis expresse caveatur[49].

3. **Pro regimine morali** haec observentur:

a) *Officiales* seminarii sint rector pro disciplina, magistri pro instructione, oeconomus pro curanda re materiali; qui quidem oeconomus sit distinctus a rectore; duo saltem confessarii ordinarii et director spiritualis[50]. Omnes isti officiales non nominantur ab auctoritate civili, sed ab episcopo, audito tamen consilio deputatorum, de quo statim.

b) Seminariis dioecesanis bini constituantur coetus deputatorum: alter pro disciplina, alter pro administratione bonorum temporalium[51]. Utrumque deputatorum coetum constituunt bini sacerdotes ab episcopo, audito capitulo, electi; sed excluduntur: vicarius generalis, familiares episcopi, rector seminarii, oeconomus, confessarii ordinarii[52]. Munus deputatorum per sexennium durat, nec electi sine gravi causa amoveantur, sed rursus eligi possunt[53]. Episcopus debet consilium (non autem consensum) deputatorum exquirere in negotiis maioris momenti[54].

c) Ad munus rectoris, directoris spiritus, confessariorum, magistrorum seminarii eligantur sacerdotes non doctrina tantum, sed etiam virtutibus ac prudentia praestantes, qui verbo et exemplo alumnis prodesse possint.

[46] c. 1356.

[47] 5% vom steuerpflichtigen Einkommen, 5% des revenus imposables. Cf. *Benedictus XIII*, Const. „Creditae Nobis" d. 9 Maii 1725.

[48] c. 1356, § 2 3. [49] c. 1362. [50] c. 1358. [51] c. 1359, § 1.

[52] Ib. § 2. [53] Ib. § 3. [54] Ib. § 4.

Rectori seminarii obtemperare debent omnes in propriis seminarii muneribus implendis.

d) Praeter confessarios ordinarios alii quoque confessarii designentur, ad quos alumni libere accedere possint; quodsi ii confessarii extra seminarium degunt et alumnus aliquem eorum acciri postulat, illum rector arcessat, nullo modo petitionis rationem inquirens neque se aegre id ferre demonstrans; sin autem isti confessarii in seminario habitant, ipsos libere adire potest alumnus, salva tamen seminarii disciplina. Quando agitur de alumno ad ordines admittendo vel e seminario expellendo, numquam confessariorum votum exquiratur[55], ne oriatur vel minimum periculum laedendi sigillum sacramentale.

e) Seminarium a iurisdictione paroeciali est exemptum, ita ut rector seminarii in eo possit peragere omnia officia paroecialia exceptis duobus, sc. audire confessiones alumnorum seminarii et benedicere matrimonium alicuius famuli vel famulae seminarii[56]. Si S. Sedes aliter pro aliquo seminario statuerit, id utique observandum est.

f) Omnes locorum Ordinarii tenentur singulis trienniis relationem facere S. Congregationi de Seminariis et Studiorum Universitatibus secundum formulam ab hac Congregatione praescriptam[57].

Q. 411. *Quid sit statutum de admissione, instructione, dimissione alumnorum seminarii?*

R. 1. In seminarium ab Ordinario ne admittantur nisi filii legitimi (vel legitimati), quorum indoles et voluntas spem afferunt, eos cum fructu ecclesiasticis ministeriis perpetuo inservituros esse[58]. Antequam autem alumni recipiantur, debent exhibere documenta de legitimitate natalium, de susceptis baptismate et confirmatione ac de vita et moribus. Dimissi ex aliis seminariis vel ex aliqua religione ne admittantur, nisi prius episcopus (etiam secreto) a superioribus aliisve notitias requisierit de causa dimissionis ac de moribus, indole, ingenio dimissorum, et certo compererit, nihil in iis esse, quod sacerdotali statui minus conveniat. Quas quidem notitias veritati conformes superiores suppeditare omnino debent[59].

2. Instructio in seminario minore versetur imprimis circa religionem, deinde circa linguam latinam et patriam et generatim circa eas omnes disciplinas, quae solent tradi in gymnasiis laicalibus uniuscuiusque regionis[60]. Deinde alumni per integrum saltem biennium incumbant in philosophiam rationalem cum affinibus disciplinis; cursus autem theologicus saltem integro quadriennio contineatur; et praeter theologiam dogmaticam et moralem complecti praesertim debet studium S. Scripturae, historiae ecclesiasticae, iuris canonici, liturgiae, s. eloquentiae, cantus ecclesiastici. Habeantur etiam lectiones de theologia pastorali, additis practicis exercitationibus praesertim de ratione tradendi pueris

[55] c. 1361. [56] c. 1368.

[57] S. C. de Seminariis d. 2 Febr. 1924 (Acta Ap. Sed. XVII [1925] 547 sqq.).

[58] c. 1363, § 1. [59] Ib. § 3. [60] c. 1364.

aliisve catechismum, audiendi confessiones, visitandi infirmos, assistendi moribundis[61].

3. Magistri in seminario nominantur ab episcopo, audito consilio deputatorum, atque ii praeferantur (ceteris paribus), qui laurea doctorali potiti sunt in Universitate studiorum vel Facultate a S. Sede recognitis, aut, si agitur de religiosis, qui simile testimonium a suis superioribus maioribus habent[62]. Philosophiae rationalis ac theologiae studia professores omnino pertractent ad Angelici Doctoris S. Thomae de Aquino rationem, doctrinam et principia eaque sancte teneant[63].

4. Quantum ad alumnorum instructionem in vita *religiosa* et *sociali* haec statuta sunt[64]:

a) Alumni singulis diebus communiter recitent preces matutinas et serotinas, per aliquod tempus vacent mentali orationi, sacrificio Missae intersint.

b) Semel saltem in hebdomada ad sacramentum poenitentiae accedant et frequenter ad s. communionem.

c) Dominicis et festis diebus sacris sollemniis Missarum et Vesperarum adsint, altari inserviant sacrasque caerimonias exerceant praesertim in ecclesia cathedrali.

d) Singulis annis per aliquot dies continuos (ab episcopo determinandos) exercitiis spiritualibus vacent.

e) Semel saltem in hebdomada adsint instructioni de rebus spiritualibus, quae pia exhortatione claudatur.

f) Saepius iis verae et christianae urbanitatis leges tradantur; hortentur praeterea, ut praecepta hygienica, vestium et corporis munditiam et quandam in conversando comitatem cum modestia et gravitate coniunctam iugiter servent.

g) Quoties alumni ob quamlibet causam, e. gr. durantibus vacantiis, extra seminarium morantur, commendentur pio et idoneo sacerdoti, qui iis invigilet eosque ad pietatem informet.

5. Dimittantur e seminario dyscoli, incorrigibiles, seditiosi, ii qui ob mores atque indolem ad statum ecclesiasticum idonei non videntur; item ii qui in studiis adeo parum proficiunt, ut spes non affulgeat, eos sufficientem doctrinam assecuturos esse; praesertim autem statim dimittantur, qui forte contra bonos mores aut fidem deliquerunt[65].

TITULUS XXII.

De scholis.

Q. 412. *Quale ius habeat Ecclesia in scholas non solum elementarias, sed etiam medias et superiores?*

R. 1. Ecclesiae competit triplex ius in scholas, sc. 1) condendi scholas cuiusvis disciplinae non solum elementarias, sed etiam medias

[61] c. 1365. [62] c. 1366. [63] Ib. § 2.
[64] c. 1367 1369 1370. [65] c. 1371.

et superiores[66]; 2) procurandi religiosam institutionem iuventutis in scholis quibuslibet etiam ab auctoritate civili vel ab homine privato conditis[67] atque vigilandi, ne quidquam contra fidem aut bonos mores inibi tradatur aut fiat; 3) prohibendi, ne fideles frequentent scholas, in quibus imminet discipulis periculum fidei et morum.

Ratio primi est, quia Ecclesia est societas perfecta ac proinde ea omnia potest, quae ad eius finem assequendum sunt necessaria. Iamvero recta institutio omnimoda (i. e. in scientiis, artibus et religione) iuventutis necessaria est ad salutem spiritualem Ecclesiae. Ergo Ecclesiae competit proprium ius idque prorsus independens ab auctoritate civili condendi scholas cuiuslibet generis. Quo quidem iure Ecclesia usa est iam a saeculis. Historice enim constat, apud ecclesias paroeciales et cathedrales, apud monasteria celeberrimas scholas ab Ecclesia esse fundatas. — Ius condendi scholas non tamen est ius *exclusivum* Ecclesiae, sed competit quoque rei publicae civili, cuius magnopere interest recta institutio iuventutis in scientiis, artibus et religione.

Ratio secundi et tertii est obvia. Etenim ad Ecclesiam proprie pertinet, instruere omnes fideles adeoque iuventutem scholarem in rebus fidei et morum atque avertere ab omnibus pericula imminentia. Lugubri enim experientia cotidiana constat, iuvenes, qui frequentant pravas scholas aut qui non recipiunt sufficientem institutionem in religione et bonis moribus, in omnis generis vitia abripi. Hinc in qualibet elementaria schola pueris pro eorum aetate tradenda est institutio religiosa; in scholis vero mediis et superioribus Ordinarii locorum curent, ut per sacerdotes zelo et doctrina praestantes plenior religionis doctrina tradatur[68]. Pueri catholici scholas acatholicas, neutras, mixtas (quae nempe etiam acatholicis patent) ne frequentent. Solummodo in casu necessitatis Ordinarius loci potest tolerare, ut eae scholae celebrentur, dummodo adhibeantur debitae cautelae, ut periculum perversionis vitetur[69]. Cum Ordinarius graviter obligetur vigilare, ne in quibusvis scholis sui territorii quidquam contra fidem vel bonos mores tradatur, ei incumbit officium approbandi religionis cum magistros tum libros itemque exigendi, ut magistri vel libri a scholis removeantur, qui nocent religioni aut bonis moribus. Recta vigilantia haec est impossibilis sine visitatione scholarum. Quare Ordinarii locorum debent ipsi per se aut per alios visitare quaslibet scholas in iis, quae religionem et moralem institutionem spectant. Ab hac autem visitatione eximuntur solae scholae internae pro religiosis professis exemptis. Istae enim scholae non subduntur iurisdictioni episcopali[70]. Pariter eae, quae habent speciale privilegium.

2. Si scholares sunt alumni alicuius collegii, tunc superior talis collegii eorum confessiones ne audiat, nisi ii ex gravi et urgenti causa id in casibus particularibus petant, ut iam dictum est[71]. Sic enim vitatur

[66] c. 1375. [67] c. 1381. [68] c. 1373. [69] c. 1374.
[70] c. 1382. [71] c. 891 et 1383.

quodcumque periculum, ne superior utatur scientia ex confessione hausta ad externum regimen.

Q. 413. *Quid specialiter statutum sit de scholis, quae vocantur Universitates vel Facultates?*

R. 1. Canonica constitutio catholicae studiorum Universitatis vel Facultatis Sedi Apostolicae reservatur[72]. Cum hodie Universitates catholicae sint rarissimae, cumque in Universitatibus Status saepe tradatur doctrina irreligiosa et immoralis, valde optandum est, ut condantur Universitates catholicae, atque fideles ne omittant adiutricem operam pro viribus conferre in omnes catholicas scholas condendas et sustentandas.

2. Quaelibet Universitas vel Facultas theologica (etiam religiosis familiis quibuslibet concredita) debet habere statuta a S. Sede approbata[73]. In istis statutis ordinarie determinatur ratio studiorum, numerus professorum, condiciones adimplendae ab iis, qui volunt gradus academicos obtinere etc. Generale autem statutum pro omnibus latum iam a Pio X a. 1907. const. „Pascendi" et a S. Congregatione de Seminar. et Univ. die 29 Apr. 1927[74] confirmatum praecipit sub poena nullitatis, ut nemini laurea doctoratus in Theologia aut in Iure canonico conferatur, qui statum curriculum (biennale) in scholastica philosophia antea non elaboraverit. Nulla autem Universitas vel Facultas potest concedere gradus academicos, qui effectus canonicos in Ecclesia habent, nisi talis potestas concessa est a S. Sede[75]. Gradus academici sunt e. gr. baccalaureatus, licentiatus seu prolytatus, doctoratus.

3. Ii, qui gradum doctoratus e. gr. in theologia, philosophia, iure canonico obtinuerunt in Universitate vel Facultate catholica, gaudent diversis privilegiis, quorum tamen nonnulla nunc sunt obsoleta[76]. Privilegia principalia hodie adhuc vigentia sunt: a) Doctores possunt *extra sacras functiones* deferre biretum doctorale (cum quattuor cornibus) et anulum etiam cum gemma. b) Doctores et Licentiati sunt (ceteris paribus) aliis praeferendi in collatione quorundam officiorum et beneficiorum ecclesiasticorum[77].

4. Optandum est, ut locorum Ordinarii pro sua prudentia clericos pietate et ingenio praestantes mittant ad aliquam Universitatem aut Facultatem ab Ecclesia approbatam, ut inibi studia praesertim philosophiae, theologiae ac iuris canonici perficiant et academicos gradus consequantur[78]. Quodsi, deficiente Universitate ab Ecclesia approbata, adiri debent Universitates laicales, tunc sequentes normae observandae sunt:

[72] c. 1376, § 1. [73] Ib. § 2. [74] Acta Ap. Sed. XIX 194. [75] c. 1377.
[76] Cf. *A. Trombetta,* De iuribus et privilegiis doctorum ecclesiasticorum, Surrenti 1900.
[77] c. 1378. Pro ampliore doctrina de Universitatibus videsis *C. Robiano* O. Pr., De iure Ecclesiae in Universitatibus studiorum, et *Denifle* O. Pr., Die Universitäten des Mittelalters bis 1400.
[78] c. 1380.

a) Requiritur licentia expressa Ordinarii loci vel, si agitur de religiosis, superioris maioris. In aliquibus religionibus requiritur licentia superioris generalis.

b) Nullus ad laicas Universitates destinetur, nisi *sacerdotio* sit auctus, quique spem bonam ingerat, fore ut sua agendi ratione ecclesiastico ordini honorem tam ingenii vi ac perspicacia quam sanctitate morum adiciat, atque ut evadat postea idoneus magister ad iuventutem erudiendam.

c) Religiosi studentes debent habitare in aliqua domo religiosa, non autem laicali[79]. Tempore autem vacationum (longiorum) studentes religiosi debent redire in domum religiosam proprii Instituti ibique regularis observantiae actus cum communitate perficere atque vacare exercitiis spiritualibus.

d) Sacerdotes studentes isti minime eximuntur ab examinibus annualibus per triennium aut quinquennium subeundis ab omnibus sacerdotibus saecularibus vel religiosis; immo eadem subire vel strictius iubentur, ne, profanarum scientiarum studio abrepti, ecclesiastica studia praetereant.

e) Expletis demum in laica Universitate studiis praescriptis debent redire in propriam dioecesim vel in propriam domum religiosam. Quamobrem nemini fas erit, magisteria saecularia aliave officia pro suo libitu suscipere; quod si quis fecerit, congruis poenis, non exclusa suspensione a divinis, plectatur[80].

TITULUS XXIII.

De praevia censura librorum eorumque prohibitione.

Praenotamen. Fides et doctrina catholica propagatur et defenditur non solum praedicatione, catechesi, scholis, sed vix minore efficacia etiam libris bonis. Pravi autem libri valde nocent fidei, doctrinae catholicae et bonis moribus. Facile igitur percipitur conexio huius Tituli tractantis de libris cum praecedentibus tractantibus de divini verbi praedicatione, de scholis. Ecclesiae competere proprium ius exigendi, ne fideles edant libros nocivos, atque prohibendi eos iam editos, per se fere patet. Ecclesia enim est a Deo constituta, ut veram doctrinam doceat omnes gentes atque ut eradicet errores nefastos. Accedit quod, sicut res publica potest prohibere libros laedentes bonum commune, ita Ecclesia a fortiori potest damnare libros impugnantes fidem aut bonos mores. Quae res constanti Ecclesiae praxi confirmatur. A saeculis enim Ecclesia prohibuit pravos libros, immo specialem Congregationem Indicis instituit, cuius officium fuit invigilandi ne pravi libri nocumentum afferrent. Quae quidem Congregatio nunc suppressa est, sed eius munus demandatum est supremae Congregationi S. Officii. Non vacat hic loqui de historia sic dicti Indicis librorum prohibitorum[1]. Tota materia de praevia censura et prohibitione librorum denuo ordinata est a Leone XIII per constitutionem „Officiorum et munerum" d. 25 Ian. 1897. Nonnisi paucas mutationes attulit Codex iur. can. — Praesens Titulus dividitur in duo capita: 1. De praevia librorum censura, 2. De prohibitione librorum. Praenotatur autem: „Quae sub hoc titulo de libris praescribuntur, publicationibus diariis, periodicis et aliis editis scriptis quibuslibet applicentur, nisi aliud constet"[2].

[79] Cf. quae supra q. 220 n. 2 dicta sunt de habitatione studentium religiosorum.
[80] Cf. S. C. Consist. d. 30 Apr. 1918 (Acta Ap. Sed. X 237).
[1] Cf. *J. Hilgers,* Der Index der verbotenen Bücher, Freiburg i. Br. 1914.
[2] c. 1384, § 2.

Ergo e. gr. si licentia superioris ecclesiastici requiritur pro edendo libro, etiam pro edendo periodico requiritur eadem licentia.

CAPUT I.

De praevia librorum censura.

Q. 414. *Quid sit praevia censura librorum?*

R. 1. Solet distingui duplex censura librorum: altera praevia, altera repressiva. Censura *praevia* est examen libri edendi et consistit in eius approbatione vel reprobatione. Censura *repressiva* est prohibitio libri iam editi. Per censuram praeviam Ecclesia impedit impressionem libri nocivi; per censuram autem repressivam conatur avertere a fidelibus periculum librorum pravorum iam exsistentium.

Censura *repressiva* pravorum librorum semper in Ecclesia exstitit. Quare iam a Concilio Nicaeno I (a. 325) liber Arii „Thalia" proscriptus est. Quam proscriptionem Constantinus Magnus summo cum rigore exsecutioni mandavit. Pariter proscripti sunt libri Origenis, Pelagii, Nestorii, Manichaeorum etc. atque combusti sunt. Valde nota est damnatio libri a Guilelmo de S. Amore conscripti sub titulo: „De periculis novissimorum temporum." Quem libellum Alexander IV (a. 1256) damnavit atque sub poena excommunicationis extrudi aut intra octo dies comburi iussit. Postea multi catalogi seu indices librorum prohibitorum promulgati sunt. Nunc viget Index librorum prohibitorum iussu Leonis XIII a. 1900 editus et accurate emendatus a Thom. Esser O.P. tunc temporis secretario Congregationis Indicis.

Censura *praevia* librorum non exstitit ante inventionem artis impressoriae, cum tunc libri manuscripti non ita facile divulgarentur. Inventa autem hac arte impressoria periculum librorum pravorum valde crevit, ideoque primo ex iure particulari nonnullarum dioecesium, e. gr. Coloniensis (a. 1475), Moguntinae (a. 1486), censura praevia introducta est. Postea in Concilio Lateranensi V sess. X (a. 1515) generaliter statutum est, „quod de cetero perpetuis futuris temporibus nullus librum aliquem seu aliam quamcumque scripturam ... imprimere seu imprimi facere praesumat, nisi prius in Urbe per Vicarium nostrum et s. palatii Magistrum, in aliis vero civitatibus et dioecesibus per episcopum ... diligenter examinentur et per eorum manu propria subscriptionem sub excommunicationis sententia gratis et sine dilatione imponendam approbentur".

2. Censura praevia librorum nihil aliud est nisi iudicium competentis auctoritatis ecclesiasticae, librum posse edi sine periculo fidei et morum. Ergo si liber est hoc modo approbatus, minime inde sequitur, ut tota doctrina libri sit vera aut etiam approbata. Immo censor debet permittere editionem alicuius libri innoxii, quamvis ipse putet doctrinam libri esse falsam; non enim est iudex opinionum, sed periculi fidei et morum.

Q. 415. *Quaenam scripta indigeant praevia censura ecclesiastica?*

R. Iuxta vigentem disciplinam praevia censura ecclesiastica indigent:

1. „libri Sacrarum Scripturarum vel eorundem adnotationes et commentaria."

2. „libri, qui divinas Scripturas, s. theologiam, historiam ecclesiasticam, ius canonicum, theologiam naturalem, ethicen aliasve huiusmodi religiosas ac morales disciplinas spectant; libri ac libelli precum, devotionis vel doctrinae institutionisque religiosae, moralis, asceticae, mysticae aliique huiusmodi, quamvis ad fovendam pietatem conducere videantur; ac generaliter scripta, in quibus aliquid sit, quod religionis ac morum honestatis peculiariter intersit." Cum hoc statutum sit tam generale, vix ullus liber aut libellus, qui tractat de rebus ad religionem spectantibus, immunis est a praevia censura ecclesiastica. Novae quoque editiones vel translationes in aliud idioma alicuius libri iam antea approbati indigent nova approbatione; sed capita seorsim edita excerpta e periodicis approbatis non censentur esse novae editiones ac proinde non indigent nova approbatione[3].

3. „imagines sacrae quovis modo imprimendae (lithographia, phototypia etc.), sive preces adiunctas habeant, sive sine illis edantur." Statuae sub hac lege non comprehenduntur, probabiliter autem numismata sacra.

4. scripta, „quae ad causas beatificationum et canonizationum servorum Dei quoquo modo pertinent."[4]

5. indulgentiarum libri omnes, summaria, libelli, folia etc., in quibus earum concessiones continentur[5].

6. collectiones decretorum Romanarum Congregationum[6].

7. libri liturgici eorumque partes ac litaniae a S. Sede approbatae[7].

Nota. 1. Ante Codicem iur. can. editum multi auctores opinati sunt, diaria et periodica non venire nomine libri ac proinde non indigere censura praevia; nunc haec opinio est relinquenda, cum sit expresse statutum, ut ea, quae de libris in hac materia praescribuntur, valeant quoque de diariis, periodicis aliisque editis scriptis quibuslibet[8].

2. Non quidem praevia censura, sed praevia licentia Ordinarii loci (et insuper superioris maioris, si agitur de religiosis) indigent clerici ad edendos quoscumque libros etiam profanos et ad scribendum in diariis, foliis vel libellis periodicis[9]. Sufficit autem, ut haec licentia concedatur semel pro semper, ac proinde si clericus vult scribere articulos in aliquo diario vel periodico, sufficit ut semel petat licentiam ab episcopo et, si est religiosus, insuper a suo superiore maiore.

Q. 416. *A quonam debeat obtineri approbatio librorum vel scriptorum edendorum?*

R. 1. Licentiam edendi libros vel imagines, de quibus quaest. praec. n. 1—3 sermo fuit, dare potest vel a) loci Ordinarius pro-

[3] c. 1392. [4] c. 1387. [5] c. 1388, § 1. [6] c. 1389.
[7] c. 1390. [8] c. 1384, § 2. [9] c. 1386.

prius auctoris, vel b) Ordinarius loci, in quo libri vel imagines publici iuris fiunt, vel c) Ordinarius loci, in quo imprimuntur, ita tamen ut, si quis ex iis Ordinariis licentiam denegavit, eam ab alio Ordinario petere auctor nequeat, nisi eundem certiorem fecerit de denegata ab alio licentia [10]. Haec ordinatio aliqualiter mutat disciplinam hodieque vigentem, quae statuit, ut licentia obtinenda esset ab Ordinario loci, ubi opus publici iuris fiebat, seu ubi editor (vulgo Verleger) exsistebat. Nunc autem non solum iste Ordinarius loci, sed etiam Ordinarius auctoris et Ordinarius loci impressionis licentiam edendi concedere valent. Cardinalis Urbis vicarius et Magister s. palatii approbare debuerunt opera auctoris Romae degentis, etiamsi librum alibi imprimere vellet, sed praeter hanc alia approbatio non requirebatur, etsi opus alibi extra Urbem edebatur. Codex iur. can. silet de hac lege particulari, quae proinde videtur esse abolita. — Licentia, qua Ordinarius potestatem edendi facit, *in scriptis* concedatur, in principio aut in fine libri, folii vel imaginis imprimenda, idque expresso nomine concedentis, loco et tempore concessionis [11]. Si vero licentia deneganda videatur, roganti auctori rationes indicentur, nisi gravis causa aliud exigat [12]. — Religiosi edentes quemcumque librum vel scriptum vel imaginem semper debent consequi licentiam proprii superioris maioris, ut supra dictum est [13], neque sufficit sola licentia Ordinarii loci, etiamsi imprimitur suppresso auctoris nomine [14].

2. Scripta, de quibus quaest. praec. n. 4 sermo fuit, nequeunt edi sine praevia licentia S. Congregationis Rituum [15]. Collectiones vero decretorum, de quibus ibi n. 6 dictum est, nequeunt rursus edi nisi prius impetrata licentia et servatis condicionibus a moderatoribus uniuscuiusque Congregationis Romanae praescriptis [16].

3. Requiritur expressa licentia S. Sedis, ut typis edere liceat (quovis idiomate) cum collectionem authenticam precum piorumque operum, quibus S. Sedes indulgentias annexuit, tum elenchum indulgentiarum apostolicarum, tum summarium indulgentiarum vel antea collectum, *sed numquam approbatum*, vel nunc primum ex diversis concessionibus colligendum [17]. Pariter requiritur licentia S. Sedis ad edendas versiones S. Scripturarum in linguam vernaculam *sine commentario* [18]. Sufficit licentia episcopi, si tales versiones publici iuris fiant cum adnotationibus excerptis ex ss. Patribus atque ex doctis catholicis scriptoribus [19].

4. Antequam concedatur approbatio alicuius operis supradicti, illud debet prius examinari a competenti censore. Proinde in qualibet curia episcopali (et in qualibet religione exempta) adsint censores seu examinatores ex officio, qui in suo obeundo munere, omni personarum acceptione deposita, tantummodo prae oculis habeant Ecclesiae dogmata et communem catholicorum doctrinam, quae Conciliorum generalium decretis aut Sedis Apostolicae constitutionibus seu praescriptionibus atque probatorum doctorum consensu continetur. Censores dioecesani ex clero cum saeculari tum regulari eligantur, aetate, eruditione, prudentia commendati, qui in doctrinis probandis improbandisque medio tutoque itinere eant, i. e. qui sint neque nimis severi neque nimis laxi. Censor sententiam scripto dare debet; quae si faverit, Ordinarius potestatem edendi faciat. Tam sententia censoris inscripto eius nomine quam approbatio Ordinarii ordinarie imprimatur in principio vel in fine operis. Extraordinariis autem in adiunctis ac perquam raro, prudenti Ordinarii arbitrio, censoris mentio omitti poterit. Auctoribus librorum vel scriptorum censoris nomen pateat numquam, antequam hic faventem sententiam ediderit [20]. Ratio huius ultimi statuti est obvia, cum censor sic non debeat timere auctoris iram aut vindictam.

[10] c. 1385, § 2. [11] c. 1394, § 1. [12] Ib. § 2. [13] c. 1385, § 3.
[14] S. C. de Rel. d. 2 Iun. 1911 (Acta Ap. Sed. III 270).
[15] c. 1387. [16] c. 1389. [17] c. 1388, § 2. [18] c. 1391.
[19] Ib. et Pontif. Com. d. 20 Maii 1923 (Acta Ap. Sed. XVI 115).

CAPUT II.
De prohibitione librorum.

Q. 417. *Quid sit prohibitio librorum?*

R. 1. Triplex potest distingui prohibitio librorum: a) ex lege naturali; b) ex lege ecclesiastica simpliciter prohibente; c) ex lege ecclesiastica prohibente sub censura vel aliis poenis ecclesiasticis.

Ex lege naturali prohibetur lectio cuiuslibet libri, quae causat proximum periculum spirituale. Licentia a quovis obtenta nullo modo eximit ab hac prohibitione legis naturalis [21]. Cum ex pravis libris soleat valde grave periculum spirituale imminere fidelibus, Ordinarii aliique curam animarum habentes debent opportune admonere subditos [22]. Gravitas peccati, quod legens librum lege naturali prohibitum committit, non a qualitate vel quantitate libri, sed ex solo periculo spirituali pensanda est. Si hoc periculum est proximum et grave, grave quoque peccatum committitur a legente vel retinente; sin autem est remotum vel leve, leve vel nullum quoque peccatum enascitur ex lectione vel retentione libri. Hinc patet, unum idemque librum posse pro uno esse graviter prohibitum ex lege naturali, pro alio autem non; prout tale proximum periculum spirituale exsistit vel non.

Ex lege ecclesiastica *simpliciter prohibente* complures libri prohibentur, et quidem non solum ii, qui inveniuntur in Indice librorum prohibitorum, sed etiam multi alii, de quibus infra q. 419 sermo erit.

Ex lege ecclesiastica *sub censura prohibente* interdicuntur tres classes librorum, sc. in excommunicationem S. Sedi speciali modo reservatam ipso facto incurrunt edentes, defendentes, scienter sine debita licentia legentes vel retinentes: a) libros apostatarum, haereticorum et schismaticorum, qui apostasiam, haeresim, schisma propugnant [23]; b) libros per

[20] c. 1393. [21] c. 1405, § 1. [22] Ib. § 2.
[23] Ex spiritu atque fine legis videtur sequi, ut sufficiat (praeter communiter requisita) ad hanc censuram incurrendam, ut liber revera propugnet haeresim etc. Secus enim nullus liber auctoris anonymi, quantumvis haeresim pertinaciter propugnet, esset sub censura prohibitus; quod videtur esse absonum.

apostolicas litteras nominatim prohibitos; haec poena non incurritur, si liber non per apostolicas litteras (e. gr. per Breve), sed per decretum alicuius Congregationis Romanae prohibitus est; c) auctores et editores, qui sine debita licentia S. Scripturarum libros vel earum adnotationes aut commentarios imprimenda curant, incidunt ipso facto in excommunicationem nemini reservatam[24].

2. Prohibitio librorum includit sex actiones[25], ita ut sine debita licentia liber prohibitus nequeat:

a) *edi* vel iterum edi (nisi factis correctionibus et obtenta approbatione legitima). Sub nomine editoris veniunt imprimis auctor libri, deinde typographus et demum editor (vulgo Verleger), qui opus impressum divulgandum curat.

b) *legi*. Legere autem dicitur is, qui propriis oculis librum perlustrat et intelligit. Quare non censetur legere, qui audit legentem aut qui legit quidem, sed in idiomate sibi ignoto.

c) *retineri*. Retinere librum dicitur is, qui librum apud se servat aut, retento dominio, apud alium non habentem facultatem retinendi libros prohibitos deponit. Custos bibliothecae publicae vel alienae non censetur retinere libros; pariter compactor (vulgo Buchbinder, relieur) librorum alienorum.

d) *vendi*. De venditoribus librorum statuitur: „Librorum venditores libros de obscoenis ex professo tractantes ne vendant, commodent, retineant; ceteros prohibitos venales ne habeant, nisi debitam licentiam a Sede Apostolica impetraverint, neve cuiquam vendant, nisi prudenter existimare possint ab emptore legitime peti."[26]

e) *in aliam linguam verti*.

f) *cum aliis communicari*, nisi tamen isti alii habeant debitam licentiam legendi libros prohibitos.

Q. 418. *Cuinam competat ius prohibendi libros?*

R. 1. Ius et officium prohibendi ex iusta causa libros competit:

a) *S. Sedi*, quae solet libros prohibere per S. Officii decreta, rarissime autem per litteras apostolicas. Libri a S. Sede damnati ubique locorum, et in quodcumque idioma vertuntur, prohibiti censentur[27].

b) *Conciliis particularibus* et *locorum Ordinariis* pro suis subditis. Ab hac prohibitione datur ad S. Sedem recursus, non autem in suspensivo[28]. Locorum Ordinarii per se aut, ubi opus fuerit, per sacerdotes idoneos vigilent in libros, qui in proprio territorio eduntur aut venales prostant. Attamen libros, qui subtilius examen exigunt vel de quibus ad salutarem effectum consequendum supremae auctoritatis sententia requiri videtur, ad Apostolicae Sedis iudicium Ordinarii deferant[29]. Religiosi exempti, quippe qui non sint Ordinario loci subditi, non ligantur prohibitione libri ab Ordinario facta.

[24] c. 2318. [25] c. 1398. [26] c. 1404. [27] 1396.
[28] c. 1395, § 2. [29] c. 1397, § 4 5.

c) *Abbati monasterii sui iuris* et *supremo religionis clericalis exemptae moderatori* cum suo capitulo vel consilio pro subditis; immo, si periculum est in mora, idem ius competit aliis superioribus maioribus cum proprio consilio, ea tamen lege, ut rem quantocius deferant ad supremum moderatorem[30].

2. Ut ii, quibus ius est et officium libros pravos prohibendi, valeant facilius hoc munus implere, monentur omnes fideles, maxime autem clerici atque Rectores Universitatum catholicarum, ut libros, quos perniciosos iudicaverint, denuntient competenti auctoritati. In hac denuntiatione expedit, ut non solum libri inscriptio indicetur, sed etiam, quantum fieri potest, causae exponantur, cur liber prohibendus existimetur. Ii autem, ad quos denuntiatio defertur, debent omnino denuntiantium nomina secreta servare[31].

Q. 419. *Quinam libri ipso iure prohibeantur?*

R. Ipso iure prohibentur:

1. Editiones textus originalis et antiquarum versionum catholicarum S. Scripturae (etiam Ecclesiae Orientalis) *ab acatholicis* quibuslibet publicatae; itemque eiusdem versiones in quamvis linguam ab iisdem confectae vel editae. Attamen ii, qui studiis theologicis vel biblicis quovis modo operam dant, possunt uti huiusmodi editionibus, dummodo eaedem fideliter et integre sint confectae, neque impugnentur in earum prolegomenis aut adnotationibus dogmata catholicae fidei[32].

2. Libri quorumvis scriptorum haeresim vel schisma propugnantes aut ipsa religionis fundamenta quoquo modo evertere nitentes[33].

3. Libri, qui religionem aut bonos mores *data opera* impetunt, e. gr. libri propugnantes Malthusianismum[34].

4. Libri quorumvis acatholicorum, qui ex professo de religione tractant, nisi constet nihil in iis contra fidem catholicam contineri[35].

5. Libri S. Scripturarum vel eorundem adnotationes et commentaria; item versiones S. Scripturarum in linguam vernaculam non legitime approbatae (non autem libri theologici vel religiosi legitime non approbati); item libri ac libelli, qui novas apparitiones, revelationes, visiones, prophetias, miracula enarrant, vel qui novas inducunt devotiones, etiam sub praetextu quod sint privatae, si editi fuerint non servatis canonum praescriptionibus[36].

6. Libri, qui quodlibet ex catholicis dogmatibus impugnant vel derident. Insuper prohibentur libri, qui errores ab Apostolica Sede proscriptos tuentur, qui cultui divino detrahunt, qui disciplinam ecclesiasticam evertere contendunt et qui data opera ecclesiasticam hierarchiam aut statum clericalem vel religiosum probris afficiunt[37].

7. Libri, qui cuiusvis generis superstitionem, sortilegia, divinationem, magiam, evocationem spirituum aliaque id genus docent vel commendant[38].

[30] c. 1395, § 3. [31] c. 1397, § 1 2 3. [32] c. 1400. [33] c. 1399, n. 2.
[34] Ib. n. 3. [35] Ib. n. 4. [36] Ib. n. 5. [37] Ib. n. 6. [38] Ib. n. 7.

8. Libri, qui duellum vel suicidium vel divortium licita statuunt; qui, de sectis massonicis vel aliis eiusdem generis societatibus agentes, eas utiles et non perniciosas Ecclesiae et civili societati esse contendunt[39].

9. Libri, qui res lascivas seu obscoenas ex professo tractant, narrant aut docent[40].

10. Editiones librorum liturgicorum a Sede Apostolica approbatorum, in quibus quidpiam immutatum fuerit, ita ut cum authenticis editionibus a S. Sede approbatis non congruant[41].

11. Libri, quibus divulgantur indulgentiae apocryphae vel a S. Sede proscriptae aut revocatae[42].

12. Imagines quoquo modo impressae D. N. Iesu Christi, B. Mariae Virginis, angelorum atque sanctorum vel aliorum servorum Dei ab Ecclesiae sensu et decretis alienae. Ad iudicandum, quales imagines sint hoc modo prohibitae, imprimis oportet attendere ad regulas statutas a Benedicto XIV[43].

Nota. Cum Codex iur. can. prorsus sileat de Indice librorum prohibitorum, liber in istum Indicem antea relatus iam non aliunde videtur prohibitus, nisi quia cadit sub una ex classibus supra indicatis. Hinc tamen nondum licet concludere Indicem librorum prohibitorum nunc esse prorsus abolitum. Etenim etiam post Codicem Summi Pontifices novas easque recognitas editiones Indicis procurare iusserunt. Profecto autem censentur prohibiti omnes libri, qui in istis novis editionibus continentur.

Q. 420. *Quis possit concedere facultatem legendi et retinendi librum prohibitum?*

R. 1. Si quis liber pro aliquo determinato homine est prohibitus ex ipsa lege *naturali*, nemo potest concedere facultatem legendi aut retinendi istum librum, cum nemo possit concedere facultatem peccandi, ut patet. Attamen periculum peccandi ortum ex tali libro potest aliis mediis vitari, e. gr. oratione, firma voluntate utendi hoc libro solummodo pro fine honesto et necessario. *Quibus praestitis, liber iam* non est prohibitus lege naturali.

[39] c. 1399, n. 8.

[40] Ib. n. 9. In Codice omittuntur ea quae statuit Leonis XIII Constitutio „Officiorum ac munerum" n. 10: „Libri auctorum sive antiquorum sive recentiorum, quos classicos vocant, si hac ipsa turpitudinis labe infecti sunt, propter sermonis elegantiam et proprietatem iis tantum permittuntur, quos officii aut magisterii ratio excusat." Num haec permissio a Leone XIII concessa nunc per Codicem non solum sit omissa sed etiam revocata, scriptores non concordant. Cum autem spiritus novi Codicis — si fas est ita loqui — in hac re non videatur esse, ut restringantur permissiones olim concessae, cumque revocatio sit dubia, in praxi non videntur inquietandi ii, qui ratione magisterii vel officii legunt huiusmodi classicos, dummodo adsit recta intentio atque desit proximum periculum perversionis.

[41] c. 1399, n. 10. [42] Ib. n. 11.

[43] Const. „Sollicitudini" d. 1 Oct. 1745.

2. Ex ipso iure positivo non adstringuntur *ecclesiastica prohibitione* librorum (necessariis adhibitis cautelis) Cardinales, omnes episcopi etiam titulares, omnes alii Ordinarii, e. gr. superiores maiores in religionibus clericalibus exemptis, Vicarii generales etc.[44] Ergo omnes isti possunt legere et retinere libros iure ecclesiastico prohibitos.

3. Ordinarii licentiam ad libros quod attinet ipso iure vel decreto S. Sedis prohibitos concedere suis subditis valent, sed dumtaxat pro singulis libris et in casibus urgentibus[45]. Quodsi Ordinarii *generalem* a S. Sede facultatem impetraverint suis subditis permittendi ut libros proscriptos retineant ac legant, eam nonnisi cum delectu et ex iusta et rationabili causa concedant[46].

4. S. Officium ordinarie concedit facultatem legendi et retinendi libros proscriptos pro universo Orbe. Qui autem talem facultatem obtinuit, tenetur sub gravi caute custodire libros prohibitos, ne perveniant in manus aliorum. Praeterea nequit ipse legere aut retinere libros a suo Ordinario proscriptos, nisi in apostolico indulto expressa eidem facta fuerit potestas legendi et retinendi libros a *quibuslibet* damnatos[47].

Nota. Qui gaudet *generali* potestate permittendi ut subditi possint legere et retinere libros prohibitos, potest suis subditis id permittere in universo Orbe. Pariter is, qui illimitate obtinuit facultatem legendi aut retinendi libros prohibitos, censetur habere privilegium *personale*, quod ipsum sequitur ubique.

TITULUS XXIV.

De fidei professione.

Q. 421. *Quinam teneantur emittere professionem fidei?*

R. Fidei professio, i. e. externa manifestatio fidei internae, praecipitur a iure tam divino quam ecclesiastico. Utrumque praeceptum est positivum ac proinde non obligat semper et pro semper, sed aliquando. Praeceptum *divinum* obligat fideles, ut tunc aperte fidem profiteantur, quando eorum silentium, tergiversatio aut ratio agendi secum ferrent implicitam fidei negationem, contemptum religionis, iniuriam Dei vel scandalum proximi[48]. Praecepto autem *ecclesiastico* profitendi fidem secundum formulam a S. Sede approbatam obligantur:

1. Baptizandi; qui si sint infantes, eorum loco patrini emittunt professionem fidei per recitationem Symboli Apostolici.

2. Omnes, qui ex haeresi aut schismate redeunt in gremium Ecclesiae catholicae.

3. Omnes, qui cum voto (seu consultivo seu deliberativo) intersunt Concilio oecumenico aut particulari aut synodo dioecesanae. Debent

[44] c. 1401. [45] c. 1402, § 1. [46] Ib. § 2. [47] c. 1403.

[48] c. 1325. Cf. nostrum Man. theol. mor. I 504 sqq.

isti professionem fidei emittere coram talis coetus praeside vel eius delegato; praeses autem ipse coram eodem concilio vel synodo[49].

4. Promoti ad Cardinalatum, coram s. Collegii Decano, Cardinalibus primis in ordine presbyterorum et diaconorum et S. R. E. Camerario[50].

5. Promoti ad episcopatum (etiam titularem), ad regimen abbatiae vel praelaturae nullius, vicariatus apostolici, praefecturae apostolicae, coram delegato ab Apostolica Sede[51].

6. Vicarius capitularis, coram capitulo cathedrali[52].

7. Promoti ad canonicatum vel ad dignitatem in capitulo, coram loci Ordinario eiusve delegato et capitulo[53].

8. Assumpti ad officium consultoris dioecesani, coram loci Ordinario eiusve delegato et coram aliis consultoribus congregatis[54].

9. Vicarius generalis, parochi, omnes beneficiarii curati, rector, professores cum theologiae tum philosophiae tum iuris canonici in seminariis (idque initio cuiuslibet anni scholaris vel saltem initio suscepti muneris), omnes promovendi ad ordinem subdiaconatus, librorum censores in curiis episcopalibus, sacerdotes recipientes facultatem concionandi vel audiendi confessiones. Omnes isti debent fidei professionem emittere coram loci Ordinario eiusve delegato[55].

10. Rector Universitatis vel Facultatis, coram Ordinario, i. e. coram Ordinario loci (vel coram suo superiore religioso, si ipse est religiosus) eorumve delegato. Omnes autem professores in Universitate vel Facultate canonice erecta initio cuiusque anni scholastici vel saltem initio suscepti muneris coram rectore Universitatis vel Facultatis eiusve delegato. Item qui post examen gradibus academicis donantur, coram rectore eiusve delegato[56].

11. Superior religiosus in religionibus et societatibus clericalibus, coram capitulo vel superiore, qui eum nominavit[57].

Nota. 1. Qui, priore dimisso, aliud officium vel beneficium aut dignitatem etiam eiusdem speciei consequitur, rursus debet fidei professionem emittere[58]. Quare e. gr. parochus, qui ab una paroecia in aliam transfertur, debet iterum professionem fidei emittere.

2. Obligationi fidei professionem emittendi non satisfacit is, qui eam per procuratorem vel coram laico emittit[59].

[49] c. 1406, § 1, n. 1. [50] Ib. n. 2. [51] Ib. n. 3. [52] Ib. n. 4.
[53] Ib. n. 5. [54] Ib. n. 6.
[55] c. 1406, § 1, n. 7. Qui emisit fidei professionem ante subdiaconatum, non tenetur eandem emittere ante diaconatum vel presbyteratum, nisi Ordinarius aliter iudicaverit. Pariter confessarius, qui ante inceptum munus fidei professionem emisit, non tenetur eam repetere, si in alia dioecesi recipit facultatem audiendi confessiones. S. C. Consist. d. 24 Mart. 1911 et d. 20 Iun. 1913 (Acta Ap. Sed. III 182; V 273).
[56] c. 1406, § 1, n. 8.
[57] Ib. n. 9, et Pontif. Com. d. 25 Iul. 1926 (Acta Ap. Sed. XVIII 393).
[58] c. 1406, § 2. [59] c. 1407.

3. Poenae latae contra eos, qui sine iusto impedimento debitam fidei professionem emittere negligunt, sunt *post congruam monitionem spretam:* a) amissio fructuum beneficii, officii, dignitatis, muneris. Quae quidem amissio fructuum statim obtinet, ac proinde e. gr. parochus, qui monitus non emisit professionem fidei, debet restituere fructus perceptos eodem modo, ac si omisisset recitationem officii divini; b) privatio ipsius officii, beneficii, dignitatis, muneris[60].

4. Reprobatur quaelibet consuetudo forte alicubi exsistens contra emissionem professionis fidei[61].

5. Illi, qui sub n^is 6, 7, 8, 9, 11 enumerantur, tenentur fidei professioni adiungere iusiurandum antimodernisticum[62].

PARS V.

De beneficiis aliisque institutis ecclesiasticis non collegialibus.

Connexio materiae. In quattuor praecedentibus partibus huius libri sermo fuit de rebus *spiritualibus;* in hac autem et in sequenti parte tractabitur de rebus *temporalibus.* In beneficio ecclesiastico habetur quoque pars spiritualis, sc. officium ecclesiasticum, sed de officiis ecclesiasticis iam fuit sermo libr. II, tit. IV; hic autem supponuntur ea, quae ibi dicta sunt, et potius agitur de parte materiali beneficiorum.

De historia rei beneficiariae scripserunt complures auctores, e. gr. *Thomassinus*[1], *Leurenius*[2], *Stutz*[3]. Ex ipsa natura rei clerici altari deservientes habent ius ad congruam sustentationem ex reditibus ecclesiasticis. Primis saeculis reditus ecclesiastici ut plurimum constabant spontaneis oblationibus fidelium, quae in tres vel quattuor partes solebant distribui: pro episcopo et clero, pro ecclesia et cultu, pro pauperibus. Multiplicato clero et fundatis ecclesiis ruralibus, iam saeculo sexto usuvenit, ut clericis deservientibus ecclesiis ruralibus quidam agri per modum precarii pro usufructu concessi sint. Symmachus Papa (a. 513) permisit, ut clericis iure usufructuario bona ecclesiae concederentur[4]. A saeculo IX huiusmodi feudi vocabantur beneficia ecclesiastica. Apud latinos scriptores profanos beneficium iam multo ante significabat praedium fiscale, quod ducibus ac militibus bene de re publica meritis concedebatur ab imperatore, ut ex eo perciperent necessaria ad vitam[5]. Milites, qui talia praedia ex principis elargitione possidebant, beneficiarii vocabantur. Quem morem videtur Ecclesia imitata esse concedendo clericis praesertim ruri degentibus praedia, ex quibus victum percipere

[60] c. 2403. [61] c. 1408.
[62] Motu proprio „Sacrorum antistitum" d. 1 Sept. 1910; S. Off. d. 22 Mart. 1918.
[1] Ancienne et nouvelle discipline de l'Église touchant les Bénéfices et les Bénéficiers.
[2] Forum beneficiale.
[3] Geschichte des kirchl. Benefizialwesens von seinen Anfängen bis auf die Zeit Alexanders III. (Berlin 1895).
[4] c. 61, C. 16, q. 1. Cf. *S. Berardi,* Gratiani canones genuini ... II 464.
[5] Cf. *Du Cange,* Gloss. med. et infim. lat. s. v. Beneficium.

possent. Adhuc tempore Innocentii III verbum beneficii non videtur habuisse sensum hodie usitatum; nam c. 6, X, 3, 24 donatio vocatur beneficium: „In contractibus plena, in testamentis plenior, in beneficiis quoque plenissima est interpretatio adhibenda." Alexander II scripsit a. 1068: „Constituimus itaque..., ut nullus deinceps episcoporum beneficium ecclesiae, quod quidam canonicam (canoniam?) vel praebendas seu etiam ordines vocant, pro aliquo pretio vel munere clericis audeat umquam conferre."[6] Ergo Alexander II vocavit beneficium promiscue canoniam, ordinem, beneficium. Talem modum ambiguum loquendi invenimus quoque posterioribus temporibus. Quae quidem ambiguitas videtur inde provenire, quia ab aliis magis indicatur pars spiritualis beneficii, sc. officium sacrum, ab aliis autem pars materialis, sc. praebenda. In novo Codice iur. can. haec ambiguitas prorsus sublata est.

TITULUS XXV.

De beneficiis ecclesiasticis.

Q. 422. *Quid sit beneficium ecclesiasticum?*

R. „Beneficium ecclesiasticum est ens iuridicum a competenti auctoritate ecclesiastica in perpetuum constitutum seu erectum, constans officio sacro et iure percipiendi reditus ex dote officio adnexos."[7]

Explicatur. Dicitur 1°: *ens iuridicum,* i. e. persona iuridica non collegialis. Omnia enim beneficia ecclesiastica habent iura personae iuridicae non collegialis[8], ac proinde possunt e. gr. acquirere bona materialia.

Dicitur 2°: *a competenti auctoritate ecclesiastica in perpetuum constitutum.* Competens auctoritas ecclesiastica est Summus Pontifex et pro nonnullis beneficiis Ordinarius loci. Nulla autem potestas civilis valet constituere beneficia ecclesiastica; potest quidem facere pias fundationes, sed istae non sunt beneficia ecclesiastica, nisi a competenti auctoritate ecclesiastica erigantur ut talia. Ratio est, quia beneficium supponit officium sacrum. Iamvero potestas civilis nequit constituere officium sacrum. — Tum requiritur, ut beneficium sit *in perpetuum constitutum.* Duplex autem solet distingui perpetuitas hac in re: altera *essentialis* seu *obiectiva* (perpetuitas iuris), quae est perpetua fundatio ipsius muneris spiritualis; altera *subiectiva* (ordinaria, normalis), quae efficit, ut clericus fruatur, quoad vixerit, beneficio obtento. Collatio talis beneficii vocatur *intitulatio,* et clericus sic intitulatus nequit amoveri nisi ex causis in iure indicatis. Perpetuitas *obiectiva* est de essentia cuiuslibet beneficii ecclesiastici; hinc fundatio temporaria e. gr. per quinque annos celebrandi Missam in aliquo altari non est beneficium ecclesiasticum. Econtra perpetuitas *subiectiva* non requiritur ad essentiam beneficii. Quare beneficia manualia seu temporaria sunt vera beneficia, et parochus amovibilis obtinet verum beneficium paroeciale.

Dicitur 3°: *constans officio sacro et iure percipiendi reditus ex dote officio adnexos.* Officium sacrum est fundamentum beneficii. Hinc illud adagium: Beneficium propter officium[9]. Quare nemo potest obtinere beneficium ecclesiasticum, qui non exercet officium sacrum clericis reservatum. Ex quo sequitur, quod officium aeditui, sacristani, fossoris etc. minime est beneficium, quamvis isti mercedem accipiant ex reditibus ecclesiasticis. Ius percipiendi

[6] c. 9, C. 1, q. 3. [7] c. 1409. [8] c. 99. [9] Cf. c. 15 in VI° 1, 3.

reditus ex dote officio adnexos reddit beneficiarium quidem usufructuarium, sed non proprietarium beneficii. Dos beneficii solet quoque vocari *praebenda* seu peculium beneficiale. Ad peculium autem beneficiale pertinent[10]:

a) bona, quorum proprietas est penes ipsum beneficium, e. gr. reditus agrorum, silvarum etc.;

b) certae et debitae praestationes alicuius familiae vel personae moralis. Quare salaria, quae solvit in nonnullis regionibus gubernium civile parochis, censentur esse peculium beneficiale[11];

c) certae et voluntariae fidelium oblationes, quae ad beneficii rectorem spectant; e. gr. illud, quod vocatur vulgo Kirchensteuer, denier du culte, oblationes fidelium die Paschatis factae in America septentrionali;

d) iura stolae, taxata a lege dioecesana vel a consuetudine atque oblata rectori beneficii pro peractis functionibus ecclesiasticis;

e) chorales distributiones, exclusa tamen tertia parte earundem, si omnes reditus beneficii choralibus distributionibus constant.

Q. 423. *Quaenam sint principales distinctiones beneficiorum ecclesiasticorum?*

R. Beneficia ecclesiastica dicuntur:

1. *Consistorialia* vel *non-consistorialia,* prout in consistorio solent conferri, e. gr. cardinalatus, episcopatus, vel extra illud, e. gr. paroeciae. Nisi aliud clare apparet, ea, quae infra dicuntur de requisitis ad constitutionem, unionem etc. beneficiorum, intelligi debent de beneficiis non-consistorialibus.

2. „*Saecularia* vel *religiosa,* prout ad solos clericos saeculares vel ad solos clericos religiosos spectant. Omnia autem beneficia, erecta extra ecclesias vel domus religiosorum, in dubio saecularia esse praesumuntur."[12]

3. „*Duplicia* seu *residentialia* et *simplicia* seu *non-residentialia,* prout praeter officium beneficiale adnexam habent vel minus, obligationem residendi."[13] — Antiquis temporibus beneficia duplicia et simplicia in alio quoque sensu sumebantur; ideoque si quis legit veteres auctores, attendere debet ad sensum verbis substratum.

4. „*Manualia, temporaria* seu *amovibilia,* vel *perpetua* seu *inamovibilia,* prout conferuntur revocabiliter vel in perpetuum."[14]

5. „*Curata* vel *non-curata,* prout curam animarum adnexam habent vel non."[15]

Beneficia curata sunt praesertim episcopatus residentiales et paroeciae; beneficia non-curata sunt simplices canonicatus.

Praeter ista beneficia antiquitus usuveniebant nonnulla alia, e. gr. beneficia maiora et minora. Beneficia maiora vocabantur „apices dignitatum". Beneficia patrimonialia et non-patrimonialia; beneficia collativa, electiva, patronata etc.

Scholion. *De nonnullis institutis, quae similia sunt beneficiis.* Licet aliquam cum beneficiis similitudinem prae se ferant, in iure tamen beneficii nomine non veniunt:

[10] c. 1410. [11] S. Poenit. d. 19 Ian. 1819. [12] c. 1411, n. 2.
[13] Ib. n. 3. [14] Ib. n. 4. [15] Ib. n. 5.

1. *Vicariae* paroeciales non in perpetuum erectae. Aliud est, si talis vicaria in perpetuum erigeretur et cetera requisita ad beneficium adessent.

2. Capellaniae *laicales*, quae sc. erectae non sunt a competenti auctoritate ecclesiastica. Capellaniae laicales aut mercenariae sunt piae fundationes, e. gr. ad dicendas Missas, ad orphanos educandos etc., quae subiacent vigilantiae et iurisdictioni episcopi, non autem (per se saltem) iurisdictioni parochi. Quare e. gr. capellanus potest independenter a parocho Missam sollemnem aliasque functiones non-paroeciales in sua capella celebrare[16].

3. *Coadiutoriae* cum vel sine futura successione, cum iis desit perpetuitas obiectiva. Coadiutores aliquando dantur episcopis vel parochis aegrotis, ut supra dictum est.

4. *Pensiones personales*, quae sunt ius percipiendi portionem aliquam fructuum ex beneficio alieno, alicui iusta de causa sive ad tempus sive ad vitam concessum. Antiquis temporibus exsistebant multae pensiones, quae gravabant beneficia. Hodie autem non solent exsistere nisi pensiones, quae parochis vel episcopis ab officio recedentibus solvuntur a nonnullis fundationibus vel etiam a beneficio relicto.

5. *Commenda temporaria*, i. e. concessio redituum alicuius ecclesiae aut monasterii alicui facta ita ut, eo deficiente, iidem reditus ad ecclesiam vel monasterium revertantur[17].

6. *Praestimonium*, quod ex bonis ecclesiasticis conceditur iuvenibus ad studia peragenda et aliquando vocatur bursa studiorum.

CAPUT I.

De constitutione seu erectione beneficiorum.

Q. 424. *Quaenam requirantur ad legitimam erectionem beneficii ecclesiastici?*

R. Ad legitimam erectionem beneficii ecclesiastici requiruntur: 1. competens auctoritas; 2. dos sufficiens; 3. convocatio eorum, quorum interest; 4. instrumentum legaliter validum.

1. *Competens auctoritas* erigendi beneficia ecclesiastica est praeter S. Sedem (quae sola potest erigere beneficia consistorialia et dignitates in capitulo) Ordinarius loci in suo territorio. Attamen Vicarius generalis nequit beneficia erigere nisi ex peculiari mandato. Etiam Cardinalis in proprio titulo vel diaconia potest beneficia non curata erigere, nisi ecclesia sit religionis clericalis exemptae[18].

2. *Dos sufficiens et stabilis* omnino requiritur ad erectionem beneficii. Si dos in numerata pecunia constituitur, Ordinarius, audito dioecesano administrationis consilio, curare debet, ut quamprimum collocetur in tutis et frugiferis fundis vel nominibus. Non prohibetur tamen, ubi congrua dos constitui nequit, paroecias aut quasi-paroecias erigere, si episcopus prudenter praevidet ea, quae necessaria sunt, aliunde non esse defutura[19]. Aliquando enim fundatio novae paroeciae vel quasi-

[16] c. 482. S. R. C. d. 29 Mart. 1862. Cf. Acta Ap. Sed. II 864 et XIII 513.
[17] c. 1412. [18] c. 1414.
[19] c. 1415. In erectione quasi-paroeciae observanda est Instructio S. C. Propag. Fidei data d. 25 Iulii 1920.

paroeciae ita necessaria est pro salute animarum, ut apices iuris praetermittere liceat. Si quis in limine fundationis beneficii elargitur dotem beneficii sub condicionibus appositis, quae sunt quidem iuri communi contrariae sed ceteroquin honestae et naturae beneficii non repugnantes, tunc Ordinarius eas acceptare potest. Condiciones semel admissae supprimi aut immutari ab Ordinario loci valide nequeunt, nisi agatur de mutationibus Ecclesiae favorabilibus et accedat consensus ipsius fundatoris, vel si agatur de iure patronatus, patroni[20].

3. Ante erectionem beneficii vocentur et audiantur, si qui sint, *ii, quorum interest*[21]. Quare e. gr. si novus canonicatus est fundandus, prius audiendi sunt canonici huius ecclesiae. Ordinarius autem loci non tenetur desistere a fundatione novi beneficii, quamvis nonnulli, quorum interest, contradicant.

4. Erectio beneficiorum fiat *per instrumentum legaliter validum*, in quo definiatur locus, ubi beneficium erectum est, et describantur dos beneficii ac iura et onera beneficiarii[22]. Ratio huius statuti est obvia, cum beneficium sit res perpetua gravis momenti.

CAPUT II.

De unione, translatione, divisione, dismembratione, conversione, suppressione beneficiorum.

Q. 425. *Quid et quotuplex sit unio beneficiorum?*

R. 1. Unio beneficiorum est duorum vel plurium beneficiorum a legitimo superiore facta coniunctio. Legitimus autem superior est S. Sedes vel episcopus, ut infra latius dicetur.

2. Unio beneficiorum multipliciter fieri potest. Quare distinguitur:

a) Unio *exstinctiva*, quae ex suppressis duobus vel pluribus beneficiis novum atque unicum efficit, vel quae coniungit uni beneficio aliud vel alia, ita ut hoc aliud (vel alia) esse desinat[23]. Beneficio, quod ex hac unione emergit vel remanet, omnia iura et onera exstinctorum competunt, et, si inter se componi nequeunt, meliora ac favorabilia[24].

b) Unio *aeque principalis*, quae coniungit duo vel plura beneficia ita, ut quidem sit unus rector seu beneficiarius, sed unumquodque beneficium retineat suum titulum, sua iura et privilegia, perinde ac si unio facta non fuisset. Ex hac unione unum beneficium alteri minime subicitur. Huius unionis exemplum exstat in diversis parvis episcopatibus Italiae, quorum duo vel tres committuntur uni eidemque episcopo.

c) Unio *minus principalis* seu per subiectionem vel accessionem, quae efficit, ut beneficia unita remaneant quidem, sed unum aut plura alii tamquam principali subiciantur. In hac unione beneficium accessorium sequitur principale, ita ut clericus, qui principale obtinet, eo ipso et accessorium consequatur atque utriusque onera implere debeat[25].

[20] c. 1417. [21] c. 1416. [22] c. 1418. [23] c. 1419.
[24] c. 1420, § 1. [25] Ib. § 3.

3. Tres uniones supra indicatae sunt *perpetuae*. Praeter uniones perpetuas exsistunt uniones temporales, quando sc. duo vel plura beneficia coniunguntur in *persona* clerici, cuius morte haec unio cessat. Inde a saeculo quinto Summi Pontifices et Concilia generalia continuo fere laboraverunt contra illicitam pluralitatem temporalem beneficiorum, sed nihilominus graves abusus in hac materia diversis temporibus viguisse negari nequit. Avaritia ducti clerici iterum iterumque conati sunt cumulare beneficia idque non in vanum. Eorum illicita tentamina tandem fregit Concilium Tridentinum statuens, „ut in posterum unum tantum beneficium ecclesiasticum singulis conferatur"[26]. Codex iur. can.[27] de hac re mandat: „Nullus clericus habilis est ad acceptanda et retinenda ... plura beneficia incompatibilia. Incompatibilia sunt non solum duo beneficia, quorum onera universa idem beneficiarius per se implere simul nequeat, sed etiam duo beneficia, quorum alterutrum ad honestam ipsius sustentationem sufficiat." Cum ex hac pluralitate beneficiorum minuatur cultus divinus, ecclesia orbetur operariis necessariis, alii ministri pauperes sustentatione convenienti priventur, aditus late pateat vitiosae ambitioni, avaritiae, simoniae, personarum acceptioni, S. Thomas[28], S. Alphonsus[29] et communiter theologi docent, hanc beneficiorum pluralitatem secundum se esse contra ius naturale, *quando unum beneficium revera sufficit ad congruam sustentationem beneficiarii;* ideoque nec Summum Pontificem posse licite concedere talem pluralitatem. Nostra aetate omnes abusus de illicita pluralitate beneficiorum videntur ubique esse aboliti.

Q. 426. *Quid sint translatio, divisio, dismembratio, conversio, suppressio beneficiorum?*

R. 1. *Translatio* est amotio beneficii ab uno in alium locum, quin ipsum beneficium in se mutetur.

2. *Divisio* beneficii habetur, quando ex eo plura beneficia constituuntur.

3. *Dismembratio* beneficii habetur, quando pars territorii aut bonorum ipsius detrahitur et alii beneficio vel causae piae vel ecclesiastico instituto assignatur. Omnis igitur divisio dismembratio est, sed non vicissim. Si solummodo bona aliqua aut reditus aliqui a beneficio exsistenti et in sua substantia permanenti addicuntur alteri beneficio vel causae piae, habetur dismembratio proprie dicta; sin autem pars populi aut territorii ab uno beneficio ad aliud transfertur, habetur dismembratio late dicta[30].

4. *Conversio* beneficii est transformatio eius in aliam speciem, e. gr. si beneficium non-curatum mutatur in curatum, si paroecia saecularis fit regularis.

5. *Suppressio* beneficii est eius plena exstinctio.

[26] Sess. 24, c. 17 de reform. [27] c. 1439. [28] Quodlib. 9, a. 15.
[29] Theol. mor. l. 4, n. 117.
[30] Cf. S. C. C. d. 14 Ian. 1922 (Acta Ap. Sed. XIV 230).

6. Unio, translatio, divisio, dismembratio, conversio beneficiorum communi nomine *innovationis* beneficii vocatae sunt.

Q. 427. *Quaenam ex iure requirantur ad unionem beneficiorum?*

R. 1. Ad unionem beneficiorum legitime faciendam requiritur: 1) sufficiens causa; 2) competens auctoritas.

2. *Sufficiens causa* generatim est aut Ecclesiae necessitas aut magna et evidens utilitas, e. gr. nimia paupertas beneficii, status desolatus alicuius ecclesiae quae reparari nequit, defectus populi sufficientis, compositio litium, augmentum cultus divini. Unio facta sine canonica causa irrita est[31]. Generatim quoque audiendi sunt prius ii, quorum interest, nisi forte Summus Pontifex unionem concedat in forma gratiosa.

3. *Competens auctoritas* unionis faciendae est sola S. Sedes, in sequentibus casibus, si agitur:

a) de unione exstinctiva;

b) de unione aeque aut minus principali beneficii religiosi cum saeculari et vice versa. Hinc e. gr. paroecia nequit uniri cum aliqua domo religiosa nisi a sola S. Sede. Quae quidem unio fieri potest dupliciter, sc. vel *ad temporalia tantum* vel *pleno iure*. In primo casu domus religiosa particeps fit solummodo fructuum paroeciae, et superior religiosus debet Ordinario loci praesentare sacerdotem e clero saeculari in paroecia instituendum atque huic sacerdoti assignare congruam portionem. In altero casu paroecia fit religiosa, et superior potest sacerdotem e sua religione ad curam animarum exercendam nominare, sed Ordinarii loci est eundem probare et instituere, eiusque iurisdictioni, correctioni et visitationi iste sacerdos religiosus subesse debet in iis rebus, quae ad curam animarum pertinent[32]. Iam supra q. 250 dictum est de iuribus cum Ordinarii loci tum superioris religiosi in talem parochum.

c) de beneficiis exemptis vel S. Sedi reservatis, qualia sunt e. gr. omnia beneficia consistorialia.

In aliis casibus Ordinarius loci sc. episcopus (non autem Vicarius capitularis vel generalis sine speciali mandato) potest unire beneficia. Sic e. gr. episcopus potest aeque aut minus principaliter unire quaslibet paroeciales ecclesias inter se aut cum beneficio non curato, ita tamen ut in hoc ultimo casu, si unio fiat minus principalis, beneficium non curatum sit accessorium. Quare e. gr. si paroecia unitur cum capellania ecclesiastica minus principaliter, capellania, utpote beneficium non curatum, est quid accessorium, et beneficium paroeciale est principale[33].

Episcopus nequit paroeciam unire cum mensa capitulari vel episcopali, cum monasteriis, ecclesiis religiosorum aut cum alia persona morali, neque cum dignitatibus et beneficiis ecclesiae cathedralis vel collegiatae; sed valet eam cum ecclesia cathedrali aut collegiali, *quae in territorio paroeciae sita est,* ita unire, ut reditus paroeciae cedant in commodum ipsius ecclesiae, relicta parocho vel vicario congrua

[31] c. 1428, § 1. [32] c. 1422 et 1425. [33] c. 1423, § 1.

portione[34]. Attamen hoc ultimum videtur raro expedire, cum tunc facile discordiae oriri possint, nisi tamen ecclesia cathedralis aut collegialis revera careat sufficientibus reditibus.

4. Episcopus numquam potest beneficia quaevis unire sive curata sive non-curata cum detrimento eorum, qui eadem obtinent, saltem si isti beneficiarii sunt inviti[35]. Quare e. gr. si episcopus vult unire duas paroecias, necesse est ut aut parochi consentiant aut paroeciae sint vacantes. Pariter episcopus nequit unire a) beneficium iuris patronatus cum beneficio liberae collationis sine patroni consensu; b) beneficia unius dioecesis cum beneficiis alterius dioecesis, etiamsi ambae dioeceses aeque principaliter unitae ab ipso reguntur; c) beneficia exempta vel S. Sedi reservata cum aliis quibuslibet[36].

5. Episcopus unionem debet facere in perpetuum idque per authenticam scripturam, auditis capitulo cathedrali et iis, si qui sint, quorum interest, praesertim rectoribus ecclesiarum[37]. Adversus decretum autem episcopi unientis beneficia datur tantum *in devolutivo* recursus ad S. Sedem[38].

Q. 428. *Quaenam ex iure requirantur ad translationem, divisionem, dismembrationem, conversionem, suppressionem beneficiorum?*

R. 1. *Suppressio* beneficii, quae est totalis exstinctio, fieri nequit sine licentia S. Sedis. Idem valet de *dismembratione,* quae detractis bonis beneficialibus fit, quin novum erigatur beneficium. Talis enim dismembratio non solum est alienatio bonorum ecclesiasticorum, sed etiam facile potest inducere abusus adornando unum altare et exspoliando alterum[39]. Si suppressio non est totalis vel si per dismembrationem novum beneficium creatur, non semper requiritur licentia S. Sedis.

2. *Translatio* beneficii *saecularis* paroecialis ab uno in alium locum *eiusdem* paroeciae potest quidem fieri ab episcopo propter canonicas causas; sed tunc solummodo alia beneficia transferri possunt, si ecclesia, in qua fundata erant, collapsa est et restaurari nequit. In hoc casu potest episcopus haec beneficia transferre cum omnibus emolumentis et oneribus in vicinas ecclesias (matrices vel alias), erectis si fieri potest altaribus vel sacellis sub iisdem invocationibus, quibus exsistebant in priore beneficio[40].

3. *Divisio* vel *dismembratio* paroeciarum potest ex iusta et canonica causa, invitis quoque earum rectoribus et sine populi consensu, fieri ab episcopo, auditis capitulo cathedrali et iis, quorum interest. Causa autem canonica, ut divisio aut dismembratio paroeciae fieri possit, tantum est aut a) magna difficultas accedendi ad ecclesiam paroecialem aut b) nimia paroecianorum multitudo, quorum bono spirituali subveniri nequit per nominationem cooperatorum paroecialium. Huiusmodi divisione vel dismembratione peracta episcopus potest quoque erigere

[34] c. 1423, § 2. [35] c. 1424. [36] Ib. [37] c. 1428, § 1. [38] Ib. § 2.
[39] c. 1422. Cf. S. C. C. d. 14 Ian. 1922 (Acta Ap. Sed. XIV 230 sqq.).
[40] c. 1426.

vel novam paroeciam vel vicariam perpetuam[41]. Per se patet, episcopum dividentem aut dismembrantem paroeciam debere paroeciae vel vicariae noviter erectae assignare congruam portionem; quae, si aliunde haberi nequit, oportet desumatur ex reditibus ad ecclesiam matricem quoquo modo pertinentibus, dummodo sufficientes reditus eidem ecclesiae matrici remaneant[42]. Quodsi nova paroecia vel vicaria dotatur ex reditibus ecclesiae matricis, illa huic debet postea honorem deferre idque eo modo iisque finibus, quibus determinavit episcopus, qui tamen vetatur baptismalem fontem matrici ecclesiae reservare. Sic e. gr. episcopus potest praecipere, ut processioni theophoricae in festo Corporis Christi ab ecclesia matrici peractae intersit nova paroecia vel vicaria; ut novus parochus vel vicarius Missae sollemni assistat in nonnullis magnis festis in ecclesia matrici etc. Experientia constat, divisionem vel dismembrationem paroeciae esse rem valde arduam, idque vel magis, cum in nonnullis regionibus propter Concordata etiam assensus auctoritatis civilis obtineri debeat. Proinde in praxi praestat, ut talis divisio vel dismembratio ex aequo et bono peragatur cum convenienti divisione et bonorum et onerum.

Nota. Divisione paroeciae *religiosae* peracta, noviter erecta vicaria perpetua vel paroecia non est religiosa, sed saecularis; ac proinde requiritur licentia S. Sedis, ut ista nova vicaria vel paroecia possit concedi religiosis. Pariter divisa paroecia iuris patronatus, nova paroecia non est iuris patronatus, sed liberae collationis[43].

4. *Conversio* beneficii curati in non-curatum, pariter conversio beneficii religiosi in saeculare et beneficii saecularis in religiosum nequit fieri ab episcopo sine licentia S. Sedis. Econtra episcopus potest propria auctoritate (servatis servandis) convertere beneficium simplex in curatum, dummodo ne obstent condiciones a fundatore expressae[44].

Q. 429. *Quid observandum sit, si alicui beneficio pensio solvenda imponatur?*

R. 1. Pensionem non esse beneficium proprie dictum, iam supra fuit indicatum, cum pensio non sit coniuncta cum officio sacro.

2. Summus Pontifex potest omnibus beneficiis pensiones solvendas imponere, ita tamen ut remaneat congrua sustentatio beneficiariis.

3. Episcopus nequit beneficiis quibuslibet (non paroecialibus) pensiones perpetuas aut temporarias imponere, quae ad vitam *pensionarii* durant; potest tamen in ipsa collatione beneficii (non postea) ex iusta causa in ipso collationis actu exprimenda imponere pensionem, quae durat ad vitam *beneficiarii,* salva huic congrua portione[45]. Sic e. gr. quando episcopus legitime parochum amovet, potest parocho successori ex iusta causa imponere pensionem solvendam parocho amoto; quae tunc potest durare etiam ad vitam parochi amoti. Talis autem pensio nequit excedere tertiam partem redituum paroeciae, quibusvis deductis expensis et etiam incertis reditibus; et quaestio de *futura* provisione

[41] c. 1427. [42] Ib. § 3. [43] Ib. § 5. [44] c. 1430. [45] c. 1429, § 1.

sacerdotis non debet commisceri cum quaestione de *praesenti* amotione a paroecia[46].

4. Omnes pensiones cessant morte pensionarii, qui tamen nequit eas alienare, nisi id expresse concessum est[47]. Ob diversa delicta clericus potest privari pensione obtenta, ut dicetur infra in tractatu de poenis.

CAPUT III.

De beneficiorum collatione.

Praenotamen. Postquam dictum est de variis modis, quibus ipsa beneficia ecclesiastica possunt institui vel innovari, nunc ex ordine tractandum est de beneficiorum collatione, quae fieri potest tribus modis, sc. a) electione vel postulatione, b) praesentatione patroni, c) libera collatione. De electione vel postulatione iam supra q. 77 sqq. sermo fuit; de praesentatione patroni et generatim de iure patronatus tractabitur in capite sequenti. In unoquoque ex istis tribus modis tria possunt distingui, sc. a) designatio personae; b) concessio tituli; c) introductio in actualem possessionem beneficii, quae vocari solet institutio corporalis vel installatio vel investitura vel inthronizatio. Cum haec nomina in re beneficiaria habeant determinatas et distinctas significationes, confusio sedulo vitanda est. Praesertim non est confundenda institutio canonica cum institutione corporali et institutione authorizabili[48].

Collatio officiorum et beneficiorum ecclesiasticorum antiquis temporibus saepe facta est adiuvante populi electione. Sic e. gr. S. Ambrosius, S. Nicolaus facti sunt episcopi, postquam populus eos designavit. Ius quoque patronatus est antiquissimum, quod concedit patronis facultatem praesentandi clericum idoneum ad beneficium vacans. Labentibus temporibus Summi Pontifices sibi reservarunt collationem complurium beneficiorum; quae quidem reservationes nedum non sunt exitiales Ecclesiae, ut asseruerunt Febronius, Boehmer, Hinschius aliique, sed valde utiles evadere possunt. Haud enim raro accidit, ut praelati inferiores vel nolint ex socordia, negligentia aliisque motivis inordinatis vel non possint ex factionibus aliorum violentis officia ecclesiastica dignis personis conferre. Summus autem Pontifex ex plenitudine suae potestatis, unice ductus motivo procurandi bonum ecclesiarum, saepe melius providere potest de officiis ecclesiasticis.

Q. 430. *Cuiusnam sit conferre beneficia ecclesiastica?*

R. 1. Cum Ecclesia catholica non tantum sit societas perfecta ac proinde sui iuris, sed etiam societas vere monarchica[49], evidenter sequitur, ut nemo possit conferre aliquod beneficium vere ecclesiasticum sine auctoritate explicita vel implicita Summi Pontificis. Ita docent nunc omnes auctores catholici et expresse statuitur in Codice iur. can.[50]: „Ius Romano Pontifici est beneficia in universa Ecclesia conferendi eorumque collationem sibimet reservandi." Ex hoc principio fundamentali facile deducitur, neque populum neque principes civiles posse proprie conferre beneficium ecclesiasticum, neque posse deponere beneficiarium a suo beneficio. Ceterum hac in re valent eadem, quae supra q. 74 de provisione officiorum ecclesiasticorum dicta sunt.

2. Beneficia, quorum collatio reservata est S. Sedi, ab inferioribus invalide conferuntur[51]; reservantur autem S. Sedi[52]:

a) omnia beneficia consistorialia, e. gr. episcopatus.

b) omnes dignitates ecclesiarum cathedralium et collegiatarum.

c) omnia beneficia, quae vacaverunt per obitum, promotionem, renuntiationem vel translationem α) Cardinalium, β) Legatorum Romani Pontificis, γ) Officialium maiorum S. Congregationum, Tribunalium et Officiorum Romanae Curiae, δ) Familiarium[53] (etiam honoris tantum) Summi Pontificis. Haec tamen beneficia (nisi aliunde sint reservata S. Sedi, e. gr. quia sunt beneficia consistorialia) non reservantur nisi *tempore vacationis beneficii*, i. e. hac vice. Quare e. gr. si parochus est praelatus domesticus Romanus, ipso mortuo vel amoto, collatio paroeciae reservatur S. Sedi. Cum autem numerus talium praelatorum sit valde magnus, ideo etiam numerus reservationum valde excrescit; quod quidem in beneficiis curatis, si valde distant a Curia Romana, facile posset nocere saluti paroecianorum. Itaque cum hoc sit contra spiritum legis, forsitan hac lege non est abolitum vetus „ius concursus". Quare e. gr. si episcopus praevenit Summum Pontificem conferendo tale beneficium vacans, iam non vacat beneficium, et collatio episcopi est forte valida. In praxi tamen pro maiore securitate omnino studeant episcopi obtinere a S. Sede expressas facultates conferendi huiusmodi beneficia vacantia.

d) omnia beneficia fundata extra Romanam Curiam, quae vacaverunt per beneficiarii obitum in ipsa Urbe. Haec reservatio primo statuta est a Clemente IV a. 1265 et vocata est reservatio beneficii vacantis in Curia Romana, et tunc obtinet quando beneficiarius, *ratione ecclesiasticorum negotiorum* Romam veniens, ibi moritur. Si igitur beneficiarius ob alias causas, e. gr. ob devotionem privatam, venit Romam ibique moritur, collatio beneficii non est reservata S. Sedi. Ita probabiliter.

e) beneficia, quae ob *simoniae* vitium invalide collata fuerunt. Haec pontificia reservatio est poenalis; simoniaca enim collatio beneficii non solum est invalida, sed praeter alias poenas collatori inflictas ipsi etiam aufert potestatem hac vice denuo conferendi hoc beneficium.

[46] c. 1429, § 2. S. C. C. d. 11 Nov. 1922 et Pontif. Com. d. 20 Maii 1923 (Acta Ap. Sed. XV 456 et XVI 116).

[47] c. 1429, § 3.

[48] In materia officii vel beneficii ecclesiastici verbum institutionis sumitur quadrupliciter: 1. *generice* pro quocumque provisionis modo legitimo, sive talis provisio fit per nominationem sive per praesentationem (cf. *Ferraris*, Prompt. Bibl. s. v. institutio 1—2). 2. *specialiter* et proprie pro concessione beneficii legitime facta post praeviam praesentationem patroni. Haec institutio vocatur institutio canonica verbalis. 3. Institutio *authorizabilis* est approbatio ad exercendam curam animarum. 4. Institutio *corporalis* (realis) est inductio in actualem possessionem beneficii, vel sic dicta installatio (Einführung).

[49] Syllabus *Pii IX*, Prop. 19 20 34.

[50] c. 1431. [51] c. 1434. [52] c. 1435.

[53] Nomine Familiarium intelliguntur numerosi illi praelati, qui in Annuario Pontificio indicantur in capite: „La famiglia di Sua Santità", e. gr. praelati domestici, camerarii secreti supranumerarii, cubicularii honoris etc.

f) beneficia, quibus Romanus Pontifex per se vel per delegatum manus apposuit his modis: α) si electionem ad beneficium irritam declaravit; β) si vetuit electores ad electionem procedere; γ) si renuntiationem beneficii admisit; δ) si beneficiarium promovit, transtulit aut beneficio privavit; ε) si beneficium in commendam dedit.

g) nonnulla beneficia, quae Romae fundata sunt. Generatim valent speciales leges pro collatione beneficiorum, quae Romae exsistunt.

h) beneficia, quae Ordinarius negligenter non contulit intra semestre ab habita certa vacationis notitia, nisi tamen agitur de paroecia, cuius collationem episcopus ex iusta causa differre censuerit, aut de alio beneficio propter defectum subiectorum [54].

Nota. a) Numquam sunt S. Sedi reservata (nisi tamen id expresse dicatur) beneficia manualia neque beneficia iuris patronatus laicalis vel mixti [55].

b) Regulae cancellariae, quae observabantur in collatione beneficiorum, et notanter regula de sic dictis mensibus papalibus sunt abolitae. Solae reservationes pontificiae supra indicatae usuveniunt.

3. Ad collationem beneficiorum vacantium Cardinalis in proprio titulo vel diaconia, Ordinarius autem loci in proprio territorio habet intentionem in iure fundatam [56], seu aliis verbis: Omnia beneficia, quae non sunt reservata S. Sedi, conferre pertinet ex iure communi ad Cardinalem in proprio titulo vel diaconia; ad Ordinarium autem loci in proprio territorio. Ex solo iure patronatus particulari (certo probando) pertinet ad alios, conferre beneficia. Vicarius generalis nequit sine speciali mandato conferre beneficia. Vicarius capitularis potest quidem confirmare electionem aut acceptare praesentationem ad paroeciam vacantem et institutionem electo aut praesentato concedere, sed nequit conferre paroecias liberae collationis, nisi postquam sedes episcopalis ab anno vacavit. Pariter nequit conferre alia beneficia perpetua liberae collationis [57]. Sola S. Sedes potest constituere coadiutores in beneficiis cum vel sine futura successione, ut iam dictum est; Ordinarius tamen loci libere potest instituere coadiutores parochorum [58].

Q. 431. *Quaenam observanda sint in collatione beneficii ecclesiastici?*

R. 1. Nemo potest beneficium sibi ipse conferre [59].

2. Beneficium ecclesiasticum nequit valide conferri clerico invito et provisionem non expresse acceptanti [60].

3. Beneficium *saeculare* ad vitam beneficiarii conferendum est, nisi aliud ferat vel lex fundationis vel consuetudo immemorabilis vel peculiare indultum [61].

---

[54] c. 1432, § 3; Pontif. Com. d. 24 Nov. 1920 (Acta Ap. Sed. XII 577).
[55] c. 1435, § 2.
[56] c. 1432, § 1. Intentio = Klageanspruch, Formulierung der Prozeßfrage. De significatione intentionis in iure romano videsis *Heumann-Seckel* [9], Handlexikon zu den Quellen des römischen Rechtes.
[57] c. 1432, § 2. [58] c. 1433. [59] c. 1437. [60] c. 1436. [61] c. 1438.

4. Beneficia saecularia nonnisi clericis saecularibus conferenda sunt; religiosa autem sodalibus illius religionis, ad quam beneficia pertinent [62].

5. Nullus clericus habilis est ad acceptanda et retinenda (sive in titulum sive in commendam perpetuam) plura beneficia incompatibilia. Incompatibilia autem sunt non solum duo beneficia, quorum onera universa idem beneficiarius per se implere simul nequit, sed etiam duo beneficia, quorum alterutrum ad honestam ipsius beneficiarii sustentationem sufficit [63], ut iam dictum est.

6. Beneficia ecclesiastica sine deminutione conferantur; ideoque tamquam simoniacae reprobantur deductiones ex fructibus; item compensationes ac solutiones a clerico in actu provisionis faciendae, quae collatori vel patrono vel aliis cedant [64]. Potest tamen ex iusta causa episcopus imponere pensionem solvendam, ut supra q. 429 dictum est.

Q. 432. *Quid statutum sit de beneficii possessione capienda vel de installatione?*

R. 1. Nemo possessionem beneficii sibi collati, i. e. installationem, capiat aut propria auctoritate aut non emissa professione fidei, si agitur de beneficiis, pro quibus haec fidei professio praescripta est [65].

2. Si agitur de beneficiis non-consistorialibus, missio in possessionem seu institutio corporalis spectat ad loci Ordinarium, qui ad id alium ecclesiasticum virum (non autem laicum) delegare potest [66]. Haec autem institutio corporalis seu installatio fiat secundum modum iure peculiari vel legitima consuetudine receptum, nisi iusta ex causa Ordinarius ab eo modo seu ritu *expresse in scriptis* dispensaverit; quo in casu haec dispensatio locum tenet captae possessionis [67].

3. Loci Ordinarius praefiniat tempus, intra quod possessio beneficii capi debeat; quo inutiliter elapso, nisi iustum obstiterit impedimentum, beneficium vacare declaret [68].

4. Possessio beneficii etiam per procuratorem speciale mandatum habentem capi potest [69].

5. Clericus, qui se pacifice et in bona fide possidere beneficium per integrum triennium probavit, iam nequit inde detrudi, dummodo absit simonia. Quamvis enim titulus collationis fuerit invalidus, clericus tunc post triennium beneficium obtinet ex legitima praescriptione [70].

6. Si quis postulat beneficium ab alio pacifice possessum, quod certo modo vacare contendit, debet in supplici libello exprimere nomen possessoris actualis, tempus possessionis, et causam specialem ex qua constet, nullum possessori in eo beneficio ius competere. Tunc processus iuridicus instituendus est et solummodo potest postulanti conferri beneficium, si causa in petitorio fuerit ad normam iuris definita [71].

---

[62] c. 1442. [63] c. 1439. [64] c. 1440 sq. [65] c. 1443, § 1.
[66] Ib. § 2. [67] c. 1444, § 1. [68] Ib. § 2. [69] c. 1445.
[70] c. 1446. [71] c. 1447.

7. *Effectus* institutionis corporalis sunt:

a) Clericus sic institutus seu installatus obtinet omnia iura spiritualia et temporalia beneficii. Nomen episcopi a die captae possessionis episcopatus est in canone Missae recitandum; clericus a die captae possessionis, non antea, recipit fructus beneficii.

b) A die captae possessionis beneficium vel officium, quod clericus forte ante habuit, vacat; pariter ab hoc die incipit praescriptio triennalis, de qua supra n. 6 sermo fuit.

CAPUT IV.

De iure patronatus.

Q. 433. *Quid et quotuplex sit ius patronatus?*

R. 1. **Notio.** „Ius patronatus est summa privilegiorum cum quibusdam oneribus, quae ex Ecclesiae concessione competunt fundatoribus catholicis ecclesiae, capellae aut beneficii, vel etiam iis, qui ab illis causam habent."[1]

Quaenam sint privilegia et onera patroni, dicetur infra q. 435 sq. Ius patronatus solummodo ex Ecclesiae expressa concessione acquirebatur, sc. ex concessione S. Sedis vel Ordinarii loci. Quare quamvis aliquis beneficium fundaverit, nequit sibi usurpare ius patronatus, antequam legitima auctoritas ecclesiastica id concesserit. — *Subiectum* iuris patronatus sunt: a) fundatores catholici ecclesiae, capellae aut beneficii; b) ii, qui a fundatoribus causam habent, seu ii, ad quos ius fundatoris legitime transmissum est, e. gr. successione hereditaria, donatione etc. Fundatores habent ius patronatus titulo *originariae constitutionis,* alii autem titulo *translationis.* Fundatores autem censentur non solum ii, qui dant fundum, sed etiam qui dant pecuniam ad construendam ecclesiam vel capellam, et insuper ii, qui dotant ecclesiam vel capellam vel beneficium concedendo sufficientes reditus pro cultu et congrua sustentatione ministrorum. Hinc titulus *originariae constitutionis* est triplex, iuxta illud: „Patronum faciunt dos, aedificatio, fundus." Unusquisque ex istis tribus titulis sufficit ad ius patronatus causandum. Quare unus potest esse patronus eiusdem ecclesiae ratione fundi donati, alius ratione aedificationis, tertius ratione dotationis sufficientis. Ita saltem sententia communior. Sin autem sunt plures patroni eiusdem beneficii ecclesiastici, vocantur *compatroni,* et tunc debent exercere ius praesentationis vel per turnum vel communi voto. — Titulus *translationis* iuris patronatus est quadruplex iuxta versum Glossae[2]:

„Ius patronatus transire facit novus heres,
Res permutata, donata venditioque."

Quoad istos modos sequentia breviter notentur:

Successio hereditaria (sive testamentaria sive ab intestato) est legitimus titulus obtinendi ius patronatus, nisi in ipsa fundatione aliter cautum sit. Hinc exsistit ius patronatus hereditarium, ut infra dicetur.

[1] c. 1448. Causam habere dicitur germanice: rechtlichen Erwerbsgrund haben; gallice: avoir un juste titre.

[2] c. 26, C. XVI, q. 7.

Permutatio iuris patronatus (personalis) cum alio iure patronatus personali vel cum alia re spirituali licita est, praesupposita tamen licentia competentis auctoritatis ecclesiasticae.

Donatio iuris patronatus libere potest fieri a patrono laico in favorem ecclesiae, monasterii, loci pii vel officii ecclesiastici. Requiritur autem expressus consensus Ordinarii loci in scriptis datus.

Venditio directa iuris patronatus (et idem valet de emptione) numquam licita et valida est, cum sit simonia. Licet autem emere vel vendere rem, quacum ius patronatus coniunctum est, dummodo pretium rei ne augeatur propter adiunctum ius patronatus.

2. **Distinctiones.** Distinguitur ius patronale:

a) *reale* vel *personale,* prout alicui rei, e. gr. fundo, castello, inhaeret ac proinde cum hac re ad alios transit; vel prout directe spectat ad aliquam personam physicam aut moralem, e. gr. ad aliquem principem vel ad aliquod capitulum.

b) *ecclesiasticum, laicale, mixtum.* Ius patronatus ecclesiasticum oritur ex titulo ecclesiastico, e. gr. ratione officii ecclesiastici vel ratione fundationis ex bonis ecclesiasticis. Ius patronatus laicale procedit ex titulo laicali, e. gr. ratione fundationis ex bonis mere laicalibus vel ratione hereditatis. Tale ius solet exerceri a laico; nihil tamen obstat, quominus clerico quoque competat, qui titulo hereditatis vel fundationis ex bonis patrimonialibus illud acquisivit. Ius patronatus mixtum ducit ortum partim ex titulo ecclesiastico partim ex titulo laicali, e. gr. si ius praesentandi beneficiarium pertinet vel cumulative vel alternative ad plures personas, quarum altera est ecclesiastica, altera laica.

c) *hereditarium, familiare, gentilitium, mixtum,* prout transit ad heredes omnes, vel ad solos eos qui sunt de familia fundatoris, vel ad eos qui sunt de gente fundatoris, vel ad eos qui simul sunt heredes et de familia vel gente fundatoris. Advertas hoc ius patronatus mixtum distingui a mixto patronatu supra sub b) relato.

In Codice iur. can. non afferuntur aliae distinctiones iuris patronatus. Antiquitus autem distingui solebat quoque ius patronatus privatum et publicum; singulare et commune seu compatronatus; plenum et minus plenum.

Patroni vocabulo scriptores profani uti solent ad significandum *defensorem* vel provinciae vel civitatis vel particularis causae. Scriptores vero ecclesiastici (praesertim post saeculum duodecimum) patronos appellarunt fundatores ecclesiarum aut beneficiorum. Cum autem patrono ecclesiae aut beneficii incumberet etiam officium defendendi fundationes a se factas, patroni aliquando vocabantur quoque *advocati.* — Fundatores et insignes benefactores ecclesiarum iam a primis saeculis aerae christianae nominabantur in diptychis, commendabantur communibus precibus, habebant quaedam privilegia honorifica. Ius autem praesentandi clericos ecclesiae patronatae ratum habuit Concilium arausicanum I (a. 441), *si patroni erant episcopi.* Ad laicos tale ius extendit Concilium toletanum IX (a. 655)[3]. Patroni haud raro abusi

[3] Habetur c. 32, C. XIV, q. 7.

sunt iure suo praesertim per investituram, per mundium, per advocatiam. Ex ipsa natura rei, nempe ex iure praesentandi clericos ad beneficium vacans, oriri potest grave periculum et magnum incommodum Ecclesiae, cum laici aliquando praesentent clericos, qui quidem non sunt indigni, sed minus digni quam alii. Ad abusus omnes praecavendos novum ius statuit: *„Nullum patronatus ius ullo titulo constitui in posterum valide potest."*[4] *„Curent*[5] *locorum Ordinarii, ut patroni, loco iuris patronatus quo fruuntur aut saltem loco iuris praesentandi, spiritualia suffragia, etiam perpetua, pro se suisve acceptent."*[6] Quibus statutis efficietur, ut futurum sit ut labentibus temporibus ius patronatus paulatim ex Ecclesia evanescat.

Q. 434. *Quaenam requirantur ad legitimam acquisitionem iuris patronatus?*

R. Requiruntur tria, sc. subiectum capax, obiectum aptum, legitimus titulus.

1. *Subiectum capax* acquirendi et exercendi ius patronatus est sive masculus sive femina, sive puber sive impuber. Uxor per se ipsam ius patronatus exercet, minores vero per parentes aut tutores; quodsi parentes aut tutores acatholici sunt, ius patronatus interim suspensum manet[7]. Cum ius patronatus ab Ecclesia concessum sit in signum honoris erga insignes benefactores, omnes ii excluduntur ab exercitio iuris patronatus, quos Ecclesia specialiter honorare non potest. Unde ius patronatus *personale* omnino nequit transmitti ad infideles, publice apostatas, haereticos, schismaticos, adscriptos societatibus secretis ab Ecclesia damnatis, nec ad quoslibet excommunicatos post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam. Ius autem patronatus *realis,* si ad aliquam ex istis personis transiit, suspensum manet[8], ita ut talis proprietarius rei, cui adnexum est ius patronatus, nequeat exercere ius praesentandi. Aliquando tunc permittitur, ut talis proprietarius possit designare virum catholicum bonum, qui loco ipsius exerceat ius praesentandi. Hodie quoque permittitur aliquando, ut principes haeretici habentes ius patronatus praesentent clericum ad beneficium vacans. Iam supra dictum est, novum ius patronatus iam amplius non concedi in Ecclesia. Loci autem Ordinarius potest fidelibus, qui ex toto vel ex parte ecclesias exstruxerunt vel beneficia fundaverunt, concedere spiritualia suffragia eorum liberalitati proportionata; potest quoque fundationem beneficii admittere, ea adiecta condicione ut beneficium prima vice conferatur clerico fundatori vel alii clerico a fundatore designato[9].

2. *Obiectum aptum* iuris patronatus possunt esse ecclesiae, capellae, beneficia, ut patet ex definitione iuris patronatus supra data. A iure patronatus excipiuntur quaedam beneficia, e. gr. Summi Pontificis, Cardinalium, episcoporum. Quodsi nonnulli principes exercent ius

[4] c. 1450, § 1.
[5] I. e. suadeant patronis. Ita Pontif. Com. d. 12 Nov. 1922 (Acta Ap. Sed. XIV 663).
[6] c. 1451, § 1. [7] c. 1456. [8] c. 1453. [9] c. 1450, § 2.

praesentandi Cardinales („Cardinales coronae") vel episcopos, hoc ex indulto apostolico et non ex iure patronatus provenit. Iuxta vigentem disciplinam obiectum iuris patronatus non solent esse nisi nonnullae paroeciae et canonicatus.

3. *Legitimus titulus* iuris patronatus est duplex: sc. titulus *originarius,* qui primum constituit ius patronatus (qui est triplex: fundus, aedificatio, dos); titulus *translativus,* qui ius patronatus iam constitutum transfert ab uno possessore ad alium (qui est quadruplex: hereditas, permutatio, donatio, venditio). De his omnibus iam supra dictum est. Nullum ius patronatus admittitur, nisi authenticis documentis aut aliis legitimis probationibus evincatur[10].

Q. 435. *Quaenam sint privilegia patronorum?*

R. 1. Praecipuum privilegium patroni est *ius praesentandi* clericum dignum ad ecclesiam vacantem vel ad beneficium vacans. Quae quidem praesentatio, si legitime facta est, obligat Ordinarium loci ad institutionem canonicam clerico praesentato conferendam[11] (idque intra duos menses, nisi obstet iustum impedimentum)[12]. Ut autem praesentatio sit legitima, requiritur:

a) Ut clericus *dignus* praesentetur, habens ipso praesentationis vel saltem acceptationis die omnes qualitates, quae iure communi vel peculiari vel lege fundationis requiruntur[13]. Ad loci Ordinarium, cui praesentatio fieri debet, pertinet iudicare, num clericus praesentatus sit dignus seu persona idonea. Quare Ordinarius loci, ad suum iudicium formandum, debet de clerico praesentato diligenter inquirere; non autem tenetur patrono patefacere rationes, cur clericum praesentatum admittere non possit[14]. Si praesentatus non idoneus fuerit repertus, patronus potest alium intra tempus utile, i. e. ordinarie intra *quattuor* menses, praesentare. Sed si ne hic quidem idoneus repertus fuerit, ecclesia vel beneficium pro eo casu fit liberae collationis, nisi patronus vel praesentatus intra *decem* dies a significatione recusationis recursum a iudicio Ordinarii ad S. Sedem interposuerit; quo recursu pendente suspendatur collatio usque ad finem controversiae, et interim, si opus sit, oeconomum ecclesiae vel beneficio vacanti Ordinarius praeficiat[15]. Si praesentatus ante canonicam institutionem renuntiaverit vel mortuus fuerit, patronus rursus ius praesentandi habet[16].

b) Ut patronus non praesentet *se ipsum,* etsi est clericus et quidem dignissimus. Immo patronus nequit compatronis aliis accedere, ut suffragiorum numerum ad praesentationem necessarium pro se compleat[17]. Ratio est, quia iuxta vetus adagium „inter dantem et accipientem debet esse distinctio personalis"[18]. Nihil autem obstat, quominus

[10] c. 1454. [11] c. 1466, § 1. [12] c. 1467.
[13] c. 1463. Sic dictus autem concursus non requiritur, nisi ex iure particulari, e. gr. fundationis vel legitimae consuetudinis, talis concursus praecipitur. Ita Pontif. Com. d. 12 Nov. 1922 (Acta Ap. Sed. XIV 663).
[14] c. 1464. [15] c. 1465, § 1. [16] c. 1468. [17] c. 1461. [18] C. 7, X 3, 7.

α) patronus renuntians iuri suo patronatus petat ab episcopo, ut sibi illud officium libere conferatur; β) compatroni praesentent unum ex ipsis, qui, dempto proprio suffragio, adhuc sufficientem numerum suffragiorum retinet; γ) parentes praesentent proprium filium vel alium consanguineum; filii enim et cognati non debent esse deterioris condicionis quam alii; alioquin ius patronatus, quod est introductum in favorem patroni, retorqueretur in odium ipsius et suorum.

c) Ut praesentatio fiat *infra tempus determinatum;* quod quidem tempus computatur a die, quo is, cui ius est concedendi institutionem canonicam, patronum certiorem reddidit. Iuxta vigentem disciplinam praesentatio semper debet fieri saltem intra *quattuor menses,* nisi tamen obstat iustum impedimentum, aut nisi brevius tempus lege fundationis vel legitima consuetudine praescriptum est[19]. Si intra praescriptum tempus praesentatio facta non fuerit, ecclesia vel beneficium pro eo casu fit liberae collationis[20]. Si vero lis, quae intra utile tempus dirimi nequeat, exoriatur sive circa ius praesentandi inter Ordinarium et patronum vel inter ipsos compatronos, sive circa ius praelationis inter ipsos praesentatos, suspendatur collatio usque ad finem controversiae, et interim, si opus est, oeconomum ecclesiae vel beneficio vacanti Ordinarius praeficiat[21]. Intra tempus determinatum, antequam praesentatio acceptetur, patronus habet „ius variandi", i. e. potest praeter primum praesentatum alium vel alios praesentare[22].

d) Ut praesentatio fiat *gratuito et sine simonia.* Praesentatio enim, labe simoniaca infecta, est iure irrita; immo etiam institutionem forte subsecutam reddit irritam[23].

e) Ut praesentatio fiat *modo debito, si sunt compatroni.* Si sunt plures singulares personae patroni, possunt tam pro se quam pro suis successoribus de alternis praesentationibus convenire, seu, uti dicitur, per turnum exercere ius patronatus. Ut autem talis conventio sit valida, accedat oportet Ordinarii consensus in scriptis datus; qui tamen semel praestitus nequit valide ab eodem Ordinario vel eius successoribus, patronis invitis, revocari[24]. — Si ius patronatus collegialiter exercetur, ille praesentatus habeatur, qui maiorem suffragiorum numerum rettulerit; quodsi, duobus scrutiniis sine effectu institutis, in tertio scrutinio plures maiorem prae ceteris, sed aequalem inter se suffragiorum numerum habuerint, ii omnes praesentati censeantur[25]. Si ius patronatus penes singulares personas est, quae inter se de alternis praesentationibus seu de turno praesentationum non convenerunt, ille praesentatus habeatur, qui maiorem saltem *relative* suffragiorum numerum rettulit; si plures eundem, maiorem tamen quam ceteri suffragiorum numerum habuerunt, omnes censeantur praesentati.

Nota. Si cui S. Sedes (sive in Concordatis sive extra Concordata) indultum concessit praesentandi ad ecclesiam vacantem vel ad beneficium

[19] c. 1457. [20] c. 1458, § 1. [21] Ib. § 2. [22] c. 1460, § 4.
[23] c. 1465, § 2. [24] c. 1459. [25] c. 1460, § 1.

vacans, non inde ius patronatus oritur. Tale autem privilegium praesentationis strictam interpretationem pati oportet ex tenore indulti[26].

2. Alterum privilegium patroni est *ius percipiendi alimenta,* quoties ipse ad inopiam nulla sua culpa redactus fuerit, etiamsi iuri patronatus renuntiavit in commodum Ecclesiae, vel pensio in limine fundationis ipsi patrono fuit reservata, quae ad sublevandam eius inopiam non sufficiat[27]. Attamen necesse est, ut remaneat honesta sustentatio ipsius beneficiarii et ut aliis oneribus beneficii possit satisfieri. Patronus nullum ius habet circa administrationem bonorum beneficii. Ita saltem ex iure communi[28]. Ex Concordatis autem aliquando conceditur patrono regio supervisio administrationis beneficiorum.

3. Nonnulla privilegia *honorifica* solent concedi patrono, si ita ferunt legitimae locorum consuetudines, sc. a) privilegium habendi in ecclesia sui patronatus stemma gentis vel familiae (vulgo Familienwappen); b) privilegium praecedendi ante ceteros laicos (non autem clericos) in processionibus et similibus functionibus; c) privilegium habendi digniorem sedem in ecclesia, sed extra presbyterium et sine baldachino[29]. In nonnullis regionibus adhuc alia privilegia honorifica competunt patrono, e. gr. ius precum sive recitationis nominis inter publicas preces, ius aquae benedictae, i. e. patronus debet aspergi aqua benedicta ante alios paroecianos, non autem potest illi porrigi aspergillum; ius thurificationis seu suffitus (unico ductu), dummodo patronus sit masculus; osculum pacis in Missa sollemni per oblationem crucifixi factam ab aliquo ministro, sed postquam pax data est in choro; ius luctus ecclesiastici, i. e. in ecclesia patronata campanae sunt pulsandae et officium defunctorum est dicendum, si patronus moritur. Ipsi quoque mortuo debetur dignior locus in coemeterio ecclesiae patronatae. In omnibus his et aliis iuribus honorificis patronorum observandae sunt legitimae consuetudines.

Q. 436. *Quaenam sint onera seu officia patronorum?*

R. Onera seu officia patronorum sunt:

1. Ordinarium loci monere, si bona ecclesiae seu beneficii dilapidari viderint, quin tamen se immisceant administrationi eorundem bonorum, ut iam dictum est.

2. Aedificare denuo ecclesiam collapsam aut reparationes (iudicio Ordinarii) necessarias in eadem facere, si ex *titulo aedificationis* ius patronatus habent, et nisi onus aedificandae denuo vel reparandae ecclesiae incumbit fabricae ecclesiae vel aliis[30].

3. Supplere reditus, si ex *titulo dotationis* ius patronatus provenit, cum ecclesiae vel beneficii reditus ita defecerint, ut nequeat amplius vel cultus in ecclesia decenter exerceri vel beneficium conferri.

Nota. Si ecclesia collapsa fuerit vel necessariis indigeat reparationibus, aut si reditus sufficientes defecerint, ius patronatus interim

[26] c. 1471. [27] c. 1455, n. 2. [28] Cf. Conc. Trid. sess. 25, c. 9 de reform.
[29] c. 1455, n. 3. [30] c. 1469, § 1, n. 2.

quiescit. Quodsi patronus intra tempus ab Ordinario sub poena cessationis patronatus praefiniendum ecclesiam denuo aedificavit vel restauravit aut reditus auxit, ius patronatus revigescit; secus ipso iure et sine ulla declaratione cessat[31].

Q. 437. *Quomodo ius patronatus exstinguatur?*

R. Praeter casum, de quo in quaest. praeced. dictum est, ius patronatus exstinguitur:

1. Si patronus iuri suo renuntiavit; quae quidem renuntiatio fieri potest ex integro vel ex parte, numquam autem cum detrimento compatronorum, si qui sint[32].

2. Si S. Sedes ius patronatus revocavit aut ipsam ecclesiam vel beneficium perpetuo suppressit[33].

3. Si contra ius patronatus legitime praescriptum fuit. Videtur sufficere praescriptio 30 annorum.

4. Si res, cui ius patronatus inhaeret, perit, aut si exstinguitur familia, gens, linea, cui illud secundum tabulas fundationis reservatur. In hoc secundo casu nec ius patronatus hereditarium evadit, nec Ordinarius valide permittere potest, ut ius patronatus alii donetur[34].

5. Si, consentiente patrono, ecclesia vel beneficium unitur alii *liberae collationis* aut si ecclesia fit electiva vel regularis[35].

6. Propter nonnulla crimina, sc. si patronus ius patronatus simoniace in alium transferre attentavit; si lapsus fuit in haeresim, apostasiam, schisma; si bona ac iura ecclesiae vel beneficii iniuste usurpavit aut alienavit aut detinet[36]; si rectorem vel alium clericum ecclesiae servitio addictum aut beneficiarium per se vel per alios occidit aut mutilavit. Propter ista crimina ius patronatus amittit solus patronus reus, non eius heredes, sed propter crimen ultimo loco indicatum etiam heredes patroni amittunt ius patronatus[37]. Ut autem ex omnibus istis criminibus enumeratis patroni censeantur amisisse ius patronatus, requiritur et sufficit sententia declaratoria[38]. Ergo si episcopus hanc sententiam non fert, ius patronatus relinquitur reo.

Scholion. De suspensione iuris patronatus. Ius patronatus non quidem exstinguitur, sed suspenditur quoad exercitium:

1. Si illud pertinet ad minores, quorum parentes vel tutores sunt acatholici[39].

2. Si patronus innodatur censura aut infamia iuris, sed nonnisi post sententiam condemnatoriam vel declaratoriam[40].

3. Si patronus negligit a) ecclesiam collapsam reaedificare aut reparare, b) reditus necessarios suppeditare beneficiario[41]. Quodsi patronus intra tempus ab Ordinario praefiniendum hanc negligentiam non deposuit, ius patronatus non tantum quiescit, sed etiam cessat, ut supra dictum est.

4. Quotiescumque privatur patronus exercitio actuum legitimorum[42], e. gr. quando incurrit infamiam iuris vel facti, quando tentavit suicidium, quando matrimonium mixtum iniit sine Ecclesiae dispensatione.

[31] c. 1469, § 2 3. [32] c. 1470, § 1, n. 1. [33] Ib. n. 2. [34] Ib. n. 4. [35] Ib. n. 5. [36] c. 2346 et 2347, n. 2. [37] c. 1470, § 2. [38] Ib. § 3. [39] c. 1456 [40] c. 1470, § 4. [41] c. 1469, § 2. [42] c. 2256.

CAPUT V.

De iuribus et obligationibus beneficiariorum.

Praenotamen. Postquam dictum est de constitutione, erectione, collatione beneficiorum, disserendum est de iuribus et obligationibus, quae beneficiis adnectuntur, vel de *effectibus*, qui ex provisione beneficiorum sequuntur. Iura autem et obligationes beneficiariorum sunt triplicis generis, sc. 1. ea, quae oriuntur ex ipso statu clericali; 2. ea, quae oriuntur proprie ex unoquoque beneficio; 3. ea, quae oriuntur communiter ex omni beneficio. De iuribus et obligationibus status clericalis iam supra lib. 2, tit. 2 et 3 sermo fuit; de iuribus autem et obligationibus uniuscuiusque beneficiarii in particulari, e. gr. Cardinalium, episcoporum, parochorum, canonicorum, pariter in propriis locis iam tractatum est. Restat igitur solummodo dicendum de iuribus et obligationibus beneficiariorum in communi.

Q. 438. *Quaenam sint iura communia beneficiariorum?*

R. 1. Quilibet beneficiarius, capta legitime beneficii possessione, omnibus iuribus fruitur tam temporalibus quam spiritualibus, quae beneficio adnexa sunt[43].

2. Etsi beneficiarius alia bona non beneficialia habet, libere uti et frui potest iis fructibus beneficialibus, qui ad eius honestam sustentationem sunt necessarii; obligatione autem tenetur impendendi superfluos pro pauperibus aut piis causis[44]. Soli Cardinales possunt libere disponere de omnibus, etiam superfluis fructibus beneficialibus. Quinam sint fructus beneficiales, iam supra q. 422 dictum est. Disputant quidem canonistae et theologi, utrum obligatio expendendi fructus superfluos beneficiales oriatur ex iustitia an ex sola lege ecclesiastica; sed verius et communius asserunt, hanc obligationem oriri ex sola lege ecclesiastica; ac proinde si beneficiarius istos fructus non dat pauperibus aut causis piis, peccat quidem graviter (si sunt notabiles fructus), non autem tenetur ad restitutionem. Latius de hac re egi in Man. Theol. mor. II, n. 36 sqq.

Q. 439. *Quaenam sint obligationes communes beneficiariorum?*

R. 1. Quilibet beneficiarius (etiam non constitutus in ordinibus maioribus) tenetur cotidie canonicas horas recitare[45]. Si, nullo legitimo detentus impedimento, huic obligationi non satisfecit, fructus beneficiales pro rata parte omissionis non facit suos, eosque fabricae ecclesiae aut seminario dioecesano tradat vel in pauperes eroget[46]. Haec obligatio recitandi horas canonicas est aeque gravis pro omnibus beneficiariis ac pro clericis constitutis in maioribus ordinibus. Beneficiarius, qui culpabiliter omittit recitare horas canonicas, tenetur pro rata parte omissionis fructus beneficiales perceptos restituere, idque etiam ante sententiam iudicis[47]. Beneficiarius autem, qui praeter onus recitandi officii habet alia sustinenda onera beneficio adnexa, e. gr. curam paroecialem animarum, non tenetur omnes fructus beneficiales

[43] c. 1472. [44] c. 1473. [45] c. 1475, § 1. [46] Ib. § 2.
[47] Cf. Prop. 20 damn. ab Alexandro VII (*Denz.* n. 1120).

alicuius diei restituere, si totum officium divinum omisit. Ita sententia hodie communis. Ratio est, quia talis beneficiarius recipit fructus non solum propter horas canonicas recitandas, sed etiam propter curam animarum peragendam. Proinde aequum est, ut non amittat omnes fructus, si tantum partem sui oneris neglexit. Quanta pars fructuum tunc restituenda sit, non concordant auctores. Videtur semper sufficere dimidia pars et aliquando etiam quarta pars [48].

2. Beneficiarius debet bona ad suum beneficium pertinentia administrare ad normam iuris ut beneficii curator [49]. Quodsi negligens aliove modo in culpa fuerit, damna resarcire beneficio debet atque ad ea compensanda ab Ordinario loci compellendus est; immo, si est parochus, a paroecia amoveri poterit [50]. Quodsi bona ad beneficium pertinentia in proprios usus converterit, incurrit excommunicationem aliasque poenas a iure statutas [51].

3. Beneficiarius debet ipse ferre sumptus *ordinario modo* conexos cum bonorum beneficialium administratione et fructuum perceptione; impensae vero pro *extraordinariis* domus beneficialis reparationibus ab iis ferendae sunt, quibus onus reficiendi beneficialem ecclesiam incumbit, nisi tamen fundationis tabulae aut legitimae consuetudines vel conventiones aliud cavent. Minores reparationes domus beneficialis incumbunt ipsi beneficiario, qui eas quamprimum perficiat, ne maiorum necessitas enascatur [52]. Ordinarius loci tenetur advigilare etiam per vicarios foraneos, ut bona beneficialia conserventur et rite administrentur [53]. Si bona beneficialia locantur, anticipatae solutiones pretii locationis ultra semestre prohibentur sine licentia Ordinarii loci, qui in casibus extraordinariis caveat congruis praescriptionibus, ne talis locatio in damnum vergat loci pii aut successorum in beneficio [54]. Ceterum in locatione bonorum beneficialium observanda sunt ea, quae infra q. 455 dicentur. Annui reditus beneficii inter successorem et antecessorem (eiusve heredes in casu obitus) pro rata temporis, quo uterque beneficio deserviit, distribuantur, et quidem omnibus proventibus et oneribus currentis anni computatis, nisi legitima consuetudo aut peculiaria statuta rite approbata alium iustae computationis modum induxerint [55].

Si beneficium *vacat*, tunc, deductis quibuslibet expensis, fructus beneficii vacantis pro altera dimidia parte accrescunt doti beneficii vel massae communi (in capitulis), pro altera vero cedunt fabricae ecclesiae seu sacrario, salva legitima consuetudine, qua fructus omnes in bonum commune dioeceseos erogentur [56]. — Ex quibus omnibus apparet, in his rebus beneficialibus maxime attendendas esse consuetudines legitimas particulares.

De obligatione residendi, quae incumbit nonnullis beneficiariis, e. gr. parochis, canonicis, episcopis, in suis propriis locis dictum est.

[48] Cf. nostrum Man. theol. mor. II 364. [49] c. 1476, § 1.
[50] Ib. § 2. [51] c. 2346. [52] c. 1477. [53] c. 1478.
[54] c. 1479. [55] c. 1480. [56] c. 1481.

Quod ad *„mediam annatam"* attinet, i. e. ad solutionem dimidiae partis fructuum S. Sedi faciendam, qui primo anno a beneficiario percipiuntur, observentur peculiaria statuta ac laudabiles consuetudines in unaquaque regione vigentes [57]. Ceterum media annata in multis regionibus abolita est.

Quantum ad bona *mensae episcopalis*, ea diligenter ab episcopo administrentur, atque ex iis domus episcopalis sarta tectaque conservetur et, si opus est, restauretur, quoties huiusmodi onus ex peculiari titulo aliis non incumbit. Curent quoque episcopi, ut, accurato inventario confecto, utensilia omnia vel bona mobilia domui episcopali forte addicta atque in dominio mensae episcopalis constituta ad successorem ex toto secureque transmittantur [58].

CAPUT VI.

De dimissione et permutatione beneficiorum.

Q. 440. *Quaenam requirantur ad legitimam dimissionem et permutationem beneficiorum?*

I. Ad legitimam dimissionem [59]

R. 1. Requiruntur imprimis ea omnia, quae supra lib. 2, tit. 4, c. 2 dicta sunt de renuntiatione officiorum ecclesiasticorum. Quodlibet enim beneficium ecclesiasticum supponit officium. — Dimissio vel renuntiatio beneficii altera est explicita, altera implicita seu tacita. Implicite seu tacite dimittit clericus beneficium octo modis in c. 188 enumeratis, de quibus iam supra q. 83 dictum est. Explicita dimissio seu renuntiatio fieri potest vel *absolute* sive pure et simpliciter, vel *condicionate*, e. gr. cum condicione pensionis recipiendae, cum condicione regressus.

2. Requiritur *legitima causa;* arbitraria enim dimissio beneficii ecclesiastici cederet in magnum detrimentum Ecclesiae. Generatim legitima causa est necessitas vel utilitas Ecclesiae; particulariter autem enumerantur sex causae, sc. conscientia criminis occulti, debilitas corporis, defectus scientiae, malitia plebis, grave scandalum populi, irregularitas.

3. Requiritur *subiectum capax*. Iuxta vigentem disciplinam prohibentur dimittere beneficium:

a) Novitii durante novitiatu [60]. Nihil autem obstat, ne quis ingressurus in novitiatum ante ingressum renuntiet beneficio, e. gr. paroeciali.

b) Clerici in sacris constituti, qui non habent unde vivant [61]. Quodsi clericus ordinatus fuit titulo beneficii, nequit huic beneficio renuntiare, nisi de consensu Ordinarii alium legitimum titulum ordinationis substituerit [62].

[57] c. 1482. [58] c. 1483.
[59] Cf. *F. Gillmann*, Die Resignation der Benefizien. Mainz 1901.
[60] c. 568. [61] c. 1484. [62] c. 1485.

4. Requiritur *obiectum aptum.* Omnia beneficia possunt quidem dimitti, nisi adsit specialis prohibitio. Specialiter autem prohibetur dimissio beneficii *litigiosi,* de quo iam mota est lis, lite pendente. Tale beneficium litigiosum potest quidem dimitti ab alterutro ex litigantibus in commodum alterius, sed non in commodum tertii[63]. Generatim Ordinarius nequit admittere dimissionem beneficiorum in commodum aliorum vel sub aliqua condicione, quae ipsam beneficii provisionem aut redituum erogationem attingit, nisi agatur de beneficiis litigiosis, et dimissio fiat in commodum alterius litigantium[64]. — Prohibetur quoque resignatio beneficii, quo quis ob crimen vel aliam causam (e. gr. incompatibilitatem) *ipso iure* privatus est. Ratio est, quia nemo potest dimittere beneficium, quod non est suum. Iamvero qui ipso iure privatur beneficio, illud iam non possidet ut suum. Valde pauci sunt casus, in quibus privatio beneficii ipso iure incurritur.

5. Requiritur *legitima forma* dimissionis, sc. requiritur, ut dimissio sit libera (non gravi metu iniusto aut dolo extorta), non sit simoniaca, sit scripto et expresse data[65], sit acceptata a legitimo superiore ecclesiastico. Clericus, qui in manus laicorum officium aut beneficium ecclesiasticum resignare praesumpserit, ipso facto in suspensionem a divinis incurrit[66].

II. Ad legitimam permutationem

Requiritur: 1. *Causa sufficiens,* sc. Ecclesiae necessitas aut utilitas; non autem sufficit *sola* utilitas beneficiariorum.

2. Ut praecaveatur aliorum detrimentum, e. gr. patroni, ac proinde requiritur consensus patroni, si agitur de beneficio iuris patronatus[67].

3. Ut adsit licentia Ordinarii loci, non autem sufficit licentia Vicarii generalis, nisi hic habet peculiare mandatum episcopi. Pariter non sufficit licentia Vicarii capitularis[68]. De hac licentia Ordinarii loci statuitur, ut detur (vel denegetur) infra mensem. Postquam licentia obtenta est, permutatio valet a momento consensus ab Ordinario praestiti[69]. Ordinarius loci nequit permittere permutationem beneficiorum, si utrumque vel alterutrum S. Sedi est reservatum[70].

4. Ut fiat aut scripto aut oretenus coram duobus testibus aut etiam per procuratorem speciali mandato munitum. Scriptum autem permutationis est deponendum in Curia episcopali[71].

5. Ne fiat inter plures quam inter duos beneficiarios[72]. Quare sola permutatio bilateralis, non autem sic dicta triangularis vel quadrangularis permittitur.

6. Ne fiat *condicionate.* Quare si beneficia sunt inaequalia, nequeunt compensari reservatione fructuum aut praestatione pecuniae aut cuiusque rei pretio aestimabilis[73].

---

[63] c. 1486. [64] Ib. [65] Cf. c. 185 et 186. [66] c. 2400.
[67] c. 1487, § 1. [68] Ib. [69] Ib. § 2. [70] Ib. § 3.
[71] c. 186. [72] c. 1488, § 2. [73] Ib. § 1.

Nota. Permutatio beneficiorum, quae est resignatio mutua duorum beneficiariorum eo pacto, ut alter alterius beneficium consequatur, hodie raro occurrit neque est confundenda cum translatione, qua alter beneficiarius a legitima auctoritate transfertur in alterius beneficium, quin tamen pactum intercesserit inter duos beneficiarios. De tali translatione clericorum in genere sermo fuit supra l. 2, t. 4, c. 2, et praesertim in can. 193 sq.; de translatione autem speciali episcoporum et parochorum supra q. 123 et 158.

TITULUS XXVI.

De aliis institutis ecclesiasticis non collegialibus.

Q. 441. *Quid generatim statutum sit de huiusmodi institutorum erectione, administratione, unione, suppressione?*

R. 1. Instituta ecclesiastica non collegialia, ut hospitalia, orphanotrophia aliaque similia ad opera religionis vel caritatis (sive spiritualis sive temporalis) destinata, possunt ab Ordinario loci erigi tamquam personae iuridicae. Attamen loci Ordinarius haec instituta ne approbet, nisi finis fundationis utilis reapse sit et talis constituta fuerit dos, quae omnibus perpensis sufficit vel saltem sufficiens fore praevidetur ad illum assequendum[74]. In tabulis fundationis pius fundator accurate describat totam instituti constitutionem, finem, dotationem, administrationem, regimen, usum redituum, successionem in bona casu exstinctionis ipsius instituti. Quae quidem tabulae fundationis duplici exemplari conficiendae sunt, quorum alterum in archivo instituti, alterum in archivo Curiae episcopalis reponatur[75].

2. *Administratio bonorum* huiusmodi institutorum pertinet ad eorum rectorem, qui iisdem obligationibus tenetur, iisdemque iuribus fruitur, quibus administratores aliorum bonorum ecclesiasticorum[76].

3. *Visitatio huiusmodi institutorum* (quamvis exemptorum) semper pertinet ad Ordinarium loci[77]. Immo si domui religiosae sunt concredita talia instituta, subduntur penitus iurisdictioni Ordinarii loci, si domus religiosa est *iuris dioecesani;* sin autem domus religiosa est iuris pontificii, subduntur soli vigilantiae Ordinarii loci, idque in iis, quae spectant ad religionis magisteria, honestatem morum, exercitationes pietatis, sacrorum administrationem[78]. In omni autem casu, quamvis tale institutum sit ex fundatione, praescriptione aut privilegio apostolico exemptum a iurisdictione et visitatione Ordinarii loci, tamen ius Ordinario est exigendi redditionem rationum. Omnis vero contraria consuetudo reprobatur. Quodsi fundator velit in fundatione stipulare, ut administratores non teneantur reddere rationem Ordinario, talis fundatio ne acceptetur[79]. Ordinarius advigilet, ut piae fidelium voluntates in horum institutorum fundatione expressae plene serventur[80].

---

[74] c. 1489, § 1 2. [75] c. 1490. [76] c. 1489, § 3. [77] c. 1491, § 1.
[78] Ib. § 2. [79] c. 1492. [80] c. 1493.

4. Unio, mutatio in usus a fundatione alienos, suppressio horum institutorum fieri nequit sine venia S. Sedis, nisi in tabulis fundationis aliud caveatur[81].

PARS VI.

De bonis Ecclesiae temporalibus.

Praenotamen. Inter res ecclesiasticas, de quibus agit tertius liber Codicis iur. can., ultimum locum obtinent bona temporalia. Quare in hac ultima parte libri tertii de iis tractatur. Bona ecclesiastica in genere sunt omnia bona temporalia (sive corporalia cum immobilia tum mobilia, sive incorporalia), quae vel ad Ecclesiam universalem et ad Sedem Apostolicam vel ad aliquam ecclesiasticam personam moralem pertinent[1]. Dividuntur autem bona ecclesiastica:

1. in *sacra* seu religiosa, quae consecratione vel benedictione ad cultum divinum destinata sunt[2], e. gr. calices consecrati, ecclesiae saltem benedictae; et in *communia*, quae carent consecratione vel benedictione, et ratione solius finis vel subiecti ecclesiastica sunt, velut silvae, agri, animalia. Talia enim bona serviunt ad fines sacros, e. gr. ad sustentationem ministrorum Ecclesiae, et sunt proprietas ecclesiastica;

2. in *corporalia* et *incorporalia*, prout sensu corporeo attingi possunt, ut praedia, pecunia, vel prout solo intellectu percipiuntur, v. gr. actiones, iura, obligationes[3];

3. in *mobilia* et *immobilia*, prout de loco facile moveri possunt, e. gr. calices, ornamenta sacra; vel prout censentur immobiliter in loco exsistentia, e. gr. ecclesiae, capellae. Dicitur: *censentur;* etenim attendendae sunt leges in singulis materiis. Quare e. gr. segetes in agris crescentes censentur res immobiles; eaedem autem segetes, quando sunt abscisae, censentur bona mobilia;

4. in *pretiosa* et *non-pretiosa*, prout notabilem valorem sive artis sive historiae sive materiae causa habent vel non.

Q. 442. *Utrum Ecclesia habeat ius nativum acquirendi et administrandi bona temporalia?*

R. Affirmativa responsio est de fide contra errores Arnaldi de Brixia († a. 1155), Waldensium (ineunte saec. decimo tertio), Marsilii Patavini († a. 1327), Wicleffi († a. 1387), Gallicanorum, quorundam Protestantium, docentium Ecclesiam non habere ius nativum in bona temporalia, sed solummodo ex libera concessione auctoritatis civilis.

Probatur 1. *ex definitionibus Ecclesiae.* Concilium constantiense et Martinus V damnaverunt complures propositiones Wicleffi hac de re prolatas: prop. 10: „Contra Scripturam S. est, quod viri ecclesiastici habeant possessiones"; prop. 32: „Ditare clerum est contra regulam Christi"; prop. 36: „Papa cum omnibus clericis suis possessionem habentibus sunt haeretici, eo

[81] c. 1494. [1] c. 1497, § 1. [2] Ib. § 2.

[3] De hac re dicitur in iure romano: „Corporales (res) sunt, quae sui natura tangi possunt, velut fundus ... aurum.... Incorporales autem sunt, quae tangi non possunt, qualia sunt ea, quae in iure consistunt" (Inst. II 2). Nonnulla moderna iura aliter statuunt.

quod possessiones habent; et consentientes iis, omnes videlicet domini saeculares et ceteri laici."[4] Pius IX in Syllabo damnavit prop. 26: „Ecclesia non habet nativum ac legitimum ius acquirendi et possidendi."[5] Idem Pius IX dixit in allocutione consistoriali „Quibus luctuosissimis" d. 5 Sept. 1851: „Omni studio et contentione vindicandum ac tuendum curavimus ius, quo Ecclesia pollet; acquirendi sc. et possidendi quaecumque bona stabilia et frugifera, veluti innumera prope Conciliorum acta et SS. Patrum sententiae et exempla et Praedecessorum Nostrorum constitutiones apertissime loquuntur, sapientissime docent ac demonstrant." Codex iur. can. c. 1495, § 1 statuit: „Ecclesia catholica et Apostolica Sedes nativum ius habent, libere et independenter a civili potestate acquirendi, retinendi et administrandi bona temporalia ad fines sibi proprios prosequendos."

Probatur 2. *ex S. Scriptura.* Ipse Institutor Ecclesiae D. N. I. Chr., etsi quam maxime paupertatem commendavit et ipse exercuit, tamen bona temporalia in usum Apostolorum habuit, ut apparet ex evangelio S. Ioannis 13, 27 sqq.: „Quod facis, fac citius. Hoc autem nemo scivit discumbentium, ad quid dixerit ei. Quidam enim putabant, quia loculos habebat Iudas, quod dixisset ei Iesus: Eme ea, quae opus sunt nobis ad diem festum, aut egenis ut aliquid daret." Quae cum ita sint, verba Christi[6]: „Nolite possidere aurum...", intelligenda sunt vel de aliquo casu particulari, vel de *spiritu* paupertatis. — Apostoli ipsi instituerunt septem diaconos pro administrandis rebus temporalibus ecclesiasticis[7].

Probatur 3. *ex perpetua praxi Ecclesiae.* Primis saeculis quidem Ecclesia persecutionibus diris agitata non videtur possedisse nisi parva bona temporalia. Attamen Christiani probabiliter formaverunt sic dicta „collegia funeraticia" vel „collegia tenuiorum"[8], ut possent bona temporalia possidere. Immo bona quoque *immobilia* tunc temporis Ecclesia possidebat, cum edicto Constantini et Licinii iussi sint ethnici restituere Christianis ea, quae rapuerant[9]. Data pace a Constantino, Ecclesia coepit bonis temporalibus abundare ex oblationibus imperatorum et fidelium. Lege quoque civili ius Ecclesiae in bona temporalia agnitum est[10], et ipsa Ecclesia omnibus viribus semper hoc suum ius defendit etiam ferendo severissimas poenas in bonorum ecclesiasticorum usurpatores[11].

Probatur 4. *ratione.* Si Christus Ecclesiam suam instituisset pro puris spiritibus, atque si non exegisset nisi cultum mere spiritualem, sane necessaria non fuissent in tali Ecclesia bona temporalia. Cum autem constet, Ecclesiam esse fundatam pro hominibus ex anima et corpore compositis, cum Ecclesia sit societas visibilis eaque perfecta et independens, cum cultus Deo praestandus ab Ecclesia sit internus externusque, cum demum ii qui deserviunt altari, etiam de altari vivere conveniens sit, omnino oportet dicere, Ecclesiam habere ius acquirendi et possidendi bona temporalia atque hoc ius esse *divinum,* utpote fluens ex voluntate ipsius Christi fundatoris[12].

[4] *Denz.,* Enchir. 590 612 616. [5] Ib. n. 1726. [6] Mt 10, 9.

[7] Acta 6, 2 sq. [8] Cf. *Mommsen,* De colleg. et sodal. Romanorum 87.

[9] Cf. *Lactantius,* De morte persecut. 48 (*Migne,* P. l. 7, 269).

[10] L. 1. Cod. de sacrosanct. eccles. [11] Cf. c. 2345 sq.

[12] In longum et latum et optime disserit de hac re *Thom. Mamacchi* O. P., Del diritto libero della Chiesa di acquistare e possedere l. 2, c. 2, ubi quoque bene tractatur de historia possessionum Ecclesiae. Item *Stutz,* Geschichte des kirchlichen Benefizialwesens 2 sqq.

Corollarium. 1. Cum igitur Ecclesia bona temporalia possideat iure divino, sequitur, ut usurpatores bonorum ecclesiasticorum non tantum sint latrones, qui vi abripiunt legitimo proprietario bona, sed etiam speciali modo transgrediantur mandatum et voluntatem Christi Ecclesiam fundantis. Experientia multorum saeculorum compertum est, bona ecclesiastica vi ablata non commodo esse raptoribus, sed iis potius obesse quam prodesse. — Obiectiones, quae ab adversariis fiunt contra ius Ecclesiae possidendi bona temporalia, e. gr. contra nimium incrementum „manus mortuae" etc., non vacat hic refutare[13].

2. Cum membra Ecclesiae sint visibilia, ipsa debent media suppeditare, quae necessaria sunt pro fine societatis ecclesiasticae obtinendo. Quare Ecclesiae quoque ius est, idque independens a civili potestate, exigendi a fidelibus ea, quae ad cultum divinum, ad honestam clericorum aliorumque ministrorum sustentationem et ad reliquos fines sibi proprios sint necessaria[14]. Ecclesia igitur potest imponere tributa et taxas solvendas; ordinarie tamen contenta est solis oblationibus libere factis.

Q. 443. *Cui proprie competat dominium bonorum ecclesiasticorum in particulari?*

R. Antiquitus de hac quaestione exsistebant controversiae, sed hodie vix ullum serium dubium remanet, quin dominium bonorum ecclesiasticorum in particulari sit penes singulas ecclesias aliasque personas morales ecclesiasticas. Quare statuit Codex iur. can.[15]: „Etiam ecclesiis singularibus aliisque personis moralibus, quae ab ecclesiastica auctoritate in iuridicam personam erectae sint, ius est ad normam sacrorum canonum bona temporalia acquirendi, retinendi et administrandi." „Dominium bonorum, sub suprema auctoritate Sedis Apostolicae, ad eam pertinet moralem personam, quae eadem bona legitime acquisiverit."[16]

Aliae sententiae antiquorum sunt hae: 1. *Ipse Christus vel S. Petrus* est verus dominus omnium bonorum ecclesiasticorum. Hinc a s. canonibus vocantur bona ecclesiastica „pecuniae Christi", „Christi patrimonium"[17]. *Schmalzgrueber*[18] allegat pro hac sententia Innocentium IV, Navarrum, Donatum. *Reiffenstuel*[19] quoque videtur huic sententiae favere, quae tamen hodie merito obsoleta est. Si enim Christus vel S. Petrus essent proprii domini bonorum ecclesiasticorum, tunc etiam in casu, quo eadem bona onerantur debitis, Christus vel S. Petrus haberent debita et forte essent solvendi incapaces. Quod sane nemo dicet.

2. *Ecclesia universalis* habet proprium dominium in omnia bona ecclesiastica. Haec sententia aliquid veri continet; nam cum Ecclesia universalis sit societas perfecta, etiam capax est dominii in bona temporalia et revera talia bona possidet, e. gr. patrimonium Petri seu ditionem pontificiam, bona ad Cameram Apostolicam pertinentia; at minime probatur, Ecclesiam universalem esse proprium et *unicum* subiectum dominii in omnia bona ecclesiastica cum exclusione cuiuscumque alterius veri possessoris seu domini. Quare optimo iure dicit Concilium neogranat. a. 1868: „Ad universalis

[13] Videsis *Cavagnis*, Instit. iur. publ. l. 4, c. 2, a. 7, n. 383 sqq. [14] c. 1496.
[15] c. 1495, § 2. [16] c. 1499, § 2. [17] c. 1 et 6, C. XII, q. 2.
[18] l. 3, tit. 25, § 2. [19] l. 3, tit. 25, n. 47 sqq.

Ecclesiae caput spectat *altum* rerum ecclesiasticarum *dominium*, tueri et defendere sua bona eorumque administrationem moderari, at *utile dominium et directum* speciatim cuiusque singularum ecclesiarum ad illam pertinet ecclesiam, cui tituli possessionis addicti sunt."

3. *Romanus Pontifex* habet „ius eminens possidendi omnia bona ecclesiastica"[20]. Ratio est, quia Romanus Pontifex est subiectum immediatum et visibile omnium iurium Ecclesiae. Sed haec sententia merito relinquitur fere ab omnibus, quia Romanum Pontificem esse immediatum subiectum omnium iurium videtur esse falsum. Quare iam S. Thomas docuit: „Quamvis res Ecclesiae sint eius (Papae) ut principalis dispensatoris, non tamen sunt eius ut domini et possessoris."[21]

Prima fronte considerata haec controversia posset videri mere speculativa ac esse potius lis de verbis, attamen revera practicas conclusiones secum fert. Nam si quaelibet ecclesiastica persona iuridica est verus proprietarius suorum bonorum, sequitur, ut nullus superior maior de illis bonis libere disponere valeat sine iniustitia proprie dicta. Summus Pontifex habet quidem *dominium altum* omnium bonorum ecclesiasticorum, sicuti princeps civilis habet dominium altum omnium bonorum civilium; sed sicut princeps civilis nequit arbitrarie disponere de bonis suorum civium, ita Summus Pontifex nequit arbitrarie disponere de omnibus bonis ecclesiasticis. Potest quidem condonare bona ecclesiastica, quae in iniqua saecularizatione a laicis usurpata fuerunt; potest concedere ecclesiam ordinis religiosi alii ordini; sed de his valent ea, quae princeps observare debet in sic dicta „expropriatione" bonorum privatorum; i. e. debet a) adesse gravis causa boni communis et b) concedi aequivalens compensatio. — Superior religiosus maior vel generalis nequit nec valide nec licite disponere de bonis alicuius monasterii vel conventus (seclusis statutis particularibus), nisi accedat liber consensus illorum qui legitimam monasterii administrationem habent.

TITULUS XXVII.

De bonis ecclesiasticis acquirendis.

Q. 444. *Quinam sint modi, quibus Ecclesia acquirit bona temporalia?*

R. Ecclesia acquirere bona temporalia potest omnibus iustis modis iuris sive naturalis sive positivi, quibus id aliis licet[22]. De modis acquirendi dominium in genere latius egi in Man. theol. mor. II 39 sqq. Praecipui modi, quibus Ecclesia acquirit dominium, sunt liberae fidelium oblationes, fundationes piae, legata et testamenta, vectigalia et taxae, praescriptiones et contractus. De piis fundationibus erit sermo infra tit. XXX, de contractibus autem tit. XXIX.

Q. 445. *Quid notandum sit circa oblationes fidelium libere factas pro Ecclesia?*

R. Antiquissimus est fidelium usus libere offerendi munera pro cultu divino. Talis usus exsistebat iam in Vetere Testamento[23]. Apo-

[20] Ita *Sanguineti* S. J., Iur. eccl. instit.[4] 354 sqq.
[21] S. th. 2, 2, q. 100, a. 1 ad 7. Cf. Comm. Caietani in hunc locum.
[22] c. 1499, § 1. [23] Cf. Ex 23, 15 sq.

stolorum tempore oblationes liberae fidelium fuerunt abundantes. Primis saeculis nemo quidem cogebatur facere tales oblationes; attamen satis turpe habitum est, si quis non dabat oblationes congruas[24]. Ex alia parte non omnium oblationes acceptabantur (praesertim sic dictae eucharisticae, quae inserviebant pro sacrificio Missae), quoniam oblationes significabant ecclesiasticam unionem. Sic e. gr. oblationes eorum, qui in haeresim lapsi fuerunt, oblationes usurarii, vel oppressoris pauperum et generatim oblationes publicorum peccatorum, repudiabantur. Oblationes solebant fieri in ecclesia tempore Missae et erant praecipue vinum et panis, thus, oleum, lac, mel. Ex oblatis pane et vino celebrabatur Eucharistia, et, quod supererat, clericis et pauperibus dabatur. Paulatim quoque loco panis et vini aliarumque rerum offerebatur pecunia, unde Missarum stipendia orta esse communiter docetur. Dabant insuper fideles oblationes, quando sepultura fiebat, quando sacramenta suscipiebant. Quae quidem oblationes initio voluntariae erant, sed tempore currente ex consuetudine vim legis habente factae sunt quasi obligatoriae et quoad quantitatem determinatae; unde orta sunt sic dicta „iura stolae". Hodiernis temporibus solent fieri „collectiones" (vulgo quête, Kollekte), sive durante divina liturgia sive ad portam ecclesiae sive alibi. Salvis privilegiis nonnullarum religionum Mendicantium aliorumque vetantur privati tam clerici quam laici sine Sedis Apostolicae aut proprii Ordinarii et Ordinarii loci licentia *in scriptis data* stipem colligere pro quolibet pio aut ecclesiastico instituto vel fine[25]. Cum autem solis *privatis* clericis et laicis prohibitum sit, sine licentia Ordinarii loci stipem colligere, non videtur esse illicitum, a) ut parochus stipem colligat in sua ecclesia vel suo territorio paroeciali pro necessitatibus sui gregis vel cultus; b) ut clericus vel religiosus vel laicus petat ab uno alterove vel paucis subsidium, cum talis petitio non sit proprie stipem colligere.

Oblationes factae in ecclesiis vel oratoriis, quae intra finem alicuius paroeciae reperiuntur et *paroeciali iurisdictioni* subsunt, pertinent ad ecclesiam paroecialem, ut patet ex compluribus decisionibus S. Congregationis Concilii. Attamen in praxi standum est statutis particularibus, legitimae consuetudini et ante omnia voluntati certae offerentium[26].

Quaestio est: Num religiosi exempti teneantur in suis ecclesiis facere „Collectiones", quas episcopus pro determinato fine praescribit ex *propria auctoritate?* Non videtur adesse stricta obligatio, quia auctoritas episcopi in ecclesias religiosorum exemptorum se extendit quidem in functiones liturgicas[27], sed tales collectiones non sunt functiones liturgicae. Aliter res se habet, si episcopus non propria sed *apostolica* auctoritate collectas praescribit, e. gr. si praescribit eleemosynam dandam pro partialibus dispensationibus ieiunii quadragesimalis. Tunc enim religiosi quoque exempti debent huiusmodi eleemosynas acceptare et episcopo tradere.

[24] Cf. S. Cyprianus, S. Augustinus, S. Caesarius loquentes de hac re et allegati a Devoti, Inst. can. l. 2, tit. 17, § 3.

[25] c. 1503.

[26] S. Rota in causa uxentina d. 9 Iul. 1910 decrevit, ut in illo casu oblationes non pertinerent ad parochum (Acta Ap. Sed. II 860—874).

[27] c. 1261.

Q. 446. *Quomodo Ecclesia acquirat bona per decimas, primitias, taxas, vectigalia?*

R. 1. *Decimae*, ut verbum ipsum indicat, sunt decima pars fructuum vel redituum, quam fideles pro cultu et sustentatione clericorum solvere debent. Aliquando tamen non accurate decima pars redituum, sed maior vel minor pars datur. Diversae distinguebantur decimae: reales, praediales, personales, mixtae, maiores, minores seu minutae, novales etc.[28] Iam in Vetere Testamento levitis et sacerdotibus debebantur decimae[29]. Nostris temporibus ius decimarum magnas mutationes subiit, neque possunt statui regulae generales, quae valent pro omnibus regionibus. Quare statuit Codex iur. can.[30]: „Ad decimarum et primitiarum solutionem quod attinet, peculiaria statuta ac laudabiles consuetudines in unaquaque regione serventur."

2. *Primitiae* sunt primi fructus rerum, e. gr. uvarum, frumenti, qui offerebantur pro cultu et sustentatione clericorum. De iis valent ea, quae supra de decimis dicta sunt.

3. *Taxae et vectigalia ecclesiastica* hodie vigentia sunt:

a) *Cathedraticum*, de quo statuitur: „Omnes ecclesiae vel beneficia *iurisdictioni episcopi subiecta*, itemque laicorum confraternitates (quae per modum organici corporis sunt constitutae et propria ecclesia utuntur, non autem aliae, cf. supra q. 267) debent quotannis *in signum subiectionis* (non autem propter alium finem) solvere episcopo Cathedraticum seu moderatam taxam."[31] Religiosi exempti non tenentur solvere de monasteriis et ecclesiis suis cathedraticum; sin vero iis concreditae sunt ecclesiae saeculares aut beneficia iurisdictioni episcopi subiecta, obligantur profecto ad solvendum cathedraticum, sicut saeculares. Quantitas cathedratici, si non est iam determinata ex antiqua consuetudine, statuenda est a Concilio provinciali vel a conventu episcoporum provinciae et eget approbatione S. Sedis[32].

b) *Seminaristicum*, i. e. subsidium pro sustentatione seminarii dioecesani. Quinam debeant solvere istud subsidium, supra q. 410 dictum est.

c) *Pensio beneficialis*, quae aliquando imponitur in collatione beneficii, e. gr. in gratiam parochi ex paroecia exeuntis[33].

[28] Videsis *Devoti*, Instit. can. l. 2, tit. 16. [29] Cf. Lv 27, 30. [30] c. 1502.

[31] c. 1504. Notare iuvat hoc cathedraticum solvendum esse ab omnibus prorsus beneficiis episcopi iurisdictioni subiectis, sive sint perpetua sive manualia; lex enim non distinguit. Hinc solvi debet non solum ab omnibus parochis etiam ad nutum amovibilibus, sed etiam a canonicis specialem praebendam possidentibus. Si autem singuli canonici sustentantur ex massa communi, tunc unicum cathedraticum est ex eadem massa persolvendum. S. C. Conc. d. 13 Mart. 1920 (Acta Ap. Sed. XII 445).

[32] c. 1507, § 1. [33] c. 1429.

d) *Exactiones extraordinariae,* quae solent vocari subsidium caritativum, nequeunt ab episcopo imponi beneficiariis (sive saecularibus sive religiosis) nisi speciali dioecesis necessitate impellente[34]. Cum talium exactionum impositio sit res magni momenti, episcopus debet audire consilium capituli cathedralis. Nemini nisi beneficiariis hae exactiones imponi possunt, quae insuper sint modicae neve nimis onerent beneficiarios.

e) *Procurationes,* quae sunt praestatio victus et honestae sustentationis exhibenda episcopis aliisque praelatis eorumque decenti comitatui tempore visitationis canonicae. Nihil a iure communi hac de re statutum est. Quare decernit Codex iur. can.[35]: „Circa victualia sibi (episcopo) suisque ministranda vel procurationes et expensas itineris servetur legitima locorum consuetudo."

Alia tributa (praeter supra recensita) in bonum dioecesis vel pro patrono imponere ecclesiis, beneficiis aliisque institutis ecclesiasticis quamquam sibi subiectis Ordinarius potest tantummodo in actu fundationis vel consecrationis; sed nullum imponi tributum potest super eleemosynis Missarum sive manualium sive fundatarum[36].

Quomodo superiores religiosi maiores possint imponere domibus et conventibus sibi subditis tributa, non determinatur iure communi, sed iure particulari uniuscuiusque religionis.

4. *Taxae* pro variis actibus iurisdictionis voluntariae, e. gr. pro benedictione matrimonii, pro exsequiis peragendis, vel pro exsecutione rescriptorum Sedis Apostolicae vel occasione ministrationis sacramentorum vel sacramentalium solvendae in tota ecclesiastica provincia praefiniendae sunt a Concilio provinciali aut a conventu episcoporum provinciae; sed nulla vi praefinitio eiusmodi pollet, nisi prius a Sede Apostolica approbata fuerit[37]. Approbatio S. Sedis non requiritur, sed necessaria est praefinitio Concilii provincialis aut conventus episcoporum provinciae pro definiendis taxis *in actibus iudicialibus*[38]. Episcopi solius est, manualem Missarum stipem in sua doecesi definire per decretum, quantum fieri potest, in dioecesana Synodo latum[39]. — Omnes quaestiones et controversiae de istis taxis proponendae sunt S. Congregationi Concilii et non S. Congregationi Consistoriali[40]. Nonnisi summa cum iniuria aliqui murmurant contra taxas ecclesiasticas; nam certum est, illas esse in se licitas, iustas ac multo magis moderatas quam taxas a curiis civilibus exactas. Vere pauperes eximendi sunt a quibusvis taxis. Fideles, qui renuerint solvere taxas ecclesiasticas, prudenter et serio quidem monendi sunt, sed raro iis hanc ob causam est deneganda absolutio sacramentalis[41].

---

[34] c. 1505. [35] c. 346. [36] c. 1506.
[37] c. 1507, § 1; cf. S. C. Conc. d. 11 Dec. 1920.
[38] Ib. § 2. [39] c. 831, § 1.
[40] Ita S. C. Consist. d. 21 Apr. 1910 (Acta Ap. Sed. II 330).
[41] Cf. S. Poenit. d. 4 Maii 1897 (Collect. de Prop. Fide n. 1967).

Q. 447. *Quomodo Ecclesia acquirat vel amittat bona titulo praescriptionis?*

R. 1. Praescriptio definiri potest: „acquisitio dominii per continuatam possessionem certo tempore a lege definito"[42]. Ut praescriptio sit legitimus titulus transferendi dominium, requiruntur quinque condiciones, quae his versiculis continentur: „Non usu capies, nisi sint tibi talia quinque: Res apta, fides, titulus, possessio, tempus." Latius de his condicionibus scripsi in Man. theol. mor. II 57 sqq. Praescriptio est vel acquisitiva et vocatur usucapio (Ersitzung) vel liberativa (Verjährung). — Praescriptione legitima dominium rerum temporalium posse acquiri in foro cum interno tum externo, docent omnes, licet non ita constet, utrum id fiat iure naturali an iure gentium an iure positivo.

2. Regula generalis est: „Praescriptionem tamquam acquirendi et se liberandi modum, prout est in legislatione civili respectivae nationis, Ecclesia pro bonis ecclesiasticis recipit"[43], salvis sequentibus exceptionibus[44].

a) Praescriptioni obnoxia non sunt:

α) quae sunt iuris divini (sive naturalis sive positivi);

β) quae obtineri possunt ex solo privilegio apostolico, e. gr. facultas dispensandi in lege communi ecclesiastica, beneficium consistoriale etc.;

γ) iura spiritualia, quorum laici non sunt capaces, si agitur de praescriptione in commodum laicorum, e. gr. iurisdictio conferenda a superiorissa religiosa;

δ) fines *certi* et *indubii* provinciarum ecclesiasticarum, dioecesium, paroeciarum, vicariatuum apostolicorum, praefecturarum apostolicarum, abbatiarum vel praelaturarum nullius. Aliud est, si agitur de finibus vere *dubiis;*

ε) eleemosynae et onera Missarum. Ergo si quis stipendia Missarum etiam per 30 annos oblitus est persolvere, non eximitur ab ipsorum persolutione;

ζ) beneficium ecclesiasticum sine titulo;

η) ius visitationis et oboedientiae, ita ut subditi a nullo praelato visitari possint et nulli praelato iam subsint;

θ) solutio cathedratici.

b) Res sacrae in dominio personae moralis nequeunt praescribi a persona privata. Ergo e. gr. calix in dominio alicuius ecclesiae exsistens nequit praescriptione acquiri ab aliquo clerico. Econtra huiusmodi res sacrae possunt praescribi ab alia persona ecclesiastica morali, e. gr. ab alia ecclesia. Insuper res sacrae, quae *in dominio privatorum* sunt, praescriptione acquiri a privatis personis possunt, quae tamen eas adhibere nequeunt ad profanos usus; si vero consecrationem vel

---

[42] L. 3, Dig. 41, tit. 3. [43] c. 1508. [44] c. 1509.

benedictionem amiserint, libere acquiri possunt etiam ad usus profanos, non tamen sordidos[45].

c) Tempus a lege civili uniuscuiusque regionis requisitum ad legitimam praescriptionem ordinarie quidem sufficit quoque pro rebus ecclesiasticis, attamen res immobiles, mobiles pretiosae (ratione artis, antiquitatis, materiae), iura et actiones (sive personales sive reales) non praescribuntur nisi spatio 100 annorum, si pertinent ad Sedem Apostolicam; spatio vero 30 annorum, si pertinent ad aliam personam *moralem* ecclesiasticam. Hinc e. gr. calix pretiosus pertinens ad ecclesiam aliquam nequit praescribi nisi spatio 30 annorum; sin vero talis calix pertinet ad aliquem sacerdotem, praescriptione acquiri potest in Germania spatio 10 annorum[46]. Nonnulla instituta religiosa habent specialia privilegia circa praescriptionem; sic e. gr. bona Mendicantium nequeunt praescribi nisi spatio 60 annorum.

Q. 448. *Quomodo Ecclesia acquirat bona titulo donationis vel testamenti vel legati?*

R. 1. Quicumque ex iure naturali et ecclesiastico libere valet de suis bonis statuere, potest ad pias causas, sive per actum inter vivos sive per actum mortis causa, bona relinquere[47]. Ergo hac in re non necessario observandae sunt leges civiles, quae aliquando prohibent aut annullant donationes factas sic dictae „manui mortuae". Ex iure ecclesiastico nonnulli prohibentur facere donationes, e. gr. religiosi, Cardinales et episcopi quantum ad quaedam sacra utensilia, ut supra dictum est. In *ultimis voluntatibus* in bonum Ecclesiae serventur, si fieri possit, sollemnitates iuris civilis; hae si omissae fuerint, heredes moneantur, ut testatoris voluntatem adimpleant[48]. Sententia longe communior docuit testamenta quoque *informia* ad causas pias esse valida et obligatoria in foro conscientiae[49]. Attamen cum Codex iur. can. statuat, ut heredes sint solummodo *monendi*, ut talia testamenta et generatim ultimas voluntates carentes formis legalibus adimpleant, confessarius potest aliquando absolvere poenitentem, qui innixus iure civili renuit adimplere huiusmodi ultimam voluntatem testatoris. Generatim enim in c. 1529 adoptavit ius ecclesiasticum ea quae statuit ius civile de contractibus et solutionibus.

2. Voluntates fidelium facultates suas in pias causas donantium vel relinquentium (sive per actum inter vivos sive per actum mortis causa) diligentissime impleantur etiam circa modum administrationis et erogationis bonorum[50]. Attamen Ordinarii, i. e. episcopi eorumque vicesgerentes, si agitur de piis voluntatibus factis pro causis ipsorum iurisdictioni subiectis, et superiores maiores religiosi exempti, si agitur de bonis datis pro ipsorum religione, sunt exsecutores omnium piarum voluntatum; ideoque isti Ordinarii vigilare possunt ac debent (etiam per visitationem), ut piae voluntates impleantur, et alii exsecutores

[45] c. 1510. [46] Cod. civ. germ. a. 937. [47] c. 1513, § 1. [48] Ib. § 2.
[49] Cf. S. Poenit. d. 10 Ian. 1901. [50] c. 1514.

delegati debent, perfuncti munere, illis reddere rationem. Clausulae autem huic Ordinariorum iuri contrariae ultimis voluntatibus adiectae tamquam non appositae habeantur[51].

3. Clericus vel religiosus, qui bona ad pias causas (sive per actum inter vivos, sive ex testamento) *fiduciarie* accepit, i. e. qui ea bona distribuere debet iuxta intentionem dantis, debet de hac sua fiducia Ordinarium (episcopum vel superiorem maiorem religiosum) certiorem reddere eique omnia istiusmodi bona seu mobilia seu immobilia cum oneribus adiunctis indicare; quodsi donator id expresse et omnino prohibuerit, fiduciam ne acceptet. Si bona fiduciaria alicui religioso commissa sunt attribuenda *ecclesiis loci seu dioecesis, incolis aut piis causis iuvandis,* Ordinarius, qui certior faciendus est, est episcopus eiusve vicesgerens; secus est superior maior proprius eiusdem religiosi. Ordinarius debet exigere, ut bona fiduciaria in tuto collocentur, et vigilare pro exsecutione piae voluntatis[52].

4. Ultimarum voluntatum reductio, moderatio, commutatio, quae fieri ex iusta tantum et necessaria causa debent, Sedi Apostolicae reservantur, nisi fundator hanc potestatem etiam Ordinario loci expresse concesserit[53]. Si tamen exsecutio onerum impositorum, ob imminutos reditus aliamve causam, *nulla administratorum culpa,* impossibilis evaserit, tunc Ordinarius quoque, auditis iis quorum interest et servata, meliore quo fieri potest modo, fundatoris voluntate, poterit eadem onera aeque imminuere, excepta Missarum reductione, quae semper Sedi Apostolicae unice competit nisi tamen in tabulis fundationum talis reductio expresse caveatur[54]. Iste casus facile accidere potest ob imminutum valorem pecuniae tempore labente. Sic e. gr. si quis legavit 10 000 francorum ea condicione, ut ex reditibus duo aegroti alantur in hospitali, et isti reditus nunc sine administratorum culpa prorsus insufficientes sunt, tunc Ordinarius potest statuere, ut unus solus aegrotus alatur.

TITULUS XXVIII.

De bonis ecclesiasticis administrandis.

Praenotamen. In hoc titulo non agitur nisi de administrandis bonis ecclesiasticis, quae ad clerum saecularem pertinent; nam supra lib. 2, tit. X,

[51] c. 1515.
[52] c. 1516. Episcopus bellovacensis proposuit S. Congreg. Concilii hoc dubium: „Utrum sacerdotes vel laici possint, inscio Ordinario, legata ad pias causas recipere eorumque administrationem gerere ac respectiva onera implere? Responsum est, d. 9 Aug. 1909: Omnes, sive sacerdotes sive laicos, quorum fidei concredita sunt legata ad pias causas, teneri de hoc quamprimum certiorem reddere episcopum, qui ius habet vigilandi super administrationem et consulendi securitati eorundem legatorum" (Acta Ap. Sed. I 766). Non videtur esse fiduciaria acceptio, si clericus recipit e. gr. 1000 fr. pro emendis ornamentis ecclesiae. Tunc enim est merum instrumentum, neque ulla administratio istius pecuniae requiritur.
[53] c. 1517, § 1.
[54] Ib. § 2. Pontif. Com. d. 14 Iul. 1922 (Acta Ap. Sed. XIV 529).

c. 3 tractatum est de religiosorum bonis temporalibus administrandis. Administratio bonorum ecclesiasticorum lapsu temporis multas mutationes subiit. Primis saeculis Apostoli et episcopi non solebant administrare bona ecclesiastica per semetipsos, sed per diaconos aut oeconomos. Saeculo decimo tertio aliquando committebatur administratio bonorum istorum etiam laicis, qui vocabantur procuratores, provisores, magistri fabricae, vitrici etc. Patronus autem ecclesiae nullum ius administrationis habuit. Hodiernis temporibus praesertim post Napoleonem I auctoritas civilis graviter se immiscet administrationi bonorum ecclesiasticorum, e. gr. in Germania, Austria, Italia, Gallia. Quam quidem immixtionem Ecclesia tolerat ad maiora mala vitanda. Proinde in hac administratione praeter ius commune attendendum est quoque ius particulare. — Administratio distinguitur ab acquisitione et alienatione bonorum ecclesiasticorum atque includit omnes illos actus, qui ad conservationem et meliorationem *substantiae* bonorum iam acquisitorum et ad conservationem, perceptionem et applicationem *fructuum et redituum* ecclesiasticorum spectant.

Q. 449. *Quinam sint legitimi administratores bonorum ecclesiasticorum?*

R. 1. „Romanus Pontifex est omnium bonorum ecclesiasticorum supremus administrator et dispensator“[55], vi primatus iurisdictionis, ideoque leges de administrandis bonis ecclesiasticis fert pro universa Ecclesia. In praxi autem solet sat magnam libertatem relinquere inferioribus administratoribus singularum ecclesiarum.

2. Loci Ordinarius, i. e. episcopus eiusve vicesgerens, est supremus, non autem immediatus et unicus administrator omnium bonorum ecclesiasticorum suae dioecesis. Quare loci Ordinarii est, a) sedulo advigilare administrationi omnium bonorum ecclesiasticorum, quae in suo territorio sunt nec ex eius iurisdictione fuerunt subducta, ut sunt bona religiosorum exemptorum; b) ordinare opportune editis peculiaribus instructionibus, intra fines tamen iuris communis, universum administrationis bonorum ecclesiasticorum negotium[56]. Econtra episcopus non videtur posse propria auctoritate disponere de bonis suae dioecesis. Quare e. gr. administratio bonorum ecclesiae cathedralis pertinet ad episcopum simul et ad capitulum; ideoque sine consensu capituli episcopus nequit disponere de bonis ecclesiae cathedralis[57].

3. Beneficiarii sunt administratores bonorum beneficialium, ut iam supra q. 439 dictum est.

Q. 450. *Quid iure communi statutum sit circa legitimam administrationem bonorum ecclesiasticorum?*

R. 1. „Ordinarius in sua civitate episcopali consilium (dioecesanum administrationis) instituat, quod constet praeside, qui est ipsemet Ordinarius, et duobus vel pluribus viris idoneis, iuris etiam civilis, quantum fieri potest, peritis, ab ipso Ordinario, audito capitulo, eligendis, nisi

[55] c. 1518. [56] c. 1519.
[57] Cf. Caus. cordubens. in America d. 1 Febr. 1915 (Acta Ap. Sed. VII 131 sqq.).

iure vel consuetudine peculiari iam alio aequivalenti modo legitime fuerit provisum.“[58]. Membra huius consilii dioecesani administrationis fieri nequeunt consanguinei vel affines episcopi in primo et secundo gradu, nisi tamen adsit indultum apostolicum[59]. Loci Ordinarius in administrativis actibus *maioris momenti* hoc consilium administrationis audire ne praetermittat; cuius tamen membra votum habent tantum consultivum, nisi iure communi in casibus specialiter expressis vel ex tabulis fundationis eorum consensus exigatur[60]. Membra huius consilii iusiurandum de munere bene ac fideliter adimplendo coram Ordinario emittant[61].

2. Praeter hoc dioecesanum consilium administrationis Ordinarius loci pro administrandis bonis uniuscuiusque ecclesiae vel loci pii assumat viros providos, idoneos et boni testimonii, quibus, elapso triennio, alios sufficiat, nisi locorum circumstantiae aliud suadeant[62]. Ergo quolibet triennio tale consilium particulare administrationis mutandum est, nisi adsit causa sufficiens. Ceterum ex iure particulari vel ex tabulis fundationis solet determinari modus administrationis bonorum in singulis ecclesiis vel locis piis. Si laicis partes quaedam in administratione bonorum ecclesiasticorum (vel ex legitimo fundationis titulo vel ex Ordinarii loci voluntate) competant, nihilominus universa administratio nomine Ecclesiae fiat ac salvo iure Ordinarii visitandi, exigendi rationes et praescribendi modum administrationis[63].

3. Antequam isti administratores bonorum ecclesiasticorum ad particulares ecclesias vel loca pia pertinentium suum munus ineant,

a) debent se bene et fideliter administraturos esse coram Ordinario loci vel vicario foraneo (vulgo: Landdechant, decano rurali) iureiurando cavere;

b) fiat accuratum et distinctum inventarium (ab omnibus subscribendum) rerum mobilium pretiosarum aliarumve cum descriptione atque aestimatione earundem; vel factum antea inventarium acceptetur, adnotatis rebus, quae interim amissae vel acquisitae fuerint. Si tale enim inventarium exsistit, ratio exigenda ab administratoribus multo facilior et iustior evadit. Huius autem inventarii alterum exemplar conservetur in tabulario administrationis, alterum in archivo Curiae episcopalis, et in utroque quaelibet immutatio adnotetur, quam patrimonium subire contingat[64].

4. Omnes administratores bonorum ecclesiasticorum cum diligentia boni patrisfamilias suum munus implere tenentur; ac proinde debent:

a) vigilare, ne bona ecclesiastica suae curae concredita quoquo modo pereant aut detrimentum capiant;

b) praescripta servare iuris tam canonici quam civilis, aut quae a fundatore aut donatore vel legitima auctoritate imposita sunt;

[58] c. 1520, § 1. [59] Ib. § 2. [60] Ib. § 3. [61] Ib. § 4.
[62] c. 1521, § 1. [63] Ib. § 2. [64] c. 1522.

c) reditus bonorum ac proventus accurate et iusto tempore exigere exactosque loco tuto servare et secundum fundatoris mentem aut statutas leges vel normas impendere;

d) pecuniam ecclesiae, quae de expensis superest et utiliter collocari potest, de consensu Ordinarii in emolumentum ipsius ecclesiae occupare;

e) accepti et expensi libros bene ordinatos habere. Saepe enim oriuntur magna damna eo, quod isti libri negligenter et inordinate habentur;

f) documenta et instrumenta, quibus iura ecclesiae in bona nituntur, rite ordinare et in ecclesiae archivo vel armario convenienti et apto custodire; authentica vero eorum exemplaria, ubi commode fieri potest, in archivo vel armario Curiae episcopalis deponere[65].

5. Omnes administratores (et praesertim clerici et religiosi) in operum locatione debent a) assignare operariis honestam iustamque mercedem; b) curare, ut iidem pietati idoneo temporis spatio vacent; c) nullo pacto eos abducere a domestica cura parsimoniaeque studio, neve d) plus iisdem imponere operis, quam vires ferre queunt, neque id genus, quod cum aetate sexuque dissidet[66]. Ratio horum omnium est obvia. Etenim istae obligationes incumbunt etiam laicis heris et administratoribus; ergo ecclesiastici administratores debent bonum exemplum praebere.

6. Omnes administratores bonorum ecclesiasticorum quorumcumque (sine ulla exceptione et abrogata qualibet consuetudine contraria, nisi tamen sunt exempti) tenentur singulis annis reddere Ordinario loci rationem administrationis[67]. Ergo si ex iure particulari, e. gr. ex Concordatis vel ex particularibus contractibus, aliis quoque ad id designatis, e. gr. auctoritati civili, ratio administrationis reddenda est, nihilominus etiam Ordinarius loci vel eius delegatus cum his admittatur, et quidem ea lege, ut aliter factae liberationes (vulgo Entlastung) ipsis administratoribus minime suffragentur[68].

7. Administratores litem nomine ecclesiae ne incohent vel contestentur, nisi licentiam obtinuerint *scripto datam* Ordinarii loci, aut saltem, si res urgeat, vicarii foranei, qui statim Ordinarium de concessa licentia certiorem reddere debet[69].

8. Nisi prius ab Ordinario loci facultatem impetraverint scriptis dandam, administratores invalide actus ponunt, qui *ordinariae* administrationis fines et modum excedunt[70], e. gr. si agitur de commutationibus, contractibus, alienationibus notabilis valoris. Immo „ecclesia non tenetur respondere de contractibus ab administratoribus sine licentia competentis superioris initis, nisi quando et quatenus in rem suam versum sit"[71]. Administratores nequeunt titulos ad latorem (titres au porteur, Inhaberpapiere) commutare in alios titulos etiam magis

[65] c. 1523. [66] c. 1524. [67] c. 1525, § 1. [68] Ib. § 2.
[69] c. 1526. [70] c. 1527, § 1. [71] Ib. § 2.

aut saltem aeque tutos ac frugiferos nisi de consensu Ordinarii, dioecesani consilii administrationis aliorumque quorum interest. Semper autem excludenda est quaelibet commercii aut negotiationis species[72]. Administratores igitur possunt quidem, postquam impletae sunt condiciones modo indicatae, *commutare* titulos ad latorem, sed probabiliter nequeunt emere tales titulos sine beneplacito apostolico, quando eorum valor excedit summam 30 000 francorum. Alii tamen scriptores opinantur talem emptionem non esse nisi collocationem pecuniae ideoque non requiri beneplacitum apostolicum.

9. Administratores, qui munus expresse vel tacite semel susceptum arbitratu suo dimittunt, ita ut damnum exinde ecclesiae obveniat, ad restitutionem tenentur, etsi ad talem administrationem non tenentur titulo beneficii aut officii ecclesiastici[73]. Si igitur aliquis administrator bonorum ecclesiasticorum vult munus dimittere, debet antea certiorem reddere competentem superiorem ecclesiasticum.

TITULUS XXIX.

De contractibus.

Praenotamen. Ut iam supra dictum est, contractus sunt modus, isque principalis, quo bona ecclesiastica acquiruntur. Contractus in genere est duorum vel plurium in idem placitum consensus signo sensibili manifestatus, pariens obligationem saltem in uno contrahentium. De divisionibus et condicionibus contractuum latius scripsi in Man. Theol. mor. II, 249. Antiquis temporibus Ecclesia solebat adoptare in suis contractibus statuta iuris romani; nunc autem ea, quae ius civile uniuscuiusque territorii statuit de contractibus, a iure canonico in materia ecclesiastica et quidem iisdem cum effectibus servantur, nisi tamen iuri divino sunt contraria aut aliud expresse cavetur iure canonico[74]. Sic e. gr. non obstantibus statutis civilibus, quae solent irritare omnes stipulationes de futura hereditate, filii possunt et debent ante professionem religiosam statuere de ipsorum hereditate. — Nunc agendum est de nonnullis contractibus in particulari.

Q. 451. *Quid intelligatur nomine alienationis bonorum ecclesiasticorum?*

R. *Alienatio* hoc loco sumitur generalissime *pro qualibet actione* (specietenus legitima), *qua bona ecclesiastica aliena fiunt* seu brevius: *pro quolibet contractu*. Quare in titulo de contractibus tractatur quoque de alienatione bonorum ecclesiasticorum. Actus alienationis sunt emptio, venditio, donatio, commodatio, locatio, emphyteusis etc. Requiritur autem, ut verus contractus intercedat; nam si quis furatur vel damnificat bona ecclesiastica, non dicitur alienare neque cadit sub poenas latas contra illegitime alienantes. Ecclesia volens protegere suis decretis bona ecclesiastica contra frivolam vel saltem incautam administrationem, nonnullas sollemnitates et formulas praescripsit observandas in alienatione.

[72] c. 1539, § 2. [73] c. 1528. [74] c. 1529.

Q. 452. *Quaenam praescribantur ad validam et licitam alienationem bonorum ecclesiasticorum?*

R. 1. Si agitur de rebus, quae servando servari non possunt, nihil aliud requiritur nisi ea, quae supra de administratione bonorum ecclesiasticorum dicta sunt. Hinc e. gr. si fructus agri alienandi sunt, hoc pertinet ad ordinariam administrationem bonorum.

2. Si agitur de bonis ecclesiasticis (mobilibus vel immobilibus), quae servando servari possunt, requiritur:

a) aestimatio rei a probis peritis *scripto* facta; res autem alienari minore pretio non debet, quam quod in hac aestimatione indicatur;

b) iusta causa, id est urgens necessitas vel evidens utilitas Ecclesiae, vel pietas;

c) licentia legitimi superioris, *sine qua alienatio invalida est*[75]. Legitimus autem superior est Sedes Apostolica in duobus casibus: sc. α) si agitur de rebus pretiosis[76], i. e. de rebus, quae habent magnum valorem artisticum vel historicum. Huiusmodi rebus accensentur insignes reliquiae aut imagines pretiosae, item aliae reliquiae aut imagines, quae in aliqua ecclesia honorantur magna populi veneratione; β) si agitur de rebus, quae valorem excedunt 30 000 libellarum seu francorum[77]. Legitimus superior in omnibus aliis casibus est loci Ordinarius, qui tamen debet audire consilium dioecesanum administrationis et adipisci consensum eorum, quorum interest, si res non excedunt valorem 1 000 libellarum seu francorum. Si res tamen minimi est momenti, Ordinarius loci solus potest licentiam concedere. Pro rebus alienandis, quarum pretium est intra 1 000 et 30 000 libellarum vel francorum, Ordinarius obtinere *debet consensum* cum capituli cathedralis tum dioecesani consilii administrationis tum eorum, quorum interest[78]. Si agitur de alienanda re divisibili, in petenda licentia aut consensu pro alienatione exprimi debent partes antea alienatae, secus licentia irrita est[79] et gravis deceptio committitur.

Nota. Quantum ad valorem rei taxandum unice oportet attendere ad aestimationem rei a probis peritis scripto factam[80]. Quare e. gr. si probi periti scripto aestimaverunt agrum ad ecclesiam pertinentem pretio 29 000 libellarum, iste autem ager postea in publica licitatione venditur pretio 31 000 libellarum, non requiritur beneplacitum Apostolicae Sedis.

d) alienatio fiat per publicam licitationem aut saltem nota reddatur, nisi aliud circumstantiae suadeant. Res autem ei concedatur, qui,

[75] c. 1530, § 1. [76] c. 1281, § 1. [77] c. 1532, § 1.

[78] Ib. § 3. Est fere unicus casus in toto iure, in quo episcopus debet obtinere *consensum* capituli cathedralis; alius casus indicatur in c. 394, § 2. Quinam sit legitimus superior pro alienandis bonis ad religiosos pertinentibus, dictum est supra q. 196. Ordinarius nequit sanare alienationes illegitime factas. S. C. C. d. 17 Maii 1919.

[79] c. 1532, § 4.

[80] Commissio Pontificia d. 24 Nov. 1920 (Acta Ap. Sed. XII 577).

omnibus perpensis, plus obtulerit[81]. Pecunia autem ex alienatione percepta caute, tuto et utiliter in commodum Ecclesiae collocetur[82].

Q. 453. *Quaenam sint poenae latae contra illegitime alienantes bona ecclesiastica?*

R. 1. Ecclesiae competit actio *personalis* contra eum, qui sine debitis sollemnitatibus bona ecclesiastica alienavit, et contra eius heredes; actio vero *realis* (si alienatio nulla fuit) contra quemlibet possessorem[83]. Ecclesia igitur potest reclamare rem illegitime alienatam a possessore; iste autem potest exigere, ut reddatur indemnis ab illegitime alienante. Contra invalidam rerum ecclesiasticarum alienationem agere possunt — immo et debent, nisi obtenta fuerit condonatio legitima —, a) qui rem alienavit; b) eius superior; c) utriusque successor; d) quilibet clericus illi ecclesiae adscriptus, quae damnum passa est[84].

2. Excommunicatio latae sententiae nemini reservata incurritur ab omnibus quovis modo reis sive dando sive recipiendo sive consensum praebendo in alienatione, quae scienter facta est sine beneplacito apostolico, quando id iuxta supra dicta necessarium fuit[85].

3. Diversae poenae ferendae sententiae statuuntur; sc. si agitur de re, cuius pretium non excedit 1 000 libellas, illegitime alienans congruis poenis puniatur; si agitur de re, cuius pretium est supra 1 000 sed infra 30 000 libellarum, privetur patronus iure patronatus, administrator munere administrationis, superior vel oeconomus religiosus proprio officio et habilitate ad cetera officia, praeter alias congruas poenas a superioribus infligendas; Ordinarius vero aliique clerici officium, beneficium, dignitatem, munus in Ecclesia obtinentes, *solvant duplum* favore ecclesiae vel piae causae laesae; ceteri clerici suspendantur ad tempus ab Ordinario definiendum[86].

Q. 454. *Quid specialiter statutum sit de donationibus, de oppignoratione, de emphyteusi bonorum ecclesiasticorum?*

R. 1. „Praelati et rectores de bonis mobilibus suarum ecclesiarum donationes, praeterquam parvas et modicas secundum legitimam loci consuetudinem, facere ne praesumant nisi iusta interveniente causa remunerationis aut pietatis aut christianae caritatis; secus donatio a successoribus revocari poterit."[87] Donationes factae rectoribus ecclesiarum censentur esse factae ecclesiae, nisi contrarium probetur, i. e. eas esse *personae* rectoris factas. Tales autem donationes ecclesiae factae nequeunt ab eius rectore seu superiore repudiari sine licentia Ordinarii; secus enim ecclesia detrimentum pateretur. Quodsi illegitime repudiata fuit donatio, ob damna inde orta, datur actio restitutionis in integrum vel indemnitatis. Donatio semel ecclesiae facta et ab eadem legitime acceptata nequit amplius revocari propter ingratum praelati vel rectoris animum[88]. Donatio enim facta est principaliter in utilitatem ecclesiae, et non rectoris.

[81] c. 1531, § 2. [82] Ib. § 3. [83] c. 1534, § 1. [84] Ib. § 2.
[85] c. 2347, n. 3. [86] Ib. n. 1 2. [87] c. 1535. [88] c. 1536.

2. Si ecclesiae bona ob legitimam causam oppignoranda vel hypothecae nomine obliganda sunt, vel si agitur de aere alieno contrahendo, legitimus superior, qui licentiam dare debet (sc. S. Sedes, si summa excedit 30 000 francorum, secus Ordinarius), exigat, ut antea omnes, quorum interest, audiantur, e. gr. ii, qui debent solvere foenus. Insuper curet iste superior, ut, cum primum fieri poterit, aes alienum solvatur, ideoque annuae ratae praefiniantur (vulgo amortizatio), quae exstinguendo debito sunt destinatae [89].

3. In emphyteusi (vulgo Erbpacht) bonorum ecclesiasticorum emphyteuta nequit canonem, i. e. pretium locationis, redimere sine licentia legitimi superioris ecclesiastici, sc. S. Sedis, si agitur de re, cuius valor excedit valorem 30 000 francorum, vel secus Ordinarii loci. Quod si redemerit, eam saltem pecuniae vim ecclesiae dare debet, quae canoni respondeat. Ab emphyteuta autem congrua exigatur cautio pro solutione canonis et pro condicionibus implendis; in ipso instrumento pacti emphyteutici forum ecclesiasticum statuatur arbiter ad dirimendas controversias inter partes forte exorituras, et expresse declaretur, meliorationes cedere solo [90]. Hodie in nostris regionibus contractus emphyteuticus est satis rarus et loco ipsius habetur contractus locationis. In longum et latum de emphyteusi disserit Ferraris, Prompta Bibl. s. v. contractus emphyteusis.

Q. 455. *Quid specialiter statutum sit de venditione et locatione bonorum ecclesiasticorum?*

R. 1. In venditione (aut permutatione) rerum sacrarum nulla ratio consecrationis vel benedictionis in pretii aestimatione habeatur [91]. Secus enim committeretur simonia. Supra q. 196 et 450 iam dictum est, sub quibusnam condicionibus sic dicti tituli ad latorem possint ab administratore bonorum ecclesiasticorum commutari in alios titulos. Bona ecclesiae *immobilia* propriis administratoribus eorumque coniunctis in primo aut secundo consanguinitatis vel affinitatis gradu non sunt vendenda aut locanda sine speciali Ordinarii loci licentia [92]. Ratio huius statuti est, ut evitetur periculum vendendi bonum ecclesiasticum pretio minore, quam par est.

2. Contractus locationis alicuius fundi ecclesiastici fiat per publicam licitationem, vel saltem fundus locetur ei, qui omnibus perpensis plus obtulerit. In ipso contractu addantur semper conditiones de limitibus custodiendis, de bona cultione, de rite solvendo canone seu pretio locationis, de opportuna cautela pro conditionibus implendis. In locatione bonorum ecclesiasticorum *anticipatae* solutiones ultra semestre prohibentur sine licentia Ordinarii loci. Si valor locationis excedit 30 000 libellarum seu francorum et locatio est ultra novennium, requiritur beneplacitum apostolicum; sin autem locatio non est ultra novennium (quamvis sit supra 30 000 libellarum seu francorum), aut si valor locationis continentur intra 1 000 et 30 000 libellarum seu francorum et locatio est *ultra* novennium, sufficit licentia Ordinarii loci, dummodo accesserit consensus cum capituli cathedralis tum dioecesani consilii administrationis, tum eorum quorum interest. Si valor non excedit 1 000 libellas seu francos et locatio est *ultra* novennium; pariter si valor est intra 1000 et 30000 et locatio est *infra novennium*, sufficit et requiritur licentia Ordinarii, qui debet audire dioecesanum administrationis consilium. Demum si valor locationis non est ultra 1000 libellas seu francos et duratio locationis non ultra novennium, fieri potest a legitimis administratoribus, monito Ordinario [93]. Ex dictis sequitur, ut a) in uno solo casu locationis requiratur beneplacitum apostolicum; qui quidem casus est satis rarus; b) in duobus casibus requiratur consensus episcopi, capituli cathedralis dioecesani, consilii administrationis et eorum quorum interest; c) pariter in duobus casibus requiratur et sufficiat consensus episcopi, audito dioecesano consilio administrationis; d) in reliquis casibus, qui sunt longe frequentiores, legitimi administratores possint locare bona ecclesiastica, monito Ordinario.

3. Si res fungibilis et notanter si pecunia alicui mutuatur, nihil quidem lucri percipi potest ratione ipsius contractus, cum hoc sit manifesta et illicita usura; attamen in praestatione rei fungibilis aut pecuniae non est per se illicitum de lucro legali pacisci, nisi constet, ipsum esse immoderatum, aut etiam de lucro, quod est maius legali, si iustus ac proportionatus titulus suffragatur [94]. Ergo theoria hodie communissime acceptata de liceitate moderati foeneris in Codice iur. can. propugnatur et confirmatur.

[89] c. 1538. [90] c. 1542. [91] c. 1539, § 1. [92] c. 1540.

TITULUS XXX.

De piis fundationibus.

Q. 456. *Quid sint piae fundationes et quid de iis iure statutum sit?*

R. 1. „Nomine piarum fundationum significantur bona temporalia alicui personae morali in Ecclesia quoquo modo data, cum onere in perpetuum vel (saltem) in diuturnum tempus ex reditibus annuis aliquas Missas celebrandi vel alias praefinitas functiones ecclesiasticas explendi aut nonnulla pietatis et caritatis opera peragendi.“ [95] Pia igitur fundatio legitime acceptata est contractus bilateralis: do, ut facias, sc. fundator dat bona temporalia, ut aliqua persona moralis in Ecclesia faciat determinata opera religiosa aut pia, idque ex reditibus atque perpetuo vel saltem in diuturnum tempus. Quare e. gr. non est fundatio, si testator legat 10 000 marcarum ea condicione, ut per 10 annos quotannis dicantur 100 Missae. 10 anni enim non censentur diuturnum tempus. Videtur requiri, ut onus duret saltem per 50 annos.

2. „Ordinarii loci est, normas praescribere de dotis quantitate, infra quam pia fundatio admitti nequeat, et de eius fructibus rite distribuendis.“ [96]. Si agitur de piis fundationibus in ecclesiis (etiam paroecialibus)

[93] c. 1541. [94] c. 1543. [95] c. 1544. [96] c. 1545.

religiosorum exemptorum, Ordinarius statuens normas de istis piis fundationibus est *exclusive* superior religiosus maior[97]. Si agitur de aliis piis fundationibus, est Ordinarius loci, qui tamen ius habet exigendi rationes *de administratione fundorum* legatorumque etiam paroeciae religiosae[98].

3. Ut huiusmodi fundationes a persona morali acceptari possint, requiritur consensus Ordinarii *in scriptis datus,* qui eum ne praebeat, antequam legitime compererit, personam moralem cum novo oneri suscipiendo tum antiquis iam susceptis satisfacere posse; maximeque caveat, ut reditus omnino respondeant oneribus adiunctis secundum cuiusque dioecesis (religionis) morem[99]. In acceptatione, constitutione et administratione fundationis patronus ecclesiae nullum ius habet[100].

4. „Pecunia et bona mobilia, dotationis nomine assignata, statim in loco tuto *ab eodem Ordinario assignando* deponantur ad eum finem, ut eadem pecunia vel bonorum mobilium pretium custodiantur et quamprimum caute et utiliter secundum prudens eiusdem Ordinarii arbitrium, auditis et iis quorum interest et dioecesano administrationis consilio, collocentur in commodum eiusdem fundationis cum expressa et individua mentione oneris."[101] Graviter autem prohibetur, ne pecunia seu dotatio fundationis adhibeatur e. gr. pro expensis ecclesiae, vel aliter expendatur.

5. Fundationes, etiam viva voce factae, scripto consignentur, atque alterum tabularum exemplar in Curiae episcopalis (vel superioris maioris religiosi) archivo, alterum in archivo personae moralis, ad quam fundatio spectat, tuto asservetur[102]. Si igitur e. gr. fundatio alicuius Missae fit in aliquo conventu religioso exempto, unum exemplar scriptum fundationis conservetur in archivo conventus, alterum vero in archivo superioris provincialis.

6. In qualibet ecclesia onerum ex piis fundationibus incumbentium tabula conficiatur, quae apud rectorem in loco tuto conservetur[103]. Sed iam non videtur esse necessarium, ut tabula Missarum fundatarum in sacristia publice exponatur. Insuper liber specialis apud rectorem ecclesiae servetur, in quo singula onera perpetua et temporaria eorumque implementum et eleemosynae adnotentur, ut de iis omnibus exacta ratio Ordinario reddatur[104].

7. Reductio onerum, quae pias fundationes gravant, uni Sedi Apostolicae reservatur, nisi in tabulis fundationis aliud expresse caveatur. Indultum reducendi Missas fundatas non protenditur nec ad alias Missas ex contractu debitas nec ad alia pia opera fundationis. Indultum vero generale reducendi onera piarum fundationum ita intelligendum est, nisi aliud clare constat, ut indultarius potius alia onera quam Missas reducat[105]. Missae fundatae a nemine nisi a S. Sede

97 c. 1550.
98 Ita Pontif. Com. d. 26 Iul. 1926 (Acta Ap. Sed. XVIII 393).
99 c. 1546, § 1. 100 Ib. § 2. 101 c. 1547. 102 c. 1548.
103 c. 1549, § 1. 104 Ib. § 2. 105 c. 1551.

reduci possunt. Aliae piae fundationes, e. gr. recitandi Officium Defunctorum, peragendi aliquam functionem liturgicam, possunt quoque ab Ordinario (ab episcopo vel superiore religioso maiore) reduci, ut iam supra q. 448, n. 4 dictum est.

LIBER IV.
De processibus.

Praenotamen. Iste liber dividitur in tres partes: 1. De iudiciis; 2. De causis beatificationis servorum Dei et canonizationis beatorum; 3. De modo procedendi in nonnullis expediendis negotiis vel sanctionibus poenalibus applicandis. Pars prima subdividitur in duas sectiones: 1. De iudiciis in genere; 2. De peculiaribus normis in certis quibusdam iudiciis servandis. — Ordo iudicialis primis Ecclesiae temporibus fuit valde simplex; fere solum ius naturale et positivo-divinum applicabatur in singulis casibus. Finitis persecutionibus Christianorum Concilia particularia (praesertim africana) leges antiqui iuris romani de iudiciis solebant in foro quoque ecclesiastico applicare. In sic dictis compilationibus antiquis et in secunda parte Decreti Gratiani iam fuse disseritur de causis ecclesiasticis. Gregorius IX in secundo libro Decretalium constituit processum civilem; Clemens V duabus Decretalibus processum sic dictum summarium accuratius ordinavit. Concilium tridentinum proceduram canonicam reformavit; auxit enim et corroboravit potestatem iudicialem episcoporum et sollemnitates processuales circumscripsit. Benedictus XIV complura salutaria statuta edidit e. gr. de forma procedendi in causa nullitatis professionis religiosae, contra sacerdotes sollicitantes ad turpia, de appellationibus rite instituendis etc. Leo XIII d. 11 Iun. 1880 edidit Instructionem pro ecclesiasticis curiis quoad modum oeconomice procedendi in causis disciplinaribus et criminalibus clericorum. Pius X instauravit tribunalia S. Rotae et Signaturae Apostolicae eisque normas procedendi dedit. Tandem novus Codex late statuit de processibus[1].

PARS I.
De iudiciis.

Nomine iudicii ecclesiastici intelligitur *legitima disceptatio et definitio controversiae coram tribunali ecclesiastico de re, de qua Ecclesia habet ius cognoscendi*[2]. Ecclesia autem iure proprio et exclusivo cognoscit 1. de causis, quae respiciunt res spirituales et spiritualibus adnexas, e. gr. de sacramentis, de beneficiis etc.; 2. de violatione legum ecclesiasticarum deque omnibus, in quibus inest ratio peccati (quod attinet ad culpae definitionem et poenarum ecclesiasticarum irrogationem); 3. de omnibus causis, quae

1 De historica evolutione processus eccl. videsis *E. Eichmann,* Das Prozessrecht des Codex iur. can. § 4 (Paderborn 1921). Optime tractavit de processibus *Ios. Noval* O. P. (Romae 1921 sq.), 2 voll.
2 c. 1552, § 1.

respiciunt personas privilegio fori gaudentes [3]. Attamen cum privilegium fori non soleat agnosci a potestate civili, Ecclesia satis facile tolerat, ut clerici et religiosi compareant coram tribunali laicali. In causis, in quibus tam Ecclesia quam civiles potestates aeque competentes sunt, quaeque dicuntur mixti fori, est locus praeventioni, i. e. eae iudicantur ab illo iudice (sive ecclesiastico sive civili), qui eas prius ante suum tribunal citavit. Actor, qui causas mixti fori [4] iam ad iudicem ecclesiasticum deductas ad forum saeculare iudicandas defert, congruis poenis puniri potest atque privatur iure contra eandem personam de eadem re et de conexis causam agendi in foro ecclesiastico [5].

Distinguitur iudicium civile seu *contentiosum* et *criminale*. Obiectum primi sunt personarum physicarum vel moralium iura persequenda aut vindicanda, vel earundem personarum facta iuridica declaranda; obiectum secundi sunt publica delicta (aut quasi-delicta) in ordine ad poenam infligendam vel declarandam [6].

Nota. In duobus obiectis processus iudicialis est instituendus secundum speciales normas, sc. 1. in obiectis, quae pertinent ad competentiam S. Officii, e. gr. de proscribendis libris, de rebus fidei, de disparitate cultus; 2. in iudicio pro dimissione religiosorum [7].

SECTIO I.

De iudiciis in genere.

TITULUS I.

De foro competenti.

Q. 457. *Quid et quotuplex sit forum competens?*

R. 1. Forum competens (zuständiges Gericht) est tribunal, quod potestatem iudicialem habet cum in causam tum in reum, qui ab actore in illo tribunali conveniri debet aut saltem potest. Incompetens autem forum est tribunal, quod caret iurisdictione aut in causam aut in reum. Hinc e. gr. tribunal civile est (stricte saltem loquendo) incompetens, quotiescumque clericus est reus, quamvis causa ipsa iudicanda cadat sub iurisdictione civili.

2. Forum ecclesiasticum competens distinguitur:

a) forum *legale,* quod vi ipsius legis competens est; et forum *conventionale* seu prorogatum, quod competens evadit (consentiente lege) ex conventione vel consensu partium;

b) forum *commune,* quod quis habet ex dispositione iuris communis, et forum *singulare* seu *privilegiatum,* quod nititur privilegio vel iure particulari. Sic e. gr. Cardinales ex privilegio a nemine possunt iudicari nisi a Summo Pontifice;

c) forum *ordinarium,* cui reus ordinarie subicitur, et forum *extraordinarium,* cui reus subicitur per modum exceptionis. Sic e. gr.

[3] c. 1553.
[4] E. gr. in delictis contra vitam, libertatem, proprietatem etc. Cf. c. 2350 sqq.
[5] c. 1554. [6] c. 1552, § 2. [7] c. 1555.

nonnullae causae aliquando non foro dioecesano competenti sed statim alicui foro Curiae Romanae destinantur.

Q. 458. *Quid generaliter sit statutum de foro competenti?*

R. 1. S. Sedes a nemine iudicatur [8]. Hinc nullum Concilium oecumenicum et a fortiori nulla potestas civilis potest iudicare de Summo Pontifice.

2. Ipse Summus Pontifex iudicat:

a) eos, qui supremum tenent populorum principatum (reges, praesidentes reipublicae) horumque coniuges, filios ac filias eosve, quibus ius est proxime succedendi in principatum;

b) Cardinales;

c) Legatos S. Sedis et *in criminalibus* α) omnes episcopos, etiam titulares; β) abbates et praelatos nullius.

3. Tribunalia Curiae Romanae iudicant:

a) episcopos residentiales in *contentiosis* [9]. Si tamen agitur de iuribus aut bonis *temporalibus* episcopi aut mensae vel Curiae dioecesanae, controversia deferatur, si episcopus consentit, vel ad dioecesanum tribunal collegiale, quod constat officiali et duobus iudicibus synodalibus antiquioribus, vel ad iudicem immediate superiorem, e. gr. ad Metropolitam [10];

b) dioeceses aliasve personas ecclesiasticas morales, quae superiorem infra Romanum Pontificem non habent, uti religiones exemptas, congregationes monasticas etc.;

c) alias causas, quas Romanus Pontifex ad suum iudicium advocaverit [11]. In omnibus istis causis aliorum iudicum incompetentia est prorsus *absoluta,* ita ut iudicium forte prolatum careat omni vi.

4. *Actor sequitur forum rei;* quodsi reus multiplex forum competens habeat, optio fori actori conceditur [12]. Hinc e. gr. si actor accusat matrimonium de nullitate, forum competens eligi potest vel forum illius dioecesis, in qua reus domicilium vel quasi-domicilium habet, vel forum illius dioecesis, in qua matrimonium celebratum fuit.

5. **Tituli, ex quibus nascitur competentia fori,** sunt:

a) *res sita,* ex qua oritur forum competens. Ratione rei sitae pars conveniri potest (sed non semper debet) coram Ordinario loci, ubi res litigiosa sita est, quoties actio *in rem* directa est [13]. Forum autem necessarium habent:

α) actiones de spolio seu de rebus, quibus possessor fuit privatus, coram Ordinario loci rei sitae;

β) causae respicientes beneficium (quamvis non residentiale) coram Ordinario loci beneficii;

γ) causae, quae versantur circa administrationem, coram Ordinario loci, ubi administratio gesta est;

[8] c. 1556.
[9] Episcopi titulares in rebus contentiosis iudicantur a proprio tribunali dioecesano.
[10] c. 1572, § 2. [11] c. 1557. [12] c. 1559, § 3. [13] c. 1564.

δ) causae, quae respiciunt hereditates aut legata pia, coram Ordinario loci domicilii testatoris, nisi tamen agatur de mera exsecutione legati, quae videnda est secundum ordinarias competentiae normas[14].

b) *domicilium* vel *quasi-domicilium,* ex quibus oritur forum competens ratione domicilii aut quasi-domicilii. Si quis habet in diversis dioecesibus domicilia vel quasi-domicilia, actor potest eligere libere forum alicuius domicilii vel quasi-domicilii. Ordinarius autem domicilii vel quasi-domicilii habet iurisdictionem in subditum quamvis absentem[15]. Uxor a viro legitime non separata necessario retinet domicilium viri sui; potest autem habere proprium quasi-domicilium, immo et domicilium, si est legitime separata a viro. Minores infantia egressi habent domicilium parentum vel tutorum, possunt autem habere proprium quasi-domicilium. Amentium domicilium est curatoris; religiosorum domus religionis, in qua habitant; beneficiariorum residentialium locus beneficii; vagorum locus commorationis[16]. Qui peregrinus est in Urbe, licet per breve tempus, censetur ibi habere domicilium fictitium, ac proinde tamquam in proprio domicilio ibi citari potest; sed habet sic dictum ius revocandi domum, id est petendi, ut ad proprium Ordinarium remittatur. Qui in Urbe ab anno commoratur, ius habet declinandi forum Ordinarii et instandi, ut coram Urbis tribunalibus citetur[17].

c) *contractus,* ex quo forum competens oritur ratione contractus seu obligationis. Quare coram Ordinario loci, in quo contractus vel initus est vel adimpleri debet, pars (Partei) conveniri potest, dummodo ex isto loco non discesserit[18]. In actu autem contractus permittitur contrahentibus locum eligere, in quo etiam absentes citari et conveniri possint[19].

d) *delictum,* ex quo oritur forum competens ratione delicti. Quare reus forum sortitur in loco patrati delicti; immo, licet post delictum reus e loco discesserit, iudex loci ius habet illum citandi ad comparendum et sententiam in eum ferendi[20]. Hinc e. gr. sacerdos dioecesis A, qui peregrinans in dioecesi B delictum commisit, debet comparere coram iudice dioecesis B, etiamsi post delictum patratum iterum in dioecesim A rediit. Attamen nonnulla delicta, ut sollicitatio ad turpia, haeresis etc., iudicanda et punienda reservantur S. Officio[21]. Regulares extra domum religiosam delinquentes tunc solummodo ab Ordinario loci delicti iudicari et puniri possunt, quando proprius superior praemonitus eos punire neglexerit[22]. Ceterum infra specialis sermo redibit de delictis iudicandis et puniendis.

e) *conexio* seu *continentia* causat forum competens, quando iudicandae causae sunt conexae sive ratione personarum sive ratione rei sive ratione quaestionis praeiudicialis. Tunc enim iudex potest immo et debet iudicare tales causas, licet pars ipsarum pertineat ad forum

[14] c. 1560. [15] c. 1561. [16] c. 1563. [17] c. 1562.
[18] Pontif. Com. d. 14 Iul. 1922 (Acta Ap. Sed. XIV 529).
[19] c. 1565. [20] c. 1566. [21] c. 247, § 2. [22] c. 616, § 2.

competens alterius iudicis, nisi tamen legis praescriptum obstet[23]. Ratio est, quia causae conexae facilius et expeditius et magis uniformiter iudicantur ab uno iudice quam a diversis iudicibus. Legis praescriptum obstat e. gr., si in principali causa temporali iudicanda a iudice saeculari incidit quaestio pure spiritualis ab Ecclesia iudicanda. Tunc enim iudex saecularis nequit ratione conexionis iudicare quoque de quaestione spirituali.

f) *praeventio* causat forum competens, cum duo vel plures iudices aeque competentes sunt. Tunc ei est ius causam cognoscendi, qui prius citatione reum legitime convenit[24].

Scholion. De dubia competentia. Aliquando potest dubium oriri de competentia iudicis, vel etiam reus potest repudiare iudicem ob incompetentiam. Incompetentia est duplex: altera absoluta, altera relativa. Absoluta incompetentia adest praesertim, si iudex inferior vult iudicare de causa, quae pertinet ad iudicem superiorem, e. gr. si Ordinarius vellet iudicare de causis pertinentibus ad S. Sedem. Tale iudicium est inefficax, et contra illud potest, immo et debet recursus fieri in quolibet stadio processus vel quolibet tempore[25]. Relativa incompetentia adest, si iudex potest quidem per se iudicare de causa proposita, sed deest unus ex titulis supra relatis.

Si dubium movetur de incompetentia, exceptio (Einspruch) debet proponi apud ipsum iudicem, de quo dubium movetur. Iste iudex tunc, omnibus perpensis, debet declarare se ipsum competentem vel incompetentem. Si iudex se ipsum competentem pronuntiat, eius decisio non admittit appellationem, si agitur de competentia *relativa*[26]. Immo si iudex erravit in hac decisione, nihilominus ipsa lex supplet, ita ut iudicium prolatum sit validum. Quodsi iudex se incompetentem declaravit, pars, quae se gravatam putat, potest intra 10 dies appellare ad superius tribunal[27]. Iudex se absolute incompetentem agnoscens tenetur statim suam incompetentiam declarare[28]. Si inter duos vel plures iudices controversia oriatur, quisnam horum ad aliquod negotium sit competens, res definienda est a tribunali immediate superiore. Quodsi iudices, inter quos competentiae conflictus est, subsunt distinctis tribunalibus superioribus, controversiae definitio reservatur tribunali superiori illius iudicis, coram quo actio primo promota est; si non habent tribunal superius, conflictus dirimatur vel a Legato S. Sedis (si adsit) vel ab Apostolica Signatura[29].

TITULUS II.

De variis tribunalium gradibus et speciebus.

Q. 459. *Quid generatim notandum sit de variis gradibus et speciebus tribunalium?*

R. 1. Cum iudex humanus sit fallibilis atque aliquando non recte percipiat sensum legis vel eius applicationem in casu particulari vel factum iudicandum, necessarium est, ut eadem causa a diversis et quidem subordinatis iudicibus possit iudicari. Hinc salutariter instituta sunt tribunalia diversorum graduum seu instantiarum. Et

[23] c. 1567. [24] c. 1568. [25] c. 1628, § 2. [26] c. 1610, § 2.
[27] Ib. § 3. [28] c. 1611. [29] c. 1612.

quidem necessariae sunt generatim tres instantiae. Nam si iudicium primae instantiae forte reformetur in secunda instantia, iustitia iudicii aliquando saltem merito in dubium vocari potest; sin autem adhuc supervenit tertia instantia, tunc confirmatur sententia vel primi vel secundi iudicis, et sic habentur saltem duae sententiae conformes, et veritas atque iustitia securius obtinentur.

2. Suprema instantia est apud Romanum Pontificem, ob cuius primatum permittitur cuilibet fideli in toto orbe catholico, ut causam suam (sive contentiosam sive criminalem) in quovis iudicii gradu et in quovis litis statu deferat cognoscendam ad S. Sedem. Attamen, cum ex tali delatione possit eludi sententia iudicis inferioris, statuitur, ut recursus ad S. Sedem interpositus non suspendat (excluso casu legitimae appellationis) exercitium iurisdictionis in iudice, qui causam iam cognoscere coepit, quique idcirco poterit iudicium prosequi usque ad definitivam sententiam, nisi constiterit, S. Sedem causam ad se advocasse [30].

3. Quodlibet tribunal ius habet in auxilium vocandi aliud tribunal (etiam superius) in iis, quae pertinent ad partium et testium examen aut citationem, documentorum vel rei controversae inspectionem, decretorum intimationem aliaque huiusmodi [31]. Ratio huius statuti est, quia ob distantiam testium vel rei inspiciendae aliquando est fere impossibile, ut unum tribunal omnia necessaria peragat.

4. Tribunal, quod in una instantia causam iudicavit, nequit eandem causam *in alia instantia* iudicare [32]. Patet per se, quia tunc iam non esset diversa instantia. Nihil autem obstat ne causa coram eodem tribunali iterum proponatur, in eadem instantia e. gr. in querela nullitatis [33].

CAPUT I.

De tribunali ordinario primae instantiae.

In hoc capite agitur de diversis *personis*, quae interveniunt in iudicio ferendo, perficiendo, exsequendo, et quidem 1. de iudice, qui solus vel collegialiter sententiam fert; 2. de auditoribus et relatoribus; 3. de notario, promotore iustitiae, defensore vinculi; 4. de cursoribus et apparitoribus.

ARTICULUS I.

De iudice.

Q. 460. *Quisnam sit iudex primae instantiae?*

R. 1. Iudex primae instantiae in omnibus causis a iure expresse non exceptis est loci Ordinarius, qui iudiciariam potestatem exercere potest ipse per se vel per alios, sc. per officialem eiusque adiutores [34].

Si vero agitur *de iuribus aut bonis temporalibus* episcopi aut mensae vel Curiae dioecesanae, controversia dirimenda deferatur vel ad iudicem immediate superiorem, vel — dummodo episcopus consentiat — ad

[30] c. 1569. [31] c. 1570, § 2. [32] c. 1571.
[33] Cf. c. 1893. [34] c. 1572, § 1.

dioecesanum tribunal collegiale, quod constat officiali et duobus iudicibus synodalibus antiquioribus [35]. Loci Ordinarius est quoque iudex primae instantiae, si controversia enascitur inter religiosas personas physicas vel morales *diversae religionis* [36], e. gr. inter religiosum Franciscanum et religiosum Augustinianum vel inter conventum Franciscanorum et conventum Augustinianorum. In praxi tamen, si huiusmodi controversiae nequeunt amice componi, eae solent statim deferri ad Curiam Romanam. Pariter loci Ordinarius est iudex primae instantiae in controversiis, quae ortae sunt a) inter religiosos eiusdem religionis *non exemptae* aut *laicalis;* b) inter religiosum et clericum saecularem vel laicum [37].

2. Iudex primae instantiae in controversiis, quae sunt inter religiosos exemptos eiusdem religionis *clericalis,* est superior provincialis aut abbas localis, si monasterium est sui iuris. Ceterum in hac re imprimis attendendae sunt constitutiones uniuscuiusque religionis [38].

3. Iudex primae instantiae in controversiis, quae ortae sunt inter duas provincias eiusdem religionis, est moderator generalis vel eius delegatus; quae vero ortae sunt inter duo monasteria eiusdem religionis, est supremus moderator congregationis monasticae, nisi tamen constitutiones alicuius religionis aliud praescribunt [39].

Nota. Quamvis episcopus possit tribunali ipse per se semper praeesse (exceptis causis de iuribus et bonis temporalibus ipsius aut mensae vel Curiae dioecesanae), tamen valde expedit ut causas, praesertim criminales et contentiosas gravis momenti, iudicandas relinquat tribunali ordinario, cui praeest officialis vel vice-officialis [40]. Ratio est obvia; episcopus enim potius est pastor et pater quam iudex.

Q. 461. *Quomodo tribunal primae instantiae sit constituendum?*

R. 1. Quilibet episcopus tenetur officialem eligere cum potestate ordinaria iudicandi, *a Vicario generali distinctum,* nisi parvitas dioecesis aut paucitas negotiorum suadet, ut hoc officium ipsi Vicario generali committatur [41]. Iste officialis unum constituit tribunal cum episcopo loci, sed nequit iudicare causas, quas episcopus sibi reservat [42]. Officiali dari possunt adiutores, quibus nomen est vice-officialium [43]. Tam officialis quam vice-officiales esse debent sacerdotes (e clero saeculari, quia officium officialis difficulter cum statu religioso componi potest) [44]; sint integrae famae, in iure canonico doctores vel ceteroqui periti, annos nati non minus triginta [45]; sunt autem amovibiles ad nutum episcopi; vacante sede a munere non cessant nec a Vicario capitulari amoveri possunt; adveniente autem novo episcopo indigent confirmatione [46]. Si Vicarius generalis est simul officialis, sede vacante, cessat quidem a vicarii, non autem ab officialis munere [47]. Si officialis eligitur in Vicarium capitularem, ipse debet novum officialem nominare.

[35] c. 1572, § 2. [36] c. 1579, § 3. [37] Ib. [38] Ib. § 1. [39] Ib. § 2.
[40] c. 1578. [41] c. 1573, § 1. [42] Ib. § 2. [43] Ib. § 3.
[44] Cf. *Ios. Noval,* De processibus n. 116. [45] c. 1573, § 4.
[46] Ib. § 5. [47] Ib. § 6.

2. In qualibet dioecesi (et idem valet de Abbatia vel Praelatura nullius) presbyteri probatae vitae et in iure canonico periti (etsi extradioecesani) non plures quam duodecim eligantur, ut in litibus iudicandis partem habeant ex potestate ab episcopo delegata. Illi vocantur *iudices synodales* vel, si extra synodum constituuntur, *pro-synodales*. Quod ad eorum electionem, substitutionem, cessationem aut remotionem a munere attinet, valet idem, quod supra q. 30 et 135 dictum est de examinatoribus synodalibus vel pro-synodalibus[48].

3. Unicus iudex (Alleinrichter, juge unique) in quolibet iudicio duos assessores consulentes sibi adsciscere potest; quos tamen ex iudicibus synodalibus eligere debet[49]. Isti duo assessores non habent nisi votum consultivum. In nonnullis autem causis requiritur omnino, ut adsint tres vel quinque iudices, qui *collegialiter* causam iudicant. Sic, revocata contraria consuetudine et revocato etiam quolibet contrario privilegio, requiritur collegium *trium iudicum,* si agitur a) de causis contentiosis vinculi sacrae ordinationis vel matrimonii; b) de iuribus aut bonis temporalibus cathedralis ecclesiae; c) de causis criminalibus privationis beneficii inamovibilis; d) de irroganda vel declaranda excommunicatione. Requiritur collegium *quinque iudicum,* si agitur a) de iudicandis delictis, quae depositionis, privationis perpetuae habitus ecclesiastici vel degradationis poenam important[50]; b) de dimissione alicuius professi a votis perpetuis in religione clericali exempta[51]. Loci Ordinarius tribunali collegiali trium vel quinque iudicum committere potest (sed non tenetur) etiam aliarum causarum cognitionem, idque praesertim faciat, quando de causis agitur, quae, attentis temporis, loci et personarum adiunctis et materia iudicii, difficiliores et maioris momenti videntur. Ordinarius eligat per turnum duos vel quattuor inter iudices synodales, qui una cum praeside tribunal collegiale constituant, nisi tamen pro sua prudentia aliter opportunum existimaverit[52].

4. Tribunal collegiale collegialiter i. e. omnibus praesentibus procedere debet et ad maiorem suffragiorum partem sententias ferre. Nihil in iure determinatur, num suffragia sint secrete vel publice ferenda. Tribunali collegiali praeest officialis vel vice-officialis, cuius est processum dirigere, et decernere ea, quae pro iustitiae administratione in causa quae agitur necessaria sunt[53].

ARTICULUS II.

De auditoribus et relatoribus.

Q. 462. *Quale sit in iudiciis officium auditorum et relatorum?*

R. 1. Ordinarius (episcopus vel superior maior religiosus) potest unum aut plures auditores seu actorum instructores (Untersuchungsrichter, juge d'instruction) constituere, idque sive stabiliter sive pro certa aliqua causa.

[48] c. 1574. [49] c. 1575. [50] c. 1576, § 1. [51] c. 655; cf. supra q. 262.
[52] c. 1576, § 2 3. [53] c. 1577.

Iudex vero auditorem eligere potest tantummodo pro causa determinata quam cognoscit, nisi Ordinarius iam providerit[54]. Pro tribunali dioecesano isti auditores, quantum fieri potest, deligantur ex iudicibus synodalibus; pro tribunali vero religiosorum deligendi semper sunt ex alumnis eiusdem religionis ad normam constitutionum[55]. Nullo modo possunt laici homines in iudiciis ecclesiasticis admitti tamquam auditores ad causas instruendas, neque tamquam assessores cum voto consultivo in iis causis, quae aliquo modo conexae sunt cum legibus civilibus. Ita S. Congr. Conc. d. 14 Dec. 1918[56]. Auditores igitur debent semper esse clerici.

2. Officium auditorum est testes citare et audire aliaque acta iudicialia instruere secundum tenorem mandati; nequeunt autem auditores ferre sententiam definitivam[57].

3. Auditor in quovis litis momento ab officio removeri potest ab eo, qui eundem elegit, iusta tamen de causa et citra partium praeiudicium[58].

4. Relator seu Ponens (Referent) *debet* a praeside tribunalis collegialis designari, et quidem unus de iudicibus collegii. Officium eius est in coetu iudicum referre de causa et in scriptis redigere sententias. Praeses tribunalis potest ex iusta causa relatori alium substituere[59].

ARTICULUS III.

De notario, promotore iustitiae, defensore vinculi.

Q. 463. *Quale sit in iudiciis officium notarii?*

R. Officium notarii est publicam fidem facere scriptura sua aut subscriptione[60]. Si clerici desint, possunt e laicis assumi; sed notarius in *criminalibus* clericorum causis debet esse sacerdos. Cuilibet processui interesse *oportet* notarium, qui officio actuarii (Gerichtsschreibers) fungatur. Talis actuarius tam necessarius est in quolibet processu, ut nulla habeantur acta, si actuarii manu non fuerint exarata, vel saltem ab eo subscripta[61]. Designatio actuarii pertinet ad Ordinarium (episcopum vel superiorem maiorem religiosum). Quodsi Ordinarius non designavit actuarium, iudex debet, antequam causam cognoscere incipiat, in actuarium assumere unum e notariis legitime constitutis[62]. Cum in religionibus satis raro occurrant processus iudiciales, non solent notarii habituales in qualibet provincia institui; ideoque oportet, ut in unoquoque processu instituatur notarius vel actuarius a superiore maiore.

Q. 464. *Quale sit officium promotoris iustitiae et defensoris vinculi?*

R. 1. *Promotor iustitiae,* qui et vocatur promotor fiscalis (Staatsanwalt, procureur du roi), debet constitui ab Ordinario in unaquaque dioecesi (et saltem in Curia generalitia religionum clericalium exemp-

[54] c. 1580. [55] c. 1581. [56] Acta Ap. Sed. XI 132. [57] c. 1582.
[58] c. 1583.
[59] c. 1584. De historia auditorum et relatorum videsis *Ios. Noval* l. c. n. 130 sqq
[60] c. 373. [61] c. 1585, § 1. [62] Ib. § 2.

tarum). Eius officium est promovere et tueri ius et leges in causis contentiosis et criminalibus. *Omnia acta processualia irrita sunt, nisi promotor iustitiae interfuerit.* Si tamen ille legitime citatus aliquibus actibus non interfuerit, acta quidem valent, verum postea ipsius examini subicienda omnino sunt, ut ea omnia (sive voce sive scriptis) possit animadvertere et proponere, quae necessaria aut opportuna iudicaverit[63]. Promotor iustitiae potest constitui vel ad universitatem causarum vel pro singulis causis[64]. Promotor iustitiae eligatur sacerdos integrae famae, in iure canonico doctor vel ceteroquin peritus, ac prudentiae et iustitiae zelo probatus; in tribunali religiosorum promotor iustitiae sit praeterea alumnus eiusdem religionis[65]. Si promotor iustitiae est electus ad universitatem causarum, a munere non cessat sede episcopali vacante, nec a Vicario capitulari potest removeri; adveniente autem novo Praelato indiget confirmatione[66]. Iusta interveniente causa, Ordinarius eum ab officio removere potest.

2. *Defensor vinculi* (qui est quasi species promotoris iustitiae) debet intercedere in processibus, ubi agitur de vinculo seu de validitate ordinationis et matrimonii. De eius institutione, qualitatibus, remotione valent eadem, quae supra dicta sunt de promotore iustitiae. Eadem persona officium promotoris iustitiae et defensoris vinculi gerere potest, nisi multiplicitas negotiorum et causarum id prohibeat[67]. Officium defensoris vinculi est validitatem ordinationis vel matrimonii defendere et aliquando contra sententiam nullitatis interponere appellationem.

ARTICULUS IV.
De cursoribus et apparitoribus.

Q. 465. *Quale sit officium cursorum et apparitorum in iudiciis?*

R. Officium cursoris (qui vocatur quoque nuntius, tabellio, pedellus) est acta iudicialia intimare; officium autem apparitoris est exsecutioni mandare sententias et decreta iudicis. Eadem autem persona utroque officio fungi potest[68]. Ceterum ista officia aliquando aliis modis et praesertim scriptis implentur.

Cursores et apparitores ordinarie sint laici, nisi in aliqua causa prudentia suadeat, ut ecclesiastici ad id munus assumantur. Eorum nominatio, suspensio et revocatio fit ab Ordinario, et quidem iisdem regulis quae pro notariis observandae sunt[69].

Acta, quae cursores et apparitores confecerunt, publicam fidem faciunt[70].

CAPUT II.
De tribunali ordinario secundae instantiae.

Q. 466. *Quaenam statuta sint de ordinario tribunali secundae instantiae seu de tribunali appellationis?*

[63] c. 1587. [64] c. 1588, § 2. [65] c. 1589. [66] c. 1590.
[67] c. 1588, § 1. De historia officiorum promotoris iustitiae et defensoris vinculi videsis *Ios. Noval* l. c. n. 140 sq.
[68] c. 1591. [69] c. 1592. [70] c. 1593.

R. 1. Ordinarium tribunal secundae instantiae est:

a) Metropolita pro tribunali episcopi suffraganei[71].

b) Ordinarius, quem Metropolita, probante S. Sede, semel pro semper designavit pro causis coram ipso Metropolita in prima instantia iudicatis[72].

c) Pro causis primum agitatis coram archiepiscopo, qui caret suffraganeis, vel coram loci Ordinario immediate Sedi Apostolicae subiecto fit appellatio ad eum Metropolitam, qui semel pro semper, praevia S. Sedis approbatione, electus est[73].

d) Inter religiosos exemptos pro omnibus causis coram superiore provinciali actis tribunal secundae instantiae seu appellationis est penes supremum moderatorem; pro causis actis coram abbate locali penes supremum moderatorem congregationis monasticae; pro causis vero religiosorum, in quibus apud Ordinarium loci est prima instantia (cf. q. 460 n. 1), tribunal secundae instantiae est apud Metropolitam vel Ordinarium semel tamquam secunda instantia legitime electum[74].

2. Tribunal secundae instantiae seu appellationis eodem modo quo tribunal primae instantiae constitui debet; et eaedem regulae, accommodatae ad rem, in causae discussione servandae sunt.

3. Si causa in prima instantia *collegialiter* cognita fuit, etiam in secunda instantia seu in appellatione collegialiter nec a minore iudicum numero definiri debet[75]. Nihil obstat, quominus iudices iidem, qui pro hac dioecesi designati sunt pro tribunali primae instantiae, sint iudices secundae instantiae pro alia dioecesi; immo ordinarie sic est.

Nota. Iuxta praxim vigentem tribunal secundae instantiae aliquando est Curia Romana, ad quam licet appellari, etiam praetermisso ordinario tribunali secundae instantiae.

CAPUT III.
De ordinariis Apostolicae Sedis tribunalibus.

Ut iam supra dictum est, Romanus Pontifex pro toto orbe catholico est iudex supremus et ultima instantia. Romanus Pontifex ius dicit vel per se ipse, quod raro accidit, vel per iudices specialiter a se delegatos, vel per tribunalia a se Romae constituta[76]. Talia tribunalia ordinaria (praeter S. Officium et S. Poenitentiariam) sunt duo: S. Romana Rota et Signatura Apostolica. De singulis singulariter agendum est.

ARTICULUS I.
De Sacra Romana Rota.

Q. 467. *Quaenam sit constitutio et competentia tribunalis S. Romanae Rotae?*

R. 1. Tribunal ordinarium a S. Sede constitutum pro *appellationibus* recipiendis est S. Romana Rota, quae est tribunal *collegiale constans*

[71] c. 1594, § 1. [72] Ib. § 2. [73] Ib. § 3. [74] Ib. § 4.
[75] c. 1596. [76] c. 1597.

certo auditorum numero (circiter 10), cui praesidet Decanus, qui primus est inter pares. Iam a saeculis hoc tribunal exsistebat[77], sed denuo ordinatum est a Pio X const. „Sapienti Consilio" d. 29 Iun. 1908. Auditores Rotae debent esse sacerdotes laurea doctorali in utroque saltem iure praediti; eorum electio Romano Pontifici reservatur. S. Rota ius dicit aut per singulos turnos trium auditorum, aut — in casibus gravioribus — omnibus congregatis, nisi aliter pro aliqua causa Summus Pontifex constituat[78].

2. *Competentia* S. Rotae versatur:

a) in secunda instantia circa causas, quae a quorumvis Ordinariorum tribunalibus in prima instantia diiudicatae sunt et ad S. Sedem per legitimam appellationem deferuntur;

b) in ultima instantia circa causas, quae vel a quibusvis tribunalibus in secunda vel ulteriore instantia vel etiam ab ipsa Rota iam cognitae fuerunt, sed quae nondum in rem iudicatam transierunt;

c) in prima instantia circa causas, quas Romanus Pontifex sive motu proprio sive ad instantiam partium ad eius tribunal advocavit; easque causas, nisi aliud cautum est in rescripto Pontificio, S. Rota iudicat quoque in secunda et tertia instantia ope turnorum, qui sibi invicem succedunt[79]. Si igitur tres auditores seu iudices in prima instantia aliquam causam iudicaverunt, in secunda instantia requiruntur tres alii auditores vel iudices.

3. A competentia S. Rotae penitus excluduntur:

a) causae maiores ratione sive personae (e. gr. principis) sive obiecti[80] (e. gr. fidei). Istae enim iudicantur a iudicibus in quolibet casu specialiter a Summo Pontifice deputatis[81];

b) decreta seu ordinationes *administrativae* Ordinariorum (e. gr. provisio vel recusatio alicuius officii vel beneficii, poenitentiae, remedia poenalia). Recursus contra ista decreta seu ordinationes dirigendus est ad S. Congregationes Romanas respectivas, etiam si agitur de damnis reficiendis[82]. Sic e. gr. si religiosus vult reclamare contra *ordinationem* moderatoris generalis, debet adire S. Congregationem de Religiosis; econtra si vult appellare contra sententiam eiusdem moderatoris *in iudicio* prolatam, debet appellationem dirigere ad S. Rotam.

Incompetentia S. Rotae in duobus casibus enumeratis est *absoluta,* ita ut sententia forte prolata esset prorsus irrita.

4. Sicuti in tribunalibus civilibus, ita quoque in tribunali S. Rotae sunt advocati approbati, quos semper fere oportet adire, si quis vult iudicium obtinere. Pauperibus ius est exemptionis ab expensis et gratuiti patrocinii. Etiam alii impares omnibus expensis ferendis possunt obtinere earum reductionem a praeside.

---

[77] De historia Romanae Rotae videsis *Ios. Noval* l. c. n. 162 sqq.
[78] c. 1598. [79] c. 1599. [80] c. 1600. [81] Ib.
[82] c. 1601 et Pontif. Com. d. 22 Maii 1923 (Acta Ap. Sed. XVI 251).

ARTICULUS II.
De Signatura Apostolica.

Q. 468. *Quaenam sit constitutio et competentia Signaturae Apostolicae, quae est supremum tribunal?*

R. 1. Supremum Signaturae Apostolicae tribunal constat nonnullis S. R. E. Cardinalibus, quorum unus praefecti munere fungitur[83].

2. *Competentia* Signaturae versatur ex potestate *ordinaria:*

a) circa violationem secreti ac damna ab auditoribus S. Rotae illata eo quod actum nullum vel iniustum posuerint;

b) circa exceptionem (Einrede) suspicionis contra aliquem S. Rotae auditorem, qui potest excludi e turno vel in eo relinqui[84];

c) circa querelam nullitatis contra sententiam rotalem;

d) circa expostulationem pro restitutione in integrum adversus rotalem sententiam, quae in rem iudicatam transiit;

e) circa recursus adversus sententias rotales in causis matrimonialibus, quas ad novum examen S. Rota admittere renuit;

f) circa conflictum competentiae, quem enasci contingit inter nonnulla tribunalia inferiora, quae non habent tribunal superius.

Ex potestate *delegata* Signatura Apostolica iudicat de petitionibus per supplices libellos ad Rom. Pontificem porrectis ad obtinendam causae commissionem apud S. Rotam[85].

3. Quamvis Signaturae tribunalis sententiae suam vim habeant, etiamsi rationes in facto et in iure non continent, tamen sive ad instantiam partis sive ex officio, si res postulet, hoc tribunal edicere potest, ut praedictae rationes exponantur secundum regulas proprias[86].

Ex dictis de competentia Signaturae sequitur, ut hoc tribunal sit simile tribunalibus *cassationis,* quae habentur in iudiciis civilibus.

CAPUT IV.
De tribunali delegato.

Q. 469. *Quaenam specialiter observare debeat iudex, cui non competit nisi iurisdictio delegata?*

R. Cum de ordinaria potestate iudicum supra sufficienter dictum sit, de iudice delegatae iurisdictionis sequentia notentur:

1. Iudex a S. Sede delegatus *potest,* sed iudex ab Ordinario loci delegatus *debet* uti ministris in Curia dioecesana ordinarie constitutis, e. gr. promotore iustitiae, actuario etc. Iudex igitur a S. Sede delegatus potest alios quoscumque ministros aptos assumere, nisi tamen in delegationis rescripto aliud cautum est. Iudex ab Ordinario loci delegatus debet assumere eos ministros, quos episcopus habitualiter vel pro casu determinato designavit[1].

---

[83] c. 1602. [84] c. 1604, § 2. [85] c. 1603. [86] c. 1605. [1] c. 1607.

2. Quantum ad potestatem iudicis delegati et notanter quantum ad facultatem subdelegandi, observanda sunt statuta generalia de potestate delegata indicata in c. 199—207 209. Ad dubia vitanda praestat, ut in delegatione ambitus potestatis delegatae accurate determinetur.

TITULUS III.

De disciplina in tribunalibus servanda.

Praenotamen. Postquam in duobus praecedentibus titulis tractatum est de foro competenti et de diversis tribunalibus in se, nunc agendum est de disciplina seu de modo procedendi, qui in omni tribunali observari debet. Cum haec materia sit satis ampla et complura sint observanda, ut processus iudicialis debito ordine peragatur, praesens titulus dividitur in quinque capita: 1. De officio iudicum et ministrorum tribunalis; 2. De ordine cognitionum; 3. De dilationum terminis et fatalibus; 4. De loco et tempore iudicii; 5. De personis ad disceptationem iudicialem admittendis et de modo confectionis et conservationis actorum.

CAPUT I.

De officio iudicum et ministrorum tribunalis.

Q. 470. *Quaenam observare debeat iudex in omni tribunali?*

R. 1. Iudex competens parti legitime requirenti suum ministerium ne recuset[2]. Immo iudex competens, qui ius reddere recusat, graviter peccat et tenetur damna exorta resarcire, atque ab Ordinario loci (vel, si de episcopo iudice agitur, a S. Sede) ad instantiam partis aut etiam ex officio congruis poenis pro gravitate culpae puniri potest, non exclusa officii privatione. Idem valet de iudice, qui temere se competentem declaravit, aut qui ex culpabili negligentia aut dolo actum irritum cum aliorum detrimento vel actum iniustum posuit aut aliud ligitantibus damnum intulit[3].

2. Iudex, antequam aliquem ad suum trahat tribunal vel aliquem ad agendum admittat, videat, utrum ipse sit competens necne[4]. Quare omnia attendenda sunt, quae supra tit. I de foro competenti dicta sunt.

3. Iudex ne suscipiat cognoscendam causam, in qua ratione consanguinitatis vel affinitatis in quolibet gradu lineae rectae et in primo et secundo gradu lineae collateralis, vel ratione tutelae et curatelae, intimae vitae consuetudinis, magnae simultatis (Rivalität) vel lucri faciendi aut damni vitandi, aliquid ipsius interest, vel in qua antea advocatum aut procuratorem egit[5]. In iisdem rerum adiunctis ab officio suo abstinere debent quoque iustitiae promotor et defensor vinculi[6]. Ratio est, quia tunc exceptio suspicionis moveri posset.

4. Circa hanc **exceptionem suspicionis** (Einrede wegen Befangenheit) sequentia statuta sunt:

[2] c. 1608. [3] c. 1625. [4] c. 1609. [5] c. 1613, § 1. [6] Ib. § 2.

a) Exceptio suspicionis *expeditissime* definienda est, auditis partibus et promotore iustitiae vel vinculi defensore, si intersint nec in ipsos suspicio cadat[7]. Talis autem exceptio proponenda et cognoscenda est ordinarie ante litis contestationem, nisi tamen contestata iam lite primum emerserit aut pars iureiurando affirmet, eam tunc tantum sibi innotuisse[8].

b) Cum iudex competens a parte recusatur ut suspectus, haec exceptio definienda est α) a *delegante*, si proponitur contra iudicem delegatum in causa unicum, aut contra collegium vel maiorem delegatorum iudicum partem; β) definienda est a ceteris iudicibus delegatis non suspectis, si proponitur contra unum vel alterum ex pluribus iudicibus delegatis; γ) definienda est a Signatura Apostolica, si proponitur contra auditorem Rotae; δ) definienda est ab episcopo, si proponitur contra aliquem officialem; ε) definienda est a iudice principali, si proponitur contra auditorem seu alium iudicem eiusdem tribunalis; ζ) a praeside tribunalis, si proponitur contra promotorem iustitiae, defensorem vinculi aut alios administros tribunalis[9].

c) Si ipsemet Ordinarius (e. gr. Provincialis) est iudex et contra ipsum exceptio suspicionis opponitur, tunc vel abstineat a iudicando vel quaestionem suspicionis definiendam committat iudici immediate superiori[10].

d) Si iudex unicus aut aliquis vel etiam omnes iudices collegiales revera suspecti declarati sunt, personae quidem sed non iudicii gradus (seu instantia) mutari debent, et quidem ab Ordinario, vel, si ipse Ordinarius est suspectus, a iudice immediate superiore[11].

5. In negotio, quod *privatorum* solummodo interest, iudex potest procedere dumtaxat ad instantiam partis. Quare si actor renuntiat petitioni, iudex nequit ultra procedere. In delictis autem et in iis, quae publicum Ecclesiae bonum aut animarum salutem respiciunt, iudex debet *ex officio* procedere[12]. Proinde si actor pro re sua privata probationes facti, quas afferre posset, non affert, vel reus exceptiones sibi competentes non opponit, iudex ne suppleat; sin autem agitur vel de bono publico vel de animarum salute, probationes potest et debet supplere iudex[13].

6. Iudices et tribunalia curent, ut quam primum, salva iustitia, causae omnes terminentur, utque in tribunali primae instantiae *ultra biennium* non protrahantur; in tribunali vero secundae instantiae non ultra annum[14]. Immo si nullus actus processualis, quin obstet impedimentum, ponatur in tribunali primae instantiae per biennium, aut in gradu appellationis per annum, instantia perimitur ut infra q. 492 n. 3 dicetur.

7. **Iusiurandum** de officio rite et fideliter implendo coram Ordinario vel coram iudice a quo electi sunt vel coram viro ecclesiastico ab alterutro delegato praestare debent omnes (excepto episcopo, qui

[7] c. 1616. [8] c. 1628, § 1. [9] c. 1614, § 1 et 3. [10] Ib. § 2.
[11] c. 1615. [12] c. 1618. [13] c. 1619. [14] c. 1620.

per se potestatem iudiciariam exercet), qui tribunal constituunt aut eidem opem ferunt: idque ab initio suscepti officii, si sunt stabiles; aut antequam causa agatur, si pro peculiari aliqua causa sunt constituti[15]. Circa id iusiurandum statuitur:

a) ut notarius debeat actum redigere de iureiurando praestito;

b) ut debeat emitti, praemissa divini nominis invocatione, et a sacerdotibus, tacto pectore, a ceteris fidelibus, tacto evangeliorum libro[16];

c) ut iudex omnes iurantes regulariter commonefaciat de sanctitate actus et de gravissimo delicto et poena periurii[17];

d) ut praestetur secundum formulam a iudice probatam coram eodem iudice vel eius delegato, adstante utraque vel alterutra parte, quae interesse velit[18].

8. **Secretum servare** debent iudex et tribunalis adiutores, et quidem in iudicio criminali semper, in contentioso autem, si ex revelatione alicuius actus processualis praeiudicium partibus obvenire possit; notanter debent omnes semper servare inviolabile secretum tum de discussione, quae in tribunali collegiali ante ferendam sententiam habetur, tum etiam de variis opinionibus et suffragiis ibidem prolatis[19]. Immo, ad praecavenda scandala, dissidia aliaque incommoda, iudex potest testes, peritos, partes earumque advocatos vel procuratores iureiurando adstringere ad secretum servandum[20]. Iudices autem, qui secretum quoquo modo violare praesumpserint, puniantur mulcta pecuniaria aliisque poenis, privatione officii non exclusa. Idem valet de tribunalis officialibus et adiutoribus[21].

9. Iudex et omnes tribunalis administri, occasione agendi iudicii, munera quaevis acceptare prohibentur[22].

10. Cum iudex praevidet, actorem probabiliter spreturum esse sententiam ecclesiasticam, si forte haec ipsi sit contraria, potest, ad conventae alterius partis instantiam, vel etiam ex officio, actorem adigere *ad congruam cautionem praestandam* pro ecclesiasticae sententiae observantia[23]. Hinc saepe praestat, ut partes, iubente iudice, expresse spondeant scriptis vel saltem oraliter coram testibus, se acceptaturas et exsecuturas esse sententiam iudicis ecclesiastici; quod notanter observandum est in compromisso per arbitros.

CAPUT II.

De ordine cognitionum.

Q. 471. *Quonam ordine diversae actiones iudiciales tractandae sint?*

R. 1. Ad recte perficiendum processum iudicialem atque ad legitime et congrue ius dicendum omnino necessarium est, ut rectus ordo

[15] c. 1621. [16] c. 1622, § 1. [17] Ib. § 2. [18] Ib. § 3. [19] c. 1623, § 1 2. [20] Ib. § 3. [21] c. 1625, § 2 3. [22] c. 1624 et 2037. [23] c. 1626.

servetur. Hinc primo statuitur ordo observandus inter diversas causas et deinde ordo servandus inter diversas exceptiones, quaestiones etc. in eadem causa.

2. Quantum ad primum: Iudices et tribunalia tenentur causas (Prozeßfälle) ad se delatas eo ordine cognoscere, quo fuerunt propositae, nisi aliqua earum (e. gr. electio, beneficium) celerem prae ceteris expeditionem exigat; quod quidem peculiari decreto a iudice seu a tribunali statuendum est[24].

3. Quantum ad alterum statuitur ordo in exceptionibus, reconventionibus et nonnullis aliis quaestionibus; scilicet:

a) **Quantum ad exceptiones:**

Exceptiones *dilatoriae* (urteilsaufschiebende Einreden), eae praesertim, quae respiciunt personas et modum iudicii, proponendae et cognoscendae sunt ante contestationem litis, nisi contestata iam lite primum emerserint aut pars *iureiurando* affirmet, eas tunc tantummodo sibi innotuisse[25]. Exceptio tamen α) de incompetentia iudicis absoluta; β) de excommunicatione iudicis, in quolibet iudicii gradu et statu, ante tamen sententiam definitivam, opponi potest[26]. Ratio est, quia secus sententia iudicialis exponeretur nullitati.

Exceptiones *peremptoriae* (urteilshindernde Einreden) litis finitae, e. gr. exceptio rei iudicatae, transactionis etc., proponi et cognosci debent *ante* contestationem litis; ille autem, qui postea eas opposuit, non est quidem reiciendus, sed condemnetur in expensis processus, nisi probet, se oppositionem malitiose non distulisse. Aliae exceptiones peremptoriae opponi debent *post* contestatam litem et suo tempore tractandae sunt secundum regulas circa quaestiones incidentes[27].

b) **Quantum ad reconventiones** (Gegenklagen):

Actiones reconventionales satius statim post litis contestationem, utiliter quovis iudicii momento, ante sententiam tamen, proponi possunt. Cognoscuntur autem simul cum conventionali actione, hoc est pari gradu cum ea, nisi eas separatim cognoscere aut necessarium est aut iudex opportunius iudicavit[28]. Ratio est, quia actiones conventionales et reconventionales saepe seipsas compensant.

c) **Quantum ad alias quaestiones:**

Quaestiones de cautione pro expensis iudicialibus praestanda aut de concessione gratuiti patrocinii, quod statim ab initio postulatum fuit, et aliae huiusmodi quaestiones, e. gr. de sequestratione rei, de inhibitione iuris tertii videndae regulariter sunt ante litis contestationem[29].

Quaestio *praeiudicialis*, quae suboritur, proposita iam principali controversia, ante omnia a iudice cognoscenda est, si ex solutione huius quaestionis pendet solutio controversiae principalis[30]. Patet per se.

[24] c. 1627. [25] c. 1628, § 1. [26] Ib. § 2 3. [27] c. 1629. [28] c. 1630. [29] c. 1631. [30] c. 1632.

Quaestiones *incidentes, quae ex principali* controversia ortae sunt, cognoscantur eo ordine ut prius eae solvantur, quarum solutio sternit viam ad aliarum solutionem[31]. Per se patet. Sin autem istae quaestiones incidentes nullo nexu logico inter se cohaerent, tunc ea prius definiatur, quae prius proposita fuit[32]. — Quaestio incidens de spolio semper ante omnia est dirimenda[33]. Quid sit spolium dicitur c. 1698, § 1; cf. infra q. 487, n. 4.

CAPUT III.

De dilationum terminis et de fatalibus.

Q. 472. *Quaenam sit disciplina vigens circa dilationum terminos et circa fatalia?*

R. 1. Fatalia *legis* (gesetzliche Fristen), i. e. termini perimendis iuribus a *lege* constituti, e. gr. 10 dies pro iure appellandi, 30 dies pro prosecutione appellationis, prorogari non possunt; econtra termini *iudiciales* et *conventionales* (richterliche und vereinbarte Fristen) *ante eorum lapsum* possunt, iusta de causa, prorogari a iudice, auditis et petentibus partibus. Caveat tamen iudex, ne nimis diuturna fiat lis ex tali prorogatione[34].

2. Si dies pro actu iudiciali indicta est feriata (quaenam dies sint feriatae, dicetur cap. seq.), nec in decreto iudicis dicatur expresse tribunal vacaturum nihilominus causis cognoscendis, terminus intelligitur prorogatus ad primam sequentem diem non feriatam[35]. Hinc e. gr. si statuitur a iudice die 10 Dec., proximum terminum actus iudicialis esse post duas hebdomadas, iste dies non erit 25 Dec., utpote dies feriata propter festum Nativitatis, sed dies 26 Dec.

CAPUT IV.

De loco et tempore iudicii.

Q. 473. *Quaenam sit disciplina vigens circa locum et tempus iudicii?*

R. 1. Quantum *ad locum:* Quamvis episcopus in quolibet suae dioecesis loco (qui non est exemptus) ius habeat erigendi tribunal, nihilominus penes suam sedem statuat aulam (Gerichtssaal), quae sit ordinarius iudiciorum locus, ibique Crucifixi imago in loco patenti emineat et adsit evangeliorum liber[36].

Iudex ordinarie nequit ius dicere extra suum territorium, iuxta illud: „extra territorium ius dicenti impune non paretur", sed si est e territorio suo vi expulsus vel a iurisdictione ibi exercenda impeditus, potest extra territorium iurisdictionem suam exercere et sententiam ferre, certiore tamen hac de re facto loci Ordinario[37].

2. Quantum *ad tempus:* In unaquaque dioecesi Ordinarius publico decreto definire debet dies et horas, quibus tribunal adiri regulariter

[31] c. 1633, § 1. [32] Ib. § 2. [33] Ib. § 3. [34] c. 1634.
[35] c. 1635. [36] c. 1636. [37] c. 1637.

potest et ab eo iustitiae administratio exigi. Iusta tamen de causa, et quoties periculum est in mora, fas est fidelibus quovis tempore iudicis ministerium in sui iuris vel boni publici tutelam invocare[38]. — *Dies feriati* pro iudiciis sunt omnes dies festi de praecepto et ultimi tres dies hebdomadae sanctae. His diebus vetitum est citationes intimare, audientias habere, partes et testes excutere, probationes assumere, decreta et sententias ferre, denuntiare et exsequi, nisi tamen necessitas, christiana caritas aut bonum publicum aliud postulent. Iudicis est in singulis casibus statuere et denuntiare, num et quae acta supra dictis diebus feriatis expleri debeant[39].

CAPUT V.

De personis ad disceptationem iudicialem admittendis et de modo confectionis et conservationis actorum.

Q. 474. *Quaenam personae admitti possint in tribunali ecclesiastico?*

R. 1. Dum causae coram tribunali ecclesiastico aguntur, omnes extranei ab aula arceantur et ii tantummodo adsint, quos ad processum expediendum iudex necessarios esse iudicavit[40]. Tribunal igitur ecclesiasticum differt a tribunali civili, quod semper fere concedit publicum accessum[41]. Omnes iudicio assistentes, qui reverentiae et oboedientiae tribunali debitae graviter defuerunt, iudex (etiam ilico) potest, censuris quoque aliisve congruis poenis, ad officium reducere; advocatos praeterea et procuratores potest privare iure alias causas apud tribunalia ecclesiastica pertractandi[42].

2. Si alicui actui processuali intervenit persona linguae loci ignara atque iudices ac partes linguam huius personae non intelligunt, interpres adhibeatur iuratus et a iudice designatus, contra quem alterutra pars legitimam exceptionem non proposuit[43].

Q. 475. *Quid statutum sit de confectione et conservatione actorum iudicialium?*

R. 1. Acta iudicialia, et quidem cum *acta causae,* i. e. ea, quae meritum quaestionis seu eius obiectum respiciunt, e. gr. sententiae et cuiuscumque generis probationes, tum *acta processus* (Prozeßgang), e. gr. citationes, intimationes etc., *scripto* redacta esse debent[44]. Hinc

[38] c. 1638. [39] c. 1639. [40] c. 1640, § 1.

[41] Quamvis procedura publica in tribunalibus civilibus usitata non spernenda commoda afferat, tamen etiam aliquando haud parva incommoda secum fert. Indoles cum iudicii ecclesiastici tum causarum in tribunali ecclesiastico tractandarum exigit, ut tertiis personis, quorum nihil interest, aditus ad tribunal ecclesiasticum intercludatur. Quanta enim mala acciderent, si e. gr. aliquis pravae ephemeridis redactor invisus infestusque Ecclesiae libere posset interesse processibus in causis impotentiae, litis inter duos clericos etc., et postea omnia audita propalare! Procedura canonica minime est secreta; etenim omnia redigit in scriptis, quae inspici possunt ab iis, quorum interest.

[42] c. 1640, § 2. [43] c. 1641. [44] c. 1642, § 1.

illud principium in iudiciis ecclesiasticis admissum: „Quod non est in actis, non est in mundo.“ Omnia acta iudicialia (nisi iusta causa aliud suadeat) *lingua latina* redigantur. Ratio huius statuti est duplex: a) secretum facilius servandum; etenim lingua latina non calletur a tam multis hominibus quam lingua vernacula; b) in casu appellationis ad Curiam Romanam acta iudicialia tunc non indigent translatione in aliam linguam. Interrogationes autem et responsiones testium aliaque similia lingua vernacula confici debent[45]; sed in casu appellationis ad Curiam Romanam transferri debent in linguam latinam, nisi sunt facta in linguis gallica aut italica.

2. Singula folia processus numerentur (paginentur), et actuarii subscriptio cum sigillo tribunalis apponatur in *unoquoque folio*. Singulis actis completis vel interruptis seu ad aliam sessionem remissis apponatur subscriptio actuarii et iudicis vel tribunalis praesidis[46]. Ratio est, ne illegitime istis actis aliquid addatur. Quoties in actis iudicialibus subscriptio partium aut testium requiritur, atque pars aut testis hanc facere nequit vel non vult, id in ipsis actis adnotetur, simulque iudex et actuarius fidem faciant, actum ipsum de verbo ad verbum parti aut testi fuisse perlectum, atque partem aut testem vel non potuisse vel noluisse subscribere[47]. Quodsi acta non sunt confecta hoc modo, possunt in casu appellationis a iudice superiore remitti, et tunc debent expensis actuarii et iudicis iterum confici[48]. In casu appellationis actorum exemplaria (Abschriften, copies) rite confecta et in fasciculum religata, cum indice omnium actorum et documentorum et cum testificatione actuarii seu cancellarii de eorum fideli transcriptione et integritate, mittantur ad superius tribunal. Sin autem exemplaria sine gravi incommodo exscribi nequeunt, mittantur cum opportunis cautelis acta ipsa originalia[49]. Si eo mittenda sunt, ubi vernacula lingua non est cognita, acta ipsa in linguam latinam vertantur, adhibitis cautelis, ut de fideli translatione constet[50].

3. Iudicio expleto *documenta* (non acta) partibus restitui debent, nisi in criminalibus, bono publico ita exigente, iudex aliquod retinendum censuerit, e. gr. aliquod scriptum, quod valde infamat clericum. Ea autem documenta, quae apud tribunal manent, in archivo Curiae deponantur, sive publico sive secreto, prout eorum natura exigit. Notarii, actuarii et cancellarius sine iudicis mandato tradere prohibentur exemplar actorum iudicialium et documentorum, quae sunt processui acquisita. Anonymae epistulae, quae nihil ad causae meritum continent, et etiam epistulae subscriptae, quae sunt certo calumniosae, destruantur[51].

[45] c. 1642, § 2. [46] c. 1643, § 1 2. [47] Ib. § 3.
[48] c. 1644, § 3. [49] Ib. § 1. [50] Ib. § 2.
[51] c. 1645.

TITULUS IV.

De partibus in causa.

Partes in causa (Prozeßparteien) sunt actor (Kläger, demandeur), reus conventus (Beklagter, defendeur), aliquando procuratores (Sachwalter oder Prozeßvertreter) et advocati (Rechtsanwalt). Primo agendum est de actore et reo convento, qui sunt partes principales, et deinde de procuratoribus et advocatis, qui sunt eorum adiutores.

CAPUT I.

De actore et reo convento.

Q. 476. *Quaenam regula generalis valeat de actore et reo?*

R. Regula generalis est: „Nemo iudex sine actore.“ Quare nullum iudicium institui potest, quando non est actor. Actor, in rebus criminalibus et in iis, quae boni publici specialiter intersunt, solet esse procurator iustitiae; in aliis rebus est quaelibet persona privata physica vel moralis, quae non est specialiter prohibita. Hinc illud adagium: „Quilibet potest in iudicio agere, nisi a sacris canonibus prohibeatur; reus autem legitime conventus respondere debet.“[52] Quinam prohibeantur (totaliter vel partialiter) agere in iudicio, dicetur quaest. seq. Licet autem actor vel reus conventus constituerit sibi procuratorem vel advocatum, semper tamen tenetur in iudicio ipsemet adesse, si ita vel ius vel iudex praecipit[53], e. gr. in causis criminalibus.

Q. 477. *Quinam a iure prohibeantur aut saltem limitentur tamquam partes in causa?*

R. 1. *Minores et rationis usu destituti* nequeunt agere et respondere in iudicio, sed debent id facere per ipsorum parentes, aut tutores vel curatores. Si autem iudex existimat, ipsorum iura esse in conflictu cum iuribus parentum vel tutorum aut curatorum, aut ipsos tam longe distare a parentibus aut curatoribus vel tutoribus, ut hisce uti aut minime aut difficulter liceat, tunc stent in iudicio per curatorem a iudice datum. In causis vero spiritualibus et cum spiritualibus conexis, e. gr. si agitur de matrimonio ineundo, de religiosa professione etc., minores, qui usum rationis assecuti sunt, agere et respondere queunt sine patris vel tutoris consensu; et quidem, si aetatem 14 annorum expleverint, etiam per se ipsos; secus per tutorem ab Ordinario datum, vel etiam per procuratorem a se auctoritate Ordinarii constitutum[54].

2. *Bonis interdicti* (Entmündigte) *et ii, qui minus firmae mentis sunt,* stare per se ipsi in iudicio tantummodo possunt, ut de propriis delictis respondeant, aut ad praeceptum iudicis; in ceteris autem agere et respondere debent per suos curatores[55]. Animadvertere hic oportet: Ut curator ab auctoritate civili datus minoribus aliisque personis valeat in iudicio ecclesiastico stare, debet accedere consensus Ordinarii proprii

[52] c. 1646. [53] c. 1647. [54] c. 1648. [55] c. 1650.

illius, cui datus est. Ordinarius in hoc casu potest tunc etiam alium curatorem pro iudicio ecclesiastico constituere[56].

3. *Personae morales,* cum aequiparentur minoribus[57], nequeunt in iudicio stare nisi per proprium rectorem aut administratorem; in conflictu vero ipsarum iurium cum iuribus rectoris vel administratoris pro iis designandus est ab Ordinario procurator in iudicio[58].

4. *Religiosi* ordinarie nequeunt in iudicio stare sine consensu proprii superioris. Excipiuntur tres casus: a) si agitur de vindicandis adversus religionem iuribus sibi ex professione religiosa quaesitis; b) si ipsi extra claustra legitime morantur et iurium suorum tuitio urget; c) si contra ipsum superiorem denuntiationem instituere volunt[59]. *Superiores* autem religiosi nequeunt nomine suae communitatis stare in iudicio nisi ad normam constitutionum[60].

5. *Ordinarii locorum* possunt quidem nomine ecclesiae cathedralis aut mensae episcopalis stare in iudicio, sed, ut licite agant, debent audire Capitulum cathedrale et consilium dioecesanum administrationis eorumve consensum vel consilium habere, quando periculo vertitur pecuniae summa, pro qua alienanda eorundem consensus vel consilium requiritur[61].

6. *Beneficiarii* omnes nomine beneficii possunt in iudicio agere aut respondere, dummodo licentiam obtinuerint scripto datam Ordinarii loci, aut saltem, si res urget, vicarii foranei, qui statim Ordinarium de concessa licentia certiorem reddat[62].

7. *Praelati* et *superiores* capitulorum, sodalitatum et quorumlibet collegiorum stare in iudicio nequeunt, nomine suae cuiusque communitatis, sine eiusdem consensu ad normam statutorum.

Si Ordinarii, beneficiarii, praelati et superiores communitatum sine praescripto consensu aut consilio in iudicio egerint, piae causae aut communitati ius est ad refectionem damnorum forte ortorum[63]. In casu vero defectus vel negligentiae illius, qui administrationis munere fungitur, potest ipse Ordinarius per se vel per alium stare in iudicio nomine personarum moralium, quae sub eius iurisdictione sunt.

8. *Excommunicati* stare possunt (ut actores) in iudicio, nisi sunt vitandi aut tolerati post sententiam declaratoriam aut condemnatoriam. Hi enim per se ipsi solummodo possunt in iudicio impugnare excommunicationem contra se latam; per procuratorem autem possunt avertere aliud quodvis *animae* praeiudicium[64]. — Quilibet excommunicatus conveniri potest ut *reus;* non enim de sua malitia debet reportare commodum.

CAPUT II.

De procuratoribus ad lites et advocatis.

Q. 478. *Quid generatim statutum sit de procuratoribus et advocatis in iudiciis ecclesiasticis?*

[56] c. 1651. [57] c. 100, § 3. [58] c. 1649. [59] c. 1652. [60] c. 1653, § 6. [61] Ib. § 1. [62] Ib. § 2. [63] Ib. § 4. [64] c. 2263 1654.

R. 1. *Procurator* (Sachwalter, Prozeßvertreter) in iudiciis dicitur is, qui vices gerit actoris vel rei conventi. Est autem in iudicio necessarius solummodo in tribus casibus, sc. a) pro *episcopo,* cuius persona in causa est[65]; non enim decet dignitatem episcopalem, ut tunc in iudicio compareat; b) pro *minoribus* vel personis moralibus; c) quando bonum publicum id exigit[66], aut si iudex ministerium procuratoris necessarium existimaverit[67].

Advocatus (Rechtsbeistand) seu causidicus vel pragmaticus est persona a competenti auctoritate ecclesiastica approbata, quae in processibus coram iudice ecclesiastico tuetur iura actoris vel rei conventi; necessarius est in tribus casibus: a) in omni iudicio criminali *pro reo*[68]; b) in iudicio contentioso, si agitur de minoribus vel de personis moralibus aut de iudicio, in quo bonum publicum vertitur; c) quando iudex id necessarium duxerit. Praeter hos casus enumeratos pars potest libere aut procuratorem vel advocatum idoneum constituere, aut per se ipsa in iudicio agere et respondere[69]. In tribunali igitur ecclesiastico non exsistit tanta coactio de advocato habendo, quanta solet esse in iudiciis civilibus.

2. Unicum quisque potest eligere procuratorem, sed potest habere plures advocatos. Procurator nequit alium sibi substituere, nisi expressa facultas eidem facta fuerit. Si quis ex iusta causa plures procuratores sibi deputavit, e. gr. quia timet, ne unus sit impeditus, nihilominus unus solus potest in iudicio stare, isque qui primus suscepit hoc munus. Utrumque munus, procuratoris et advocati, etiam in eadem causa et pro eodem cliente eadem persona exercere potest[70].

Q. 479. *Quid specialiter statutum sit de procuratoribus?*

R. 1. Procurator debet esse a) catholicus (acatholicus non admittitur nisi per exceptionem et in necessitate); b) aetate maior; c) bonae famae atque non exclusus ab actibus legitimis[71]. Religiosus nequit munus procuratoris vel advocati exercere nisi in causis, in quibus vertitur utilitas suae religionis, et de licentia constitutionum et sui superioris[72]. In religionis tribunali procurator forte adhibitus debet esse eiusdem religionis; sin autem loci Ordinarius est iudex primae instantiae inter diversas religiosas personas (physicas vel morales) aut inter religiosum et clericum saecularem, procurator vel advocatus religioni extraneus eligi potest[73].

2. Procurator nequit prius a iudice admitti, quam speciale mandatum scriptum et etiam in calce ipsius citationis a mandante subscriptum, et locum, diem, mensem et annum referens apud tribunal deposuerit. Quodsi mandans scribere nescit, necesse est, ut hoc ex mandato scripto constet, et ut parochus vel notarius Curiae vel duo testes loco mandantis subsignent mandatum[74]. Mandatum autem pro-

[65] c. 1655, § 4. [66] Ib. § 2. [67] Ib. § 3. [68] Ib. § 1. [69] Ib. § 3. [70] c. 1656. [71] c. 2256, n. 2. [72] c. 1657. [73] c. 1658, § 4. [74] c. 1659.

curatoris asservari debet in actis causae[75]. Praeter hoc mandatum procurator indiget speciali mandato, ut possit renuntiare actioni, instantiae, actibus iudicialibus, ut possit transigere, pacisci, compromittere in arbitros, deferre aut referre iusiurandum et generatim ea agere, pro quibus ius requirit mandatum speciale[76].

3. Procurator potest a iudice repelli, iusta tamen de causa; item potest removeri a mandante, salva obligatione solvendi honorarium ipsi debitum; verum ut remotio effectum sortiatur, necesse est, ut ipsi intimetur, et si lis iam contestata fuerit, iudex et adversa pars certiores facti sint de remotione.

4. Procurator vetatur emere litem, aut sibi de immodico emolumento vel de rei litigiosae parte vindicata pacisci; quod si fecerit, nulla est pactio, et a iudice vel ab Ordinario potest poena pecuniaria mulctari[77]. Procurator, qui ob dona aut pollicitationes aut quamlibet aliam rationem suum officium prodiderit (verraten, trahir), vel colludat cum parte adversa, ab officio repellatur et praeter damnorum refectionem mulcta pecuniaria aliisve congruis poenis plectatur[78].

Q. 480. *Quid specialiter statutum sit de advocatis?*

R. 1. Advocatus debet habere qualitates supra quaest. praec. n. 1 recensitas pro procuratore et praeterea esse doctor iuris canonici vel alioqui vere peritus in iure[79].

2. Advocatus omnino nequit patrocinium causae in tribunali suscipere, nisi sit approbatus ab Ordinario vel generaliter pro omnibus causis vel specialiter pro certa causa[80]. In iudicio autem peragendo coram S. Sedis delegato advocatus debet approbari ab hoc delegato[81].

3. Advocatus, ut causae patrocinium suscipiat, debet habere a parte vel a iudice commissionem ad instar mandati procuratorii, sicut quaest. praec. n. 2 dictum est[82].

4. Quae supra quaest. praec. n^is 3 et 4 de procuratore dicta sunt, de eius remotione et de pactionibus illicitis, valent quoque de advocatis.

5. Advocatus in aliquo foro ecclesiastico habitualiter approbatus potest a iudice istius fori cogi ad gratuitum patrocinium praestandum in aliqua causa pauperis[83].

TITULUS V.

De actionibus et exceptionibus.

Praenotamen. Postquam in titulo praecedenti dictum est de partibus, i. e. de personis in causa, earumque vices gerentibus et adiutoribus, sc. de procuratoribus et advocatis, nunc ex logico ordine dicendum est de actionibus

[75] c. 1660. [76] c. 1662. [77] c. 1665. [78] c. 1666. [79] c. 1657, § 2.

[80] c. 1658, § 2. Hinc nec advocati consistoriales possunt in Curiis episcopalibus causas suscipere sine praevia approbatione Ordinarii. S. Signatura d. 15 Dec. 1923 (Acta Ap. Sed. XVI 106).

[81] c. 1658, § 3. [82] c. 1661. [83] c. 1916.

et exceptionibus seu de iis actibus, quibus partes suum ius defendunt. Quodlibet enim ius non solum actione munitur, sed etiam exceptione, quae quidem semper competit et est suapte natura perpetua[1], ideoque nunquam perimitur praescriptione.

Actio multis modis sumitur[2], sed potissimum duplici sensu: 1° pro ipso iure (Klagerecht, gerichtsfähiger Anspruch), quod quis possidet in rem vel debitum. Quo sensu dicitur: „Actio nihil aliud est quam ius persequendi iudicio, quod sibi debetur“ (Inst. 4, 6). 2° pro usu huius iuris in causis civilibus (Klage). Ista autem actio est vel in personam (condictio) vel in rem (vindicatio). Hic sumitur actio in secundo sensu.

Exceptio (Einrede) est exclusio actionis vel eius effectuum. Sicut enim actor ad ius suum obtinendum utitur actione, ita reus conventus ad suam defensionem utitur exceptionibus. Exceptiones multipliciter distinguuntur, e. gr. *dilatoriae,* quae fiunt ad iudicii ingressum retardandum; *peremptoriae,* quae ius actoris penitus destruunt, ut exceptio rei iudicatae, ut iam supra n. 471 dictum est.

Q. 481. *Quid generaliter statutum sit de actionibus et exceptionibus coram tribunali ecclesiastico?*

R. 1. Actiones multipliciter dividuntur ex parte obiectorum, circa quae versantur, ut in capitulis sequentibus huius tituli explicabitur. Generaliter autem actiones distinguuntur:

a) Actiones *petitoriae* et *possessoriae.* Actio petitoria, ut iam verbum satis indicat, petit vel persequitur ius proprietatis sibi vindicandum (Forderungsklage). Quae quidem actio petitoria potest vel directe impetere *personam* (actio in personam, e. gr. in coniugem, qui vitam coniugalem illegitime abrupit) vel directe *rem* nondum habitam (actio in rem, e. gr. in beneficium indebite recusatum). — Actio possessoria (Besitzklage) postulat rei possessionem vel iuris quasi-possessionem[3]. Vel aliis verbis: in actione possessoria actor postulat, ut res vel ius possessum sibi iuridice vindicetur.

b) Actiones *simplices* et *duplices.* In actione simplici unus litigator tantum actoris partes sustinet, alter partes rei conventi. In actione vero duplici uterque litigator est actor et reus. Unus agit contra alterum reum, qui et ipse tunc agit contra primum. Actiones duplices vocantur *reconventiones* (Gegenklagen).

2. Actor potest pluribus simul actionibus (quae tamen secum ipsae non confligant) sive de eadem re sive de diversis reum convenire, dummodo tamen istae actiones aditi tribunalis competentiam ne egrediantur[4]. Pariter reus non prohibetur pluribus exceptionibus uti[5]. Actor potest in eadem instantia actiones petitorias et possessorias cumulare, nisi tamen reus opponat exceptionem spolii. Pariter reus conventus in petitorio potest reconvenire actorem in possessorio, et vice versa, nisi res sit de spolio[6]. Item fas est actori, antequam con-

[1] c. 1667.

[2] De diversis acceptionibus et divisionibus actionis et exceptionis videsis *Ios. Noval* l. c. n. 293 sqq.

[3] c. 1668. [4] c. 1669, § 1. [5] Ib. § 2. [6] c. 1670.

clusum fuerit in causa, ab instituto iudicio petitorio regredi ad possessorium rei adipiscendae vel recuperandae; immo ex iusta causa iudex, etiam post conclusionem in causa, sed ante sententiam definitivam, hunc regressum permittere potest[7]. Conceditur igitur magna libertas hoc in modo procedendi. Iudicis est, attentis partium allegationibus, aut utramque quaestionem (petitoriam et possessoriam) unica sententia definire, aut prius uni, postea alteri satisfacere, prout magis expedire ipsi videtur ad celeriorem et pleniorem iurium tuitionem[8].

CAPUT I.

De rei sequestratione et inhibitione exercitii iuris.

Q. 482. *Quomodo actio de re sequestranda aut de exercitio iuris inhibendo tractari debeat?*

R. 1. Sequestratio seu sequestrum est species depositi; est enim depositio rei litigiosae (vel fructuum eius) apud tertiam personam quae sequester dicitur ea lege, ut, lite dirempta, victori restituatur[9]. Inhibitio exercitii iuris aliqualiter reducitur ad sequestrationem. Inhibetur enim exercitium iuris, donec lis sit finita[10].

2. Sequestratio alicuius rei et inhibitio exercitii alicuius iuris potest actione iudiciali obtineri, si quis liquido ostendit, secus sibi damnum iniustum oriri. Non solum ex actione privata, sed etiam ex officio, instante praesertim promotore iustitiae aut defensore vinculi, iudex potest decernere sequestrationem rei aut inhibitionem iuris, quoties bonum publicum id postulare videtur[11].

3. Sequestratio potest se extendere ad res debitoris etiam apud alios depositas, atque potest decerni etiam ad crediti securitatem. Nequeunt autem sequestrari res, quae honestae sustentationi debitoris necessariae sunt[12]. Pariter sequestratio rei et suspensio exercitii iuris decerni nullatenus possunt, si damnum, quod timetur, aliter reparari potest et idonea cautio de eo reparando offertur[13]. Ratio est obvia; sequestratio enim et inhibitio exercitii iuris sunt res odiosae atque solent causare incommoda.

4. Ad custodiam rei sequestratae idonea persona (proponentibus partibus) a iudice designetur, quae sequester dicitur. Si partes inter se dissentiunt, iudex ex officio sequestrem deligat. Sequester in re custodienda, curanda et servanda non minorem diligentiam adhibere debet, quam suis propriis rebus adhibet, eamque postea, cui iudex decreverit, tradere tenetur cum omni causa, i. e. cum omnibus e. gr. documentis, instrumentis pertinentibus ad rem. Sequestri id petenti congruam mercedem decernat iudex[14].

---

[7] c. 1671, § 1 2. [8] Ib. § 3.
[9] Hinterlegung einer streitigen Sache bei einem Dritten.
[10] Hemmung einer Rechtsausübung.
[11] c. 1672. [12] c. 1673. [13] c. 1674. [14] c. 1675.

CAPUT II.

De actionibus ex novi operis nuntiatione et damno infecto.

Q. 483. *Quid iure statutum sit de actione ex novi operis nuntiatione et damno infecto?*

R. 1. Si quis vult novum opus erigere, e. gr. ecclesiam, monasterium, scholam etc., debet aliquando petere consensum ab iis, quorum interest. Si talis consensus non fuit obtentus, et si quis ex aliquo novo opere timet praeiudicium seu damnum suae rei obventurum, potest illud denuntiare iudici, ut hoc opus interrumpatur, donec utriusque partis iura, iudicis sententia, definiantur. Postquam iudex intimavit prohibitionem, opus novum continuo debet interrumpi. Potest tamen iudex continuationem permittere, si constructor novi operis idonee cavet, se in pristinum omnia esse restituturum, si victus discesserit absoluto iudicio. Nuntianti novum opus praefiniuntur *duo menses* ad ius suum demonstrandum; tempus istud ex iusta et necessaria causa potest a iudice, audita altera parte, prorogari vel reduci[15]. Quod dictum est de novo opere, valet quoque de vetere opere magna ex parte mutato[16]. Sic e. gr. si schola hucusque valde modica multum ampliatur, possunt scholae vicinae hanc mutationem nuntiare competenti iudici.

2. Qui grave damnum rei suae imminere pertimescit ex alieno aedificio, quod ruinam minatur, ex arbore aut ex alia quacumque re, habet actionem *de damno infecto*[17] ad obtinendam periculi remotionem, aut cautionem de damno vel avertendo vel compensando, si forte evenerit[18].

CAPUT III.

De actionibus ob nullitatem actorum.

Q. 484. *Quandonam liceat nullitatem actus declarare?*

R. 1. Ut per se patet, aliud est iuridica declaratio nullitatis actus. et aliud est iuridica rescissio actus. De rescissione iuridica actorum in capite seq. tractabitur. Nullitas actus tunc tantum habetur, cum in eo deficiunt, quae actum ipsum essentialiter constituunt, aut sollemnia seu condiciones desiderantur a iure requisitae *sub poena nullitatis*, e. gr. si actus factus est a subiecto prorsus incapaci, si deest consensus essentialiter requisitus etc.

2. Iudex potest actum vel contractum declarare nullum, si revera aliquid essentialiter ad eius validitatem requisitum defuit. Sic e. gr. iudex nullum declarat matrimonium, in quo defuit verus consensus maritalis. Nullitas autem alicuius actus non importat nullitatem actorum, qui praecedunt aut subsequuntur et ab actu non dependent[19]. Sic e. gr. si professio religiosa declarata fuit nulla, nihilominus vali-

---

[15] c. 1676. [16] c. 1677.
[17] Klage wegen drohenden Schadens (action contre un dommage futur).
[18] c. 1678. [19] c. 1680, § 2.

dus esse potest novitiatus praecedens et valide computantur studia post eam peracta. Nullitas actus a iudice declarari nequit, nisi a) id petatur ab eo, cuius interest, aut b) publice id intersit, aut c) agatur de pauperibus vel de minoribus aliisve, qui minorum iure censentur, e. gr. de personis moralibus[20]. Iudex inferior de confirmatione, ab ipso Romano Pontifice actui vel instrumento adiecta, videre non potest, nisi S. Sedis praecesserit mandatum[21].

3. Qui actum posuit nullitatis vitio infectum, tenetur de damnis et expensis erga partem laesam[22]. Ita saltem, si actus nullus scienter positus est, aut si iudex indemnitatem decrevit.

CAPUT IV.

De actionibus rescissoriis et de restitutione in integrum.

Q. 485. *Quaenam requirantur ad actionem de rescissione contractus vel de restitutione in integrum?*

R. 1. Actiones rescissoriae et de restitutione in integrum sunt eae, quibus petitur ob grave et iniustum damnum ortum, ut actus ceteroquin ipso iure validus rescindatur vel ut pristina condicio restituatur. Restitutio in integrum est remedium *extraordinarium,* quod non solet adhiberi, nisi cum remedia ordinaria aut deficiunt aut non sunt satis efficacia.

2. Ad **actionem rescissoriam** requiritur: a) competens iudex; b) contractus initus α) ex gravi metu iniuste incusso aut β) ex dolo aut γ) cum gravi quamvis non essentiali errore.

Competens iudex censendus est ille, qui habet iurisdictionem in reum conventum aut in eum, qui nunc rem, de qua agitur, possidet. Si actio instituitur contra possessorem, qui res gravi metu vel dolo extortas possidet, tunc ille (sive sit bonae sive sit malae fidei) habet quidem regressum contra quemlibet usque ad ipsum metus vel doli auctorem[23], sed debet cedere iuri, quod dicitur, evictionis.

Nonnulli actus et contractus facti ex gravi metu iniuste incusso sunt eo ipso invalidi, e. gr. matrimonium, professio religiosa; alii autem huiusmodi actus vel contractus sunt solummodo rescindibiles. Talis actio rescissoria fieri potest intra biennium ab eo quoque, qui gravem ex contractu laesionem ultra dimidium *ex errore* (licet non substantiali) passus est[24], e. gr. ab eo, qui solvit pretium plus quam duplo maius vel qui recepit pretium plus quam duplo minus. Actio rescissoria institui potest contra eum, qui metum intulit aut dolum patravit, quamvis ipse non in suum, sed in alterius commodum talia peregerit[25]. Si autem is, qui metum intulit aut dolum patravit, urget actus vel contractus *exsecutionem,* competit parti laesae seu deceptae exceptio metus vel doli[26]. Sic e. gr. si quis gravi et iniusto metu inductus promisit

[20] c. 1682. [21] c. 1686. [22] c. 1681. [23] c. 1685, § 2.
[24] c. 1684, § 2. [25] c. 1685, § 1. [26] c. 1686.

100 francos alicui, qui minatus est iniustam denuntiationem, et adigitur ad hanc summam solvendam, non tenetur solvere, sed potest exceptionem gravis metus opponere.

3. Ad **actionem restitutionis in integrum** requiritur: a) competens iudex; b) gravis laesio inculpabiliter accepta.

Competens iudex est idem, qui potest acceptare actionem rescissoriam, nempe ille, qui habet iurisdictionem in eum, contra quem petitur[27].

Beneficium restitutionis in integrum circa actum seu negotium validum quidem sed rescindibile potest a iudice concedi a) minoribus vel minorum iure fruentibus (personis moralibus) graviter laesis eorumque heredibus et successoribus; b) maioribus, quos deficit actio rescissoria aut aliud ordinarium remedium, dummodo iustam subesse causam et laesionem non esse sibi imputandam probaverint[28]. Minoribus vel minorum iure fruentibus restitutio concedi potest a iudice etiam ex officio, audito vel instante promotore iustitiae[29]. Maioribus autem nonnisi petentibus haec restitutio conceditur. Restitutio in integrum peti debet pro minoribus intra *quadriennium* ab adepta maioritate computandum; sin autem agitur de maioribus aut personis moralibus, intra quadriennium a die laesionis factae et cessati impedimenti[30].

Restitutio in integrum id efficit, ut omnia revocentur in pristinum, i. e. restituantur in statum, quo erant ante laesionem, salvis tamen iuribus, quae alii, bona fide, ante petitam restitutionem quaesiverint[31]. Fructus quoque rei sunt restituendi, qui percepti sunt *post* petitionem restitutionis in integrum. Fructus *antea* percepti item restituendi sunt, nisi praescriptione triennali legitime acquisiti fuerint[32].

CAPUT V.

De mutuis petitionibus seu de actionibus reconventionalibus.

Q. 486. *Quid iure statutum sit de mutuis petitionibus, quae vocantur actiones reconventionales?*

R. Reconventio (Gegenklage) est actio, quam reus conventus instituit coram eodem iudice in eodem iudicio contra actorem ad submovendam vel saltem minuendam actionem[33]. Reconventio igitur non est vera et mera exceptio, sed reciproca actio. Reconventio reconventionis iam amplius non admittitur[34].

[27] c. 1688, § 1.
[28] c. 1687. Exsistentia iustae causae vel laesionis non imputabilis non requiritur, ut minores valeant obtinere restitutionem in integrum. Cf. S. Rota d. 7 Aug. 1917 (Acta Ap. Sed. X 337).
[29] c. 1688, § 2. [30] Ib. § 1. [31] c. 1689.
[32] Cf. S. Rota d. 7 Febr. 1916 (Acta Ap. Sed. VIII 286).
[33] c. 1690, § 1.
[34] c. 1690, § 2. Sic dictae duplicationes vel triplicationes iam amplius non permittuntur.

Actio reconventionalis locum habere potest in omnibus causis contentiosis, exceptis causis spolii; in criminalibus autem causis non admittitur, nisi ut mutua iniuria aliqualiter compensetur[35].

Actio reconventionalis proponenda est iudici, coram quo actio principalis instituta est, licet ad unam dumtaxat causam delegato vel alioquin incompetenti, nisi tamen sit *absolute* incompetens[36].

CAPUT VI.

De actionibus seu remediis possessoriis.

Q. 487. *Quid disciplina vigens statuat de actionibus possessoriis?*

R. 1. Antiquum ius ecclesiasticum hac in re adoptavit ius Iustinianum, quod multa statuta de actione possessoria et notanter de restitutione spoliatorum habuit. Iudicia possessoria vocabantur quoque interdicta. Omissis his statutis veteribus, breviter in hoc capite agitur de actionibus possessoriis, quae ceteroquin in tribunalibus ecclesiasticis hodie sunt sat rarae. Pro ampliore doctrina huius materiae satis intricatae videsis auctores, qui specialiter et ex professo de processibus tractant, e. gr. I. Noval, De iudiciis n. 351 sqq.

Distinguitur triplex actio possessoria, sc. actio a) adipiscendae, b) retinendae, c) recuperandae possessionis. Haec ultima actio vocatur quoque *actio spolii*. De singulis pauca:

2. Quilibet capax possidendi et in iudicio agendi, qui ad possessionem alicuius rei *adipiscendam* vel ad alicuius iuris exercitium obtinendum munitur titulo legitimo, potest coram iudice petere, ut in rei possessionem vel iuris exercitium immittatur[37].

3. Non solum possessio sed etiam simplex detentio potest praestare actionem vel exceptionem possessoriam[38]. Quare is, qui annum integrum in possessione rei (immobilis) vel in quasi-possessione iuris tranquille manserit, si molestiam patitur, quominus suam possessionem vel quasi-possessionem retineat, habet actionem *retinendae* possessionis. Haec autem actio non admittitur nisi intra annum ab illata molestia adversus molestiae auctorem, ut a molestiis desistat[39]. Etiam is, qui vi, clam vel precario possidet, actione retinendae possessionis uti potest adversus quidem quemlibet alium deturbatorem, non autem, ut patet, adversus eum, a quo ipse rem vi vel clam surripuit aut precario accepit. In causis, quae bonum publicum spectant, iustitiae promotori ius est opponendi vitium possessionis adversus eum, qui vi, clam vel precario possidet[40]. — Si inter duos controversia oritur, uter eorum possideat (e. gr. uter ex duobus parochis possideat ius administrandi sacramenta in determinato hospitali), ille in possessione praeferendus est, qui intra annum frequentiores et potiores possessionis actus exercuit; in dubio autem iudex possessionem pro indiviso utrique parti

[35] c. 1691. [36] c. 1692. [37] c. 1693. [38] c. 1694.
[39] c. 1695. [40] c. 1696.

attribuat. Attamen si rei vel iuris indoles aut periculum contentionum et rixarum non patiuntur, ut litigantibus pro indiviso possessio interim attribuatur (ut saepe solet accidere), iudex rem apud sequestrem deponi aut iuris quasi-possessionem suspendi iubeat usque ad iudicii petitorii exitum[41].

4. Actio *recuperandae* possessionis vel de spolio et spolii exceptio permittuntur ei, qui vi (physica aut morali) aut clam quoquo modo a possessione rei vel quasi-possessione iuris deiectus est[42]. Haec autem actio non admittitur praeterlapso anno, postquam spoliatus habuit notitiam rei; exceptio vero spolii perpetua est[43]. Spoliatus adversus spoliantem excipiens et spolium probans non tenetur respondere, nisi prius fuerit in suam possessionem restitutus. Spoliatus, ut in possessionem restituatur, nil aliud probare debet nisi spoliationem ipsam. Sed si in restitutione rei vel exercitii iuris aliquod occurrat periculum (e. gr. saevitiarum, cum vir contra uxorem absentem postulat restitutionem coniugalis consortii), iudex ad instantiam partis vel promotoris iustitiae pro diversis personarum causarumve adiunctis decernat, ut restitutio suspendatur, aut ut res vel persona apud sequestrem custodiatur, donec causa definiatur iudicio petitorio[44].

5. Omnia iudicia possessoria absolvenda sunt, citata dumtaxat adversa parte, si agitur de retinenda vel recuperanda possessione; citatis vero omnibus iis, quorum interest, si agitur de adipiscenda possessione[45].

CAPUT VII.

De exstinctione actionum.

Q. 488. *Quomodo actiones exstinguantur?*

R. 1. In *contentiosis* causis actiones cum personales tum reales exstinguuntur praescriptione 30 annorum; sin autem agitur de rebus et iuribus pertinentibus ad S. Sedem, spatio 100 annorum. Actiones de statu personarum, e. gr. de nullitate status matrimonialis vel professionis religiosae, numquam praescribuntur[46]. Haec praescriptio currit, ex quo actio primum potuit iure proponi[47]. Nonnullae actiones breviore tempore praescribuntur seu exstinguuntur, e. gr. actio spolii exstinguitur praeterlapso uno anno, ut quaest. praec. dictum est.

2. In *criminalibus* (et poenalibus) causis actiones exstinguuntur: a) morte rei; b) condonatione legitimae potestatis; c) lapsu temporis utilis ad actionem criminalem proponendam[48]. Tempus autem utile ad actionem criminalem proponendam est ordinarie *triennium*. Actiones autem iniuriarum, e. gr. calumniae, contumeliae, perimuntur *uno anno;* actiones ob delicta qualificata contra VI et VII divinum praeceptum,

[41] c. 1697.
[42] Spolium vocantur res (mobiles vel immobiles) aut iura, quibus possessor fuit clam aut vi privatus.
[43] c. 1698. [44] c. 1699. [45] c. 1700. [46] c. 1701.
[47] c. 1705, § 1. [48] c. 1702.

e. gr. ob incestum, ob furtum sacrilegum, perimuntur *quinquennio;* actiones ob homicidium vel ob simoniam praescribuntur *decennio;* actiones ob delicta reservata S. Officio peculiaribus statutis regulantur[49]. Sublata per praescriptionem actione criminali, nondum est hoc ipso sublata a) actio contentiosa ad resarcienda damna forte ex delicto orta; b) facultas Ordinarii utendi remediis poenalibus, e. gr. removendi clericum e loco, ubi deliquit[50]. Si delictum habet tractum, ut vocant, successivum, non currit praescriptio nisi a die, qua delicti tractus cessavit; in delicto autem habituali vel continuato praescriptio non currit nisi post ultimum actum; et reus conventus in iudicio ob aliquem actum criminosum nondum praescriptum tenetur de antiquioribus, qui cum eodem actu connectuntur, etiamsi singulatim sumpti iam essent praescripti[51].

TITULUS VI.

De causae introductione.

Praenotamen. Postquam in praecedentibus titulis generalia principia de processu iudiciali tradita sunt, codex iur. can. tractat titulis VI—VIII de ipso processu iudiciali in particulari, et quidem primo de causae introductione, quae per libellum litis et per citationem et denuntiationem actorum iudicialium perficitur.

CAPUT I.

De libello litis introductorio.

Q. 489. *Quomodo libellus introductorius litis sit faciendus et accipiendus?*

R. 1. Qui aliquem in iudicio vult convenire, debet libellum litis (Klageschrift) competenti iudici exhibere, in quo controversiae obiectum clare et breviter proponitur atque ministerium iudicis ad deducta iura persequenda expostulatur[52]. Qui autem scribere nescit, aut legitime impeditur, quominus libellum exhibeat, oretenus petitionem suam coram tribunali proponere potest. Item potest iudex oralem petitionem admittere, si agitur de causis facilioris investigationis et minoris momenti. Semper autem oralis petitio a notario (iubente iudice) scriptis redigenda et postea actori legenda et ab eo approbanda est[53].

2. Libellus iste, quo lis introducitur, debet:

a) accurate exprimere α) iudicem iudicaturum; β) obiectum petitionis; γ) subiectum, a quo petitur;

b) indicare (generatim saltem), quo iure innitatur actor ad comprobanda ea, quae allegantur et asseruntur (vulgo instrumenta probationis, Beweismittel);

[49] c. 1703. [50] c. 1704. [51] c. 1705, § 2.
[52] c. 1706. [53] c. 1707.

c) subscribi ab actore vel eius procuratore, appositis die, mense et anno, necnon loco, in quo actor vel eius procurator habitant, aut residere se dixerint, actorum recipiendorum gratia[54].

3. Iudex vel tribunal, postquam viderit et rem esse suae competentiae et actori legitimam personam esse standi in iudicio, debet *quantocius* libellum aut admittere aut reicere, adiectis in hoc altero casu reiectionis causis. Quodsi libellus reiectus fuit ob vitia emendabilia, actor novum libellum rite confectum potest eidem iudici denuo exhibere; quodsi iudex etiam hunc libellum emendatum reiecerit, debet exponere rationes novae reiectionis. Adversus libelli reiectionem actor potest intra tempus utile decem dierum recursum interponere ad superius tribunal, a quo (audito actore, et promotore iustitiae aut defensore vinculi) quaestio reiectionis expeditissime definienda est[55]. Cum rarissime homo privatus cognoscat necessaria ad processum iudicialem, melius est, si libellus litis ab advocato aut alio iuris perito conficiatur.

4. Si iudex, continuo (non solummodo utili) mense ab exhibito libello, neque admisit neque reiecit libellum, actor postet instare, ut iudex suo munere fungatur. Quodsi nihilominus iudex silet, lapsis quinque diebus a facta instantia, actor potest ad Ordinarium loci (si ipse non est iudex) vel ad superius tribunal recurrere, ut vel iudex ad definiendam causam adigatur vel alius in eius locum subrogetur[56]. Quodnam sit illud tribunal, si tribunal episcopale neglexit admittere litis libellum, non ita certo constat. Videtur tamen ex c. 1625, § 1 non esse tribunal ordinarium secundae instantiae, sed S. Sedes.

Iuris antiqui interpretes hoc disticho qualitates libelli comprehenderunt:

Quis, quid, coram quo, quo iure petatur, et a quo,
Ordine confectus quisque libellus habet.

CAPUT II.

De citatione et denuntiatione actorum iudicialium.

Q. 490. *Quomodo citatio alterius partis facienda sit et quinam sint effectus citationis?*

R. 1. Postquam libellus litis vel oralis petitio admissa est, procedere oportet ad sic dictam vocationem in ius seu ad citationem alterius partis. Citatio iudicialis definitur actus legitimus, quo quis ex mandato iudicis vocatur in iudicium iuris experiundi causa. Per se patet, non esse opus citatione, si partes litigantes sponte coram iudice se sistunt ad causam agendam, finis enim citationis in hoc casu plene obtentus est; sed tunc actuarius significet in actis, partes sponte sua adfuisse iudicio[57].

[54] c. 1708. [55] c. 1709. [56] c. 1710.
[57] c. 1711, et S. Rota d. 28 Ian. 1918 (Acta Ap. Sed. XI 24).

2. Citatio ordinarie fiat duplici conformi scheda. Prima scheda adiungatur libello litis et asservetur in actis, vel saltem in hoc libello scribatur citationem esse factam[58]. Citatio nota fiat etiam actori, ut statuta die et hora ipse quoque coram iudice se sistat. Secunda scheda mittatur reo et, si sunt plures rei, singulis[59]. Quodsi lis movetur ei, qui non habet liberam administrationem rerum, de quibus disceptatur, e. gr. minori, tunc citatio denuntianda est ei, qui ipsius nomine iudicium suscipere tenetur[60]. Quaelibet citatio est peremptoria; nec iteretur necesse est nisi contumaci[61].

3. Scheda reo convento tradenda contineat saltem verbis generalibus causam, actorem, reum nomine et cognomine designatum[62], locum et accuratum tempus, quo reus comparere debeat; sit munita sigillo tribunalis, subscripta a iudice (vel ab eius auditore) et a notario[63]. Citationis scheda, si fieri potest, per Curiae cursorem tradenda est ipsi convento, ubicumque is invenitur (etiam in aliena dioecesi). Si cursor personam conventam non invenit in loco commorationis, relinquere potest schedam alicui de eius familia aut famulatu, si hic eam accipere paratus est ac spondet se reo convento schedam acceptam quamprimum esse traditurum. Sin minus, eam referat ad iudicem, qui tunc eam transmittere debet per tabellarios publicos (Postboten), dummodo commendata sit et cum syngrapha receptionis vel alio modo, qui secundum locorum consuetudines et leges tutissimus est[64]. Etiam in aliis casibus, in quibus scheda difficulter per cursorem transferri potest, iudex potest eam mittere per tabellarios publicos. Reus, qui citatoriam schedam recipere recusat, legitime citatus habetur[65]. Quoties, diligenti inquisitione peracta, adhuc ignoratur, ubi commoretur reus, citatio fit per edictum affigendum ad fores Curiae et inserendum in aliqua publica ephemeride[66]. Iste ultimus modus ordinarie usuvenit nostris temporibus, si utrumque, sc. missio vel per cursores vel per tabellarios, fieri nequit.

4. Cursor, cum in manu rei conventi schedam relinquit, debet eam subsignare, adnotatis die et hora, qua reo tradita est. Idem peragat, si eam relinquit in manu alicuius de familia vel famulatu rei conventi, addito insuper nomine personae, cui schedam tradidit. Sin autem citatio fit per edictum, cursor in edicti calce signet, qua die et hora edictum ad fores Curiae affixum fuerit et quamdiu affixum fuerit. Si reus receptionem schedae recusat, cursor schedam subsignatam, addita die et hora recusationis, iudici remittat[67]. Cursor omnia, quae peregit, ad iudicem referat in scriptis manu propria subsignatis, quae in actis serventur. Si per tabellariorum officium citatio transmittatur, asservetur in actis fides eiusdem officii[68].

[58] c. 1712 et 1716. [59] c. 1712. [60] c. 1713. [61] c. 1714.
[62] Si reus conventus est persona moralis, debet ita clare determinari, ut nec minimum dubium supersit de hac persona. Cf. S. Rota in causa Trevirensi d. 9 Maii 1913 (Acta Ap. Sed. V 284). [63] c. 1715.
[64] c. 1719. [65] c. 1718. [66] c. 1720. [67] c. 1721. [68] c. 1722.

5. Si scheda citatoria (schriftliche Vorladung) non fuit confecta et tradita modis supra indicatis, nullius momenti sunt cum ipsa citatio tum acta processus sequentis[69].

6. *Effectus* legitimae citationis sunt:

a) res desinit esse integra, i. e. subiecta est iudicis iurisdictioni;

b) causa fit propria illius iudicis vel tribunalis, coram quo actio instituta est, seu excluditur competentia alius iudicis;

c) in iudice *delegato* firma redditur iurisdictio, ita ut non exspiret resoluto iure delegantis;

d) interrumpitur praescriptio, nisi aliud cautum est[70];

e) lis pendere incipit, et ideo statim locum habet principium: „Lite pendente, nihil innovetur", i. e. in rebus, de quibus est litigatio. Si quis autem nihilominus aliquid innovare attentaverit, totum est invalidum.

TITULUS VII.

De litis contestatione.

Q. 491. *Quid sit litis contestatio et quinam sint eius effectus?*

R. 1. Litis contestatio[71] iuxta praesentem disciplinam nihil aliud est quam accurata circumscriptio obiecti seu materiae iudicii et continetur formali petitione actoris atque formali contradictione rei conventi facta animo litigandi coram iudice[72]. Ad litis contestationem iam nulla est necessaria sollemnitas, sed sufficit, ut partibus coram iudice (vel eius delegato) comparentibus, in actis inseratur petitio actoris et contradictio rei conventi, unde constet, qua de re agatur, seu quinam sint controversiae termini[73]. In causis tamen implicatioribus, in quibus petitio actoris nec perspicua nec simplex est vel contradictio rei conventi difficultatibus scatet, iudex ex officio aut ad instantiam actoris vel rei conventi partes citet ad rite definiendos controversiae articulos, i. e. ad causae dubia, ut dicitur, concordanda[74].

2. Si die dubiis concordandis praestituto, pars in ius vocata nec comparet nec iustam absentiae excusationem allegat, *contumax* declaretur et dubiorum formula statuatur ex officio, parte, quae praesens fuit, id postulante. Parti autem contumaci (versäumnisschuldig) statim id notum fiat ex officio, ut quas velit exceptiones contra dubiorum seu articulorum formulam possit proponere et a contumacia se purgare intra tempus, quod iudici congruum videtur[75]. Partibus praesentibus et in formula dubiorum seu articulorum concordibus, si iudex, quod ad se attinet, nihil excipiendum putaverit, de ea re fiat mentio in decreto, quo formula firmatur[76]. Si vero partes

[69] c. 1723. Regulae superius statutae pro rei citatione applicandae quoque sunt ceteris iudicii actibus, e. gr. pro denuntiatione decretorum, sententiarum etc. c. 1724.
[70] c. 1725. Cf. tamen decisionem S. Signaturae d. 30 Mart. 1917 (Acta Ap. Sed. IX 293).
[71] Germanice: Streitformulierung. [72] c. 1726. [73] c. 1727.
[74] c. 1728. [75] c. 1729, § 1. [76] Ib. § 2.

dissentiunt aut earum conclusiones iudici non comprobantur, iudex ipse controversiam dirimat decreto[77]. Dubiorum seu articulorum formula semel statuta mutari non potest nisi novo decreto, ex gravi causa, ad instantiam partis vel promotoris iustitiae vel defensoris vinculi, audita utraque vel altera parte eiusque rationibus perpensis[78].

3. Antequam litis contestatio locum habuit, iudex ad testium aliarumve probationum receptionem ne procedat nisi in casu contumaciae, aut nisi testium depositionem recipere oportet, ne ipsa ob probabilem testis mortem, ob discessum eiusdem vel ob aliam iustam causam recipi postea nequeat aut difficulter possit[79].

4. *Effectus* contestationis litis sunt:

a) Haud licet actori libellum mutare, nisi, reo consentiente, iudex, iustis de causis, censeat mutationem esse admittendam; salva semper reo compensatione damnorum et expensarum, si qua debeatur. Libellus autem non censetur mutatus, α) si coarctatur aut mutatur *probationis modus;* β) si *minuuntur* aut petitio aut accessoria petitionis; γ) si facti adiuncta in libello quidem posita ita illustrantur, complentur aut emendantur, ut controversiae obiectum idem remaneat; δ) si in locum rei petitur pretium, foenus aut aliquid aequivalens[80].

b) Iudex congruum tempus partibus praestituat probationibus proponendis et explendis; quod quidem tempus poterit, instantibus partibus, arbitrio suo prorogare, dummodo ne lis ultra, quam aequum est, protrahatur[81].

c) Possessor rei alienae desinit esse bonae fidei; quapropter, si damnatus fuerit rem restituere, non solum rem ipsam, sed et rei fructus a litis contestatae tempore restituere tenetur et damna praeterea sarcire, si qua secuta fuerint[82].

TITULUS VIII.

De litis instantia.

Q. 492. *Quomodo instantia litis interrumpatur, perimatur, renuntietur?*

R. 1. Instantiae seu procedurae iudicialis (Prozeß) initium fit litis contestatione, finis autem sententia iudiciali, quae in rem iudicatam transit. Procedura iudicialis potest autem ante suum finem interrumpi, perimi vel renuntiari.

2. *Interrumpitur* instantia seu procedura iudicialis:

a) si, causa nondum conclusa, pars litigans moritur aut statum mutat aut cessat ab illo officio, cuius ratione agit, donec heres defuncti aut successor litem instauret. Econtra si causa iam est conclusa, instantia non interrumpitur, sed iudex debet procedere ad ulteriora, citato procuratore, si adsit, secus defuncti herede vel successore[83].

[77] c. 1729, § 3. [78] Ib. § 4. [79] c. 1730. [80] c. 1731, § 1
[81] Ib. § 2. [82] Ib. § 3. [83] c. 1733.

b) si procurator aut curator a munere cessat. Tunc tamdiu instantia interrumpitur, quamdiu pars aut ii, ad quos pertinet, novum procuratorem vel curatorem nominaverint aut ipsi per se in posterum agere se velle professi fuerint[84]. — Instantia seu procedura iudicialis *non* interrumpitur, si controvertitur, cuinam ex duobus clericis litigantibus ius sit ad beneficium, et alter, lite pendente, moritur aut beneficio renuntiat. In hoc casu promotor iustitiae, qui pro beneficii aut ecclesiae libertate dimicat, debet actionem prosequi contra clericum superstitem, nisi tamen beneficium sit liberae collationis, et Ordinarius praeferat causam ut victam adiudicare clerico superstiti[85].

3. *Perimitur* (der Prozeß wird niedergeschlagen) instantia seu procedura iudicialis, si nullus actus processualis, quin aliquod obstet impedimentum, ponatur in tribunali primae instantiae *per biennium,* in gradu autem appellationis *per annum.* In hoc secundo casu sententia per appellationem oppugnata transit in rem iudicatam[86].

Haec peremptio obtinet ipso iure et adversus omnes (etiam minores) eaque ex officio excipi debet, salvo tamen iure regressus ad indemnitatem adversus tutores, administratores, procuratores, qui culpa se caruisse non probaverint[87]. Peremptio exstinguit omnia acta processus, *non vero acta causae*[88]; immo haec acta causae vim habere possunt etiam in alia instantia, dummodo ista instantia inter easdem personas et super eadem re intercedat; sed ad extraneos quod attinet, non aliam vim obtinent nisi documentorum[89]. — In casu peremptionis utraque pars debet perempti iudicii ferre eas expensas, quas ipsa fecerit[90].

4. *Renuntiare* potest actor in quolibet statu et gradu iudicii; item cum actor tum reus possunt processus actis renuntiare sive omnibus sive nonnullis tantum. Ut autem renuntiatio valeat, peragenda est in scriptis, et a parte vel ab eius procuratore (speciali tamen mandato munito) debet subscribi, alteri parti communicari ab eaque acceptari vel saltem non impugnari et a iudice admitti[91]. Admissa, pro actis quibus renuntiatum est, eosdem parit effectus ac peremptio instantiae et obligat renuntiantem ad solvendas expensas actorum, quibus renuntiatum fuit[92].

TITULUS IX.

De partium interrogationibus in iudicio faciendis.

Q. 493. *Quid iure statutum sit de interrogationibus, quibus partes respondere debeant?*

[84] c. 1735. [85] c. 1734. [86] c. 1736. [87] c. 1737.
[88] *Acta causae* sunt omnes illi actus iudiciales, qui tendunt ad veritatem rei investigandam, e. gr. depositiones testium, documenta, confessiones etc.; *acta processus* sunt illi actus iudiciales, qui ad ordinem iudicialem pertinent, e. gr. libellus litis, contestatio litis etc.
[89] c. 1738. [90] c. 1739. [91] c. 1740. [92] c. 1741.

R. 1. Iudex ad eruendam veritatem facti, quod publice interest, ut extra dubium ponatur, *debet* partes interrogare. In aliis autem casibus *potest* unum ex contendentibus interrogare non solum ad instantiam partis, sed etiam ex officio, quoties agitur de illustranda probatione adducta. Interrogatio partium fieri a iudice potest in quovis stadio iudicii ante conclusionem in causa; post conclusionem autem in causa solummodo si agitur de causis, quae numquam transeunt in rem iudicatam, aut de documentis nunc primum repertis[93].

2. „Iudici legitime interroganti partes respondere tenentur et fateri veritatem, *nisi agatur de delicto ab ipsis commisso.*"[94] Medio aevo iudex potuit etiam in rebus criminalibus exigere ab accusato confessionem veritatis, et licitum fuit ad extorquendam veritatem non solum imponere iusiurandum de dicenda veritate, sed etiam adhibere torturam. Nunc haec sunt prorsus abolita, ita ut iudex ne iusiurandum quidem accusato imponere valeat in rebus criminalibus[95]. — Si pars legitime interrogata respondere recusat, iudicis est aestimare, quanti sit facienda haec recusatio, sc. utrum ea iusta sit an confessioni aequiparanda necne. Pariter pars, quae legitime interrogata respondere recusat aut quae mendaciter respondit, puniatur (ad tempus a iudice pro rerum adiunctis definiendum) remotione ab actibus legitimis ecclesiasticis. Immo si ante responsionem praestitit iusiurandum de veritate dicenda, plectatur laicus interdicto personali, clericus autem suspensione[96]. Iudex *debet* in causis contentiosis iusiurandum exigere a partibus, quoties bonum publicum in causa est; in aliis causis *potest* pro sua prudentia exigere iusiurandum, excepto ab accusato in re criminali, ut supra dictum est[97].

3. Cum actor tum reus invicem tum etiam promotor iustitiae et defensor vinculi possunt iudici exhibere articulos seu quaesita, super quibus pars interrogetur, quaeque vulgo *positiones* dicuntur. In istis autem positionibus exarandis, admittendis et parti proponendis similes regulae serventur, quae infra tit. seq. indicabuntur pro examinandis testibus[98].

4. Ad iusiurandum praestandum vel interrogationibus respondendum partes personaliter se sistere debent coram iudice, exceptis Cardinalibus, episcopis, personis illustribus, morbo aliove corporis vel animi impedimento aut condicione vitae (ut moniales), ligatis[99], extra dioecesim vel in loco dioecesis dissito commorantibus. Isti enim vel in loco electo vel domi audiendi sunt.

TITULUS X.

De probationibus.

Q. 494. *Quid generaliter de probationibus iudicialibus statutum sit?*

R. 1. Non indigent probatione (iuridica), quae est rei dubiae seu controversae, per legitima argumenta iudici facta ostensio:

[93] c. 1742. [94] c. 1743, § 1. [95] c. 1744. [96] c. 1743. [97] c. 1744. [98] c. 1745. [99] c. 1746.

a) facta notoria notorietate sive iuris sive facti; de iis enim nullum exsistit prudens dubium. Quid sit notorietas iuris et facti, dicetur in c. 2197, l. 5, tit. 1, infra q. 557 (3);

b) quae ab ipsa lege praesumuntur. De praesumptionibus infra c. 6 huius tituli sermo redibit;

c) facta ab uno ex contendentibus asserta et ab altero admissa (in iudicio), nisi tamen a iure vel a iudice probatio nihilominus exigatur[1]. E. gr. quamvis uxor asserat matrimonium non esse consummatum et maritus hoc admittat, nihilominus ius exigit alias probationes.

2. Onus probandi incumbit ei qui asserit, sc. a) actori agenti et b) reo excipienti, iuxta vetus adagium: affirmanti incumbit probatio. Sin actor nequit sua asserta probare, reus debet absolvi[2].

3. Probationes, quae videntur postulari ad moras nectendas iudicio, e. gr. examen testis longe dissiti aut cuius domicilium nescitur, cognitio documenti, quod cito haberi nequit, iudex ne admittat, nisi hae probationes ideo necessariae videntur, quia ceterae aut deficiunt aut satis non sunt[3].

Ordo dicendorum. Nunc oportet agere de singulis mediis probationum. In Codice enumerantur septem probationum media, de quibus tractatur in septem capitibus sequentibus.

CAPUT I.

De confessione partium.

Q. 495. *Quinam sint effectus confessionis?*

R. 1. Confessio est aut iudicialis aut extraiudicialis. Confessio iudicialis est assertio de aliquo facto (in scriptis aut oretenus) ab una parte contra se et pro adversario coram iudice, sive sponte sive iudice interrogante peracta[4]. Confessio vero extraiudicialis est talis assertio (sive scriptis sive oretenus) non iudici, sed ipsi adversario aut aliis extra iudicium facta[5]. Ad essentiam igitur confessionis pertinet, ut sit contra confitentem ipsique aliquod incommodum causet. — Nonnulla aequiparantur confessioni, e. gr. recusatio scribendi, iurandi, ut dicetur suis locis (cf. cc. 1743, § 2; 1831, § 2; 1836, § 3).

2. Confessio *iudicialis* ab una parte libere et considerate facta a) relevat alteram partem ab onere probandi, dummodo agatur de negotio *privato* et in causa non sit bonum publicum[6]; b) non potest revocari, nisi id aut α) in continenti, i. e. statim (saltem ante discessum a iudice) faciat confessus, aut β) probet confessionem esse non liberam et consideratam vel errori facti adscribendam[7]; c) tribuit delicto confesso notorietatem iuris[8].

3. Confessio *extraiudicialis* in iudicium deducta debet a iudice, perpensis omnibus adiunctis, aestimari, quanti sit facienda[9].

[1] c. 1747. [2] c. 1748. [3] c. 1749. [4] c. 1750. [5] c. 1753. [6] c. 1751. [7] c. 1752. [8] c. 2197, n. 2. [9] c. 1753.

4. Confessio (sive iudicialis sive extraiudicialis) quae non est *libere* facta, sed ex gravi metu, dolo, vi etc., iuxta praesentem disciplinam non habet ullam vim probativam. Aliter fuit medio aevo, quando solebat tortura adhiberi ad extorquendam confessionem.

CAPUT II.

De testibus et attestationibus.

Q. 496. *Quid generatim de testibus et attestationibus sit notandum?*

R. 1. *Testis iudicialis est persona idonea, quae adhibetur legitime in iudicio ecclesiastico ad fidem alicuius rei faciendam.* Attestationes vero iudiciales sunt depositiones seu asseverationes a teste in iudicio factae. Solent distingui a) testes *de visu* seu oculati, qui testificant de iis, quae ipsi propriis sensibus visus, auditus etc. perceperunt; b) testes *de auditu* seu auriti, qui testificant de iis, quae ab aliis audiverunt. — Insuper distinguuntur c) testes *suspecti,* de quorum veracitate dubitatur; d) testes *incapaces,* quorum testimonium in iudicio non admittitur; e) testes *classici,* quorum testimonium rem plene comprobat.

2. Probatio per testes idoneos in quibuslibet causis admittitur, secundum iudicis tamen moderationem[10].

3. Testes iudici legitime interroganti respondere et veritatem fateri debent[11]. Hoc enim exigit iustitia legalis et saepe quoque caritas, immo iustitia commutativa, si quis *ex officio* debet testimonium ferre. Attamen ab obligatione testificandi eximuntur:

a) parochi aliique sacerdotes, quod attinet ad ea, quae ipsis manifestata sunt ratione sacri ministerii; pariter civitatum magistratus, medici, obstetrices, advocati, notarii aliique, qui ad secretum officii (etiam ratione praestiti consilii) tenentur, quod attinet ad negotia huic commisso secreto obnoxia;

b) omnes, qui ex testificatione sua sibi vel consanguineis vel affinibus in quolibet gradu lineae rectae et in primo gradu lineae collateralis infamiam, periculosas vexationes aliave mala valde gravia obventura timent[12].

4. Testes iudici legitime interroganti scienter falsum affirmantes aut verum occultantes peccant et puniantur a iudice remotione temporali ab actibus legitimis. Quodsi testis est periurus, i. e. si sub iureiurando falsum scienter asseruit, laicus puniatur interdicto personali, clericus vero suspensione. Iisdem poenis mulctentur omnes, qui testem vel peritum praesumpserint donis, pollicitationibus aut alio quovis modo inducere ad falsum testimonium dicendum aut ad veritatem occultandam[13].

[10] c. 1754. [11] c. 1755, § 1.
[12] Ib. § 2. [13] Ib. § 3.

ARTICULUS I.

Qui testes esse possint.

Q. 497. *Quinam testes esse possint?*

R. 1. Regula generalis est: Omnes (etiam haeretici et infideles) possunt esse testes, qui non expresse a iure repelluntur vel in totum vel ex parte[14]. Ius autem repellit:

a) *ut testes non idoneos:* impuberes et mente debiles;

b) *ut testes suspectos:* α) excommunicatos, periuros, infames; sed istae tres personarum classes non repelluntur nisi post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam; β) eos, qui ita abiectis sunt moribus ut fide digni non habeantur; γ) publicos gravesque inimicos partis;

c) *ut testes incapaces, qui nec audiri possunt:* α) qui partes sunt in causa aut partium vice funguntur, veluti tutor in causa pupilli, superior aut administrator in causa suae communitatis aut piae causae, cuius nomine in iudicio consistit, iudex eiusve assistentes, advocatus aliique, qui partibus in eadem causa assistunt vel astiterunt; β) sacerdotes, quod attinet ad ea omnia, quae ipsis ex confessione sacramentali innotuerunt, etsi a vinculo sigilli soluti sint; immo audita a quovis (etiam laico) et quoquo modo occasione confessionis ne ut *indicium* quidem veritatis recipi possunt; γ) coniux in causa sui coniugis, consanguineus et affinis in causa consanguinei vel affinis in quolibet gradu lineae rectae et in primo gradu lineae collateralis, nisi agatur de causis, quae ad statum civilem, e. gr. matrimonialem vel religiosum personae (e. gr. in beatificatione) spectant, cuius notitia aliunde haberi nequit et bonum publicum exigit ut habeatur[15].

2. Testes non idonei et suspecti audiri quidem poterunt ex decreto iudicis, quo id expedire declaratur, sed eorum testimonium valebit tantummodo ut *indicium* et probationis adminiculum; et generatim *iniurati* audiantur[16].

ARTICULUS II.

A quibus, quomodo et quot testes induci et qui excludi possint.

Q. 498. *A quibus testes inducantur?*

R. Testes inducuntur a) a partibus; b) possunt quoque induci a promotore iustitiae et defensore vinculi, si id ad causam interest; c) ab ipso iudice, quoties agitur de minoribus aliisve, qui minoribus aequiparantur (e. gr. de personis moralibus) et generatim, quoties bonum publicum id exigit[17].

Pars, quae testem induxit, potest eius examini renuntiare; sed adversarius postulare potest, ut, hac non obstante renuntiatione, testis examini subiciatur. Si quis sponte comparet testimonii reddendi gratia, iudex poterit eius testimonium admittere vel repellere, prout expedire censuerit; debet autem talem testem repellere, cum sibi

[14] c. 1756 et c. 2027, § 1. [15] c. 1757 1974. [16] c. 1758. [17] c. 1759.

videatur comparere moras iudicio nectendi causa vel quoquo modo officiendi iustitiae et veritati[18].

Q. 499. *Quomodo testes inducantur?*

R. Cum probatio per testes postulatur, eorum nomina et domicilium tribunali indicentur; praeterea exhibeantur positiones seu articuli argumentorum, super quibus testes sunt interrogandi. Quodsi intra diem peremptorium a iudice praestitutum obtemperatum non fuerit, postulatio censetur deserta[19]. Partes debent sibi invicem nota facere testium nomina, antequam eorum examen incohetur aut, si id, prudenti iudicis aestimatione, fieri sine gravi difficultate nequeat, saltem ante testificationum publicationem[20]. Citatio testium semper fit ministerio iudicis et intimanda est eodem modo, quo citatur reus conventus[21]. Testis rite citatus parere debet aut causam suae absentiae iudici notam facere. Testis inoboediens, qui illegitime aut non comparet aut renuit respondere aut iusiurandum praestare aut attestationi subscribere, a iudice potest congruis poenis coerceri et insuper mulctari pro rata damni, quod ex eius inoboedientia partibus obvenit[22].

Q. 500. *Quot testes induci possint?*

R. Iuxta antiquum ius partes non potuerunt inducere nisi ad summum septem testes pro singulis quaestionibus probandis. Iuxta novum ius solummodo statuitur: „Iudici ius et obligatio est nimiam multitudinem testium refrenandi.“[23]

Q. 501. *Quinam testes excludi possint?*

R. Testes debent ex officio excludi, non solum si liquido constat iudici, eos esse incapaces, sed etiam, postulante adversario, si iusta exclusionis causa demonstratur; quae exclusio dicitur reprobatio personae testis. Pars autem nequit reprobare *personam* testis, quem ipsa induxit, nisi nova reprobationis causa supervenerit, quamvis possit eius dicta reprobare. Reprobatio testis fieri debet intra *triduum,* postquam testium nomina cum parte communicata fuerunt, nec postea facta admittatur, nisi a parte demonstratur vel saltem iuramento affirmatur, defectum testis antea sibi notum non fuisse. Iudex autem reprobationis discussionem in finem litis reservet, nisi contra testem stat praesumptio iuris, aut defectus est notorius vel statim ac facile probari potest vel postea probari nequit[24].

ARTICULUS III.

De iureiurando testium.

Q. 502. *Quaenam observanda sint in iureiurando testium?*

R. 1. Ordinarie debet testis, antequam testimonium edat, iusiurandum praestare de tota ac sola veritate dicenda; attamen hoc

[18] c. 1760. [19] c. 1761. [20] c. 1763. [21] Cf. supra q. 490.
[22] c. 1766. [23] c. 1762. [24] c. 1764.

iusiurandum potest remitti a) testibus non idoneis et suspectis; b) si de iure mere privato partium agitur, utraque parte consentiente. Sed etiam cum iusiurandum a teste non exigitur, iudex testem commonefaciat gravis obligationis, qua semper tenetur, veritatem dicendi. Partes earumve procuratores praestationi iurisiurandi testium ordinarie assistere possunt, nisi iudex prudenter existimat, id causare graves difficultates[25].

2. Testes, quamvis ante examen praestiterint iusiurandum de veritate dicenda, poterunt nihilominus pro prudenti arbitrio iudicis, absoluto examine, adigi iterum ad iusiurandum de veritate omnium vel aliquorum iam dictorum, quoties gravitas negotii et editae testificationis adiuncta id postulare videntur[26].

3. Testes adigi etiam iureiurando possunt ad secretum servandum circa propositas interrogationes dataque interrogationibus responsa, usque dum acta et allegata publici iuris fiant; immo etiam perpetuo, si id exigit bonum publicum aut scandalum vitandum[27].

ARTICULUS IV.

De testium examine.

Q. 503. *Quomodo testes sint examinandi?*

R. 1. Testes sunt examinandi in ipsa sede tribunalis.

Ab hac regula generali eximuntur:

a) Cardinales, episcopi, personae illustres, quae suae civitatis iure eximuntur ab obligatione comparendi coram iudice testificandi causa: ii omnes eligere ipsi possunt locum, ubi testificentur; de quo debent iudicem certiorem facere.

b) Qui morbo aliove corporis vel animi impedimento aut condicione vitae, uti moniales, tribunalis sedem adire nequeunt: ii domi audiendi sunt.

c) Qui extra dioecesim degentes in dioecesim reverti et ad tribunalis sedem accedere sine gravi incommodo nequeunt: ii audiendi sunt a tribunali loci, ubi commorantur, secundum interrogationes et instructiones a causae iudice transmissas.

d) Qui in dioecesi quidem commorantur, sed in locis ita dissitis a tribunalis sede, ut sine gravibus impensis neque ipsi iudicem adire neque a iudice adiri possint. Quo in casu iudex debet propiorem aliquem sacerdotem dignum et idoneum deputare, ut cum assistentia alicuius, qui actuarii munere fungatur, examen horum testium perficiat, transmissis pariter eidem interrogationibus faciendis datisque opportunis instructionibus[28].

2. Examini testium partes assistere nequeunt, nisi iudex eas admittendas censuerit[29].

3. Testes ordinarie examinandi sunt seorsim singuli; prudenti tamen iudicis arbitrio relinquitur, post edita testimonia, testes inter se aut cum partibus conferre, seu vulgo „confrontare“. Quod quidem fieri poterit, *si haec omnia simul concurrunt:*

[25] c. 1767. [26] c. 1768. [27] c. 1769. [28] c. 1770. [29] c. 1771.

a) si testes inter se aut cum parte in re gravi et causae substantiam attingente dissentiunt;

b) si nulla alia facilior ad veritatem detegendam suppetit via;

c) si scandali vel dissidiorum periculum non est ex collatione pertimescendum [30].

4. Examen testium non fit ab alio nisi a iudice vel ab eius delegato aut auditore, cui assistat oportet notarius. Quapropter si partes vel promotor iustitiae aut defensor vinculi intersunt et novas interrogationes testi faciendas habent, has non testi, sed iudici eiusve locum tenenti proponere debent, ut eas ipse deferat [31]. Eadem praxis solet nunc vigere in tribunalibus civilibus et conducit ad habendum testium ordinatum examen; aliquando tamen usuvenit sic dicta examinatio transversa (Kreuzverhör, cross-examination, interrogatoire contradictoire) in istis tribunalibus. Si incongruae interrogationes proponuntur testi, advocati eius vel iudicis est, eas declinare.

5. Testis primo interrogari debet non solum de generalibus personae adiunctis, hoc est, de nomine, cognomine, origine, aetate, religione, condicione, domicilio, sed etiam, quae ipsi cum partibus in causa sit necessitudo; deinde deferendae sunt interrogationes, quae causam ipsam respiciunt, et est sciscitandum, unde et quomodo ea, quae asserit, habeat cognita [32].

6. Interrogationes breves sunto, non plura simul complectentes, non captiosae, non subdolae, non suggerentes responsionem, remotae a cuiusvis offensione et pertinentes ad causam, quae agitur [33].

7. Interrogationes ne cum testibus antea communicentur; attamen si ea, quae testificanda sunt, ita a memoria sunt remota, ut, nisi prius recolantur, certo affirmari nequeant, poterit iudex nonnulla testem praemonere, si id sine periculo fieri censet [34].

8. Testes *oretenus* testimonium dicant, et scriptum ne legant, nisi de calculo et rationibus agatur; tunc enim adnotationes, quas secum attulerunt, possunt consulere [35].

9. Responsio ex continenti redigenda est in scripto ab actuario, idque non solum quod attinet ad substantiam, sed etiam ad ipsa editi testimonii verba, nisi iudex, attenta causae exiguitate, satis habeat unam depositionis *substantiam* referri [36].

10. Actuarius in actis mentionem faciat de praestito, remisso aut recusato iureiurando, de partium aliorumque praesentia, de interrogationibus ex officio additis, et generatim de omnibus memoria dignis, quae forte acciderint, cum testes excutiebantur [37].

11. Testi, antequam ab auditorio recedat, debent legi, quae actuarius de iis, quae ipse viva voce testatus est, scripto redegit, data eidem testi facultate addendi, supprimendi, corrigendi, variandi. Denique actui subscribere debent a) testis, b) iudex, c) notarius [38].

---

[30] c. 1772. [31] c. 1773. [32] c. 1774. [33] c. 1775. [34] c. 1776.
[35] c. 1777. [36] c. 1778. [37] c. 1779. [38] c. 1780.

12. Testes, quamvis iam excussi, poterunt, parte postulante, aut ex officio, antequam acta seu testificationes publici iuris fiant, denuo ad examen vocari, si iudex id necessarium vel utile ducat, dummodo tamen omnis collusionis vel corruptelae absit periculum [39].

ARTICULUS V.

De testimoniorum evulgatione eorumque reprobatione.

Q. 504. *Quomodo testimonia testium evulgari et reprobari possint vel debeant?*

R. 1. Testimonia testium, cum partes aut earum procuratores examini non interfuerunt, poterunt evulgari decreto iudicis aut statim post absolutum omnium testium examen, aut tempore, quo cetera probationum capitula fuerint absoluta [40]. Post testificationum evulgationem cessat facultas reprobandi *testis personam,* excepto casu, quo a parte demonstratur vel saltem iuramento affirmatur, defectum testis antea sibi notum non fuisse. Semper autem remanet ius reprobandi testes, quod attinet aut *ad modum examinis* aut *ad testificationes ipsas,* cum nempe testimonia impugnantur de variatione, contradictione, obscuritate, defectu scientiae, similibus [41].

2. Reprobationem oppositam iudex decreto suo reicere debet, si eam futili inniti fundamento aut ad retardandum iudicium factam animadvertit [42]. Secus iudex brevem terminum parti postulanti praestituat ad probandam reprobationem, et deinde procedat ut in aliis incidentibus causis [43].

3. Post evulgatas testificationes testes iam auditi denuo super iisdem articulis ne interrogentur, neve novi testes admittantur nisi caute et ex gravi ratione in causis, quae numquam transeunt in rem iudicatam; ex gravissima ratione in ceteris; et in quolibet casu omni fraudis et subornationis periculo remoto, altera parte audita, et requisito voto promotoris iustitiae et defensoris vinculi, si hi iudicio intersint; quae omnia iudex decreto suo definiat [44].

ARTICULUS VI.

De indemnitate testium.

Q. 505. *Quae et quanta indemnitas sit danda testibus?*

R. Pro ipso quidem testimonio ferendo testis nihil exigere potest, sed habet ius ad petendam compensationem impensarum, quas sustinuit ratione itineris et commorationis in loco iudicii et ad congruam indemnitatem pro interruptione sui negotii vel operis. Iudicis est, auditis parte et teste et, si opus est, etiam peritis, taxare indemnitatem et impensas testi solvendas [45]. Ut talis indemnitas facile solvi possit, iudex potest exigere, ut intra terminum praestitutum congrua

---

[39] c. 1781. [40] c. 1782. [41] c. 1783. [42] c. 1784. [43] c. 1785.
[44] c. 1786. [45] c. 1787.

quantitas pecuniae penes tribunalis cancellarium ab eo, qui testes inducere vult, deponatur. Si talis pecunia non est deposita, pars censetur examini testium renuntiasse [46].

ARTICULUS VII.

De testimoniorum fide.

Q. 506. *Quomodo testimoniorum fides sit aestimanda?*

R. 1. In aestimandis testimoniis iudex prae oculis habeat:

a) quae condicio sit personae, quaeve honestas, et an testis aliqua dignitate praefulgeat [47];

b) utrum de scientia propria, praesertim de visu et auditu proprio testificetur, an de credulitate, de fama, aut de auditu ab aliis;

c) utrum testis constans sit et firmiter sibi cohaereat, an vero sit varius, incertus, vacillans;

d) utrum testimonii contestes habeat, an sit singularis [48].

Si testes inter se discrepant, iudex perpendat, utrum edita ab iis testimonia sibi invicem adversentur (uti e. gr. accidit in testimoniis senum, qui accusaverunt Susannam), an sint dumtaxat diversa vel adminiculativa [49].

2. Unius testis depositio plenam fidem non facit, nisi sit testis qualificatus, qui deponit de rebus ex officio gestis, e. gr. parochus de rebus sui muneris. In aliquibus tamen casibus, e. gr. de collato sacramento baptismi [50] confirmationis [51] de consecratione vel benedictione alicuius loci [52] unus testis, licet non qualificatus, dummodo sit omni exceptione maior, plenam fidem facere potest. Si sub iuramenti fide duae vel tres personae, omni exceptione maiores, sibi firmiter cohaerentes, de aliqua re vel facto in iudicio testificantur de scientia propria, sufficiens probatio habetur, nisi in aliqua causa iudex ob maximam negotii gravitatem, vel ob indicia, quae aliquod dubium de veritate rei assertae ingerunt, necessariam censeat pleniorem probationem [53]. Aliquando ius praescribit maiorem numerum testium, e. gr. quattuor vel octo [54].

CAPUT III.

De peritis.

Q. 507. *Quomodo et quando periti adhibendi sint in iudicio?*

R. 1. Iuxta novum ius canonicum periti sunt testes muniti speciali scientia seu arte, qui vel ex iuris vel ex iudicis praescripto testificant

[46] c. 1788.
[47] Glossa c. 2 X, 2, 20 his versiculis rem enuntiavit:
„Condicio, sexus, aetas, discretio, fama
Et fortuna, fides: in testibus ista requires."
[48] c. 1789. [49] c. 1790. [50] c. 779. [51] c. 800. [52] c. 1159, § 1.
[53] c. 1791. [54] Cf. c. 2020.

de aliquo facto vel praecipue de vera natura alicuius facti. Periti iam in vetere iure tum romano tum canonico adhibebantur, et praesertim in novis iuribus civilibus usuveniunt. Aliquando autem potius arbitri quam testes sunt iuxta ista iura. Peritorum (Sachverständige, experts) opera in iudicio utendum est, quoties ex iuris vel iudicis praescripto eorum examen et votum requiritur ad factum aliquod comprobandum, e. gr. inconsummationem matrimonii, vel ad veram alicuius rei naturam dignoscendam, e. gr. impotentiam absolutam [55].

2. Iudicis est peritos eligere vel designare, et iudex quidem potest in causis mere privatis hanc designationem facere rogatu utriusque partis vel etiam alterutrius, altera tamen consentiente; in causis vero bonum publicum respicientibus, audito promotore iustitiae aut vinculi defensore. Prudenti iudicis arbitrio relinquitur unum pluresve peritos eligere pro causae natura et rei difficultate, nisi lex ipsa numerum peritorum praefiniat [56], ut e. gr. in inspectione corporali [57]. Ad periti munus, ceteris paribus, deligantur, qui competentis magistratus auctoritate idonei fuerint comprobati, e. gr. medici, architecti approbati. Per se patet eos, qui munere testium fungi nequeunt, nec etiam in peritorum officium assumi posse [58].

3. Peritorum est peritiam suam ad veritatis et iustitiae leges exigere, neque falsum affirmando neque verum occultando; in quo si deliquerint, puniantur, sicut supra dictum est de testibus falsum scienter affirmantibus vel verum occultantibus [59].

4. Easdem ob causas, quibus testes, possunt et periti recusari. Iudex autem suo decreto edicat, utrum sit admittenda recusatio necne, et, recusatione admissa, in locum periti recusati alium sufficiat [60].

5. Periti censentur demandatum munus suscipere praestatione iurisiurandi de munere fideliter implendo. Post iusiurandum praestitum, si periti, intra praefinitum tempus, mandato non paruerint aut sine iusta causa exsecutionem defugiant, tenentur damna forte orta sarcire [61]. Potest tamen iudex tempus, intra quod periti votum proferre debeant, auditis partibus, prorogare [62]. Periti votum suum vel in scriptis proferre possunt vel oretenus coram iudice; sed si ore profertur, statim in scriptis redigi debet a notario et a peritis subscribi [63]. Periti debent indicare perspicue, qua via et ratione processerint in explendo munere sibi demandato et quibus potissimum argumentis sententia ab ipsis prolata nitatur [64]. Partes non solum interesse possunt iurisiurandi praestationi, sed etiam exsecutioni muneris perito demandati, nisi aliud rei natura vel honestas exigat aut lex vel iudex statuat [65]. Hinc patet, partem non semper posse interesse, si peritus medicus examen alicuius personae peragit. Si sunt plures periti, tunc suam quisque relationem a ceteris distinctam conficiat, nisi, lege non

[55] c. 1792. [56] c. 1793. [57] c. 1979. [58] c. 1795. [59] c. 1794.
[60] c. 1796. [61] c. 1798. [62] c. 1799. [63] c. 1801, § 1.
[64] Ib. § 3. [65] c. 1797, § 2.

contradicente, iudex unam solam relationem a singulis peritis subscribendam fieri iubeat; quod si fiat, sententiarum discrimina, si qua fuerint, diligenter adnotentur[66]. Si periti inter se discrepant, licet iudici aut exquirere peritioris suffragium (Überbegutachtung) super relatis a primis peritis, aut novos de integro peritos adhibere. Eadem facultas iudici est, quoties periti post electionem in suspicionem inciderint vel impares atque non idonei muneri perspecti fuerint[67]. Iudex non tantum peritorum conclusiones (etsi concordes), sed cetera quoque causae adiuncta attente perpendat et, cum reddit rationes decidendi, exprimere debet, quibus motus argumentis peritorum conclusiones aut admiserit aut reiecerit[68].

6. Specialia statuta observanda sunt quoties periti iudicare debent de genuinitate alicuius scripturae, prout in can. 1800 describuntur.

7. Peritorum expensas et honoraria iudex, receptam uniuscuiusque loci consuetudinem prae oculis habens, ex bono et aequo taxare debet, sed periti habent ius recursus intra decem dies ad eundem iudicem, si putant, se non recepisse sufficiens honorarium[69].

CAPUT IV.

De accessu et recognitione iudiciali.

Q. 508. *Quando et quomodo accessus et recognitio iudicialis peragenda sint?*

R. 1. Accessus et recognitio iudicialis (gerichtlicher Augenschein) est unum ex efficacioribus mediis probationis. Si itaque ad controversiae locum iudex accedere atque ipsam rem controversam inspicere necessarium existimet, decreto id praestituat, quo ea, quae in accessu (in inspectione oculari) praestanda sint, auditis partibus, summatim describat[70]. Hanc recognitionem peragere potest iudex vel ipse per se vel per auditorem vel per iudicem delegatum[71]. Potest quoque iudex peritos adhibere in hac recognitione, si ipsorum opera necessaria vel utilis videatur[72].

2. Si iurgii vel perturbationis periculum pertimescendum iudici videtur, poterit ipse providere, ne partes vel earum advocati intersint iudiciali recognitioni[73]. Pariter potest iudex testes (vel ex officio accitos vel a partibus ante recognitionem rite productos) in ipso iudiciali accessu examini subicere, si id expedire videtur, ad pleniorem probationem aut ad removenda dubia, ob quae recognitio decerni debuit[74].

3. Notarius diligenter debet curare, ut constet ex actis, qua die et hora recognitio facta sit, quae personae interfuerint, quae, recognitione durante, aut dicta aut peracta aut a iudice decreta sint. Peractae recognitionis instrumenta cum iudex tum notarius subscribat[75].

[66] c. 1802. [67] c. 1803. [68] c. 1804. [69] c. 1805. [70] c. 1806. [71] c. 1807. [72] c. 1808. [73] c. 1809. [74] c. 1810. [75] c. 1811.

CAPUT V.

De probatione per instrumenta.

Separatim tractabitur 1. de natura et fide instrumentorum; 2. de eorum productione et actione ad exhibendum.

ARTICULUS I.

De natura et fide instrumentorum.

Q. 509. *Quaenam sit indoles et fides instrumentorum?*

R. 1. Instrumenta seu documenta, quae in iudicio admittuntur ad probationem, sunt praecipue scripturae, ex quibus factum comprobari potest. Sunt autem vel publica vel privata, prout rite confecta sunt vel a publica vel a privata persona. Publica autem instrumenta sunt aut ecclesiastica aut civilia.

2. Praecipua documenta *publica ecclesiastica* sunt:

a) acta Summi Pontificis, Curiae Romanae, Ordinariorum in exercitio suorum munerum authentica forma exarata; itemque attestationes authenticae de iisdem actis datae ab illis vel eorum notariis;

b) instrumenta a notariis ecclesiasticis confecta;

c) acta iudicialia ecclesiastica;

d) inscriptiones baptismi, confirmationis, ordinationis, professionis religiosae, matrimonii, mortis, quae habentur in regestis curiae, vel paroeciae vel religionis. Insuper attestationes scriptae ex iisdem desumptae et a parocho vel Ordinariis vel notariis ecclesiasticis confectae, aut earum exemplaria (Abschriften, copies) authentica.

Documenta *publica civilia* ea sunt, quae secundum uniuscuiusque loci leges talia censentur.

Documenta *privata* sunt litterae, contractus, testamenta et scripta quaelibet a privatis confecta[76].

3. Documenta *publica* (sive ecclesiastica sive civilia) genuina praesumuntur, donec contrarium evidentibus argumentis evincatur[77]; fidem faciunt de iis, quae directe et principaliter in iis affirmantur[78]. Sin autem sunt abrasa, correcta, interpolata aliove vitio infecta, iudicis est aestimare an et quanti tunc facienda sint[79]. Recognitio aut impugnatio scripturae proponi potest in iudicio cum incidenter tum ad instar causae principalis[80]. Tunc autem genuinitas scripturae examinanda est iuxta regulas in c. 1800 traditas.

4. Documentum *privatum*, sive agnitum a parte sive recognitum a iudice, probat adversus *auctorem* vel *subscriptorem* et *causam* ab iis habentes, sc. heredes aut successores rei vel iuris perinde ac confessio extra iudicium facta; sed saltem per se non habet vim probandi contra *extraneos*[81], iuxta vetus adagium: „Confessio non nocet tertio."

[76] c. 1813. [77] c. 1814. [78] c. 1816. [79] c. 1818. [80] c. 1815. [81] c. 1817.

ARTICULUS II.

De productione documentorum et actione ad exhibendum.

Q. 510. *Quid iure statutum sit de exhibitione seu productione documentorum in iudicio?*

R. 1. Per se patet, documenta vim probandi in iudicio non habere, nisi aut originalia sunt aut in authentico exemplari (vocatur copia vidimata, beglaubigte Abschrift) exhibita et penes tribunalis cancellariam deposita. Solummodo excipiuntur documenta, quae iam sunt publici iuris, ut leges rite promulgatae. Documenta igitur communia, quaeve de communi agunt negotio, ut e. gr. testamenta aliaque instrumenta, quae respiciunt successiones, bonorum partitiones, contractus aliaque huiusmodi, de quibus lis est inter partes, quilibet ex litigantibus potest postulare, ut in iure exhibeantur ab ea parte, quae illa possidere dicitur[82]. Nemo tenetur exhibere documenta, quae communicari nequeunt sine periculo damni oriundi pro se suisque consanguineis et affinibus (in linea recta aut in primo gradu lineae collateralis) aut sine periculo violationis secreti servandi[83]. Nihilominus si qua saltem documenti particula, quam produci intersit, describi possit et in exemplari exhiberi sine memoratis incommodis, iudex decernere potest, ut eadem exhibeatur[84].

2. Si una pars exhibere recusat documentum de iure producendum, quod ipsa fertur possidere, e. gr. contractum scriptum, iudex, altera parte postulante, auditoque, si opus sit, promotore iustitiae vel vinculi defensore, interlocutoria sententia (Zwischenurteil) statuat, num et quomodo eiusdem documenti exhibitio facienda sit[85]. Parte parere recusante, iudicis est aestimare, quanti haec recusatio facienda sit. Quodsi pars documentum apud se esse neget, iudex poterit eam examini subicere et ad iusiurandum de ea re praestandum adigere[86].

3. Supra n. 1 dictum est, documenta esse exhibenda aut in originali aut saltem in exemplari. Si dubium excitatur, utrum fideliter exscriptum sit exemplar an non, iudex ad instantiam partis vel etiam ex officio decernere potest, ut ipsum documentum exhibeatur, unde exemplar est desumptum; et si id fieri aut minime aut valde difficulter possit, iudex potest auditorem delegare aut loci Ordinarium rogare pro examine et collatione documenti, praescribens, quibus de articulis et quemadmodum fieri debeat collatio; collationi vero utraque pars assistere potest[87].

CAPUT VI.

De praesumptionibus.

Q. 511. *Qualem vim probandi habeant praesumptiones?*

R. 1. *Notio.* Praesumptio est rei incertae probabilis coniecturatio[88]. Differt autem praesumptio ab indiciis, sicut effectus a causa. Ex indiciis

[82] c. 1822. [83] c. 1823, § 1. [84] Ib. § 2. [85] c. 1824, § 1.
[86] Ib. § 3. [87] c. 1821. [88] c. 1825.

enim, quae sunt signa plus minusve probabilia alicuius rei, causatur praesumptio.

Divisiones. Praesumptio alia est *iuris,* quae ab ipsa lege statuitur, e. gr. baptismus dubius praesumitur validus in ordine ad matrimonium; alia est *hominis,* quae a iudice conicitur, e. gr. ex indiciis iudex praesumit culpam accusati. Praesumptio iuris subdividitur in praesumptionem *iuris tantum,* qua lex aliquid solummodo pro vero habet, donec contrarium probetur, e. gr. nemo praesumitur malus, nisi probetur; pater est quem nuptiae demonstrant[89]; et in praesumptionem *iuris et de iure,* quae semper censetur vera, ita ut contra eam non admittatur nisi probatio *indirecta,* sc. contra factum, quod est praesumptionis fundamentum[90]. Sic e. gr. res iudicata praesumptione iuris et de iure habetur vera et iusta nec impugnari *directe* potest[91].

2. Vis et efficacia praesumptionis iuris consistit in eo, quod, qui habet eam pro se, liberatur ab onere probandi. Hoc autem onus tunc recidit in partem adversam; qua non probante, sententia ferri debet in favorem partis, pro qua stat praesumptio[92]. Sic e. gr. qui possidet rem aliquam, praesumitur eam legitime possidere neque potest licite re privari, nisi probetur, eum illegitime possidere.

3. Praesumptiones, quae non statuuntur a iure, iudex ne coniciat nisi ex facto certo et determinato, quod cum eo, de quo controversia est, directe cohaeret[93]. Sic e. gr. iudex potest recte praesumere, infantem natum et educatum a parentibus vere christianis esse baptizatum. Baptismus enim infantium directe cohaeret cum statu parentum vere christianorum. Praesumptiones *hominis,* secundum tres gradus probabilitatis distinguuntur in *leves,* si levia sunt indicia veritatis; in *graves* si gravia; in *gravissimas* seu *vehementes,* si sunt ita evidentia, ut animi assensum fere necessario pertrahant. Iudex nequit licite iudicare iuxta praesumptiones leves, quippe quae sint merae suspiciones; sed secundum praesumptiones graves et gravissimas potest sententiam ferre, si amplior certitudo haberi nequit.

Scholion. De fictione iuris. A praesumptionibus apprime oportet distinguere fictionem iuris, quae est dispositio legis in re possibili facta ex iusta causa contra veritatem. Fictio igitur iuris est obiectiva falsitas et solus favor iuridicus concessus ex iusta causa. Sic e. gr. quando matrimonium nullum sanatur in radice, ex fictione iuris habetur validum inde ab initio quoad effectus iuridicos.

CAPUT VII.

De iureiurando partium.

Q. 512. *Quaenam sint principaliores distinctiones iurisiurandi partium?*

[89] c. 1115, § 1. [90] c. 1826.
[91] c. 1904, § 1. Alia praesumptio iuris et de iure habetur de validitate matrimonii, quod utroque coniuge vivente non fuit impugnatum. c. 1972.
[92] c. 1827. [93] c. 1828.

R. Iusiurandum partium (Parteieid) de veritate dicenda in iudicio (de quo supra tit. IX sermo fuit) varie distinguitur secundum obiecta, circa quae versatur. Iuxta vigentem disciplinam iam non usuvenit in iudiciis iuramentum calumniae, iuramentum malitiae, iuramentum purgationis etc., sed solummodo tria iuramenta distinguuntur:

1. iusiurandum *suppletorium* (Ergänzungseid);

2. iusiurandum *aestimatorium,* quod antiquitus vocabatur quoque iuramentum in litem, et cuius pars fuit iuramentum Zenonianum (Schätzungseid);

3. iuramentum *decisorium.* (Schiedseid oder zugeschobener Eid).

Q. 513. *Quaenam statuat ius vigens de tribus iuramentis enumeratis?*

R. 1. Iusiurandum *suppletorium,* ut iam nomen indicat, supplet seu complet probationem semiplenam et adhiberi potest, quando alia probationis adiumenta desunt[94]. Nequit itaque adhiberi, a) si aut nulla aut plena probatio adfuit; b) si alia via adest inveniendi plenam veritatem; c) in causa criminali, ut reus suam culpam aut innocentiam affirmet. Huic iuramento vel maxime locus est, cum adiuncta, quae civilem vel religiosum personae statum respiciunt, e. gr. statum coelibem vel sacerdotalem, aliter comperiri nequeunt. Sed eodem abstineat (propter periculum periurii) iudex tam in causis criminalibus quam in contentiosis, si de iure vel de re pretii magni agitur aut de facto nimii momenti, aut si ius, res, factum non est proprium personae, cui iusiurandum esset deferendum[95]. Deferri autem potest hoc iusiurandum sive ex officio sive ad instantiam alterius partis vel promotoris iustitiae aut vinculi defensoris, si iudicio intersint[96]. Regulariter deferatur ei, qui pleniores habet probationes, cum tunc facilius iusiurandum possit supplere, quae adhuc probationibus desunt. Iudicis est definire, an et quando adiuncta concurrant, cur iusiurandum suppletorium deferri debeat. — Pars, cui iusiurandum suppletorium defertur in rebus, quae ad eius statum civilem vel religiosum non pertinent, potest ex iusta causa illud recusare vel in adversarium referre[97]. Quanti autem haec recusatio facienda sit, utrum iusta sit an potius confessioni aequiparanda, iudicis est aestimare. Iusiurandum suppletorium ab una parte praestitum potest ab altera impugnari[98].

2. Iusiurandum *aestimatorium* versatur praecipue de aestimatione damni habiti. Si de iure ad damni reparationem constat, sed quantitas damni aestimari certo nequit, iudex potest parti, quae damnum passa est, hoc iusiurandum aestimatorium imponere[99]. In deferendo autem hoc iureiurando iudex a parte, quae damnum passa est, petat, ut sub iurisiurandi sanctitate designet res sibi ablatas vel dolo perditas

[94] c. 1829. [95] c. 1830, § 1 2. [96] Ib. § 3.
[97] Vulgo: Den zugeschobenen Eid zurückschieben.
[98] c. 1831. [99] c. 1832.

earumque pretium et valorem secundum probabilem suam aestimationem exprimat. Quodsi taxatio iudici nimia videtur, eam ad aequitatem reducat, prae oculis habens omnia indicia et argumenta usu comprobata, adhibitis etiam, si opus est, peritis, quo magis veritati et iustitiae consulatur[100].

3. Iusiurandum *decisorium* dirimit litem transigendo vel ante initam litem vel lite pendente. Quod quidem iusiurandum potest, iudice probante, ab una parte alteri deferri ea condicione, ut quaestio sive principalis sive incidens per illud decidatur[101]. Nequit autem deferri, nisi adsint quattuor condiciones: a) de re, in qua cessio et transactio admittitur (ergo non e. gr. in rebus iure naturae inalienabilibus) et quae pro litigantium personis non est nimii momenti vel pretii; b) ab eo, qui cedere aut transigere potest (ergo e. gr. non a religioso sollemniter professo, nisi adsit debita licentia); c) ei, qui cedere vel transigere valet, quique pariter pro se non habet plenam probationem, cum transactio sit de re dubia; d) de mera notitia facti aut de facto, quod proprium est illius, cui iusiurandum defertur[102]. — Hoc iusiurandum potest a parte, a qua delatum est, revocari, quousque praestitum non fuerit, et ab altera parte acceptari et praestari; sed potest quoque referri in adversarium (den Eid zurückschieben)[103]. Praestito iureiurando, quaestio secundum iuratam formulam finita est, perinde ac si cessio aut transactio iudicialis intercessisset[104]. Si iusiurandum recusatur nec tamen refertur in adversarium, iudicis est aestimare, quanti facienda sit recusatio, utrum iustis innitatur causis an potius confessioni sit aequiparanda. Sin autem refertur in adversarium, hic debet illud praestare, secus causa cadit. Ut vero iusiurandum in adversarium referri possit, eaedem illae concurrant condiciones necesse est, quae ad illud deferendum requiruntur, atque idem intercedat iudicis ministerium[105].

TITULUS XI.

De causis incidentibus.

Q. 514. *Quid sint causae incidentes et quomodo generaliter sint tractandae?*

R. 1. Causa incidens[1] habetur, quoties, incepto iam iudicio, ab una ex partibus aut a promotore iustitiae vel vinculi defensore quaestio proponitur, quae, tametsi libello litis non continetur expresse, nihilominus ita ad causam pertinet, ut resolvi plerumque debeat ante quaestionem principalem[2]. Vel brevius: Causa incidens est quaestio accessoria, quae, incohata discussione quaestionis principalis, emergit. Tales causae incidentes sunt e. gr.: contumacia alterutrius partis, interventus tertiae personae in causa, attentata pendente iam lite, de quibus singulatim postea tractandum est.

[100] c. 1833. [101] c. 1834. [102] c. 1835. [103] c. 1836, § 1.
[104] Ib. § 2. [105] Ib. § 5. [1] Germanice: Zwischenstreit. [2] c. 1837.

2. Causa incidens proponitur vel oretenus vel per libellum, indicato nexu, qui intercedit inter ipsam et causam principalem, et generatim servatis iis regulis, quae praescriptae sunt supra pro libello litis[3]. Iudex autem, libello vel petitione verbali receptis, auditis partibus et, si opus est, promotore iustitiae vel defensore vinculi, secum deliberet, num proposita incidens quaestio futilis sit et ad retardandum principale iudicium unice excitata; itemque num causa incidens talis sit naturae et tali nexu cum causa principali cohaereat, ut ante eam resolvi debeat. Si ita res se habet, libellum vel instantiam admittat; aliter eam reiciat[4]. Insuper iudex, attenta rei qualitate et gravitate, aestimet, utrum incidens quaestio proposita definienda sit forma iudiciali an mero decreto[5]. Si causa incidens est *iudicialiter* definienda (per sententiam interlocutoriam), ordinarie servandae sunt regulae in aliis iudiciis observandae; curet tamen iudex, ut dilationum termini sint quam maxime breves[6]. Sin autem causa incidens definienda est per solum decretum, iudex debet rationes, quibus nititur sua decisio, breviter exponere in iure et in facto[7].

3. Antequam finiatur causa principalis, iudex interlocutoriam sententiam (et a fortiori decretum), iusta intercedente causa, potest corrigere aut revocare, requisito tamen semper voto promotoris iustitiae aut defensoris vinculi[8].

CAPUT I.

De contumacia.

Q. 515. *Quid sit contumacia et quomodo tractanda sit in iudicio?*

R. 1. Contumacia in iudicio est inoboedientia pertinaciter commissa ab eo, qui legitime citatus neque ulla iusta causa impeditus renuit comparere in iudicio, seu ad vadimonium venire, sicuti veteres dicebant. Contumacia igitur involvit gravem contemptum officii iudicis et iuris publici. Iudex nequit reum declarare contumacem, nisi prius constiterit:

a) citationem legitime factam tempore utili ad rei notitiam venisse aut saltem pervenire debuisse;

b) reum absentiae excusationem offerre neglexisse aut non iustam attulisse.

De istis duobus potest constare sive per novam citationem reo factam, ut contumaciam suam excusare conetur, sive etiam alio modo[9]. Non solum reus, sed etiam actor potest declarari contumax. Si enim die et hora, qua reus secundum citationis praescriptum coram iudice primum se sistit, actor non adest nullamque vel insufficientem absentiae excusationem attulit, iudex eum ad instantiam rei conventi citet iterum: et si actor novae citationi non paruerit, vel postea iudicium incohare vel incohatum prosequi neglexerit, *instante reo convento vel promotore iustitiae aut vinculi defensore,* contumax a iudice declaretur[10]. Sicuti actor, ita etiam reus nequit a iudice contumax declarari nisi ad instantiam alterius partis aut promotoris iustitiae aut vinculi defensoris[11].

2. Ad frangendam contumaciam *rei* iudex potest comminari poenas ecclesiasticas, e. gr. censuras. Sed tunc prius iteranda est rei citatio cum comminatione poenarum; nec licet statim aut contumaciam declarare aut, ea declarata, poenas irrogare, nisi probetur, hanc quoque secundam citationem suo effectu caruisse[12].

3. Rei a contumacia recedentis seque in iudicio sistentis ante causae definitionem admittantur conclusiones probationesque; sed caveat iudex, ne mala fide iudicium protrahatur in longiores et non necessarias moras[13].

4. Post latam sententiam contumaciae iudex potest procedere, servatis servandis, usque ad sententiam definitivam eiusque exsecutionem. Sententia definitiva respicere tantum debet petita in libello litis, si fertur lite non contestata; sin autem lite iam contestata, respicit ipsum contestationis obiectum[14]. Post latam vero sententiam, contumax, qui a contumacia se non purgavit, non potest quidem appellationem interponere[15], sed beneficium restitutionis in integrum ad appellandum ab ipso iudice, qui tulit hanc sententiam, petere potest; non ultra tamen *trimestre* ab ipsius sententiae intimatione, nisi agatur de causis, quae non transeunt in rem iudicatam[16], ut e. gr. causae de statu personarum.

5. *Effectus* sententiae declarantis contumaciam sunt hi:

a) *Actoris* contumacia a iudice declarata perimit eiusdem actoris ius ad suam instantiam prosequendam; permittitur tamen tunc promotori iustitiae vel vinculi defensori instantiam facere suam eamque prosequi, quoties bonum publicum id postulare videtur. Si actor contumax declaratus est, reus obtinet ius petendi, ut vel libere possit a iudicio abire vel nulla habeantur omnia eousque gesta vel definitive ipse absolvatur a petitione actoris vel iudicium (absente quoque actore) ad finem adducatur[17].

b) Sive actor sive reus, qui contumax declaratus contumaciam suam non purgaverit, condemnetur cum ad litis expensas, quae ob suam contumaciam factae sunt, tum etiam, si opus est, ad indemnitatem alteri parti praestandam. Si uterque, nempe actor et reus, sunt contumaces, ad expensas litis tenentur non pro dimidia parte, sed *in solidum* condicionate, i. e. unus debet solvere omnes expensas litis, si alter nihil solvit[18].

CAPUT II.

De interventu tertii in causa.

Q. 516. *Quaenam requirantur, ut praeter partes tertius in causa intervenire queat?*

[3] c. 1838. [4] c. 1839. [5] c. 1840, § 1. [6] Ib. § 2. [7] Ib. § 3.
[8] c. 1841. [9] c. 1843.

[10] c. 1849. [11] c. 1844. [12] c. 1845. [13] c. 1846. [14] c. 1844, § 2.
[15] c. 1880, n. 8. [16] c. 1847. [17] c. 1850. [18] c. 1851.

R. Tertius, qui vult in aliquo processu ecclesiastico intervenire, debet, *ante conclusionem in causa,* libellum iudici exhibere, in quo breviter de iure interveniendi ipsum edoceat. Tertius, qui intervenit in causa, admittendus est in eo statu, in quo causa reperitur, assignato eidem brevi ac peremptorio termino ad probationes suas exhibendas, si causa ad periodum probatoriam pervenerit[19]. Tertius non solum potest, sed aliquando *debet* in causa intervenire, si talis interventus appareat necessarius, ita iubente iudice ad instantiam partis vel etiam ex officio[20]. Sic e. gr. si religiosus accusatur a clerico saeculari, iudex competens potest iubere, ut religio ipsa vel superior religiosus competens interveniat in causa.

CAPUT III.

De attentatis lite pendente.

Q. 517. *Quid sit attentatum lite pendente et quomodo puniatur?*

R. 1. Attentatum (ungerechter Angriff) lite pendente est quidquid, durante processu, aut a) altera pars adversus alteram, aut b) ipse iudex adversus alterutram vel utramque partem innovat, *parte dissentiente* et in eius praeiudicium, sive innovatio respiciat ipsam litis materiam (salva tamen legitima sequestratione) sive terminos partibus a iure vel a iudice assignatos ad ponendos certos actus iudiciales[21].

2. *Poenae* contra attentantes sunt:

a) Attentata sunt ipso iure nulla; idcirco parti ex attentato laesae competit actio ad obtinendam declarationem nullitatis. Quae quidem actio, utpote actio incidens, instituenda est coram ipso iudice causae principalis; quod si ob attentatum pars laesa iudicem istum suspectum habeat, exceptionem suspicionis potest opponere[22].

b) Iudex, qui committit attentatum, fit suspectus ac proinde ab Ordinario in hoc iudicio removendus est.

c) Demonstrato attentato iudex decernere debet eius revocationem seu purgationem; quodsi attentatum vi vel dolo patratum est, ut saepe solet fieri, qui illud commisit tenetur etiam de damnis erga partem laesam[23].

3. Pendente quaestione de attentato, cursus causae principalis regulariter suspenditur, sed, si iudici opportunius videtur, quaestio de attentato potest una cum causa principali pertractari et resolvi. Omnes autem quaestiones de attentatis expeditissime sunt pertractandae et decreto iudicis definiendae, auditis partibus et promotore iustitiae vel defensore vinculi, si hi iudicio intersint[24]. Contra hoc decretum non est locus appellationi[25].

---

[19] c. 1852. [20] c. 1853. [21] c. 1854.
[22] c. 1855. [23] c. 1857. [24] c. 1856.
[25] c. 1880, n. 7.

TITULUS XII.

De processus publicatione, de conclusione in causa et de causae discussione.

Q. 518. *Quid sit statutum 1. de processus publicatione; 2. de conclusione in causa; 3. de discussione causae?*

R. 1. *Processus publicatio,* quae est communicatio actorum iudicialium utrique litiganti facta, necessaria est, postquam tota probatio finita est iuxta superius dicta. Ante discussionem enim causae et sententiam iudicialem omnes probationes, quae sunt in actis et quae adhuc secretae manserunt, sunt ita publicandae, ut concedatur partibus earumque advocatis facultas inspiciendi acta processualia petendique eorum exemplar[26].

2. *Conclusio in causa*[27] habetur, quoties aut partes a iudice interrogatae declarant, se nihil aliud deducendum habere, aut utile proponendis probationibus tempus a iudice praestitutum elapsum est, aut iudex declarat se satis instructam causam habere. De peracta autem conclusione in causa (quocumque modo ea acciderit) iudex decretum ferat[28]. Post conclusionem in causa probationes ulteriores inhibentur, nisi agatur (in casu raro) de causis, quae numquam transeunt in rem iudicatam aut de documentis nunc primum repertis, aut de testibus, qui antea ob legitimum impedimentum induci non potuerunt tempore utili. Si iudex novas probationes admittendas esse censet, id decernat, audita altera parte, cui congruum tempus concedat, ut istas novas probationes cognoscere et se defendere possit; aliter iudicium est nullius momenti[29]. Facta conclusione in causa, iudex, pro suo prudenti arbitrio, partibus congruum temporis spatium praestituat ad defensiones suas seu allegationes (sive per se sive per advocatum) exhibendas. Quod quidem temporis spatium seu terminus prorogari potest a iudice, instante una parte et audita altera, vel etiam coarctari, utraque consentiente[30].

Defensio *in scriptis* est conficienda, et regulariter tot exemplaribus conscribenda, quot sunt iudices, ita ut singula singulis iudicibus possint exemplaria distribui. Sed etiam promotori iustitiae et defensori vinculi, si iudicio intersunt, debet exemplar tradi; praeterea partes inter se exemplaria commutare debent. Immo tribunalis praeses, quoties pro suo prudenti arbitrio necessarium censet et sine nimio partium gravamine fieri animadvertit, mandare potest, ut defensio typis imprimatur una cum documentis principalibus in fasciculo coniungendis, qui actorum et documentorum summarium continet. Impressio talis summarii solet usuvenire in processibus apud Rotam Romanam et notanter in processibus de nullitate matrimonii. Si impressio est facienda, praeses tribunalis iubeat, nihil imprimi nisi prius exhibito manuscripto et venia illud publicandi obtenta; praeterea caveat de secreto, si quod sit in causa servandum[31]. Iudicis et, in tribunali collegiali, praesidis est, moderari

---

[26] c. 1858 et 1859. [27] Germanice: Aktenschluß. [28] c. 1860.
[29] c. 1861. [30] c. 1862. [31] c. 1863.

pro sua prudentia nimiam defensionum extensionem, nisi de hoc iam sit cautum peculiari tribunalis lege[32]. Communicatis vicissim inter partes defensionum scripturis, utrique parti responsiones exhibere liceat, intra breve tempus a iudice praestitutum, sed ordinarie non nisi *semel*. Si ex gravi causa iudex concedat iteratas responsiones uni parti, eadem concessio censetur data alteri parti[33].

3. *Discussio causae* seu *informationes orales*, quibus videlicet advocati iudicem de adiunctis iuris et facti causam respicientibus instruere satagunt, ordinarie prohibentur. Admittitur tamen moderata disputatio coram iudice *pro tribunali sedente* ad aliquid illustrandum, si, alterutra vel utraque parte postulante, iudex eam utilem censet et admittit. Tunc autem ad disputationem obtinendam partes debent exhibere in scriptis quaestionum capita cum altera parte discutienda, paucis verbis expressa; iudicis vero est, ea cum partibus hinc inde communicare ac diem et horam disputationi assignare et disputationem ipsam moderari. Disputationi assistat quoque unus ex notariis tribunalis ad hoc, ut, si iudex praecipiat aut pars postulet et iudex consentiat, possit de disceptatis, confessis aut conclusis, scripto ad tramitem iuris ex continenti referre[34]. Est igitur in procedura civili et ecclesiastica sat magna differentia circa discussionem causae. In procedura civili discussio oralis causae semper est in usu, econtra in procedura coram tribunali ecclesiastico discussio oralis aut omnino non aut valde limitato modo usuvenit. — In causis contentiosis, si partes parare sibi tempore utili defensionem negligunt aut se remittunt iudicis scientiae et conscientiae, iudex, si ex actis et probatis rem habet plane perspectam, poterit statim sententiam pronuntiare[35].

TITULUS XIII.
De sententia.

Q. 519. *Quid et quotuplex sit sententia iudicialis?*

R. 1. *Sententia iudicialis est legitima pronuntiatio, qua iudex causam a litigantibus propositam et iudiciali modo pertractatam definit.* Ceterae iudicis pronuntiationes, quae potius versantur circa facta quaedam particularia in ipso iudicio necessaria, vocantur *decreta*[36].

2. Praecipue distinguitur sententia *interlocutoria* et *definitiva*. Prior definit causam incidentem, altera causam principalem[37]. Magna igitur est differentia inter utramque sententiam. Quamvis enim sententia interlocutoria sit vera sententia iudicialis et non solum decretum, ac proinde in ea proferenda sint eaedem fere regulae observandae, quae in prolatione sententiae definitivae[38], tamen sententia interlocutoria potest ab ipso iudice corrigi vel revocari, antequam causa principalis est finita[39]; sententia autem definitiva nequit ab ipso iudice corrigi aut mutari.

[32] c. 1864. [33] c. 1865. [34] c. 1866. [35] c. 1867. [36] c. 1868. [37] Ib. [38] c. 1875. [39] c. 1841.

3. In causis criminalibus distinguitur quoque sententia *condemnatoria* et *declaratoria*. In prima ipse iudex decernit poenam; in altera iudex authentice declarat, reum incidisse in talem poenam a lege ipsa definitam.

Q. 520. *Qualis debeat esse sententia iudicialis?*

R. Distinguuntur sententiae iudicialis qualitates internae et externae.

I. Qualitates internae.

Sententia iudicialis debet:

1. esse *moraliter certa*. Hinc ad pronuntiationem cuiuslibet sententiae requiritur in iudicis animo moralis (non physica aut metaphysica) certitudo circa rem sententia definiendam. Quam quidêm certitudinem iudex non aliunde nisi *ex actis et probatis* haurire debet; probationes autem aestimare debet ex sua conscientia, nisi lex aliquid expresse statuat de efficacia alicuius probationis. Hanc doctrinam iam proposuit S. Thomas[40]. Iudex igitur nequit sententiam ferre secundum suam privatam scientiam, sed secundum moraliter certas probationes iudiciales. Sin autem ex his nequit sibi efformare certitudinem, pronuntiet, *non constare* de iure actoris, et reum dimittat, nisi agatur de causa favorabili, quo in casu pro ipsa pronuntiandum est[41];

2. esse *definitiva*, i. e. debet finire ea, quae lite contestata circumscripta sunt. Hinc sententia debet: a) definire controversiam coram tribunali agitatam, hoc est reum absolvere vel condemnare, quod attinet ad petitiones vel accusationes adversus eum prolatas, data singulis dubiis seu controversiae articulis congrua responsione;

b) determinare, quid pars damnata dare, facere, praestare aut pati debeat, aut a quo abstinere; itemque, quo modo, loco vel tempore obligatio implenda sit;

c) continere rationes seu motiva, tam in facto quam in iure, quibus dispositiva sententiae pars innititur;

d) statuere de litis expensis[42].

II. Qualitates externae.

1. Sententia ferri a iudice debet *expleta causae disceptatione;* sin autem causa est implicatior et contentionum vel documentorum mole difficilior, interponi potest congruum temporis intervallum[43].

2. Sententia ferri debet:

a) divino nomine ab initio semper invocato. Sententiae tribunalium civilium solent incipere: in nomine regis. Valde decet et nunc est praescriptum, ut sententiae tribunalis ecclesiastici incipiant: „Invocato divino nomine“;

b) dein exprimatur oportet, ex ordine, qui sit iudex aut tribunal; qui sit actor, reus, procurator, nominibus et domicilio rite designatis,

[40] S. theol. 2, 2, q. 67, a. 2. [41] c. 1869. [42] c. 1873. [43] c. 1870.

promotor iustitiae, defensor vinculi, si partem in iudicio habuerint[44]. Expedit, ut in Curia habeantur formularia determinata pro sententiis ferendis;

c) postea referri debet breviter *facti species* cum partium conclusionibus;

d) hisce subsequatur pars dispositiva sententiae, praemissis rationibus, quibus innititur[45];

e) claudatur cum indicatione diei, loci, in quibus exarata est, et cum subscriptione iudicis (vel omnium iudicum, si plures fuerint) et notarii[46].

3. Si sententia ferenda est in tribunali *collegiali,* hoc modo procedendum est:

a) collegii praeses statuat, qua die et hora iudices ad deliberandum conveniant;

b) singuli iudices *scriptas* afferant conclusiones suas in merito causae, et rationes tam in facto quam in iure, quibus ad conclusionem suam venerint; quae quidem conclusiones actis causae adiungantur, *secreto servandae;*

c) prolatis ex ordine, secundum praecedentiam, ita tamen ut semper a causae ponente seu relatore initium fiat, singulorum conclusionibus, habeatur moderata discussio sub tribunalis praesidis ductu, praesertim ut constabiliatur, quid statuendum sit in parte dispositiva sententiae. In discussione ista unicuique fas est recedere a pristina sua conclusione. Quodsi iudices in prima discussione ad hanc sententiam devenire aut nolint aut nequeant, differri poterit decisio ad novum conventum, qui tamen *ultra hebdomadam* comperendinari non debet[47].

4. Sententia redacta quamprimum publicetur[48]. Quae quidem publicatio fieri potest tribus modis:

a) citando partes ad audiendam sententiae lectionem sollemniter factam a iudice pro tribunali sedente;

b) partibus denuntiando sententiam esse penes cancellarium tribunalis unaque facultatem ipsis fieri eandem legendi et eiusdem exemplar petendi;

c) sententiae exemplar transmittendo ad partes per publicos tabellarios, sicut supra dictum est de citatione rei[49].

TITULUS XIV.

De iuris remediis contra sententiam.

Q. 521. *Quid generaliter notandum sit de iuris remediis contra sententiam iudicialem?*

[44] c. 1874, § 1 2.
[45] Sola Signatura Apost. non tenetur afferre rationes sententiae suae.
[46] c. 1874, § 5. Si sententia lata est in tribunali collegiali, sub poena nullitatis requiritur, ut omnes iudices subscribant. Ita Pontif. Com. d. 14 Iul. 1922 (Acta Ap. Sed. XIV 529).
[47] c. 1871. [48] c. 1876. [49] c. 1877.

R. 1. Remedia iuris sunt media a iure concessa, quibus licet impugnare sententiam iudicialem materialiter vel formaliter iniustam vel invalidam.

2. Sententia iudicialis potest materialiter vel formaliter esse aut saltem apparere iniusta et invalida. Errare enim humanum est. Si sola iniustitia vel error *materialis* accidit vel in transcribenda parte dispositiva sententiae vel in referendis factis aut partium petitionibus aut in ponendis calculis, errorem corrigere valet ipse iudex, qui ad hanc correctionem deveniat, edito decreto ad instantiam partis, nisi pars altera refragetur. Si pars altera refragetur, haec quaestio incidens nihilominus decreto iudicis definiatur, sed decretum ad calcem sententiae correctae referatur[50].

3. Si sententia iudicialis est *formaliter* iniusta aut invalida, exsistunt quattuor remedia, quorum duo priora sunt ordinaria; duo alia vero sunt extraordinaria:

a) si sententia est vel apparet formaliter iniusta et nondum transiit in rem iudicatam, remedium idque frequentissimum est *appellatio;*

b) si sententia est vel apparet invalida, conceditur querela nullitatis;

c) si sententia laesit ius tertii, is oppositionem intericere valet;

d) si sententia iam transiit in rem iudicatam, potest peti restitutio in integrum.

De restitutione in integrum tractabitur in titulo sequenti; de tribus aliis remediis separatim agitur in tribus distinctis capitibus huius tituli.

CAPUT I.

De appellatione.

Q. 522. *Quid sit et quandonam locum habere possit appellatio?*

R. *Appellatio iudicialis est rite facta provocatio a sententia inferioris iudicis ad superiorem iudicem.* Dico autem appellationem *iudicialem;* nam aliquando locum habet appellatio extraiudicialis, quae melius recursus vocatur et quae non solum a sententia iudiciali, sed etiam a decretis superioris ad maiorem superiorem fieri potest. Sic a decretis episcopi potest clericus recurrere ad S. Congregationem Concilii. Pars (sive actor sive reus), quae aliqua sententia iudiciali se gravatam putat, itemque promotor iustitiae et defensor vinculi in causis, in quibus interfuerunt, ius habent appellandi[51]. Attamen non est locus appellationi:

1. a sententia ipsius Summi Pontificis vel Signaturae Apostolicae. Quare notanter non licet appellare a sententia S. Pontificis ad Concilium oecumenicum;

2. a sententia iudicis, qui a S. Sede delegatus est ad videndam causam cum clausula: „appellatione remota";

3. a sententia vitio nullitatis infecta; contra eam enim oportet instituere querelam nullitatis;

[50] c. 1878. [51] c. 1879.

4. a sententia, quae in rem iudicatam transiit. Quandonam sententia in rem iudicatam transeat, dicetur infra tit. seq.;

5. a sententia definitiva, quae decisorio iureiurando litis innixa est, ut supra dictum est q. 513;

6. a iudicis decreto vel a sententia interlocutoria, quae non habet vim definitivae, nisi tamen cumuletur cum appellatione a sententia definitiva;

7. a sententia in causa, pro qua ius cavet rem esse expeditissime definiendam, e. gr. in causis alimentorum;

8. a sententia contra contumacem, qui a contumacia se non purgavit;

9. a sententia lata contra eum, qui in scriptis expresse professus est se appellationi renuntiare [52].

Q. 523. *Quaenam condiciones requirantur insuper ad legitimam appellationem?*

R. 1. Requiritur, ut appellatio interponatur coram iudice, *a quo* sententia prolata est, idque intra *10 dies* a notitia publicationis sententiae [53]. Appellatio autem coram isto iudice fieri potest *oretenus,* dummodo id fiat vel a) statim postquam sententia in tribunali publice lecta est — tunc ab actuario in scriptis redigenda est appellatio —, vel b) etiam postea, si appellans scribere nescit aut legitime impeditur ne libellum appellatorium exhibeat. In aliis casibus appellatio debet fieri *in scriptis* [54]. *Prosequenda* est appellatio coram iudice, *ad quem* dirigitur, idque *intra mensem* ab eius interpositione, nisi iudex *a quo* longius tempus ad eam prosequendam parti praestituerit [55]. Ad prosequendam appellationem requiritur et sufficit, ut pars invocet ministerium iudicis superioris ad impugnatae sententiae emendationem; adiungi debent exemplar huius sententiae et libellus appellatorius, quem iudici inferiori pars exhibuerat. Iam non requiruntur sic dicti „apostoli" seu testimonium scriptum iudicis inferioris de appellatione opposita. Quodsi pars exemplar impugnatae sententiae intra utile tempus a tribunali *a quo* nequit obtinere, interim terminus unius mensis (vel alius terminus praestitutus) non decurrit, et impedimentum significandum est iudici appellationis, qui iudicem *a quo* obstringat praecepto quamprimum satisfaciendi officio suo [56].

2. Si pars litigans moritur aut statum mutat aut cessat ab officio, cuius ratione agit, et haec contigerunt intra terminum ad appellandum utilem, sed antequam appellatio interposita est, sententia debet iis, quorum interest, denuntiari iisque concessi intelliguntur termini a iure statuti *a die denuntiationis* computandi. Sin autem haec contigerunt,

[52] c. 1880.

[53] c. 1881. Dies computantur civiliter et non naturaliter; dies a quo computatur in termino. Quare *quoad initium* est tempus *utile,* quod ignoranti non currit; at in suo decursu est *continuum* et peremptorium (etiam dies feriatos comprehendens), quod a iudice neque contrahi neque prorogari potest. Ita sententia Card. Lega, quae confirmata est a S. Rota d. 18 Aug. 1916 (Acta Ap. Sed. IX 402).

[54] c. 1882. [55] c. 1883. [56] c. 1884.

postquam fuit appellatum, appellatio interposita iisdem denuntietur, in quorum favorem a die denuntiationis denuo decurrere incipit tempus utile ad appellationem prosequendam [57].

3. Inutiliter elapsis fatalibus appellationis supra indicatis sive coram iudice *a quo* sive coram iudice *ad quem,* deserta censetur appellatio [58].

4. Appellatio facta ab actore prodest etiam reo et vicissim. Si appellatio interponitur ab una parte non contra totam sententiam iudicialem, sed contra aliquod caput sententiae, pars adversa, etsi fatalia appellationis fuerunt transacta, potest contra alia capita incidenter appellare, et quidem etiam sub condicione recedendi, si prior pars ab appellatione recesserit. Per se patet, non nisi ea capita appellationi subici, contra quae appellatum est; sin autem appellans nullum caput determinavit, appellatio praesumitur facta contra omnia capita et contra totam sententiam [59].

5. Si unus ex pluribus correis aut actoribus sententiam appellatione impugnat, impugnatio censetur ab omnibus facta, quoties res petita est individua aut obligatio solidalis; expensas vero iudiciales ille tantum sustinere debet, qui appellavit, si iudex appellationis primam sententiam confirmavit [60].

6. Appellatio ordinarie habet effectum suspensivum ideoque suspendit exsecutionem sententiae prioris, et res debet relinqui in statu priore. Obtinet enim principium: „Lite pendente nihil innovetur." Sunt tamen paucae exceptiones [61].

7. Interposita appellatione tribunal *a quo* debet ad iudicem *ad quem* actorum causae authenticum exemplar vel ipsamet originalia acta causae transmittere [62]. Finita autem appellatione acta originalia ad primum tribunal remittenda sunt.

8. Iudex appellatus nihil aliud potest nisi sententiam priorem confirmare aut reicere (sive ex toto sive ex parte), minime autem potest admittere novam petendi causam. Hinc non fit nova litis contestatio. Potest autem, ut patet, admittere nova instrumenta et novas probationes [63].

CAPUT II.

De querela nullitatis contra sententiam.

Q. 524. *Quaenam requirantur ad querelam nullitatis?*

R. 1. Ad querelam nullitatis requiritur ante omnia, ut sententia iudicialis vere appareat nulla. Porro sententia iudicialis potest laborare vitio aut insanabilis aut sanabilis nullitatis. Sententia laborat vitio *insanabilis* nullitatis: a) quando lata est a iudice *absolute* incompetenti vel in tribunali collegiali non legitimo numero iudicum composito; b) quando lata est inter partes, quarum altera saltem non habet personam standi in iudicio, e. gr. si fuit minor; c) quando quis nomine

[57] c. 1885. [58] c. 1886. [59] c. 1887; cf. supra q. 503. [60] c. 1888.
[61] c. 1889. [62] c. 1890. [63] c. 1891.

alterius egit sine legitimo mandato[64]. — Sententia laborat vitio *sanabilis* nullitatis, quando a) legitima defuit citatio; b) motivis seu rationibus decidendi est destituta; omnia enim tribunalia, excepta Signatura Apostolica, debent sententiae afferre rationes seu motiva, ut supra dictum est; c) subscriptionibus caret iure praescriptis, sc. iudicis vel iudicum et notarii; d) non refert indicationem anni, mensis, diei, loci, quo prolata fuit[65].

2. Nullitas *insanabilis* proponi potest per modum *exceptionis* in perpetuum; per modum vero *actionis* intra 30 annos a die publicationis sententiae, et quidem proponi debet coram iudice, qui talem sententiam tulit[66]. Querela nullitatis *sanabilis* proponi potest vel a) una cum appellatione intra 10 dies, vel b) seorsim et unice intra 3 menses a die publicationis sententiae, et quidem coram iudice, qui eam tulit[67]. Sin autem pars veretur, ne iudex, qui sententiam querela nullitatis impugnatam tulit, praeoccupatum animum habeat, et proinde eum suspectum merito existimat, exigere potest, ut alius iudex (ab Ordinario designandus), sed in eadem iudicii sede, in eius locum subrogetur[68].

3. Querelam nullitatis interponere possunt non solum partes, quae se gravatas putant, sed etiam promotor iustitiae aut defensor vinculi, quoties iudicio interfuerunt. Immo ipse iudex potest ex officio sententiam nullam a se latam retractare et emendare intra terminos ad agendum supra statutos[69].

CAPUT III.

De oppositione tertii.

Q. 525. *Quid sit oppositio tertii et quomodo sit facienda?*

R. 1. Oppositio tertii est remedium *extraordinarium* ad impugnandam sententiam iudicialem, cuius exsecutio laederet iura aliorum.

2. Haec oppositio fieri potest duplici modo: vel postulando revisionem sententiae ab ipso iudice, qui eam tulit, vel appellando ad iudicem superiorem. In utroque autem casu oppositor probare debet, ius suum revera esse laesum aut probabiliter laesum iri. Quae quidem laesio oriri debet non aliunde, sed ex ipsa sententia iudiciali, quatenus aut ipsa est causa laesionis, aut, si exsecutioni mandetur, oppositorem gravi praeiudicio sit affectura. Si neutrum *probatur*, iudex, non obstante tertii oppositione, sententiae exsecutionem decernat[70].

3. Admissa instantia, si oppositor agere vult in gradu appellationis, tenetur observare leges pro appellatione supra indicatas; sin autem alterum modum eligendo coram ipso iudice, qui sententiam tulit, suam petitionem ponit, servandae sunt regulae pro causis incidentibus datae et supra tit. XI explicatae[71].

4. Si oppositor causam vicit, sententia antea lata mutanda est a iudice secundum oppositoris instantiam[72].

---

[64] c. 1892. [65] c. 1894. [66] c. 1893. [67] c. 1895. [68] c. 1896. [69] c. 1897. [70] c. 1899. [71] c. 1900. [72] c. 1901.

TITULUS XV.

De re iudicata et de restitutione in integrum.

Q. 526. *Quandonam habeatur sic dicta res iudicata?*

R. Res iudicata (rechtskräftiges Urteil) habetur[73]:

1. duplici sententia conformi. In processibus tamen de nullitate matrimonii et in paucis aliis casibus post duplicem sententiam conformem adhuc praesto est remedium appellationis;

2. sententia intra utile tempus non appellata, aut quae, licet appellata coram iudice *a quo*, deserta fuit coram iudice *ad quem*;

3. sententia definitiva unica, a qua non datur appellatio in casibus supra q. 522 indicatis. Numquam transeunt in rem iudicatam causae de statu personarum, e. gr. de statu matrimoniali vel clericali, de validitate professionis religiosae etc.; sed ex duplici sententia conformi in his causis nihilominus consequitur, ut ulterior propositio non debeat admitti nisi novis prolatis iisdemque gravibus argumentis vel documentis[74].

Effectus. Res iudicata praesumptione iuris et de iure habetur vera et iusta nec directe impugnari potest. Potest autem indirecte impugnari, e. gr. probando probationis documenta esse falsa, ut supra tit. X, c. 6 de praesumptionibus, dictum est. Res iudicata facit ius inter partes (saltem in foro externo) et dat exceptionem ad impediendam novam eiusdem causae introductionem[75].

Q. 527. *Quandonam liceat petere restitutionem in integrum?*

R. 1. Remedium *extraordinarium* restitutionis in integrum, de quo iam supra tit. V, c. 4 sermo fuit, obtineri potest, dummodo evidenter constet de iniustitia rei iudicatae. De hac iniustitia non constat evidenter nisi in quattuor casibus: 1) si sententia nititur documentis falsis; 2) si post sententiam latam detecta fuerint documenta, quae facta nova et contrariam decisionem exigentia peremptorie probant; 3) si sententia ex dolo partis prolata fuit in damnum alterius; 4) si aliquod grave legis praeceptum e. gr. audiendi testes dignos evidenter neglectum fuit[76].

2. Ad restitutionem in integrum concedendam competens est iudex, qui sententiam tulit; nisi tamen ea petatur in quarto casu modo indicato. Tunc enim eam concedit tribunal appellationis[77].

3. Petitio restitutionis in integrum suspendit sententiae exsecutionem nondum inceptam. Si tamen suspicio est fundata, quod petitio facta sit ad moras exsecutioni nectendas, iudex decernere potest, ut sententia nihilominus exsecutioni demandetur, assignata autem idonea cautione, ut, si restitutio ista postea concedatur, ille, qui eam petivit, indemnis fiat[78].

---

[73] c. 1902. [74] c. 1903. [75] c. 1904. [76] c. 1905. [77] c. 1906. [78] c. 1907.

TITULUS XVI.

De expensis iudicialibus et gratuito patrocinio.

Dividitur iste titulus in duo capita: de expensis iudicialibus; 2. de gratuito patrocinio totali vel partiali.

CAPUT I.

De expensis iudicialibus.

Q. 528. *Quaenam sit disciplina vigens circa expensas iudiciales?*

R. 1. In causis contentiosis (non autem in criminalibus)[79] possunt partes adigi ad aliquid solvendum titulo expensarum iudicialium, nisi ab hoc onere eximantur iuxta infra cap. seq. dicenda.

2. In Concilio provinciali vel in conventu episcoporum statuenda est taxarum iudicialium notula ac regula, in qua praefiniatur, quid partes debeant pro expensis iudicialibus; quae sit retributio pro advocatorum et procuratorum opera a partibus solvenda; quae mercedis mensura pro versionibus et transcriptionibus; pro his examinandis et fide facienda de earum fidelitate; itemque pro exscribendis ex archivo documentis. Potest autem iudex pro suo prudenti arbitrio exigere, ut pecunia pro iudicialibus expensis, pro indemnitate testium, pro honorariis peritorum debita a parte, quae petit, vel, si iudex ex officio agit, ab actore, antea deponatur penes tribunalis cancellariam, aut saltem congrua cautio praestetur pecuniam deinde solutum iri[80].

3. *Victus victori omnes iudiciales expensas regulariter reficere tenetur.* Si tamen actor vel reus partialiter tantum succubuit, aut si lis agitata fuit inter consanguineos vel affines, aut de quaestione valde ardua actum fuit, aut quacumque alia iusta et gravi de causa, poterit iudex pro suo prudenti arbitrio ex toto vel ex parte expensas compensare inter litigantes; idque debet exprimere in ipso sententiae tenore[81]. Si actor vel reus *temere* litigavit (i. e. sine iusta causa), non solum ad refectionem expensarum, sed etiam ad damnorum refectionem damnari debet[82]. Si plures sunt in causa, qui condemnationem ad expensas merentur, iudex eos damnet in solidum, si agitur de obligatione solidali; aliter pro rata[83].

4. A pronuntiatione circa expensas non datur distincta appellatio; sed pars, quae se gravatam putat, oppositionem intra 10 dies facere potest *coram eodem iudice,* qui de hac re cognoscere denuo poterit et taxationem emendare ac moderari. Appellatio autem a sententia circa causam principalem secum fert appellationem a pronuntiatione circa expensas[84].

[79] c. 1908. Recte dicit *I. Noval* l. c. n. 687: In causis criminalibus reum adigere ad solvendas expensas iudiciales „dedecet et nefas est"; cf. quoque *E. Eichmann* l. c. § 69.
[80] c. 1909 et 1507. [81] c. 1911. [82] c. 1910, § 2. [83] c. 1912.
[84] c. 1913.

CAPUT II

De gratuito patrocinio aut expensarum iudicialium deminutione.

Q. 529. *Quando et quomodo expensarum remissio aut deminutio obtineri queat?*

R. 1. Inde ab initio suo Ecclesia semper pauperes defendit ideoque iis, qui in totum impares sunt expensis iudicialibus sustinendis, ius concedit ad gratuitum patrocinium; iis autem qui ex parte tantum impares sunt, ad expensarum deminutionem[85]. Qui exemptionem ab expensis vel earum deminutionem assequi vult, eam a iudice postulare debet, dato supplici libello allatisque documentis, quibus, quae condicio sit postulantis quaeve eius rei familiaris copia, demonstret; praeterea probare debet, se non futilem neque temerariam causam agere. Iudex postulationem serio examinet requisitis notitiis de postulantis statu rei familiaris auditoque promotore iustitiae; immo potest concessam remissionem aut deminutionem revocare, si in decursu processus assertam paupertatem non adesse compertum habuit[86].

2. Ad gratuitum pauperum patrocinium iudex in singulis causis obliget aliquem ex advocatis in suo foro approbatum, qui ab hoc munere explendo nisi ex causa iudici probata sese subducere nequit; secus a iudice congrua poena, etiam suspensionis ab officio, plecti potest. Deficientibus autem advocatis, iudex Ordinarium loci roget, ut aliam idoneam personam, si opus est, designet ad pauperis patrocinium suscipiendum[87].

TITULUS XVII.

De exsecutione sententiae.

Q. 530. *Quando et quomodo sententia iudicialis sit exsecutioni mandanda?*

R. 1. Sententia iudicialis nequit exsecutioni mandari, nisi aut a) transiit in rem iudicatam, aut b) provisorio decreto iudicis ita statutum est. Iudex potest sententiae, quae nondum transiit in rem iudicatam, provisoriam exsecutionem iubere: 1) si agitur de provisionibus seu praestationibus ordinatis ad necessariam sustentationem, e. gr. religiosi expulsi; 2) si alia gravis necessitas urget. In istis tamen duobus casibus debet per cautiones, fideiussiones aut pignora satis consuli indemnitati alterius partis, casu quo exsecutio revocanda sit[88]. Non antea exsecutioni locus esse poterit, quam exsecutorium iudicis decretum habeatur; quo sc. edicitur, sententiam ipsam exsecutioni mandari debere. Hoc autem decretum pro diversa causarum natura vel in ipso sententiae tenore includatur vel separatim edatur[89].

[85] c. 1914. [86] c. 1915. [87] c. 1916. [88] c. 1917. [89] c. 1918.

2. Si sententiae exsecutio exigit praeviam aliquam redditionem rationum (Rechnungsablage), habetur causa incidens, quae decidenda est (servatis de iure servandis) ab illo ipso iudice, qui tulit sententiam exsecutioni mandandam[90].

3. Non iudex ipse, sed Ordinarius loci, in quo sententia primi gradus lata est, debet exsequi sententiam[91]. Quodsi Ordinarius loci id renuit vel negligit, parte cuius interest instante aut etiam ex officio, exsecutio spectat ad iudicem appellationis, e. gr. ad Metropolitam. Inter religiosos autem exsecutio sententiae spectat ad eum superiorem, qui definitivam sententiam tulit aut iudicem delegavit[92]. Quinam sit superior competens ad iudicandos religiosos eiusdem vel diversi ordinis, dictum est supra q. 460.

4. Exsecutor, nisi quid eius arbitrio in ipso sententiae tenore fuerit permissum, debet ipsam sententiam secundum obvium sensum verborum exsequi. Quare potest quidem videre de exceptionibus circa modum et vim exsecutionis, non autem de merito causae. Non enim est iudex, sed exsecutor. Nihilominus si plane compertum habet, sententiam esse manifeste iniustam, abstineat ab exsecutione et partem ad eum, qui exsecutionem iussit, remittat[93]. Exsequi enim libere sententiam certe iniustam est peccatum.

5. Si in sententia iudiciali adiudicata fuit actori *res* aliqua (e. gr. beneficium), haec ei tradenda est, simulac sententia transiit in rem iudicatam; sin autem reus damnatus fuit ad praestandas res mobiles vel ad solvendam pecuniam vel ad aliud faciendum, 4 menses conceduntur pro implenda obligatione; quem quidem terminum iudex potest prorogare vel reducere, ita tamen ut neque infra 2 menses coarctetur neque 6 menses excedat[94]. In primo casu habetur actio realis, in secundo vero actio personalis.

6. In exsecutione peragenda exsecutor caveat, ut quam minimum noceatur damnato. Quapropter incipiat exsecutionem a distrahendis rebus, quae minus damnato necessariae sunt; relinquat autem ea, quae eius victui vel industriae deserviunt; praesertim debet clerico damnato ea relinquere, quae necessaria sunt ad eius honestam sustentationem. Clericus enim habet sic dictum privilegium competentiae. — Ad exsecutionem privationis beneficii iudex ne procedat contra clericum, qui S. Sedem adiit; sed si agitur de beneficio curato, Ordinarius provideat per designationem vicarii substituti[95].

7. Si reus reluctat exsecutioni sententiae, tunc exsecutor prius utatur monitis et praeceptis; ad poenas autem spirituales et ad censuras ne deveniat nisi ex necessitate et gradatim[96]. Auxilium brachii saecularis hodie iam non est in usu.

[90] c. 1919.
[91] Hoc valet quoque si sententia definitiva lata est in gradu appellationis.
[92] c. 1920. [93] c. 1921. [94] c. 1922. [95] c. 1923.
[96] c. 1924.

SECTIO II.

De peculiaribus normis in certis quibusdam iudiciis servandis.

Praenotamen. Postquam in prima sectione huius partis in longum et latum dictum est de iudiciis in genere atque de omnibus requisitis, quae in ordinario processu iudiciali observanda sunt, Codex iur. can. in hac secunda sectione statuit de nonnullis particularibus iudiciis; praemittit autem unum titulum de modis evitandi iudicium contentiosum, cum valde optandum sit, ut lites inter fideles pro viribus evitentur. —Veteres canonistae solebant habere longum et specialem tractatum *de iudicio criminali;* econtra hanc materiam tractat Codex iur. can. uno solo titulo, quia regulae datae de iudiciis in genere observandae quoque sunt generaliter in iudicio criminali. Causae matrimoniales sunt valde frequentes ac proinde est specialis titulus de iis; causae contra s. ordinationem, quamvis non sint tam frequentes, tamen propter maximum earum momentum merentur, quae speciali titulo tractentur.

TITULUS XVIII.

De modis evitandi iudicium contentiosum.

Modi vitandi iudicium contentiosum sunt duo: 1. transactio; 2. compromissum in arbitros. De utroque separatim agendum est.

CAPUT I.

De transactione.

Q. 531. *Quid sit et quomodo transactio facienda sit?*

R. 1. Transactio (Vergleich) in genere est quaedam amicabilis compositio, qua aliquod negotium inter certas personas persolvitur vel ob litem vitandam finiendamve vel ob aliam causam. Transactio autem in stricto sensu est pactum onerosum de re dubia et lite nondum finita, quo aliquid datur vel promittitur, ut litigantium alter litem deserat. Quare ad transactionem stricte dictam duo omnino sunt necessaria, sc. a) ut detur aut promittatur aliquid; b) utque de re dubia fiat. De re certa transactio nequit fieri. Transactio est igitur contractus onerosus, ideoque *cum ex parte materiae tum ex parte paciscentium ea omnia requiruntur, quae necessaria sunt pro contractibus onerosis.* Notanter haec praescribuntur:

a) In rebus contentiosis (ubi transactio est possibilis) iudex potest transactionem permittere quocumque tempore ante sententiam definitivam. Convenit dignitati iudicantis, ne ipse per se (regulariter saltem) negotium transactionis suscipiat, sed ut illud alicui sacerdoti, praesertim ex iudicibus synodalibus, committat[1].

b) Ut transactiones tamquam contractus etiam in foro civili effectum sortiantur, serventur normae statutae a legibus civilibus loci, in quo

[1] c. 1925.

transactio initur, nisi tamen istae leges iuri divino aut ecclesiastico adversentur [2].

c) Transactio valide fieri nequit α) in causa criminali, exceptis forte aliquibus causis iniuriarum et diffamationis *inter laicos;* β) in matrimonio dissolvendo; γ) in materia beneficiaria, quando de ipso *titulo* beneficii disputatur, nisi tamen accedat legitima auctoritas ecclesiastica (de reditibus beneficiariis per se non prohibentur transactiones); δ) in commutatione rei spiritualis cum re temporaria, cum id sit simonia. — Cum transactio sit revera contractus onerosus et species aliqua alienationis, requiruntur omnes sollemnitates a iure pro alienatione rerum ecclesiasticarum praescriptae, quoties agitur de transactione circa res ecclesiasticas [3]. Hinc e. gr. si inter duas paroecias fit transactio de agro controverso, requiritur praevia licentia S. Sedis, si valor excedit valorem 30 000 libellarum.

2. Effectus transactionis ad exitum feliciter perductae dicitur *compositio* seu *concordia.* Expensarum, quas transactio postulavit, utraque pars dimidium solvat, nisi aliud expresse cautum est [4].

CAPUT II.

De compromisso in arbitros.

Q. 532. *Quaenam requirantur ad compromissum in arbitros?*

R. 1. Ad evitandas iudiciales contentiones, partes possunt quoque inire conventionem, qua controversia solvenda committatur iudicio unius vel plurium, qui vel ad normam iuris quaestionem dirimant vel de bono et aequo negotium pertractent et transigant. Si controversia solvenda est ab arbitris ad normam iuris, tunc summarie observandae sunt regulae pro iudiciis ecclesiasticis supra indicatae; sententia ab arbitris lata vocatur *laudum* (Schiedsspruch). Sin autem controversia solvenda est de bono et aequo, iudices non vocantur arbitri, sed arbitratores, et sententia lata dicitur *arbitramentum* [5].

2. Cum ii, qui compromissum in arbitros vel in arbitratores ineunt, se obligent stare decisionibus ferendis ac proinde revera contractum onerosum ineant, requiruntur ea omnia, quae supra quaest. praec. dicta sunt de transactionibus, e. gr. materia apta, personae habiles etc. [6]

3. Prohibentur ab arbitri (non autem ab arbitratoris) munere valide gerendo laici in causis ecclesiasticis, excommunicati et infames post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam; religiosi vero munus arbitri ne suscipiant sine venia superioris [7]. Iuxta vetus ius religiosi sicut non potuerunt esse iudices, ita nec etiam arbitri; iuxta vigentem autem disciplinam non solum arbitratores, sed etiam arbitri esse possunt in omnibus negotiis ecclesiasticis, supposita tamen licentia proprii superioris.

[2] c. 1926. [3] c. 1927. [4] c. 1928. [5] c. 1929. [6] c. 1930.
[7] c. 1931.

4. Cum ante sententiam arbitrorum vel arbitratorum partes se expresse obligent, velle sese submittere laudo vel arbitramento, post sententiam latam iam amplius non est locus appellationi proprie dictae. Proinde si partes nolunt se antea submittere laudo vel arbitramento, opus est instituere iudicium ecclesiasticum proprie dictum.

TITULUS XIX.

De iudicio criminali.

Praenotamen. Valde breviter Codex iur. can. tractat de processu criminali, qui ceteroquin hodie satis rarus est, cum alia media saepe praesto sint ad corrigendos clericos delinquentes, e. gr. poenitentiae, remedia poenalia, correptiones etc. Si enim clericus vel religiosus revera gravia crimina commisit neque aliis mediis corrigi (e. gr. correptione) potest, solet declinare tribunal ecclesiasticum et in saeculo vivere, quin curet de sententia aut praecepto sui superioris. Adhuc rarius locum habet processus criminalis ecclesiasticus contra laicum. In delictis mixti fori, sc. quae partim ad laicale partim ad ecclesiasticum forum pertinent, Ordinarius regulariter ne procedat, cum reus laicus est, et civilis magistratus, in reum animadvertens, publico bono satis consulit [8]. — Delicta, quae cadunt sub criminali iudicio, sunt delicta *publica* [9], quae sc. sunt iam divulgata aut in talibus adiunctis contigerunt seu versantur, ut facile divulgatum iri prudenter iudicari debeant. Nonnulla autem delicta, quamvis publica, non puniuntur in proprio criminali iudicio, sed aliis modis, ut postea dicetur, e. gr. si clericus publice delinquit contra obligationem residentiae vel negligenter tractat officia status sui. — Antequam processus criminalis institui potest, requiritur 1. accusatio vel denuntiatio; 2. inquisitio; 3. correptio iudicialis. Proinde de his tribus prius tractandum est.

CAPUT I.

De accusatoria actione et denuntiatione.

Q. 533. *Quaenam iure statuta sint de accusatione vel denuntiatione criminis?*

R. 1. *Accusatio,* quae est legitima delatio rei criminis ad iudicem competentem vindictae publicae causa, uni promotori iustitiae reservatur, ceteris omnibus exclusis [10]. Quare ea, quae veteres canonistae disputaverunt de diversis legitimis accusatoribus, nunc antiquata et abolita sunt. Promotor iustitiae accusationem facere debet per libellum accusatorium, qui simili modo conficiendus est, ac supra tit. VI de libello litis dictum est [11]. Antequam libellus accusationis tradendus est, prius necessariae sunt denuntiationes, inquisitiones etc.

2. *Denuntiatio* iudicialis alieni delicti fieri potest *a quolibet fideli* ad satisfactionem petendam vel damnum sibi resarciendum vel etiam studio iustitiae ad alicuius scandali vel mali reparationem. Immo non solum potest, sed debet fieri denuntiatio delicti, quotiescumque ad eam

[8] c. 1933, § 3. [9] Ib. § 1. Quid sit delictum publicum dicetur infra q. 557.
[10] c. 1934. [11] c. 1955.

quis adigitur sive lege positiva (e. gr. lege denuntiandi confessarium sollicitantem), sive lege naturali, sc. ob fidei vel religionis periculum vel ob aliud imminens publicum malum[12]. In theologia morali tractatur quaestio, quandonam correptio fraterna sit praemittenda denuntiationi.

3. Denuntiatio *scriptis* a denuntiante subsignatis vel oretenus fieri debet loci Ordinario vel cancellario Curiae vel vicario foraneo vel parocho, a quibus tamen, si viva voce facta fuit, scriptis est consignanda et statim ad Ordinarium deferenda[13]. Qui autem delictum denuntiat, debet promotori iustitiae adiumenta suppeditare ad eiusdem delicti probationem[14]. Ita saltem, si processus criminalis est instituendus.

4. Denuntiatio praevia aut querela *partis laesae* regulariter requiritur in causa iniuriarum aut diffamationis, ut actio criminalis instituatur. Sed si agitur de iniuria aut gravi diffamatione clerici vel religiosi aut a clerico vel religioso commissa, actio criminalis institui potest etiam ex officio[15], cum id honor status clericalis aut religiosi exigere videatur.

CAPUT II.

De inquisitione.

Q. 534. *Quid sit inquisitio iudicialis et quomodo sit perficienda?*

R. 1. Inquisitio iudicialis (gerichtliche Untersuchung) est indagatio legitima ad detegendum crimen eiusque auctorem. Distinguitur inquisitio generalis et specialis, prout fit generatim de aliquibus criminibus alicubi vigentibus, vel specialiter de certo delicto a certa persona commisso. Hic sermo est de sola inquisitione *speciali*, quae locum habet, si aliquod delictum nec notorium nec omnino certum est, sed aliqualiter innotuit, sive ex rumore et publica fama, sive ex denuntiatione, sive ex querela damni, sive ex inquisitione generali ab Ordinario facta, sive alia quavis ratione. Antequam quis citatur ad respondendum de delicto, haec inquisitio specialis necessaria est, sive agatur de *irroganda* poena vindicativa vel censura, sive de ferenda sententia *declaratoria* poenae vel censurae, in quam quis incidit[16].

2. Haec inquisitio, quamvis ab ipso loci Ordinario peragi possit, ex generali tamen regula committenda est alicui ex iudicibus synodalibus, vel ex particulari ratione alii personae[17]. Quae quidem commissio ne fiat generaliter, sed pro casu particulari. Proinde iam non exsistunt inquisitores habituales secundum ius commune. Inquisitor, quamvis teneatur iisdem obligationibus, quibus iudices ordinarii, ac praesertim praestare iusiurandum de secreto servando, tamen nequit in eadem causa iudicem agere[18].

3. Prudenti Ordinarii iudicio committitur statuere, quandonam argumenta allata sufficiant ad inquisitionem iudicialem faciendam.

[12] c. 1935. [13] c. 1936. [14] c. 1937. [15] c. 1938. [16] c. 1939.
[17] c. 1940. [18] c. 1941.

Nihili faciendae sunt denuntiationes, quae proveniunt ab inimico manifesto aut ab homine vili et indigno, vel quae sunt anonymae, saltem si iis adiunctis et elementis carent, quae accusationem forte probabilem reddunt[19]. Antiquis temporibus sub poena nullitatis ad inquisitionem iudicialem requirebatur *diffamatio* eius, qui inquisitioni subiciebatur; nunc autem nihil aliud requiritur nisi ea, quae modo dicta sunt.

4. Inquisitio secreta semper esse debet et cautissime ducenda, ne rumor delicti diffundatur, neve bonum cuiusquam nomen in discrimen vocetur[20]. Potest tamen inquisitor ad veritatem indagandam aliquos, quos de re edoctos censet, ad se accire et interrogare sub iureiurando veritatis dicendae et secreti servandi[21]. Pariter potest, antequam inquisitionem claudat, promotoris iustitiae consilium exquirere et cum eo acta communicare, quoties in aliquam difficultatem inciderit[22].

5. Expleta inquisitione, inquisitor referat omnia ad Ordinarium atque addat proprium suffragium. Quibus receptis Ordinarius (vel officialis *specialiter* delegatus) decreto suo iubeat, ut:

a) si apparet denuntiationem solido fundamento esse destitutam, id declaretur in actis, et acta ipsa in secreto Curiae archivo reponantur;

b) sin autem indicia criminis habentur, sed nondum sufficientia ad accusatoriam actionem instituendam, acta in eodem archivo serventur et interim invigiletur moribus imputati, qui pro prudenti Ordinarii iudicio erit opportune super re audiendus et, si casus ferat, monendus. Quae quidem auditio et monitio fiant ab ipso Ordinario aut ab ipsius delegato;

c) si denique argumenta certa vel saltem probabilia et sufficientia ad accusationem instituendam praesto sunt, citetur reus ad comparendum et procedatur ad ulteriora, sc. ad correptionem iudicialem vel etiam ad integrum processum iudicialem[23].

CAPUT III.

De correptione delinquentis.

Q. 535. *Quid sit correptio iudicialis et quandonam locum habere queat?*

R. 1. Correptio triplex solet distingui: fraterna, paterna, iudicialis. De correptione paterna et fraterna vide Moralistas[24]. *Correptio iudicialis est emendatio rei confessi ab Ordinario facta per monita salutaria aliaque opportuna remedia.* Talia remedia sunt poenitentiae aliaque pia opera, quae valent ad publicam reparationem laesae iustitiae aut scandali; sunt autem ista remedia mitiora et leviora quam ea, quae in criminali iudicio per sententiam condemnatoriam reo infligi possent

[19] c. 1942. [20] c. 1943. [21] c. 1944. [22] c. 1945. [23] c. 1946.
[24] Cf. nostrum Man. theol. mor. I 599 sqq.

et deberent[25]. Cum haec correptio sit publica, debet fieri iuxta modum in c. 2309, § 2 indicatum; cf. infra q. 582.

2. Ut correptio iudicialis locum habere possit, requiruntur complures condiciones, sc.:

a) Reus interrogatus debet candide fateri delictum commissum idque ante conclusionem in causa[26]. Potest igitur correptio iudicialis adhiberi etiam incepto iam iudicio criminali, quod tunc suspenditur, nisi tamen prosequendum sit eo quod correptio in irritum cesserit, e. gr. quia reus opera pia sibi praescripta non acceptat aut acceptata non exsequitur[27].

b) In nonnullis delictis gravioribus excluditur correptio, sc. in delictis, quae poenam secum ferunt excommunicationis specialissimo vel speciali modo S. Sedi reservatae aut privationis beneficii, infamiae, depositionis aut degradationis; insuper quando agitur de ferenda sententia declaratoria poenae vindicativae vel censurae, in quam quis incidit[28].

c) Ut revera sufficiat ad reparationem scandali vel iustitiae laesae.

d) Ut iam non sit bis adhibita contra eundem reum. Quare si post alteram correptionem reus idem delictum commiserit, criminale iudicium instrui aut inceptum continuari debet[29].

3. Correptio adhiberi etiam potest, cum interposita fuit querela damni ex delicto, e. gr. in parochum, qui ex gravi calumnia causavit alteri notabile damnum materiale. Quo in casu Ordinarius potest de bono et aequo (partibus consentientibus) cognoscere et dirimere quaestionem de damno reparando. Sed si haec quaestio difficulter de bono et aequo definiri potest, licitum est eam quidem ordine iudiciario solvere, sed nihilominus per correptionem consulere reparationi scandali et emendationi delinquentis[30].

CAPUT IV.

De instructione processus criminalis et de rei constitutione.

Q. 536. *Quid breviter notandum sit de processu criminali?*

R. 1. Si correptio iudicialis vel a) insufficiens est ad scandali et iustitiae reparationem, vel b) adhiberi nequit, quia reus delictum denegat, vel c) inutiliter adhibita fuit, episcopus aut officialis specialiter delegatus praecipiat[31], ut acta inquisitionis tradantur promotori iustitiae[32].

2. Promotor iustitiae statim conficiat accusationis libellum eumque exhibeat iudici, sicuti supra dictum est de libello litis introductorio[33].

[25] c. 1952. [26] c. 1947 et 1950. [27] c. 1953. [28] c. 1948.
[29] c. 1949. [30] c. 1951.
[31] Si agitur de regularibus exemptis, superior maior praecipiat, ut acta inquisitionis tradantur proprio promotori iustitiae.
[32] c. 1954. [33] c. 1955.

3. In delictis gravioribus, si Ordinarius censet, accusatum non posse amplius fungi spirituali officio aut etiam publice ad s. communionem accedere sine fidelium offensione, potest eum, audito promotore iustitiae, ab exercitio sui officii vel a s. communione prohibere; immo potest, — et ordinarie id expedit — eum ad tempus mittere in locum determinatum, e. gr. in aliquam domum religiosam, ne amplius scandalum praebeat neve cursum iustitiae impediat[34]. Contra talia Ordinarii decreta non datur iuris remedium[35], i. e. reus debet omnino oboedire.

4. In processu criminali eadem procedura adhibeatur, quae supra de processu contentioso descripta fuit e. gr. quoad testes, quoad probationes, appellationes etc. In inflictione autem poenarum serventur regulae, quae in libro quinto Codicis statutae sunt[36].

5. In processu criminali reo semper dandus est advocatus aut ab ipso electus aut a iudice constitutus[37]. Reus non tenetur iudici interroganti fateri suum delictum, neque praestare iusiurandum de veritate dicenda[38]. Nequit reus condemnari, nisi eius delictum est moraliter certo probatum; in dubio autem reus est absolvendus.

TITULUS XX.

De causis matrimonialibus.

Praenotamen. Cum causae matrimoniales sint satis frequentes, Codex iur. can. fusius tractat de hac materia, clare determinans 1. de foro competenti; 2. de tribunali constituendo; 3. de iure accusandi matrimonium et postulandi dispensationem super matrimonio rato; 4. de probationibus; 5. de publicatione processus, conclusione in causa et sententia; 6. de appellationibus; 7. de casibus exceptis a regulis hucusque traditis.

CAPUT I.

De foro competenti.

Q. 537. *Quodnam forum sit competens in genere et in specie in causis matrimonialibus?*

R. 1. Causae matrimoniales inter baptizatos iure proprio et exclusivo ad iudicem ecclesiasticum pertinent. Ita iam definivit Concilium trid. sess. 24, c. 12. Solummodo si principaliter agitur de effectibus matrimonii mere civilibus, e. gr. de communitate vel separatione bonorum, istae causae pertinent ad magistratum civilem. Quodsi de istis effectibus civilibus non principaliter, sed incidenter et accessorie tractatur, possunt etiam a iudice ecclesiastico ex propria potestate cognosci ac definiri[39].

[34] c. 1956 sq. [35] c. 1958. [36] c. 1959. [37] c. 1655, § 1.
[38] c. 1743 sq.
[39] c. 1960 et 1961. Cf. nostrum Man. theol. mor. III 646, ubi latius de tota hac materia egimus.

2. Omnes causae matrimoniales spectantes ad eos, qui supremum tenent populorum principatum, horumque filios ac filias eosve, quibus ius est proxime succedendi in principatum, non pertinent ad episcopos, sed ad illam S. Congregationem vel illud Tribunal vel illam specialem Commissionem, cui eas toties quoties Summus Pontifex delegaverit [40]. Ratio est, a) quia magnopere interest boni communis, ut causae talium personarum speciali diligentia tractentur, b) quia forte deest sufficiens libertas iudici degenti in territorio principis. — Causae dispensationis super matrimonio rato et non consummato spectant ad S. Congregationem de disciplina Sacramentorum. Quare nullus iudex inferior, e. gr. episcopus, potest processum in causis dispensationis super matrimonio rato instruere, nisi S. Sedes facultatem eidem fecerit. Si tamen iudex competens auctoritate propria iudicium peregerit de matrimonio nullo ex capite *impotentiae*, et ex hoc iudicio non quidem impotentiae sed nondum consummati matrimonii emerserit probatio, omnia acta ad S. Congregationem de Sacr. transmittantur, quae iis uti poterit ad sententiam super rato et non consummato matrimonio ferendam [41]. Infra c. III dicetur, neminem nisi solos coniuges posse petere dispensationem super matrimonio rato et non consummato. — Causae, quae referuntur ad privilegium Paulinum, vel ad disparitatem cultus non omnino certam pertinent ad forum S. Officii [42].

3. In aliis causis matrimonialibus iudex competens est aut a) iudex loci, in quo matrimonium celebratum est, aut b) in quo pars conventa habet domicilium vel quasi-domicilium. Libere igitur eligi potest alteruter ex istis iudicibus. Si agitur de causa matrimonii mixti, iudex competens est aut iudex loci, ubi matrimonium celebratum est, aut illius loci, ubi pars catholica habet domicilium vel quasi-domicilium [43].

4. **Nota.** Si matrimonium accusatur ob aliquod impedimentum dirimens solubile, iudex, antequam processum incipiat, prius monitionibus opportunis curet, ut matrimonium invalidum legitime convalidetur; e. gr. si defuit consensus matrimonialis, ut talis consensus nunc praestetur; si adfuit aliud impedimentum dispensabile, ut dispensatio obtineatur [44]. Solummodo si istae monitiones fuerint inefficaces, ad processum matrimonialem procedendum est. Ratio est, quia semper fere praestat, ut matrimonium invalidum convalidetur, quam ut dissolvatur.

[40] c. 1962. [41] c. 1963.

[42] Si agitur de omnino certo impedimento disparitatis cultus, non requiritur processus iudicialis, ut dicetur infra q. 544.

[43] c. 1964. Pontif. Com. tamen d. 14 Iul. 1922 statuit, ut actrix catholica a viro acatholico non legitime separata possit hunc virum convenire aut coram Ordinario domicilii viri aut coram Ordinario sui proprii quasi-domicilii (Acta Ap. Sed. XIV 530).

[44] c. 1965.

CAPUT II.

De tribunali constituendo.

Q. 538. *Quinam officiales intervenire debeant in iudicio matrimoniali?*

R. Ordinarie requiruntur saltem quinque officiales, sc. tres iudices, defensor vinculi, actuarius.

1. Requiritur igitur tribunal collegiale trium iudicum, quoties agitur de vinculo matrimonii; unicus autem iudex instructor (Untersuchungsrichter) est in inquisitione pro dispensatione super matrimonio rato et non consummato [45].

2. Semper requiritur, idque de validitate iudicii, *defensor vinculi matrimonialis,* quoties agitur vel de nullitate matrimonii vel etiam de probandis inconsummatione et causis ad dispensandum super matrimonio rato [46]. Defensor vinculi debet iusiurandum praestare de officio suo fideliter adimplendo [47].

Officium et ius defensoris vinculi est:

a) Examini partium, testium, peritorum adesse; exhibere iudici interrogatoria clausa et obsignata in actu examinis a iudice aperienda et partibus aut testibus proponenda; novas interrogationes ab examine emergentes iudici suggerere [48]. Iuxta hanc novam disciplinam, quae tribuit defensori vinculi ius determinandi interrogationes faciendas, easque scripto clauso tradendi iudici, defensor vinculi fere supra ipsum iudicem in hac re ponitur. Ad eius officium insuper pertinet, articulos a partibus propositos perpendere iisque, quatenus opus est, contradicere; documenta a partibus exhibita recognoscere; animadversiones contra matrimonii nullitatem ac probationes pro validitate aut pro consummatione matrimonii scribere et allegare, eaque omnia deducere, quae ad matrimonium tuendum utilia sunt [49].

b) Semper et quolibet causae momento acta processus (etsi nondum publicati) invisere; novos terminos ad scripta perficienda flagitare prudenti iudicis arbitrio prorogandos; de omnibus probationibus vel allegationibus ita certiorem fieri, ut contradicendi facultate uti possit; petere, ut alii testes inducantur vel iidem iterum examini subiciantur, idque processu etiam absoluto vel publicato, novasque animadversiones edere; exigere, ut alia acta, quae ipse suggesserit, conficiantur, nisi tribunal unanimi suffragio dissentiat [50]. Ex dictis satis superque patet, quam magnam auctoritatem defensori vinculi tribuat ius ad protegendum vinculum matrimonii, ne matrimonii nullitas temere declaretur. Nihilominus defensor vinculi ne nimias difficultates creet et sic processum matrimonialem nimis prolonget; nam tunc timendum est, ne fideles taedio affecti spernant tribunal ecclesiasticum atque solum divortium civile illicite petant.

3. Requiritur, ut processui intersit notarius, qui actuarii officio fungatur; adeo ut nulla habeantur acta, si actuarii manu non fuerint exarata vel saltem ab eo subscripta [51].

[45] c. 1966. [46] c. 1967.

[47] c. 1621. Cf. quae supra tit. II, c. 1, a. 3 de defensore vinculi dicta sunt.

[48] c. 1968, n. 1. [49] Ib. n. 2 3. [50] c. 1969. [51] c. 1585.

CAPUT III.

De iure accusandi matrimonium et postulandi dispensationem super matrimonio rato.

Q. 539. *Quinam accusare valeant matrimonium, et quinam valeant petere dispensationem super matrimonio rato?*

R. 1. Tribunal collegiale nullam causam matrimonialem cognoscere vel definire potest, nisi regularis accusatio vel legitima petitio praecesserit[52]. Ratio est, quia praesumptio stat pro legitimitate matrimonii, quod proinde constat, usquedum post legitimam accusationem sententia nullitatis prolata sit.

2. Matrimonium accusare possunt:

a) coniuges in omnibus causis separationis et nullitatis, nisi ipsi fuerint causa libera impedimenti. Paucorum autem impedimentorum causae liberae sunt coniuges, e. gr. impedimentorum defectus consensus, criminis, raptus;

b) promotor iustitiae in impedimentis natura sua publicis, e. gr. in consanguinitate, affinitate.

Reliqui omnes, etsi consanguinei, non habent quidem ius accusandi matrimonium, sed possunt denuntiare eius nullitatem Ordinario vel promotori iustitiae[53]. — Matrimonium, quod, utroque coniuge vivente, non fuerit accusatum, post mortem alterutrius vel utriusque coniugis ita praesumitur validum fuisse, ut contra hanc praesumptionem non admittatur probatio, nisi incidenter oriatur quaestio[54]. Ceterum non ita frequenter accusatur matrimonium de nullitate post mortem alterutrius coniugis.

3. Soli coniuges ius habent petendi dispensationem super matrimonio rato et non consummato[55]. Ergo si tales coniuges volunt in matrimonio rato permanere, nemo potest eos ab hoc proposito avertere.

CAPUT IV.

De probationibus.

Tractatur 1. de testibus; 2. de inspectione corporali. Quae supra de probationibus dicta sunt, hic praesupponuntur, et solummodo quaedam particularia tanguntur.

ARTICULUS I.

De testibus.

Q. 540. *Quid specialiter statutum sit de testibus in processu matrimoniali?*

R. 1. Quamvis consanguinei et affines in processu ordinario non sint testes capaces, tamen in processu matrimoniali habentur testes habiles in causis propinquorum[56]. Hinc e. gr. mater potest testificari de defectu consensus matrimonialis propriae filiae.

[52] c. 1970. [53] c. 1971. [54] c. 1972.
[55] c. 1973.

2. In causis impotentiae vel inconsummationis, nisi de impotentia vel inconsummatione aliunde certo constet, e. gr. per testimonium medicorum, debet uterque coniux *testes septimae manus*[57] inducere, i. e. septem homines bonae famae, qui iurant de ipsorum coniugum probitate et praesertim de veracitate circa rem in controversiam deductam; quibus iudex potest ex officio alios testes adiungere. Testimonium septimae manus est quidem argumentum credibilitatis, quod robur addit depositionibus coniugum, sed vim plenae probationis non obtinet, nisi aliis adminiculis aut argumentis fulciatur[58].

ARTICULUS II.

De inspectione corporali.

Q. 541. *Quid iure statutum sit in processu matrimoniali de inspectione corporali?*

R. 1. Inspectio corporalis in processu matrimoniali nil aliud est nisi testimonium peritorum, quando agitur a) de impotentia aut b) de inconsummatione matrimonii aut c) de amentia.

2. Periti eligendi sunt a iudice, sicuti supra tit. X, c. III explicatum fuit. Ad periti autem munus ne admittantur ii, qui coniuges non iussu iudicis, sed antea privatim inspexerunt circa factum, quo innititur petitio declarationis nullitatis vel inconsummationis; licet tamen hos tamquam testes ordinarios inducere[59].

3. Ad inspiciendum corporaliter coniuges duo periti medici ordinarie debent deputari; possunt tamen ad inspiciendam *mulierem* quoque designari duae obstetrices, quae legitimum peritiae testimonium habent, nisi Ordinarius inspectionem medicorum necessariam duxerit. Corporalis mulieris inspectio fieri debet, servatis plene christianae modestiae regulis et adstante semper honesta matrona ex officio designanda[60]. Mulieris inspectio *seorsim* fiat a singulis peritis, qui quoque singulas relationes conficiant intra terminum a iudice praefinitum tradendas[61]. Peracta autem relatione, periti (ac matrona, de qua supra) seorsim singuli a iudice interrogentur, secundum articulos a vinculi defensore antea concinnatos, quibus ipsi, *praestito iuramento,* respondeant[62].

4. Etiam in causis defectus consensus ob amentiam requiri debet suffragium peritorum, qui infirmum eiusve acta, quae amentiae suspicionem ingerunt, examinent secundum artis praecepta; insuper tamquam testes audiri debent periti, qui infirmum antea visitaverunt[63].

[56] c. 1974.
[57] Vocatur testimonium septimae manus, quia manus solet elevari in iureiurando. Antiquitus exsistebant quoque testimonia quartae, duodecimae, quartae decimae manus.
[58] c. 1975. [59] c. 1978. [60] c. 1979. [61] c. 1980.
[62] c. 1981. [63] c. 1982.

CAPUT V.

De publicatione processus, conclusione in causa, sententia.

Q. 542. *Quid disciplina vigens statuat in causis matrimonialibus de publicatione processus, conclusione in causa et sententia?*

R. 1. De publicatione processus nil speciale statutum est in causis matrimonialibus, ideoque observanda sunt ea, quae in aliis iudiciis hac de re statuta sunt.

2. De conclusione in causa haec valent:

Publicato processu fas adhuc est partibus novos testes, iusta exsistente causa, super diversis articulis inducere. Si vero testes iam excussi super iisdem articulis denuo audiendi sunt, semper manet defensori vinculi integrum ius proponendi opportunas exceptiones, atque exigendi, ut ipse audiatur *postremus*. Quare tribunal ad definitivam sententiam ne deveniat, nisi prius vinculi defensor interrogatus declaraverit, sibi nihil deducendum vel inquirendum superesse. Si vero, ante praefinitum a iudice diem, defensor nihil deduxerit, praesumitur, eum iam nihil deducendum habere[64].

3. Sententia potest a tribunali collegiali pronuntiari simili modo ac in aliis iudiciis; solummodo in causis, quae spectant ad dispensationem matrimonii rati et non consummati, iudex instructor neve ad publicationem processus neve ad sententiam super ipsa inconsummatione et causis ad dispensandum deveniat, sed omnia acta una cum voto scripto episcopi et defensoris vinculi ad S. Sedem transmittat[65]. Ratio huius statuti est, ne oriatur dissensio inter tribunal dioecesanum et Curiam Romanam.

CAPUT VI.

De appellationibus.

Q. 543. *Quid specialiter in causis matrimonialibus sit statutum de appellationibus?*

R. 1. Si in prima instantia validum esse matrimonium declaratum est, vel saltem „non constare de nullitate", partes possunt, sed non debent appellare; econtra si nullitas matrimonii declarata est, *defensor vinculi omnino debet intra legitimum tempus (decem dies) ad superius tribunal provocare*. Quodsi id negligat, compellatur auctoritate iudicis[66]. Quodnam sit tribunal appellationis, determinatur in qualibet dioecesi. Potest tamen etiam statim appellari ad tribunal S. Rotae[67].

2. Post secundam sententiam, quae matrimonii nullitatem confirmavit, is qui fuit defensor vinculi in tribunali appellationis *potest* appellare ad Curiam Romanam, si id pro sua conscientia necessarium crediderit. Secus sententia evadit definitiva, et putativi coniuges possunt, *decem diebus* a sententiae denuntiatione elapsis, novas nuptias contrahere[68].

[64] c. 1984. [65] c. 1985. [66] c. 1986. [67] c. 1599. [68] c. 1987.

3. Postquam nullitas matrimonii definitive decreta est, Ordinarius loci curare debet, ut de ea mentio fiat in baptismorum et matrimoniorum regestis, in quibus matrimonii celebratio consignata invenitur[69].

4. Cum sententiae in causis matrimonialibus numquam transeant in rem iudicatam, causae ipsae semper retractari poterunt, dummodo nova et gravia argumenta vel documenta praesto sint[70]. Proinde in isto casu nullitas matrimonii potest peti, quamvis iam bis vel ter declaratum fuerit, non constare de nullitate matrimonii; potest enim accidere, ut ista nova argumenta clare ostendant nullitatem matrimonii.

CAPUT VII.

De casibus exceptis a regulis hucusque traditis.

Q. 544. *Quinam sint casus excepti a regulis hucusque traditis?*

R. In septem impedimentis, sc. disparitatis cultus, ordinis, voti sollemnis castitatis, ligaminis, consanguinitatis, affinitatis, cognationis spiritualis, poterit Ordinarius, praetermissis sollemnitatibus iuridicis supra explicatis, declarare nullitatem matrimonii. Sed tamen requiritur: a) ut ex certo et authentico documento, quod nulli contradictioni vel exceptioni obnoxium est, constet de exsistentia istorum impedimentorum; b) ut citentur partes; c) ut interveniat defensor vinculi[71]. Si defensor prudenter existimaverit exsistentiam istorum impedimentorum non esse certam aut dispensationem super ea probabiliter intercessisse, provocare tenetur ad iudicem secundae instantiae, ad quem acta sunt transmittenda, quique scripto monendus est, agi de casu excepto[72]. Iste iudex secundae instantiae cum solo interventu sui defensoris vinculi decernet, eodem modo ac Ordinarius primae instantiae, utrum sententia sit confirmanda, an potius procedendum sit ad ordinarium tramitem iuris; in hoc ultimo casu causam remittat ad tribunal primae instantiae[73]. Ad S. Officium recurrendum est, si agitur de dubia exsistentia impedimenti disparitatis cultus.

Scholion. Quando agitur de nullitate matrimonii ob defectum consensus (ex errore et raptu) vel ob impotentiam, semper necessarius est processus iudicialis; quando autem obstat matrimonio unum ex septem impedimentis supra enumeratis, non est necessarius processus iudicialis. Sed quid faciendum est, si agitur de nullitate matrimonii ob impedimentum defectus aetatis, honestatis publicae, criminis, ob defectum assistentiae parochi necessariae? Mirum est, quod Codex iur. can. silet de illis. Ordinarius potest declarare matrimonium mixtum vel aliud quodcumque matrimonium, quod contractum est sine necessaria assistentia parochi, esse nullum, idque sine processu iudiciali et sine interventu defensoris vinculi[74]. Idem videtur valere, si agitur de impedimento criminis orto ex adulterio cum publica attentatione matrimonii civilis. Ceterum processus iudicialis forte necessarius in accusanda nullitate

[69] c. 1988. [70] c. 1989. [71] c. 1990. [72] c. 1991. [73] c. 1992.
[74] Pontif. Com. d. 16 Oct. 1919 (Acta Ap. Sed. XI 479).

matrimonii propter ista impedimenta, potest cito et facile absolvi. Licet desiderare, ut Curia Romana velit authentice declarare, quomodo sit procedendum in istis casibus.

TITULUS XXI.

De causis contra sacram ordinationem.

Q. 545. *Quomodo causae contra s. ordinationem sint tractandae?*

R. 1. Antequam istae causae tractentur iuridice, libellus (impugnans aut obligationes ex s. ordinatione contractas aut ipsam s. ordinationis validitatem) mitti debet ad S. Congregationem de Sacramentis vel, si validitas ordinationis impugnatur ob defectum substantialem sacri ritus, ad S. Officium. Quo libello accepto S. Congregatio definit, utrum causa iudiciario ordine an disciplinae tramite sit pertractanda. Si primum, S. Congregatio causam remittit ad tribunal dioecesis, quae clerico *propria* fuit tempore s. ordinationis, vel, si s. ordinatio impugnata fuit ob defectum substantialem sacri ritus, ad tribunal dioecesis, in qua ordinatio peracta fuit[75]. Haec videntur quoque valere pro clericis religiosis exemptis, nisi tamen S. Congregatio aliter determinaverit in casu particulari. Nihil expresse dicitur, quinam libellum mittere possit; sed cum validitatem s. ordinationis accusare valeat clericus peraeque ac Ordinarius eius vel in cuius dioecesi ordinatus est, clericus quoque vel Ordinarius libellum mittere possunt. Solus autem clericus, qui existimat, se (propter errorem vel metum) ex s. ordinatione obligationes ordini adnexas non contraxisse, potest declarationem nullitatis onerum petere[76] ac proinde libellum mittere Romam. — Si secundum, nempe si causa tractanda est modo disciplinari, ipsamet S. Congregatio quaestionem dirimit, praevio processu informativo, peracto a tribunali Curiae competentis[77].

2. Si causae contra s. ordinationem tractandae sunt modo iudiciario, tunc servanda sunt ea omnia, quae supra de processu iudiciario dicta sunt. Semper debet intervenire in tali processu defensor vinculi s. ordinationis, qui iisdem iuribus gaudet iisdemque tenetur officiis quibus defensor vinculi matrimonialis[78].

3. Quamvis actio instituta fuerit non super ipsamet s. ordinationis nullitate, sed super obligationibus tantum ex s. ordinatione fluentibus, e. gr. super coelibatu, nihilominus clericus est ad cautelam ab exercitio ordinum prohibendus[79]. Ista autem prohibitio minime habet rationem poenae.

4. Ut clericus liber sit ab obligationibus, quae a vinculo s. ordinationis promanant, requiruntur duae sententiae conformes[80], nisi tamen S. Congregatio ipsa statim rem definitive solverit. Quod ad appellationem attinet, in his causis serventur eadem statuta, quae supra pro appellationibus in causis matrimonialibus allata sunt.

[75] c. 1993, § 1. [76] c. 1994. [77] c. 1993, § 2. [78] c. 1996.
[79] c. 1997. [80] c. 1998, § 1.

PARS II.

De causis beatificationis servorum Dei et canonizationis beatorum.

Praenotamen. De causis beatificationis et canonizationis nonnisi breviter agimus, quia haec res extra Romam raro accidit; ex altera parte non possumus eas prorsus omittere, quia a) in Codice iur. can., cuius ordinem secuti sumus, satis late tractantur; b) in istis causis nonnulli processus sunt ab ipsis Ordinariis instruendi, ac proinde oportet, ut ipsi vel eorum adiutores cognoscant, quomodo sit procedendum. Opus classicum de istis causis edidit Benedictus XIV, antequam ad Summum Pontificatum fuit elevatus[1].

Q. 546. *Quid generaliter statutum sit de causis beatificationis et canonizationis?*

R. 1. Causae beatificationis et canonizationis inde a temporibus Alexandri III, expresse autem a tempore Urbani VIII[2], uni S. Sedi reservantur, quae eas S. Congregationi Rituum demandavit. Ordinarii locorum nonnulla praestare possunt vel propria vel delegata auctoritate[3].

2. Causae istae duplici via possunt procedere: a) via *ordinaria* seu non-cultus; b) via *extraordinaria* seu via cultus immemorabilis[4].

3. In istis causis nomine Ordinarii non intelligitur Vicarius generalis, nisi habuit speciale mandatum[5].

TITULUS XXII.

De nonnullis personis, quae in his processibus partem habent.

Q. 547. *Quaenam personae possint vel debeant partem habere in his processibus?*

R. 1. *Postulator,* i. e. sacerdos (sive saecularis sive religiosus) in Urbe fixam habens sedem, qui nomine proprio vel alieno postulat vel petit beatificationem vel canonizationem[6]. Ad eius officium pertinet: a) agere causam apud competentes iudices; b) necessarios sumptus facere; sed pecunia a fidelibus ad causae expensas collecta administrari debet secundum normas a S. Sede statutas; c) nomina testium et documenta tribunali exhibere; d) conficere et exhibere promotori fidei articulos, super quibus testes in processibus debeant interrogari[7].

2. *Cardinalis relator,* cuius officium est, causae sibi a Summo Pontifice demandatae peculiare studium impendere et in plenaria seu ordinaria congregatione ea omnia referre, quae sive in favorem causae sive contra eam facere videntur[8].

[1] De servorum Dei beatificatione et beatorum canonizatione, Bononiae 1734 ad 1738.
[2] Const. „Coelestis Hierusalem" d. 5 Iul. 1634. [3] c. 1999. [4] c. 2000.
[5] c. 2002. [6] c. 2004. [7] c. 2007. [8] c. 2009.

3. *Promotor fidei* (qui ioci causa vocatur „advocatus diaboli") debet ius tueri in omni processu. Si est institutus apud S. Rituum Congregationem, dicitur *promotor generalis fidei*, eius autem assistens vocatur *sub-promotor generalis fidei*. Isti duo a Romano Pontifice eliguntur; promotor autem fidei apud Ordinariorum tribunal, si quidem agitur *de processu apostolico*, nominatur a promotore generali et tunc nomen sub-promotoris habet; in aliis processibus nominatur ab Ordinario[9]. Promotoris fidei est, concinnare interrogatoria sobria, mere historica, quae apta sunt ad veritatem eruendam, eaque iudicibus exhibere sub secreti obligatione; est praeterea eiusdem promotoris, instare, ut testes ex officio citentur, et promovere opportunas exceptiones, sed iudex quoque potest ex officio testes arcessere, quamvis promotor non instet aut etiam renuat[10].

4. *Notarius* seu actuarius, sicut in quolibet processu, ita etiam in processu beatificationis aut canonizationis adesse debet. Talis notarius apud S. Rit. Congregationem debet esse e numero Protonotariorum participantium. *Religiosi* fungi valide nequeunt munere notarii nisi ex necessitate; in causis autem *propriae religionis* semper *excluduntur*[11]. In processibus ab Ordinario loci instruendis extra Urbem notarii munere fungi potest ipsemet Curiae notarius; in Urbe vero notarii munere fungatur Protonotarius S. Congregationis Rit., eoque absente notarius Vicariatus Urbis[12]. Notario potest dari adiutor seu *adiunctus*, qui ei auxilium praestet in comparandis transumptis cum actis originalibus et exemplaribus cum documentis, quae ex autographis servatis in bibliothecis, tabulariis etc. transcribuntur[13]. Notarius eiusque adiunctus debent esse sacerdotes integrae famae.

5. *Cancellarius*, qui sit laurea in iure canonico donatus, debet acta in archivo custodire et recte disponere.

6. *Advocati et procuratores* in causis beatificationis et canonizationis apud S. Rit. Congregationem debent esse doctores in iure canonico et saltem licentiati in theologia; debent insuper habere nonnullas alias qualitates[14].

TITULUS XXIII.

De probationibus in his processibus adhibendis.

Agitur 1. de probationibus generatim; 2. de probatione per testes et peritos; 3. de probatione per documenta.

CAPUT I.

De probationibus generatim.

Q. 548. *Quid generatim statutum sit de probationibus in processu beatificationis vel canonizationis?*

R. 1. In his causis probationes debent esse omnino plenae, nec aliae sunt admittendae, nisi quae ex testibus et ex documentis eruuntur

[9] c. 2011. [10] c. 2012. [11] c. 2014. [12] c. 2015. [13] c. 2016. [14] c. 2018.

untur[15]. Quare solet requiri magnus numerus testium, e. gr. quattuor testes ad probandum numquam servo Dei cultum fuisse praestitum, octo testes ad probandam famam virtutum aut miraculorum[16].

2. Cultus immemorabilis probatur per authentica monumenta, quae Constitutioni Urbani VIII a. 1634 promulgatae 100 annorum spatio antecedunt vel, si illo saeculo perdurante sunt edita, referunt facta, quae saltem ante 100 annos contigerunt[17]. Longissimi autem temporis cultus a S. Sede permissus per documenta coaeva probandus est[18].

CAPUT II.

De testibus et peritis.

Q. 549. *Quid statutum sit de testibus et peritis in processu beatificationis et canonizationis?*

R. 1. *Tenentur* omnes christifideles (excepto confessario) etiam non vocati testificari ea, quae *contra* virtutem aut miracula aut martyrium servi Dei cognoscunt[19].

2. Solet publice denuntiari, quando inquisitio fit in ordine ad beatificationem vel canonizationem aliquam. Qua denuntiatione cognita, quicumque (etiam consanguineus, affinis etc.) scit aliquod factum particulare circa servum Dei, debet dare litteras ad proprium Ordinarium. Illitterati rem exponant parocho, qui ad Ordinarium vel ad promotorem fidei eam referat. Religiosi quoque debent tales litteras clausas mittere ad Ordinarium aut ad promotorem fidei; superiores autem religiosi debent inducere subditos, ut huiusmodi notitias Ordinario tradant[20].

3. Tamquam testes admitti nequeunt:

a) Confessarius. Antiquis temporibus confessarius aliquando testatus est de virtutibus poenitentis. Sic e. gr. confessarius testatus est, S. Thomam numquam commisisse peccatum mortale.

b) Postulator, advocatus aut procurator in causa, durante munere; si vero munus penitus dimiserint, admittuntur tamquam adminiculum suppeditantes.

c) Qui munere iudicis aliquando in causa functi sunt[21].

4. Testes in sua testificatione reddere debent causam propriae scientiae circa ea, quae asserunt; secus eorum testimonium nihili faciendum est[22]. Debent igitur dicere, unde cognoverint rem, utrum de visu an de auditu.

5. Ad probandam famam sanctitatis vel martyrii servi Dei, qui pertinuit ad aliquam religionem, *dimidia* saltem pars testium debent esse extranei[23].

6. Periti, si eorum opera est necessaria, singuli (saltem duo) relationem peritiae a se confectae scripto tradant; sed deinde seorsim interrogentur[24].

[15] c. 2019. [16] c. 2020. [17] c. 2021. [18] c. 2022. [19] c. 2023. [20] c. 2026. [21] c. 2027. [22] c. 2029. [23] c. 2030. [24] c. 2031.

CAPUT III.

De documentis processui inserendis.

Q. 550. *Quid statutum sit de probatione per documenta?*

R. 1. Tribunal potest et debet a postulatore causae exigere documenta, quae ad veritatem detegendam conferre videntur [25]. Testimonia *extraiudicialia* scripto consignata sunt quidem adminicula, sed non documenta probativa, ut per se patet. Idem valet de necrologiis et elogiis funebribus.

2. Qui documenta exhibent, debent declarare eorum originem et authenticitatem [26].

3. Documenta, quibus postulator intendit probare servi Dei cultum ab antiquo praestitum vel eius virtutes, inserantur in processum [27].

TITULUS XXIV.

De processu beatificationis servorum Dei per viam non-cultus.

Praenotamen. Iste titulus est unus ex longissimis in toto Codice iur. can.; tractat enim de materia valde ampla et continet circiter 90 canones. Nonnisi compendium istius materiae hic damus brevitatis causa. Non est enim necessarium pro ordinariis studentibus iuris canonici cognoscere hanc materiam, quae in eorum praxi raro occurrit, et hoc vel magis, quia alii auctores hanc materiam haud raro penitus omittunt.

Personae, quae in processu instruendo partem habent, sc. iudices, promotor fidei ac sub-promotores, notarius et adiunctus, debent *initio uniuscuiusque processus,* secundum formulam a S. Congregatione praescriptam, iusiurandum praestare a) de munere fideliter adimplendo, b) de secreto servando usque ad processus publicationem; c) de donis cuiusvis generis non accipiendis [28]. Immo etiam Ordinarius, etsi partes iudicis non agit, tenetur praestare iusiurandum de secreto servando [29]. Postulatores ac vice-postulatores praestare debent iusiurandum *calumniae,* i. e. iurent, se veritatem per totum processum dicturos nullaque fraude usuros [30]. Haec aliaque iuraiuranda ostendunt, quam accurate Ecclesia procedere intendat in isto processu. Tres periodi distingui possunt: 1. processus a loci Ordinario iure proprio instruendi; 2. causae introductio apud S. Congregationem; 3. processus ipsi apostolici.

CAPUT I.

De processibus a loci Ordinario iure proprio instruendis.

Q. 551. *Quaenam praestari debeant in processibus ab Ordinario instruendis?*

R. Ad introductionem causae beatificationis servi Dei in Curia Romana Ordinarius (ad preces postulatoris) quattuor debet praestare:

[25] c. 2032. [26] c. 2034. [27] c. 2036. [28] c. 2037, § 1.
[29] Ib. § 2. [30] Ib. § 4.

I. scripta servi Dei perquirere;

II. processum informativum instruere super fama sanctitatis, virtutum in genere vel martyrii, causae martyrii et miraculorum;

III. processum instruere super non-cultu;

IV. mittere acta trium praedictorum simul cum scriptis servi Dei ad S. Congregationem Rituum [31].

Quantum ad I. Ordinarius per publicum edictum in singulis paroeciis (si fieri potest) vulgandum vel alio opportuniore modo scripta servi Dei ab omnibus, penes quos exstant, ad tribunal deferri iubeat, vel saltem apographum authenticum. Nomine autem scriptorum veniunt non modo opera inedita, sed etiam quae iam typis fuerunt impressa; item conciones, epistolae, diaria, autobiographiae, quidquid denique vel servus Dei ipse per se vel aliena manu exaravit [32].

Quantum ad II. Processus informativus per Ordinarios instruitur, et si incohatus non fuit intra 30 annos a morte servi Dei, ut ad ulteriora procedi possit, probari debet, nullam in casu fraudem vel dolum aut culpabilem negligentiam adfuisse [33]. Praemissis generalibus quaestionibus de nomine, cognomine, aetate, religione, condicione, domicilio, quaestio imprimis a iudice proponatur testibus: quid de vita, virtutibus, miraculis aut martyrio servi Dei ad eorum notitiam pervenerit, et quomodo haec noverint, et an sciant, de iisdem esse publicam famam, et deinde interrogandi sunt super interrogatoriis a promotore fidei confectis et super articulis a postulatore exhibitis [34]. Iam a saeculis iste modus interrogandi adhibitus est. Sic e. gr. iam habetur in processu canonizationis S. Thomae Aquinatis sub Ioanne XXII a. 1319 peracto. In praxi consulendum est, ut episcopus legat aliquem processum beatificationis typis impressum, ut possit facilius se conformare in modo procedendi.

Quantum ad III. Tribunal praeter testes inductos a postulatore duos alios ex officio inducat omnesque interroget, num servo Dei cultus *publicus* fuerit umquam praestitus; praeterea adeat et diligenter inspiciat sepulcrum servi Dei, cubiculum in quo habitavit vel obiit, et si qua sint alia loca, ubi cultus signa adesse merito quis suspicari possit [35]. Demum tribunal debet sententia definire, utrum cultus servo Dei fuerit praestitus necne [36].

Quantum ad IV. Ordinarius debet mittere Romam scripta omnia servi Dei una cum sic dicto processiculo diligentiarum, i. e. cum iuridica relatione diligentiarum, quibus in perquirendis scriptis usus est [37]. Deinde tradat transumptum processus informativi postulatori ad S. Congregationem Rit. transmittendum. Item Ordinarius expletum processum de non-cultu ad S. Congregationem Rit. per postulatorem mittat [38].

[31] c. 2038. [32] c. 2042. [33] c. 2049. [34] c. 2050, § 2.
[35] c. 2057 et 2058. [36] c. 2060. [37] c. 2061. [38] c. 2064.

CAPUT II.

De causae introductione apud S. Congregationem Rituum.

Q. 552. *Quaenam praestanda sint a S. Congregatione Rit. in introductione causae?*

R. Tria praestanda sunt: I. Revisio scriptorum. II. Discussio processus informativi. III. Discussio processus super non-cultu.

Quantum ad I. In singulis causis a Cardinali Ponente, audito promotore generali fidei, secreto deligantur revisores, qui scripto debent referre accurate de omnibus scriptis servi Dei. Quando Romanus Pontifex favorabile iudicium tulit de scriptis servi Dei, hoc minime secum fert scriptorum *approbationem.* Quare minime dici potest, scripta alicuius sancti esse per canonizationem a Romano Pontifice approbata. Constat enim nonnulla scripta sanctorum canonizatorum minus recta continere; ac proinde ea licite sed reverenter impugnari possunt.

Quantum ad II. Iudicium circa valorem processus informativi ab Ordinario instructi circa famam sanctitatis vel martyrii et circa absentiam cuiuslibet obstaculi peremptorii profertur a Patribus Cardinalibus in comitiis ordinariis, Cardinali Ponente referente ac proponente dubium: an signanda sit commissio introductionis causae in casu et ad effectum de quo agitur [39]. Si Patrum Cardinalium iudicium fuit favorabile, proponatur Sanctissimo, ut signet, si placeat, *commissionem introductionis causae.*

Quo decreto edito, Ordinarii nihil ultra circa causam beatificationis agere possunt sine expressa licentia S. Congregationis Rit. [40]

Quantum ad III. Postquam commissio introductionis causae signata est, Patres Cardinales in comitiis ordinariis discutiunt, num confirmanda sit sententia ab Ordinario prolata de non-cultu. Si sententia Patrum Cardinalium edixerit, cultum praestitum fuisse, causa suspendatur, quousque omnia signa vetiti cultus remota fuerint [41]. Ecclesia enim non vult permittere, ut cultus exhibeatur alicui homini sine sua expressa licentia.

CAPUT III.

De processibus apostolicis.

Q. 553. *Quaenam praestanda sint in diversis processibus apostolicis?*

R. Praestanda sunt quattuor, sc. 1. Obtentis sic dictis „litteris remissorialibus" quinque saltem iudices delegati debent processum apostolicum instituere cum super fama sanctitatis, miraculorum aut martyrii, tum super virtutibus et miraculis in specie vel super martyrio eiusque causa. Qui quidem processus solet demandari Ordinario loci, ubi servus Dei diem supremum obiit, atque saltem *intra biennium*

[39] c. 2082. [40] c. 2083 et 2084. [41] c. 2085.

absolvendus est. Antequam autem absolvatur iste processus, fiat a tribunali delegato recognitio iuridica exuviarum servi Dei. Processu absoluto, omnia acta transmittantur ad S. Congregationem Rit. [42]

2. Processu hoc apostolico ad S. Congregationem remisso, imprimis eius validitas examinanda est ab aliqua congregatione, in qua adsunt Praefectus S. Cong. Rit., Cardinalis Ponens, saltem tres alii Cardinales, Protonotarius Apostolicus, Promotor generalis fidei et sub-promotor [43].

3. Disceptatio virtutum heroicarum servi Dei facienda est in tribus distinctis congregationibus, quae vocantur: antepraeparatoria, praeparatoria, generalis. Nulla autem istarum congregationum fieri potest ante 50 annos a morte servi Dei [44]. Si omnia favorabiliter peracta sunt, servus Dei nuncupari potest *venerabilis,* qui tamen titulus nullam publici cultus permissionem importat [45].

4. Praeter virtutum heroicitatem aut martyrium ad beatificationem servi Dei requiruntur miracula eius intercessione patrata. Si tamen evidenter constat de martyrio, aliquando Summus Pontifex concedit dispensationem super miraculis [46]. Ordinarie saltem *duo* miracula requiruntur; si autem testes solummodo fuerunt ex auditu, tria miracula requiruntur; si demum adsunt solummodo testes traditionis aut documenta, exiguntur quattuor miracula [47]. Post approbationem miraculorum proponitur in congregatione coram Summo Pontifice disceptatio: an tuto procedi possit ad beatificationem servi Dei. Qua disceptatione feliciter finita, Summus Pontifex promulgari iubet decretum beatificationis [48].

TITULUS XXV.

De processu beatificationis servorum Dei per viam cultus seu casus excepti.

Q. 554. *Quid sit observandum in processu beatificationis per viam cultus?*

R. 1. Iste processus est simplicior quam praecedens, sed non potest locum habere, nisi agitur de servis Dei, qui post pontificatum Alexandri III (a. 1181) et ante tempus a constitutione Urbani VIII (13 Mart. 1625 vel 5 Iul. 1634) praefixum ex tolerantia cultum habuerunt [49].

2. Ex processu probari debet cum cultus initium tum non interrupta eius continuatio usque ad sententiam iudicis delegati [50].

3. Edito decreto de exsistentia cultus ita continui et immemorabilis et de heroicitate virtutum vel de martyrio, servus Dei habendus est *aequipollenter* beatificatus, atque ei concedi possunt iidem actus publici cultus, quibus honorari consueverunt formaliter beatificati [51].

[42] c. 2087—2097. [43] c. 2098—2100. [44] Nisi adsit dispensatio S. Sedis.
[45] c. 2101—2115. [46] c. 2116. [47] c. 2117. [48] c. 2124.
[49] c. 2125; cf. *Benedict. XIV,* De servorum Dei beatificatione II c. 17 sqq.
[50] c. 2130. [51] c. 2135.

TITULUS XXVI.

De beatorum canonizatione.

Q. 555. *Quaenam praestanda sint in processu canonizationis?*

R. 1. Antiquis temporibus processus canonizationis non necessario praesupposuit processum beatificationis. Sic e. gr. S. Thomas Aquinas a Ioanne XXII canonizatus est, quin praecesserit processus beatificationis; sed iuxta nunc vigentem disciplinam nemo canonizatur, qui antea non fuit declaratus beatus per alterutrum ex supra dictis processibus.

2. Ad canonizationem beatorum requiritur post beatificationem approbatio *duorum* miraculorum, si agitur de *formaliter* beatificatis; requiruntur autem *tria* miracula approbata, si agitur de *aequipollenter* beatificatis[52].

3. Beatorum canonizatio, postquam in Consistorio decreta fuerit, celebratur magnis sollemnitatibus in Romana Curia receptis, et editur bulla canonizationis. Sanctus canonizatus colitur in universo orbe; beatus vero publice coli non potest nisi in determinatis locis.

PARS III.

De modo procedendi in nonnullis expediendis negotiis vel sanctionibus poenalibus.

Praenotamen. 1. Quae in hac tertia parte tractantur, secundum maiorem partem iam praelibata sunt alibi. Ea enim, quae in titulis XXVII et XXVIII statuuntur de amotione parochorum, supra q. 159 explicata sunt. Quae vero praescribuntur tit. XXIX observanda in translatione parochorum, tractata sunt q. 158; ea, quae de modo procedendi contra clericos non residentes statuuntur tit. XXX, habes supra q. 157, ubi etiam agitur de materia tituli XXXII. Demum modus procedendi contra clericos concubinarios (seu materia tituli XXXI) explicatus fuit supra q. 69. Restat igitur solus titulus XXXIII.

2. In processibus huius tertiae partis adhibeatur semper notarius, qui scripto consignet acta, quae ab omnibus subscribi et in archivo servari debent[1]. Quoties monitiones praescribuntur, hae fieri debent vel oretenus coram cancellario aliove officiali Curiae aut duobus testibus, vel si reus non potest nisi difficulter citari, per litteras, uti dicunt, recommendatas[2]. Peractae autem monitionis eiusque tenoris documentum in actis servetur. Qui impedit, quominus monitio ad se perveniat, e. gr. recusando litteras missas, habeatur pro monito[3]. Ratio horum omnium est, quia tales monitiones non sunt paternae, sed *iudiciales*.

3. Examinatores et consultores ac notarius debent, interposito ab initio processus iureiurando, servare secretum circa omnia, quae ratione sui muneris noverint, ac praesertim circa documenta occulta, disceptationes in con-

[52] c. 2138. [1] c. 2142. [2] c. 2143, § 1. [3] Ib. § 2 3.

silio habitas, suffragiorum numerum ac motiva. Quodsi isti secretum violaverint, non solum a munere amoveri debent, sed etiam aliis poenis plecti poterunt[4].

4. In iis processibus *summarie* procedendum est, ac proinde testes vel periti non stricte sunt necessarii; qui, si nihilominus admittantur, iusiurandum emittere debent[5].

TITULUS XXVII—XXXII.
(remissive.)

TITULUS XXXIII.

De modo procedendi in suspensione ex informata conscientia infligenda.

Q. 556. *Quomodo procedendum sit in suspensione ex informata conscientia infligenda?*

R. 1. Ante omnia duo sunt notanda: a) Suspensio ex informata conscientia est remedium *extraordinarium*, ac proinde nequit licite adhiberi, si Ordinarius (i. e. episcopus aut superior maior religionis exemptae) potest sine gravi incommodo ad iuris normam in subditum procedere. Haec enim suspensio potest nimis duros effectus aliquando producere, ut ex dicendis apparebit. b) Haec suspensio potest se extendere ad solum *officium*, non autem ad beneficia[6]. Pariter nequeunt aliae graves poenae ex informata conscientia infligi. Contraria sententia nonnullorum auctorum antiquorum[7] est relinquenda.

2. Ad ferendam hanc suspensionem neque formae iudiciales neque canonicae monitiones requiruntur, sed satis est, ut Ordinarius, servatis servandis, declaret, se suspensionem indicere[8].

3. Suspensio ex informata conscientia ordinarie debet dari *in scriptis*, designato die, mense, anno. Ratio est, a) ne Ordinarius ex subitanea ira hoc extraordinarium remedium adhibeat; b) ut subditus possit facilius recursum interponere. Ad validitatem et etiam ad liceitatem sufficit suspensio oraliter edicta, si id adiuncta exigunt. Semper autem expresse dicatur, suspensionem ferri ex informata conscientia seu ex causis ipsi Ordinario notis. Deinde indicetur tempus durationis poenae; abstineat autem Ordinarius ab ipsa infligenda *in perpetuum*. Haec suspensio ordinarie non est censura, sed nihilominus si clericus ita suspensus exerceret s. ordinem prohibitum, esset irregularis[9]; potest tamen ea infligi etiam tamquam censura, dummodo in hoc casu clerico patefiat causa, propter quam suspensio irrogatur. Clare indicentur actus, qui prohibentur, si suspensio non in totum officium, sed ex parte infligitur[10].

[4] c. 2144. [5] c. 2145. [6] c. 2186.
[7] Cf. *Ferraris,* Prompt. Bibl. s. v. suspensio n. 16 sqq. [8] c. 2187.
[9] c. 985, n. 7. [10] c. 2188.

4. Delictum, ob quod ferri potest suspensio ex informata conscientia, debet esse

a) certum,

b) adeo grave, ut eiusmodi dura poena plectendum sit[11],

c) occultum. Quare ob *notorium* delictum numquam haec suspensio ferri potest, sed est procedendum modo iudiciali. Ut delictum *publicum*[12] hac suspensione puniri possit, requiritur, ut processus iudicialis sit valde difficilis vel etiam impossibilis, eo quod vel α) testes probi et graves delictum quidem Ordinario patefaciunt, sed nulla ratione induci possunt, ut de eo testimonium in iudicio ferant, neque aliis probationibus delictum iudiciali processu evinci potest; vel β) ipsemet clericus minis aut aliis adhibitis mediis impedit, ne processus iudicialis instituatur aut inceptus perficiatur; vel γ) processui iudiciali conficiendo ferendaeque sententiae impedimenta exoriuntur ex adversis civilibus legibus aut ex periculo gravis scandali[13]. Si plura sunt crimina a clerico patrata, potest suspensio ex informata conscientia in eum ferri, si unum saltem crimen est occultum[14].

5. Ordinarius stricte non tenetur huius suspensionis causam seu delictum clerico patefacere; attamen ordinarie expedit, ut pastorali sollicitudine et caritate delictum clerico manifestetur, ita ut iste non solum valeat culpam expiare, sed etiam sese emendare et occasionem peccati vitare[15].

6. A suspensione ex informata conscientia non datur appellatio proprie dicta, cum ista poena non per modum sententiae iudicialis, sed per modum extraiudicialem infligatur; attamen datur recursus, qui dirigendus est ad Curiam Romanam, nempe ad S. Congregationem Concilii, si agitur de clerico saeculari suspenso; ad S. Congregationem de Religiosis, si agitur de clerico religioso suspenso. Quo recursu interposito, Ordinarius ad S. Congregationem debet mittere probationes, quibus constat, clericum tale delictum revera perpetrasse, quale extraordinaria hac poena puniri potest[16]. Si clericus recurrit non contra ipsam suspensionem, sed contra *pensionem* sibi impositam pro sustentatione oeconomi, qui eius vices gerit in officio, tunc recursus dirigendus est ad immediatum superiorem, qui in via iudiciaria est iudex appellationis[17], e. gr. ad Metropolitam.

---

11 c. 2190.
12 Differentia inter delictum publicum et notorium, indicatur infra q. 557, n. 3.
13 c. 2191. 14 c. 2102. 15 c. 2193. 16 c. 2194.
17 c. 2189, § 2.

LIBER V.

De delictis et poenis[1].

Praenotamen. Ultimus liber Codicis iur. can. dividitur in tres partes: 1. de delictis; 2. de poenis; 3. de poenis in singula delicta. Sat magnae mutationes in hoc libro Codicis introductae et praesertim haud pauca antiqua abolita sunt.

PARS I.

De delictis.

TITULUS I.

De natura delicti eiusque divisione.

Q. 557. *Quid et quotuplex sit delictum?*

R. 1. Nomine delicti, in iure ecclesiastico, intelligitur „externa et moraliter imputabilis legis vel praecepti violatio, cui addita est sanctio poenalis saltem indeterminata"[2]. In modernis codicibus criminalibus solet distingui delictum a crimine (Vergehen und Verbrechen), sed in iure ecclesiastico promiscue adhibentur vocabula: crimen, delictum, excessus, scelus etc.

Ad verum delictum ecclesiasticum requiritur:

a) actio *externa;* nam actus mere interni, licet interno foro poenitentiali subiciantur, externo Ecclesiae foro et potestati coercitivae sunt subducti.

b) *actio moraliter imputabilis.* Ergo non sufficit sic dicta culpa mere iuridica, sed requiritur culpa vere moralis eaque gravis. De imputabilitate delicti sermo redibit tit. seq.

c) *violatio legis vel praecepti, cui addita est sanctio canonica saltem indeterminata.* Hinc illud adagium, quod iam diu obtinuit in foro poenali civili: „nullum delictum nullaque poena sine lege poenali." Quare nullum delictum poena ecclesiastica puniri potest, nisi vel lex ipsa poenam transgressoribus minata sit, aut praecesserit monitio canonica. Ex quibus sequitur, ut sint nonnulla peccata etiam gravia et externa, e. gr. fornicatio, ebrietas, quae tamen non sunt delicta ecclesiastica.

2. *Qualitas* delicti desumenda est ex obiecto legis, ac proinde quoties diversum est obiectum legis, toties diversum est delictum contra illud

---

1 De delictis et poenis post editum Codicem scripserunt specialiter (inter alios): *E. Eichmann,* Das Strafrecht des Codex iur. can. (Paderbornae 1920); *Iac. Sole,* De delictis et poenis, Praelectiones in V. libr. Codicis iur. can. (Romae 1920); *Io. Chelodi,* Ius poenale et ordo procedendi in iudiciis criminalibus (Tridenti 1920). Complures scripserunt specialiter de censuris.
2 c. 2195.

commissum; *quantitas* vero delicti dimetienda est non solum ex diversa gravitate legis, sed etiam ex maiore minoreve imputabilitate aut damno illato[3]. Hinc dantur circumstantiae aggravantes et minuentes non solum in peccatis, sed etiam in delictis.

3. Triplex praecipue divisio delictorum notanda est:

a) **Ratione notitiae** distinguuntur delicta publica, notoria, occulta. Delictum *publicum* aliquando sumitur in sensu lato et tunc includit delictum notorium; in sensu vero stricto est illud, quod (licet primo occultum) iam divulgatum est, aut quod in talibus contigit adiunctis, aut nunc saltem versatur in talibus adiunctis, ut prudenter iudicari possit et debeat, id facile divulgatum iri; e. gr. aliquis vir visus est ab aliquibus hominibus garrulis intrare in domum malae famae. — Delictum *notorium* est duplex, sc. notorietate *iuris,* aut quando lata est sententia iudicis, quae transiit in rem iudicatam, aut quando delinquens ipse iudicialiter confessus est delictum suum; et notorietate *facti,* quando publice nota sunt et actus et eius imputabilitas ex ipsa evidentia rei, ita ut delictum nulla tergiversatione celari nulloque iuris suffragio excusari possit[4]; e. gr. aliquis clericus libere adivit cauponam ibique coram multis se libere inebriavit. — Delictum *occultum* est id, quod non est publicum neque notorium; est autem *materialiter* occultum, si latet ipsum delictum factum, *formaliter* occultum, si non latet ipsum delictum factum, sed sola eius imputabilitas.

b) **Ratione competentiae** distinguuntur delicta mere ecclesiastica, mere civilia, mixta. Delictum *mere ecclesiasticum* est illud, quod unice laedit Ecclesiae legem, e. gr. haeresis publice manifestata. Talia delicta persequitur sola ecclesiastica auctoritas, requisito interdum (sed valde raro hodie), ubi eadem auctoritas necessarium vel opportunum iudicaverit, auxilio brachii saecularis. — Delictum *mere civile* laedit unice legem civilem, e. gr. furtum commissum a laico. Tale delictum punitur ab auctoritate civili, licet etiam Ecclesia sit in illud competens ratione peccati. Si clericus huiusmodi delictum committit, deberet puniri ab ecclesiastica auctoritate, ratione privilegii fori; sed hodie Ecclesia in multis regionibus tolerat, ut etiam clerici tunc puniantur ab auctoritate civili. — Delictum *mixtum* laedit utriusque societatis legem et ab utraque potestate puniri potest, e. gr. adulterium publicum[5].

c) **Ratione exsecutionis** distinguuntur delicta *consummata* et *attentata,* prout delictum fuerit plene exsecutioni mandatum aut solummodo incohatum. Si delictum attentatum non fuit consummatum, quia delinquens suum consilium deseruit aut quia media adhibita non fuerunt sufficientia, adest conatus delicti seu delictum dicitur *simpliciter attentatum;* sin autem delictum non fuit consummatum *praeter voluntatem agentis,* vocatur delictum *frustratum.* De delictis attentatis seu de conatu delicti infra tit. III sermo redibit.

---

[3] c. 2196. [4] c. 2197. [5] c. 2198.

TITULUS II.

De imputabilitate delicti, de causis illam aggravantibus vel minuentibus, de iuridicis delicti effectibus.

Q. 558. *Unde pendeat, unde tollatur, unde minuatur, unde augeatur delicti imputabilitas?*

R. 1. Imputabilitas delicti pendet *ex dolo et culpa* delinquentis; ideoque omnes causae, quae augent, minuunt, tollunt dolum aut culpam, eo ipso augent, minuunt, tollunt delicti imputabilitatem[6]. Dolus est deliberata voluntas violandi legem, eique opponitur ex parte intellectus defectus cognitionis, nempe ignorantia, inadvertentia, error, et ex parte voluntatis defectus libertatis. Regula generalis est: Posita externa legis violatione, dolus in foro externo praesumitur, donec contrarium probetur[7].

2. **Imputabilitas delicti tollitur,** si delinquens:

a) *caret usu rationis.* Hinc qui actu carent usu rationis, sunt delicti incapaces. Habitualiter amentes, licet quandoque lucida intervalla habeant, delicti tamen incapaces praesumuntur[8]. Pariter cessat imputabilitas delicti, quod est patratum in involuntaria ebrietate perfecta, quae totaliter usum rationis adimit. Sin autem ebrietas fuit imperfecta vel indirecte voluntaria, imputabilitas non tollitur, sed minuitur. Ebrietas apposite volita ad delictum patrandum vel excusandum nullo modo minuit imputabilitatem, ut per se patet. Quae dicta sunt de ebrietate, valent quoque in aliis similibus mentis perturbationibus, e. gr. in hysteria, hypnotismo, somnambulismo, passione usum rationis auferente etc.[9].

b) *inculpabiliter ignorat legem violatam.* Si ignorantia fuit culpabilis, imputabilitas minuitur plus minusve pro ignorantiae ipsius culpabilitate. Ignorantia non legis, sed solius poenae non tollit quidem delicti imputabilitatem, sed aliquantum minuit. Quandonam ignorantia excuset a poenis ecclesiasticis, dicetur infra tit. VI. Quae de ignorantia statuuntur, valent quoque α) de inadvertentia et errore, qui sunt quasi actus ignorantiae[10]; β) de casu fortuito, qui praevideri vel cui praeviso occurri nequit[11].

c) *patitur vim physicam,* quae omnem agendi facultatem adimit[12].

d) *legitime se defendit* contra iniustum aggressorem cum moderamine inculpatae tutelae; si hoc moderamen laeditur, imputabilitas solummodo minuitur, sicut etiam si adfuit provocatio[13].

e) *patitur gravem metum* (etiam relative gravem); pariter necessitas, immo et grave incommodum plerumque delictum, si agitur de legibus *mere ecclesiasticis,* penitus tollunt. Si vero actus est intrinsece malus aut vergit in contemptum fidei vel ecclesiasticae auctoritatis vel in animarum damnum, metus, necessitas, incommodum minuunt quidem delicti imputabilitatem, sed non tollunt[14].

---

[6] c. 2199. [7] c. 2200. [8] c. 2201, § 1 2.
[9] Ib. § 3, et c. 2206. [10] c. 2202. [11] c. 2203, § 2.
[12] c. 2205, § 1. [13] Ib. § 4. [14] Ib. § 2 3.

3. **Imputabilitas delicti minuitur,** quoties voluntas et cognitio sunt imperfectae, e. gr. propter voluntariam ebrietatem, propter mentis debilitatem, propter ignorantiam aut inadvertentiam culpabilem, propter minorem aetatem[15], propter passionem antecedentem.

4. **Imputabilitas delicti augetur:**

a) si quis passionem voluntarie et deliberate excitat ad peccandum (passio per modum electionis)[16];

b) si persona delinquens vel laesa est in maiore dignitate constituta;

c) si quis abutitur auctoritate vel officio ad delictum patrandum[17], e. gr. si confessarius sollicitat ad turpia in confessione;

d) si delinquens est recidivus, i. e. si post condemnationem rursus committit delictum eiusdem generis et in talibus rerum ac praesertim temporis adiunctis, ut eiusdem pertinacia in mala voluntate prudenter conici possit[18].

Scholion. De cooperatione ad delictum. De cooperatione ad delictum ecclesiasticum eadem principia valent, quae a moralistis traduntur de cooperatione ad peccatum[19]. Unum dumtaxat sit notatum: Delicti ab alio patrati laudatio, fructuum participatio, delinquentis occultatio et receptatio aliive actus delictum iam plene absolutum *subsequentes* nova delicta constituere possunt, si nempe poena in lege plectuntur; sed nisi cum delinquente de illis actibus ante delictum conventum fuerit, non secum ferunt delicti patrati imputabilitatem[20]. Omnes cooperatores principales, i. e. qui in delictum physice concurrunt vel communi delinquendi consilio vel tamquam mandantes et exsequentes, tenentur *in solidum* resarcire expensas et damna, quae ex delicto quibuslibet personis obvenerunt, licet a iudice sint damnati solummodo pro rata damni[21].

Q. 559. *Quinam sint iuridici effectus delicti?*

R. Duo effectus oriuntur ex delicto, sc. 1. actio *poenalis* ad poenam declarandam vel infligendam et ad satisfactionem petendam; 2. actio *civilis* ad reparanda damna forte illata. Utraque haec actio prosequenda est iudicialiter, et idem iudex in criminali iudicio potest ad instantiam partis laesae civilem quoque actionem ad examen revocare et definire[22].

TITULUS III.

De conatu delicti.

Q. 560. *Quid sit conatus delicti eiusque imputabilitas?*

R. 1. Iste titulus est novus neque haec materia tractata est, saltem ex professo, in vetere iure ecclesiastico. Conatus delicti, ut ipsa verba indicant, est externa incohatio delicti atque adest, quando quis actus posuit vel praetermisit, qui ad exsecutionem delicti natura sua conducunt, sed ipsum delictum non consummavit. Si tunc delictum non

[15] c. 2204. [16] c. 2206. [17] c. 2207. [18] c. 2208.
[19] Cf. nostrum Man. theol. mor. II 100 sqq.
[20] c. 2209, § 7. [21] c. 2211. [22] c. 2210.

consummatur, eo quod delinquens vel consilium suum deseruit vel propter insufficientiam aut ineptitudinem mediorum perficere non potuit, habetur conatus delicti vel delictum simpliciter attentatum. Sin autem delinquens omnes actus posuit vel omisit, qui ad delictum perficiendum ordinarie sufficiunt, sed si effectus ex alia causa praeter voluntatem delinquentis non est secutus, habetur delictum *frustratum* (vereiteltes Vergehen). Conatui delicti aequiparatur actio illius, qui alium ad delictum committendum inducere studuit, sed inefficaciter[23].

2. Conatus delicti habet suam imputabilitatem eo maiorem, quo magis ad consummationem accedit, quamquam minorem prae delicto consummato. Imputabilitas deest, si quis sponte ab incepta delicti exsecutione destitit, dummodo nullum ex conatu damnum aut scandalum ortum sit.

3. Delictum frustratum magis culpabile est quam simplex delicti conatus[24].

PARS II.

De poenis.

Haec pars secunda distinguitur in duas sectiones, sc. de poenis in genere et de poenis in specie.

SECTIO I.

De poenis in genere.

Praenotamen. Absoluta in prima parte huius libri disputatione de delictis in genere, ordo logicus exigit, ut in secunda parte sit sermo de poenis in genere. Antequam autem de poenis sermo erit, primo dogma catholicum statuitur: „Nativum et proprium Ecclesiae ius est, independens a qualibet humana auctoritate, coercendi delinquentes sibi subditos poenis tum spiritualibus tum etiam temporalibus." Multoties damnata est doctrina, quae negat potestatem coercitivam Ecclesiae, e. gr. errores Marsilii Patavini et Ioannis de Ianduno, Synodi Pistoriensis, multorum modernorum acatholicorum[1]. Talem potestatem Ecclesia a temporibus Christi semper quoque exercuit. Sed iam monuit Concilium tridentinum sess. XIII, de reform. c. 1: „Meminerint episcopi aliique Ordinarii, se pastores, non percussores esse, atque ita praeesse sibi subditis oportere, ut non in iis dominentur, sed illos tamquam filios et fratres diligant elaborentque, ut hortando et monendo ab illicitis deterreant, ne, ubi deliquerint, debitis eos poenis coercere cogantur; quos tamen, si quid per humanam fragilitatem peccare contigerit, illa Apostoli est ab iis servanda praeceptio, ut illos arguant, obsecrent, increpent in omni bonitate et patientia, cum saepe plus erga corrigendos agat benevolentia quam austeritas, plus exhortatio quam comminatio, plus caritas quam potestas; sin autem ob delicti gravitatem virga opus erit, tunc cum mansuetudine rigor, cum misericordia iudicium, cum lenitate severitas ad-

[23] c. 2212. [24] c. 2213.
[1] Acta Summi Pontificis de hac re lata indicantur in fontibus ad c. 2214.

hibenda est, ut sine asperitate disciplina, populis salutaris ac necessaria, conservetur, et, qui correcti fuerint, emendentur aut, si resipiscere noluerint, ceteri, salubri in eos animadversionis exemplo, a vitiis deterreantur."

TITULUS IV.

De poenarum notione, speciebus, interpretatione atque applicatione.

Q. 561. *Quid et quotuplex sit poena?*

R. 1. **Notio.** „Poena ecclesiastica est privatio alicuius boni ad delinquentis correctionem et delicti punitionem a legitima auctoritate inflicta."[2] Omnis poena debet aliqualiter affligere, ideoque homo puniendus privari debet aliquo bono: vel auferendo aliquod bonum, e. gr. beneficium, communionem fidelium, vel imponendo opus arduum, e. gr. ieiunium. — *Finis* poenae ecclesiasticae est praecipue duplex, sc. a) correctio delinquentis; Ecclesia enim debet procurare pro viribus salutem spiritualem fidelium; b) ordo socialis conservandus; quare in poenis vindicativis poena infligitur, etiamsi delinquens non corrigitur. Ex poenis enim comminatis vel inflictis cum delinquens tum alii deterrentur quoque a delictis committendis.

2. **Divisiones.** Inter multiplices poenas imprimis distinguuntur:

a) *Ratione finis:* poenae *medicinales* (Besserungsstrafen), quales sunt censurae; poenae *vindicativae* (Sühnestrafen), e. gr. degradatio, depositio etc, quae imprimis intendunt reparationem ordinis socialis laesi; *remedia poenalia* et *poenitentiae* (Bußen), quae potius ordine disciplinari quam iudiciali infliguntur;

b) *Ratione taxationis:* poenae *determinatae* et *indeterminatae,* prout in ipsa lege vel in praecepto taxative statutae sunt, vel prout prudenti iudicis aut superioris arbitrio relinquuntur;

c) *Ratione modi:* poenae *latae* et *ferendae* sententiae, prout ab ipsa lege ipso facto, vel a iudice aut superiore infliguntur. Poena intelligitur semper ferendae sententiae, nisi expresse dicatur, eam esse latae sententiae, vel ipso facto vel ipso iure contrahi, vel nisi alia similia verba adhibentur;

d) *Ratione auctoris:* poenae *a iure* vel *ab homine,* prout poena in ipsa lege est determinata (sive sit latae sive ferendae sententiae), vel prout ab homine per modum praecepti peculiaris vel per sententiam condemnatoriam infliguntur. Si igitur lex statuit poenam ferendae sententiae, talis poena *ante* sententiam condemnatoriam est a iure tantum; post vero sententiam latam est quidem poena cum a iure tum ab homine, sed consideratur tamquam ab homine[3].

Q. 562. *Quomodo poenae ecclesiasticae sint applicandae?*

R. 1. In poenis decernendis servetur aequa proportio cum delicto. Hinc illud: Quantum delictum, tanta poena. Quare oportet attendere

[2] c. 2215. [3] c. 2217.

ad multa: ad gradum imputabilitatis, ad scandalum vel damnum forte causatum, ad aetatem, scientiam, institutionem, sexum, condicionem mentis, statum delinquentis, ad dignitatem personae offensae et offendentis, ad finem intentum, aliaque similia.

2. Quotiescumque *in foro externo* probatur seu evincitur, delinquentem caruisse *gravi* culpa, nulla poena sive latae sive ferendae sententiae infligi potest. Non solum enim, quae ab omni imputabilitate excusant (e. gr. vis, ignorantia inculpabilis), sed etiam quae a gravi (e. gr. metus, aestus passionis), excusant a poenis ecclesiasticis[4]. Nihil autem obstat, ne leviter delinquenti imponantur *poenitentiae.*

3. Mutua iniuria compensatur, nisi una pars propter maiorem iniuriae ab ipsa illatae gravitatem damnari debet, deminuta tamen, si casus ferat, poena[5].

Q. 563. *Quomodo poenae ecclesiasticae sint interpretandae?*

R. 1. Regula generalis est: In poenis benignior est interpretatio facienda. At si dubitatur, utrum poena a superiore competenti inflicta sit iusta necne, poena servanda est in utroque foro. Praesumptio enim stat pro superiore, et secus nervus disciplinae rumperetur. In solo casu appellationis in suspensivo talis poena non est servanda, pendente appellatione

2. Non licet poenam de persona ad personam vel de casu ad casum producere, quamvis par adsit ratio, immo gravior. Ratio est, quia poena (saltem ferendae sententiae) est in unoquoque casu particulari denuo ferenda. Excipiuntur poenae complicum, sc. qui communi consilio aliquod delictum perpetrarunt. Tunc enim, si unus poena determinata plectitur, etiam complices eadem poena plectuntur[6].

TITULUS V.

De superiore potestatem coactivam habente.

Q. 564. *Quis possit poenas ecclesiasticas infligere?*

R. 1. Regula generalis est: „Qui pollent potestate leges ferendi vel praecepta imponendi *(in foro externo),* possunt quoque legi vel praecepto poenas adnectere; qui *iudiciali* tantum pollent potestate, possunt solummodo poenas legitime statutas ad normam iuris *applicare*"[7]. Hinc poenas ferre possunt praeter Summum Pontificem episcopi, praelati regulares, non autem, ita expresse statuente Codice iur. can.[8], Vicarius generalis sine mandato speciali. Attamen praelati iurisdictionem in foro externo habentes non possunt quascumque poenas ecclesiasticas ferre; sic e. gr. praelati regulares probabilius imponere interdictum locale[9] nequeunt. Parochus potest quidem suas oves errantes prudenter corrigere[10], sed nullam censuram ferre potest. Illi, qui habent potestatem legislativam, possunt intra limites suae

[4] c. 2218, § 2. [5] Ib. § 3. [6] c. 2219. [7] c. 2220, § 1.
[8] Ib. § 2. [9] Cf. S. C. E. et Reg. d. 21 Iun. 1697. [10] c. 467, § 1.

iurisdictionis non solum legem a se vel a decessoribus latam, sed etiam, ob peculiaria rerum adiuncta, legem tam divinam quam ecclesiasticam a superiore potestate latam, in territorio vigentem, congrua poena munire aut poenam lege statutam aggravare[11]. Dico autem „intra limites suae iurisdictionis", nam aliquando haec iurisdictio quantum ad poenas limitata est; sic e. gr. episcopus nequit sibi reservare casum, qui iam a iure reservatus est Summo Pontifici vel qui est aliqua censura sancitus.

2. Ordinarie delictum nequit puniri poena ecclesiastica, nisi sanctio poenalis iam indicata est vel in lege ipsa vel in praevia comminatione. Si tamen delictum causavit grave scandalum vel commissum fuit cum speciali gravitate, legitimus superior potest illud punire, quamvis non praecesserit sanctio poenalis sive a lege sive ab homine. Sic e. gr. si parochus fuit publice ebrius, episcopus potest illum punire propter scandalum datum, quamvis poena non fuerit comminata neque a lege neque ab homine. Ratio est, quia ex ipsa lege naturali scandalum reparandum est. Iamvero saepe scandalum nequit sufficienter reparari sine punitione delinquentis. — Pariter legitimus superior, licet *probabile* tantum sit delictum fuisse commissum, aut delicti certe commissi poenalis actio iam sit impossibilis propter praescriptionem, non solum ius, sed etiam officium habet, non promovendi ad ordines vel ad officia clericum, de cuius idoneitate non constat, et, ad scandalum evitandum, prohibendi clerico exercitium sacri ministerii aut etiam eundem ab officio ad normam iuris amovendi. Haec autem omnia in casu non habent rationem poenae[12], sed disciplinae ad salvandum bonum commune et etiam privatum.

3. Moderna iura civilia ordinarie valde limitant libertatem iudicis, qui proinde nil fere aliud valet nisi applicare paragraphos codicis poenalis ad casum particularem. Codex iur. can. maiorem libertatem tribuit iudici. In poenis applicandis iudex non potest quidem *augere* poenam a lege determinatam, nisi extraordinaria adiuncta aggravantia id exigant. Sed si lex in statuenda poena ferendae sententiae *facultativis* verbis utitur (e. gr. iudex potest punire), committitur prudentiae et conscientiae iudicis eam infligere vel, si poena fuit determinata, temperare. Pariter, quamvis lex utatur verbis *praeceptivis* (e. gr. iudex debet punire), tamen conscientiae et prudentiae iudicis vel superioris committitur a) poenae applicationem ad tempus magis opportunum differre (si ex praepropera punitione rei praevidentur maiora mala eventura); b) a poena infligenda abstinere, si reus fuit perfecte emendatus et scandalum reparavit, aut sufficienter punitus iam est vel puniendus praevidetur poenis auctoritate civili sancitis; c) poenam determinatam temperare vel loco ipsius aliquod remedium poenale adhibere aut aliquam poenitentiam iniungere, si adest circumstantia imputabilitatem notabiliter minuens, vel si habetur quidem rei emendatio

[11] c. 2221. [12] c. 2222.

aut inflicta a civili auctoritate castigatio, sed iudex vel superior opportunam praeterea ducit mitiorem aliquam punitionem[13].

4. *Numerus poenarum.* Regula generalis est: „Ordinarie tot poenae, quot delicta." Ideo, qui quinquies legit libros haereticos, quinquies incurrit excommunicationem. Si tamen propter numerum delictorum nimius esset poenarum infligendarum cumulus, prudenti iudicis arbitrio relinquitur aut poenam omnium graviorem infligere, addita, si res ferat, aliqua poenitentia vel remedio poenali, aut poenas intra aequos terminos moderari, habita ratione numeri et gravitatis delictorum[14]. Hinc e. gr. si sacerdos nomen dedit sectae massonicae et insuper attentavit matrimonium, nunc autem contrito corde delicta sua vult emendare, absolvendus est quidem a duplici excommunicatione incursa, et superior debet illi iniungere reparationem scandali dati, sed non debet illi infligere omnes alias poenas, quas meruit pro delictis. Relinquitur prudentiae et conscientiae superioris, ut illi imponat exercitia spiritualia peragenda aliasque poenitentias salutares implendas. — Si poena constituta est cum in conatum delicti tum in delictum consummatum, delicto reapse commisso infligi tantum debet poena in *consummatum* delictum statuta[15].

5. Si poena declaratur vel infligitur per sententiam *iudicialem,* tunc servanda sunt omnia, quae supra dicta sunt de iudicio criminali; si vero poena infligitur ad modum *praecepti particularis,* id ordinarie fiat scripto aut coram duobus testibus, indicatis poenae causis. Si tamen agitur de infligenda suspensione ex informata conscientia, non necessario indicanda est causa, cur haec poena infligatur[16], ut iam dictum est.

TITULUS VI.

De subiecto coactivae potestati obnoxio.

Q. 565. *Quaenam in subiecto requirantur, ut sit obnoxium coactivae potestati?*

R. 1. Ex parte personae requiritur:

a) Ut sit *subdita* legislatori vel praecipienti, et quidem quantum ad poenam adnexam legi aut praecepto. Hinc nonnisi a Summo Pontifice poena infligi aut declarari potest α) in eos, qui supremum tenent populorum principatum (e. gr. reges, praesidentes reipublicae) horumque filios ac filias, eosve quibus ius est proxime succedendi in principatum; β) in Cardinales; γ) in Legatos S. Sedis et in omnes episcopos (etiam titulares). Quamvis autem aliqua poenalis lex sit lata a Summo Pontifice, tamen sub ea, nisi expresse nominentur, non comprehenduntur Cardinales nec, si agitur de poenis latae sententiae suspensionis et interdicti, episcopi[17]. — Peregrini delinquentes subduntur iudici loci, ubi deliquerunt, ut iam dictum est supra q. 458 (5).

[13] c. 2223, § 1—3. [14] c. 2224, § 1 2. [15] Ib. § 3.
[16] c. 2225. [17] c. 2227.

Licet lex poenalis posterior obroget anteriori, si tamen delictum, quando lex posterior lata est, iam commissum erat, applicanda est lex reo favorabilior. Quodsi lex posterior tollit legem vel poenam tantum, haec statim cessat, nisi agitur de censuris iam incursis[18]. Sic e. gr. qui propter adulterium condemnatus fuit ante novum Codicem editum, erat infamis, cum autem haec infamia non inveniatur in novo Codice, eo ipso cessat, et talis adulter nunc solummodo excluditur ab actibus legitimis[19]. Sin autem aliquis regularis administrando Viaticum excommunicationem incurrit ante novum Codicem editum, haec excommunicatio, quamvis nunc sit sublata, tamen illum adhuc ligat. — Poena semel incursa reum ubique terrarum tenet, etiam resoluto iure superioris, nisi aliud expresse caveatur[20]. Ergo e. gr. sacerdos legitime suspensus manet hac poena ligatus, quamvis superior suspendens mortuus sit, aut ipse suspensus in aliam regionem transmigraverit.

b) Ut sit *puber*[21]. Impuberes enim excusantur a poenis latae sententiae et potius punitionibus educativis quam censuris aliisve gravioribus vindicativis punitionibus corrigantur; puberes vero, qui eos ad legem violandam induxerint vel cum iis in delictum concurrerint tamquam complices consulentes aut mandates, ipsi quidem poenam lege statutam incurrunt[22]. Hinc e. gr. si quis puber illegitime introducit impuberem in clausuram monialium, puber est quidem excommunicatus, non autem impuber.

c) *Ut possit observare poenam sine gravi infamia.* Poena enim latae sententiae (sive medicinalis sive vindicativa) delinquentem, qui delicti sibi est conscius, ipso facto quidem tenet idque in utroque foro; *ante sententiam tamen declaratoriam* a poena observanda delinquens excusatur, quoties eam servare sine infamia nequit, et in foro externo ab eo eiusdem poenae observantiam exigere nemo potest, nisi delictum est notorium[23]. Ergo e. gr. parochus, qui ob occultum delictum incurrit excommunicationem, potest nihilominus officia paroecialia peragere, si secus ipsi gravis infamia oritur. Sin autem delictum iam factum est aliqualiter publicum, tunc superior potest declarare excommunicationem esse incursam; immo hoc debet, sive ad instantiam partis, cuius interest, sive bono communi ita exigente[24]. Post declaratam excommunicationem parochus debet omnino poenam incursam servare; immo poena retrotrahitur ad momentum commissi delicti[25].

d) *Ut delinquens habuerit scientiam legis et poenae.* A nullis quidem latae sententiae poenis excusat ignorantia *affectata* sive legis sive solius poenae[26], ideoque opposita sententia vetus relinquenda est; sed

[18] c. 2226, § 2 3. [19] c. 2357. [20] c. 2226, § 4.

[21] Pubertas legalis videtur in hac materia annus decimus quartus completus et quidem indiscriminatim pro pueris et puellis. Etenim quamvis pubertas physica citius advenire soleat in puellis quam in pueris, tamen idem non accidit quantum ad maturitatem iudicii. Hinc non est ratio, quare puellae severius in hac materia poenali tractentur quam pueri. Ita sententia probabilis.

[22] c. 2230. [23] c. 2232. [24] c. 2223, § 4.

[25] c. 2232, § 2. [26] c. 2229, § 1.

si lex habet verba: „praesumpserit, ausus fuerit, scienter, studiose, temerarie, consulto egerit“ aliave similia, quae plenam cognitionem ac deliberationem exigunt, quaelibet imputabilitatis imminutio, sive ex parte intellectus (ignorantia, sed non affectata) sive ex parte voluntatis (metus), eximit a poenis latae sententiae[27]. Si lex illa verba non habet:

α) *ignorantia* legis aut etiam solius poenae, si fuerit *crassa* vel *supina,* a nulla poena latae sententiae eximit; si non fuerit crassa vel supina, excusat a medicinalibus, non autem a vindicativis poenis latae sententiae neque a fortiori ab aliis poenis vel poenitentiis ferendis. Hinc e. gr. clericus laborans crassa ignorantia prohibitionis libri haeretici et legens talem librum non incurrit excommunicationem, quippe quae lata sit in *scienter* legentes; econtra idem clericus laborans eadem ignorantia et quaestum faciens ex indulgentiis incurrit excommunicationem, quippe quae simpliciter feratur in omnes quaestum facientes. Demum religiosus laicus laborans ignorantia non crassa legis aut poenae et introducens mulierem in clausuram regularium non quidem incurrit excommunicationem, quippe quae sit poena medicinalis, sed privetur officiis suis, cum haec privatio sit poena vindicativa;

β) ebrietas, omissio debitae diligentiae, mentis debilitas, aestus passionis a poenis latae sententiae non excusant, si, non obstante imputabilitatis deminutione, *actio est adhuc graviter culpabilis;*

γ) *metus gravis* ordinarie quidem eximit a poenis latae sententiae, nisi tamen delictum vergit in contemptum fidei aut ecclesiasticae auctoritatis aut in publicum animarum damnum[28].

2. **Ex parte delicti** requiritur:

a) Ut sit *in suo genere perfectum* secundum proprietatem verborum legis[29]. Lex enim poenalis est strictae interpretationis[30]. Hinc e. gr. procurantes abortum non incurrunt excommunicationem, nisi abortus reapse est secutus. Delictum tamen attentatum vel frustratum potest congrua poena puniri[31].

b) Ut sit *certo commissum.* Per se patet; non enim pro incerto delicto certa poena infligi potest.

c) Ut *non sit legitime praescriptum.* Praescribuntur delicta triennio, quinquennio aut decennio, ut supra q. 488 dictum est. Licet autem delictum non sit legitime praescriptum, si agitur de infligenda censura, reus, nondum emendatus, reprehendatur et moneatur, ut a contumacia recedat, dato, si prudenti iudicis vel superioris arbitrio casus id ferat, congruo ad resipiscendum tempore; contumacia autem persistente censura infligi potest[32]. Si autem agitur de violato praecepto *peculiari,* quod communitum erat censura ferendae sententiae, non requiritur nova monitio, sed statim post delictum comprobatum censura infligi potest[33].

[27] c. 2229, § 2. [28] Ib. § 3. [29] c. 2228.

[30] c. 19. [31] c. 2235. [32] c. 2233, § 2.

[33] Pontif. Comm. d. 14 Iul. 1922 (Acta Ap. Sed. XIV 539).

TITULUS VII.

De poenarum remissione.

Q. 566. *Quid sit remissio poenarum et quomodo fiat?*

R. 1. Remissio poenarum in antiquo iure sumebatur etiam late pro indulgentiis vel pro remissione antiquarum poenitentiarum; hic autem remissio poenarum est vel *absolutio,* si agitur de censuris, vel *dispensatio,* si agitur de poenis vindicativis. Haec vero remissio nequit fieri nisi ab eo qui poenam tulit eiusve superiore aut successore aut legitime delegato. Iudex autem, *qui non est simul superior,* nequit poenam semel iniunctam remittere; eius enim munus finitum est, postquam sententiam poenalem tulit. Qui vero potest a lege eximere, potest quoque poenam legi adnexam remittere[34], iuxta adagium: qui potest maius, potest minus.

2. Ordinarius (i. e. Ordinarius loci vel superior maior religionis clericalis exemptae) habet amplas facultates remittendi poenas, sc.:

a) in casibus *occultis,* qui non sunt urgentiores, Ordinarius potest poenas latae sententiae iure communi statutas per se vel per alium remittere, exceptis censuris specialissimo vel speciali modo S. Sedi reservatis. In casibus autem *urgentioribus* Ordinarii pollent amplioribus facultatibus remittendi poenas, ut dicetur in titulis sequentibus.

b) in casibus *publicis* potest Ordinarius poenas latae sententiae iure communi statutas remittere, exceptis:

α) casibus ad forum contentiosum deductis;

β) censuris Sedi Apostolicae reservatis;

γ) poenis inhabilitatis ad beneficia, officia, dignitates, munera in Ecclesia, vocem activam et passivam eorumve privationis, suspensionis perpetuae, infamiae iuris, privationis iuris patronatus et privilegii seu gratiae a S. Sede concessae[35].

3. Poenae remissio vi aut metu gravi extorta ipso iure irrita est[36].

4. Poena valide remitti potest praesenti vel absenti, absolute vel condicionate, in foro externo vel interno tantum. Licet poena etiam oretenus remitti possit et hoc ita fieri soleat in foro interno, si tamen *scripto* inflicta fuerit, expedit, ut etiam eius remissio scriptis concedatur[37]. — Iam quaest. praec. dictum est, actionem poenalem praescribi triennio, quinquennio vel decennio.

SECTIO II.

De poenis in specie.

Tres species poenarum supra tit. IV indicatae sunt, sc. 1. poenae medicinales; 2. poenae vindicativae; 3. remedia poenalia et poenitentiae. Proinde haec sectio subdividitur in tres titulos.

[34] c. 2236. [35] c. 2237. [36] c. 2238. [37] c. 2240.

TITULUS VIII.

De poenis medicinalibus seu de censuris.

Subdividitur iste titulus in duo capita: 1. de censuris in genere; 2. de censuris in specie.

CAPUT I.

De censuris in genere.

Q. 567. *Quid sit censura?*

R. „Censura (prout hic sumitur) est poena (medicinalis), qua homo baptizatus delinquens et contumax quibusdam bonis spiritualibus vel spiritualibus adnexis, privatur donec a contumacia recedens absolvatur."[1]

Explicatur. Dicitur 1: *poena medicinalis,* quia primarius finis censurae est emendatio delinquentis seu medicinam praestare ad sanandum vulnus delicti. Proinde homo mortuus vel etiam perfecte emendatus nequit censura plecti; econtra homo, de cuius emendatione valde dubitatur, potest nihilominus censura plecti, quia aliqua spes emendationis semper remanet, et deinde quia censura etiam inservit ad alios deterrendos a delictis.

Dicitur 2: *qua homo baptizatus delinquens et contumax* ... quibus verbis significatur subiectum censurae. Requiritur baptismus, quia Ecclesia non solet punire nisi membra Ecclesiae; requiritur autem delictum seu culpa, quia censura est poena. Nulla vero poena sine culpa. Censura non infligitur nisi propter delictum externum, grave, consummatum et cum contumacia coniunctum[2]. Delictum sit *externum* oportet, quia nulla poena ecclesiastica infligitur pro delictis mere internis, ut iam supra dictum est. Delictum sit *grave* necesse est, quia censura est gravis poena, quae nequit infligi nisi pro gravi delicto. Nonnullae censurae, sc. suspensio et interdictum, possunt ferri in communitatem, in qua forte sunt innocentes. Tunc autem requiritur delictum grave ex parte communitatis; innocentes vero, utpote membra communitatis, debent patienter tolerare poenam, quae pro illis ceteroquin non est ita gravis. — Demum delictum sit coniunctum cum contumacia oportet. Contumacia censetur adesse, quando delinquens scienter transgreditur legem nec vult desistere a culpa, non obstante poena, seu quando delinquens contemnit legem. Si agitur de censuris *ferendae sententiae,* contumax est qui, non obstantibus monitionibus superioris, a delicto non desistit vel patrati delicti poenitentiam agere cum debita damnorum et scandali reparatione detrectat. Ad incurrendam vero censuram *latae sententiae* sufficit transgressio legis vel praecepti, cui est adnexa latae sententiae poena, nisi reus legitima causa (ignorantia, metu, morali impossibilitate) excusatur. Contumaciam desiisse dicendum est, cum reum delicti commissi vere poenituerit et simul ipse congruam satisfactionem pro damnis et scandalo dederit aut saltem serio promiserit. Iudicare autem, utrum poenitentia sit vera, satisfactio sit congrua aut eiusdem promissio seria necne, illius est, a quo censurae absolutio petitur[3]. Ergo hoc saepe pertinet ad confessarium.

Dicitur 3: *privatur quibusdam bonis spiritualibus vel spiritualibus adnexis.* Bona haec sunt ea sola, de quibus Ecclesia libere disponit, e. gr. communio

[1] c. 2241, § 1. [2] c. 2242, § 1. [3] c. 2241.

fidelium, administratio sacramentorum, officia, beneficia etc. Censura autem minime privat (saltem per se) bonis iis, quae a) immediate a Christo procedunt, ut sunt character et potestas ordinis, gratia habitualis et actualis; b) producuntur a singulis fidelibus, ut sunt orationes privatae.

Nota. 1. Censurae, utpote medicinae amarae, ne infligantur nisi sobrie et magna cum circumspectione[4]; secus potius obsunt quam prosunt.

2. Censurae inflictae: a) per sententiam iudicialem; b) ad modum praecepti *statim* ac latae fuerint, exsecutionem secum ferunt, nec ab eis datur appellatio, nisi in devolutivo. Appellatio vel recursus a sententia iudiciali vel praecepto comminante censuras etiam latae sententiae *nondum contractas*, nec sententiam aut praeceptum nec censuras suspendunt, si agatur de re, in qua ius non admittit appellationem vel recursum etiam cum effectu suspensivo; secus censuras suspendunt, firma tamen obligatione servandi id, quod sententia aut praecepto mandatur, nisi reus appellationem vel recursum interposuerit non a sola poena, sed ab ipsa quoque sententia vel praecepto[5].

Q. 568. *Quomodo censurae dividantur et multiplicentur?*

R. 1. Censurae dividuntur:

a) Ratione *speciei* in excommunicationem, suspensionem, interdictum. De singulis infra sermo redibit.

b) Ratione *causae efficientis* in censuras latas a iure et ab homine. Censurae feruntur a iure, si per stabilem legem contra determinata delicta infliguntur; feruntur autem ab homine, si per sententiam particularem in personam determinatam fulminantur, e. gr. si episcopus aliquem determinatum clericum propter speciale delictum suspendit.

c) Ratione *modi*, in latae et ferendae sententiae. Censura latae sententiae incurritur ipso facto criminis patrati absque ulla alia sententia condemnatoria. In foro externo solet quidem saepe requiri sententia declaratoria criminis et censurae, sed in foro interno talis censura incurritur eo ipso, quod patratum est crimen, e. gr. qui sine debita licentia legit libros haereticos, est eo ipso excommunicatus in foro interno. — Censura ferendae sententiae in neutro foro incurritur nisi post sententiam *condemnatoriam*.

d) Ratione *potestatis absolvendi* in censuras reservatas et nonreservatas. Censura latae sententiae non est reservata, nisi in lege vel praecepto id expresse dicatur; in dubio autem sive iuris sive facti non urget reservatio, quippe quae tamquam res odiosa sit stricte interpretanda. Censura ab homine est semper reservata, et quidem ei, qui censuram inflixit aut sententiam tulit, eiusve superiori competenti vel successori vel delegato[6]. Ex censuris a iure reservatis aliae sunt reservatae Ordinario (episcopo, superiori maiori religioso), aliae Apostolicae Sedi; e reservatis autem Apostolicae Sedi sunt tres gradus, sc. reservatae simpliciter, specialiter, specialissime[7]. Ne reservetur censura nisi attenta peculiari gravitate delictorum et necessitate aptius providendi disciplinae ecclesiasticae et medendi conscientiis fidelium. Censurae enim nimis numerosae solent parvipendi

[4] c. 2241, § 2. [5] c. 2243. [6] c. 2245, § 2. [7] Ib.

et potius nocere quam prodesse disciplinae ecclesiasticae. — Reservatio censurae impedientis receptionem sacramentorum, e. gr. excommunicatio reservata, importat reservationem peccati, cui censura adnexa est; verum si quis a censura excusatur, e. gr. propter ignorantiam, vel si a censura fuit absolutus, reservatio peccati penitus cessat[8]. Si censura Sedi Apostolicae reservata est, Ordinarius nequit aliam censuram sibi reservatam in idem delictum ferre, quia secus censurae inutiliter cumularentur. Quare e. gr. cum lectio librorum haereticorum sit punita excommunicatione Sedi Apostolicae reservata, episcopus nequit aliam censuram propter hoc delictum infligere. Reservatio censurae latae a lege in particulari territorio, e. gr. in dioecesi, vim suam extra illius territorii fines non exserit, etiamsi censuratus ad absolutionem obtinendam e territorio egreditur; censura vero ab homine est ubique locorum reservata ita ut censuratus nullibi absolvi sine debitis facultatibus possit[9]. Hinc qui in aliqua dioecesi incurrit excommunicationem episcopo reservatam ob procuratum incestum, potest in alia dioecesi, ubi haec excommunicatio non exsistit aut non reservatur episcopo, absolvi a simplici confessario; econtra clericus, qui a suo epsicopo est suspensus, nequit in alia dioecesi absolvi ab hac suspensione. — Si confessarius ignorans reservationem poenitentem a censura et peccato absolvit, absolutio censurae valet, dummodo ne sit a) censura ab homine; b) censura specialissimo modo S. Sedi reservata[10].

2. Censurae multiplicantur:

a) si diversa delicta, quorum singula censuram secum ferunt, eadem vel distincta actione committuntur, e. gr. si quis abortum procuravit et libros haereticos legit, incurrit duas excommunicationes;

b) si idem delictum, censura punitum, pluries repetitur, ita ut plura sint delicta distincta, e. gr. si confessarius pluries absolvit suum complicem;

c) si delictum, diversis censuris a distinctis superioribus punitum, semel aut pluries committitur. Iste casus est valde rarus, cum Ordinarius nequeat aliam censuram reservatam ferre in delictum, quod iam punitum est a S. Sede censura reservata, ut iam dictum est;

d) si plura praecepta vel plures sententiae vel plures distinctae partes eiusdem sententiae aut praecepti suam quaeque censuram infligunt. Quod quidem in solis censuris ab homine contingere potest[11].

Q. 569. *Quomodo censurae incursae tollantur?*

R. 1. Quaelibet censura, semel contracta, non tollitur nisi legitima *absolutione;* ergo neque lapsu temporis neque emendatione delinquentis. Absolutio autem negari nequit, cum primum delinquens a contumacia recessit, i. e. se emendavit et paratus est satisfactionem et reparationem praestare. Nihilominus absolvens a censura potest, si res ferat, pro patrato delicto congruam vindicativam poenam vel

[8] c. 2246. [9] c. 2247, § 1 2. [10] Ib. § 3. [11] c. 2244.

poenitentiam infligere. Censura, per absolutionem sublata, non reviviscit nisi in casu, quo onus impositum sub poena reincidentiae impletum non fuerit[12]. De ista poena reincidentiae infra sermo erit.

2. Si quis pluribus censuris detinetur, potest ab una absolvi, ceteris non absolutis. Iste tamen casus sat raro occurit. Petens absolutionem a censuris debet casus omnes indicare, secus absolutio valet tantum pro casu expresso; quodsi absolutio, quamvis particularis petitio facta sit, fuerit generalis, ut solet semper esse in absolutione sacramentali, valet quoque pro reticitis *bona fide*, excepta censura specialissime S. Sedi reservata, non autem pro reticitis mala fide[13]. Hoc statutum est magni momenti practici. Etenim si quis, instituens confessionem generalem coram confessario habente amplas facultates dispensandi, obliviscitur alicuius delicti censura puniti, valide absolutus est etiam ab hac censura inculpabiliter reticita.

3. Si agitur de censura, quae non impedit sacramentorum receptionem, e. gr. de suspensione, censuratus rite dispositus et a contumacia recedens potest absolvi a peccatis, firma censura. Iste casus est sat rarus, cum hodie ampla facultas absolvendi sit concessa confessariis in casu urgentiore, ut infra dicetur. Si vero agitur de censura, quae impedit sacramentorum receptionem, e. gr. de excommunicatione, censuratus nequit a peccatis absolvi, nisi *prius* a censura absolutus fuerit. Absolutio censurae in foro sacramentali continetur in consueta forma absolutionis peccatorum in libris ritualibus praescripta; ac proinde confessarius absolvens poenitentem a censura nihil debet mutare in consueta forma absolutionis. In foro externo absolutio a censuris potest dari quolibet modo, sed convenit regulariter adhiberi ad excommunicationis absolutionem formam traditam in libris ritualibus[14].

4. Si absolutio censurae datur in foro externo, valet quoque pro foro interno; sin autem datur in foro interno, absolutus, remoto scandalo, potest se habere absolutum etiam in actibus fori externi; sed, nisi concessio absolutionis probetur aut saltem legitime praesumatur in foro externo, censura potest a superioribus fori externi, quibus reus parere debet, urgeri, donec absolutio in eodem foro habita fuerit[15]. Iste casus potest facile accidere, si poenitens, qui propter matrimonium mixtum illicite contractum excommunicatus fuit, absolvitur a confessario.

5. Poenitens *in periculo mortis* constitutus potest absolvi a quolibet sacerdote (etiam non approbato et etiam praesente alio approbato) a quibuslibet censuris[16]. Sed tamen, si poenitens absolutus fuit a sacerdote specialis facultatis experte, et postea convalescit, debet infra mensem sub poena reincidentiae recurrere vel a) ad illum, qui censuram tulit, si fuerit absolutus a censura ab homine; vel b) ad S. Poenitentiariam aliumve facultate praeditum, si fuerit absolutus a

[12] c. 2248. [13] c. 2249. [14] c. 2250. [15] c. 2251. [16] c. 882.

censura specialissime S. Sedi reservata; eorumque mandatis stare debet[17].

6. Extra *periculum mortis* ordinarie possunt absolvere:

a) a censura non reservata, in foro sacramentali quilibet confessarius; extra forum sacramentale, quicumque iurisdictionem in foro externo habet in reum;

b) a censura *ab homine* ille, cui censura reservata est (vel eius successor, superior, delegatus); ipse autem potest absolutionem concedere, etiamsi reus alio transtulit domicilium vel quasi-domicilium. Potest enim absolutio dari etiam absenti;

c) a censura *a iure reservata* ille, qui censuram constituit vel cui reservata est, eorumque successores aut competentes superiores aut delegati. Quare a censura reservata episcopo vel Ordinario quilibet Ordinarius absolvere potest suos subditos, loci vero Ordinarius etiam peregrinos; a censura autem reservata S. Sedi absolvere possunt omnes qui impetraverunt absolvendi facultatem a S. Sede. Quae quidem facultas debet esse specialissima, si agitur de absolutione censurae specialissime reservata; debet esse specialis, si censura est specialiter reservata; sufficit autem generalis facultas, si agitur de absolutione censurae simpliciter S. Sedi reservatae[18].

7. *In casibus urgentioribus* quilibet confessarius potest in foro sacramentali absolvere ab omnibus censuris latae sententiae quoquo modo reservatis; debet autem iniungere sub poena reincidentiae, ut a) poenitens intra mensem (saltem per epistolam et per confessarium, si id fieri potest sine gravi incommodo, reticito nomine) recurrat ad S. Poenitentiariam vel ad episcopum aliumve superiorem praeditum facultate, atque b) stet eius mandatis. Casus urgentior exsistit, si censura latae sententiae exterius servari nequit sine periculo gravis scandali vel infamiae, aut si durum est poenitenti in statu gravis peccati permanere per tempus necessarium, ut superior competens provideat[19]. Nihil impedit, quominus poenitens, etiam post acceptam absolutionem in tali casu urgentiore, facto quoque recursu ad superiorem, alium adeat confessarium facultate praeditum ab eoque, repetita confessione *saltem delicti cum censura*, consequatur absolutionem; qua obtenta, debet quidem mandata huius confessarii exsequi, sed tunc amplius non tenetur stare aliis mandatis ex parte superioris postea supervenientibus[20]. — Quodsi in casu aliquo extraordinario hic recursus (ad superiorem vel ad confessarium facultate praeditum) est moraliter impossibilis, tunc ipsemet confessarius potest absolutionem concedere sine onere recursus (excepto casu absolutionis complicis); debet tamen a) iniungere de iure iniungenda, sc. reparationem scandali et damnorum; b) imponere congruam poenitentiam et satisfactionem pro censura, ita ut poenitens, nisi intra congruum tempus a confessario praefiniendum poenitentiam

[17] c. 2252. Cf. Pontif. Com. d. 12 Nov. 1922 (Acta Ap. Sed. XIV 663).
[18] c. 2253. [19] c. 2254, § 1. [20] Ib. § 2.

egerit ac satisfactionem dederit, recidat in censuram[21]. Si ergo e. gr. confessarius in casu urgentiore, ubi recursus ad superiorem vel ad confessarium facultate praeditum fuit impossibilis, absolvit poenitentem, qui scienter legit libros haereticos, debet a) exigere, ut poenitens istos libros destruat vel remittat alteri, qui habet facultatem retinendi libros haereticos; b) imponere poenitentiam sacramentalem; c) imponere poenitentiam specialem pro absolutione a censura, e. gr. visitationem alicuius ecclesiae faciendam intra spatium unius hebdomadae; d) indicare poenitenti, ipsum iterum recidere in excommunicationem, si intra hebdomadam non peregerit hanc visitationem.

CAPUT II.
De censuris in specie.

Praenotamen. 1. Ut iam supra dictum est, dantur tres species censurarum: excommunicatio, interdictum, suspensio. Excommunicatio afficere potest tantum personas *physicas*, et ideo, si quando fertur in corpus morale, intelligitur illos solos afficere, qui in delictum concurrerunt. Interdictum autem et suspensio afficiunt etiam communitatem, ut personam moralem. Excommunicatio et interdictum possunt afficere tam clericos quam laicos, suspensio autem solos clericos; interdictum etiam locum. Excommunicatio est semper censura; interdictum autem et suspensio possunt esse vel censurae vel poenae vindicativae, sed in dubio praesumuntur censurae[22].

2. In canonibus, qui sequuntur,

a) nomine *divinorum officiorum* intelliguntur eae functiones potestatis ordinis, quae de instituto Christi vel Ecclesiae ad divinum cultum ordinantur et a solis clericis fieri queunt, seu brevius: functiones stricte liturgicae.

b) nomine *actuum legitimorum ecclesiasticorum* (kirchliche Rechtsgeschäfte) significantur: munus administratoris gerere bonorum ecclesiasticorum; partes agere iudicis, auditoris et relatoris, defensoris vinculi, promotoris iustitiae et fidei, notarii et cancellarii, cursoris et apparitoris, advocati et procuratoris in causis ecclesiasticis; munus patrini agere in sacramentis baptismi et confirmationis; suffragium ferre in electionibus ecclesiasticis, ius patronatus exercere[23]. Quamquam in antiquo iure nonnumquam sermo fuit de actibus legitimis ecclesiasticis (e. gr. Leo X const. „Exurge" d. 16 Iun. 1520), tamen privatio actuum legitimorum, in quantum fuit distincta a poena infamiae, rarissime in usu fuit. Terminologia actus legitimi videtur esse desumpta ex iure Iustiniani; cf. l. 77, D 50, 17; Cod. l. 21, 1, 5.

ARTICULUS I.
De excommunicatione.

Q. 570. *Quid et quotuplex sit excommunicatio?*

R. 1. Excommunicatio est censura, qua quis (i. e. *persona physica*) privatur ecclesiastica communione fidelium. Excommunicatio (quae dicitur quoque anathema, praesertim si cum sollemnitatibus infligitur, quae in Pontificali Romano describuntur) est inter omnes censuras gravissima, propter eius duros effectus.

[21] c. 2254, § 3. [22] c. 2255. [23] c. 2256.

2. Omissa antiqua et obsoleta divisione excommunicationis in maiorem et minorem, nunc distinguuntur excommunicati *vitandi* et *tolerati*. Nemo autem est excommunicatus vitandus, nisi vel a) fuerit nominatim *a S. Sede* (non ab alio superiore) excommunicatus, excommunicatio fuerit publice denuntiata et in decreto vel sententia expresse dicatur ipsum vitari debere; vel b) violentas manus iniecerit in personam Romani Pontificis[24]. Quare hodie rarissimi sunt excommunicati vitandi.

Q. 571. *Quinam sint effectus excommunicationis?*

R. Effectus excommunicationis sunt vel immediati (directi) vel mediati (indirecti).

1. **Effectus immediati** comprehenduntur his versiculis:
„Res sacrae, ritus, communio, crypta, potestas,
Praedia sacra, forum, civilia iura vetantur."

a) *Res sacrae* sunt sacramenta et sacramentalia. Excommunicatus nequit licite suscipere sacramenta; immo post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam ne sacramentalia quidem[25]. Prohibetur quoque excommunicatus sacramenta et sacramentalia conficere aut administrare, nisi sit ex iusta causa requisitus a fidelibus. Fideles enim possunt ex qualibet iusta causa ab excommunicato sacramenta et sacramentalia petere, maxime si alii ministri desunt, et tunc excommunicatus requisitus potest eadem administrare neque tenetur percontari causam a requirente. Excipiuntur tamen excommunicati vitandi et alii excommunicati post sententiam condemnatoriam aut declaratoriam. Ab his enim fideles in solo mortis periculo possunt petere tam absolutionem sacramentalem, quam etiam, si alius deest minister, cetera sacramenta[26].

b) *Ritus* hic intelliguntur divina officia liturgica, quae a solis clericis fieri possunt. Excommunicatus quilibet caret iure assistendi istis divinis officiis, non autem prohibetur assistere praedicationi verbi Dei. Immo si excommunicatus toleratus *passive* assistit aliis divinis officiis, non est necesse ut expellatur. Excommunicatus autem *vitandus* assistens divinis officiis est expellendus, aut, si expelli nequit, ab officio cessandum est, dummodo id fieri possit sine gravi incommodo[27]. Ergo iam non videtur esse necessarium abrumpere Missam inceptam, cum id semper causet grave incommodum. Ab assistentia *activa,* quae secum fert aliquam participationem in celebrandis divinis officiis, repellatur non solum vitandus, sed etiam quilibet post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam aut alioquin notorie excommunicatus, e. gr. haereticus.

c) *Communio* hic intelliguntur publica suffragia Ecclesiae et indulgentiae. Excommunicatus non fit particeps indulgentiarum, suffragiorum, publicarum Ecclesiae precum; non autem prohibentur fideles privatim pro eo orare; immo sacerdotes possunt privatim, ac remoto scandalo, pro eo applicare Missam; sed, si est vitandus, pro eius conversione tantum[28].

[24] c. 2258. [25] c. 2260, § 1. [26] c. 2261.
[27] c. 2259, § 2. [28] c. 2262.

d) *Crypta*, i. e. sepultura ecclesiastica, interdicitur excommunicatis post sententiam condemnatoriam vel declaratoriam[29], item omnibus notoriis apostatis a fide, haereticis, schismaticis, francomuratoribus[30].

e) *Potestas* hic significat: α) iurisdictionem ecclesiasticam; β) ius eligendi, praesentandi, nominandi; γ) facultatem consequendi officia et munera ecclesiastica, aut ordines; δ) facultatem exercendi actus legitimos. Circa haec omnia statuuntur: Removetur excommunicatus ab actibus legitimis ecclesiasticis intra fines iure definitos; prohibetur ecclesiasticis officiis seu muneribus fungi concessisque antea ab Ecclesia privilegiis frui[31]. — Actus *iurisdictionis* fori tam externi quam interni positus ab excommunicato est illicitus, nisi sit requisitus a fidelibus; post sententiam vero condemnatoriam vel declaratoriam excommunicatus tales actus exercet *invalide*, praeterquam quando administrat sacramenta fideli versanti in periculo mortis[32], ut supra dictum est. Quilibet excommunicatus prohibetur iure eligendi, praesentandi, nominandi; nequit consequi dignitates, officia, beneficia, pensiones ecclesiasticas aliudve munus in Ecclesia; actus tamen positi contra hoc statutum sunt validi, nisi positi fuerint ab excommunicato vitando vel ab alio excommunicato post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam; quo in casu excommunicatus nequit praeterea gratiam ullam *pontificiam* valide consequi, nisi in pontificio rescripto mentio fiat de excommunicatione[33]. Ceterae excommunicationes iam non officiunt rescriptis pontificiis, ut antea erat. Excommunicatus nequit ad ordines promoveri.

f) *Praedia sacra* sunt fructus ecclesiastici. Quilibet excommunicatus nequit consequi beneficia et pensiones ecclesiasticas, ut iam dictum est. Post sententiam autem condemnatoriam vel declaratoriam excommunicatus manet privatus fructibus dignitatis, officii, beneficii, pensionis, muneris, si quod habet in Ecclesia; et vitandus ipsamet dignitate, officio, beneficio, pensione, munere[34].

g) *Forum*, i. e. facultas agendi in tribunali ecclesiastico. Iuxta vigentem disciplinam excommunicatis vitandis aut toleratis post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam permittitur, ut *per se ipsi* agant tantummodo ad impugnandam iustitiam aut legitimitatem ipsius excommunicationis; per procuratorem possunt agere ad aliud quodvis *animae* suae praeiudicium avertendum; in reliquis ab agendo repelluntur. Alii excommunicati generatim stare in iudicio queunt[35].

h) *Civilia iura*, i. e. communicatio in profanis, hodie solis excommunicatis vitandis interdicuntur. Ab hac autem prohibitione eximuntur coniux, parentes, liberi, famuli, subditi et generatim omnes, quando adest rationabilis causa excusans[36].

2. **Effectus mediati** (indirecti) excommunicationis sunt:

[29] c. 1240, § 1, n. 2. [30] Ib.; cf. supra q. 380.
[31] c. 2263. [32] c. 2264. [33] c. 2265.
[34] c. 2266. [35] c. 1654. [36] c. 2267.

a) *Irregularitas*. Clericus excommunicatus (vel alia poena canonica irretitus) exercens sacrum (non autem minorem) ordinem fit irregularis[37].

b) *Suspicio haeresis*. Si enim quis, obdurato animo, per annum insorduerit in censura excommunicationis, est de haeresi suspectus[38]. Haec tamen haeresis suspicio non videtur cadere nisi in excommunicatos per sententiam declaratoriam aut condemnatoriam.

ARTICULUS II.

De interdicto.

Q. 572. *Quid et quotuplex sit interdictum?*

R. 1. Interdictum est censura, qua fideles, in communione Ecclesiae permanentes, prohibentur quibusdam sacramentis aliisque sacris. Interdictum, cum non destruat communionem Ecclesiae, est levior poena quam excommunicatio; non autem semper est censura, sed aliquando est poena vindicativa, ut iam supra dictum est. In dubio praesumitur esse censura.

2. *Divisiones* interdicti sunt:

a) *personale* (vel directum), quod directe ipsam personam afficit eamque ubique sequitur; et *locale* (indirectum), quod directe afficit locum in quo dispensatio vel perceptio sacramentorum et sacramentalium interdicitur; indirecte autem afficit personas (etiam exteras) in tali loco degentes[39];

b) *generale*, quod afficit vel integrum territorium vel universum populum alicuius territorii; et *particulare*, quod afficit tantum partem territorii vel populi. „Generale interdictum tam locale in territorium dioecesis, reipublicae, quam personale in populum dioecesis vel reipublicae ferri potest a sola S. Sede vel de eius mandato; interdictum vero generale in paroeciam vel paroeciae populum et particulare (sive locale sive personale) etiam episcopus ferre potest"[40];

c) Interdictum *ab ingressu ecclesiae*, quod secum fert prohibitionem, ne quis in ecclesia divina officia celebret vel iisdem assistat aut sepulturam ecclesiasticam habeat. Si autem taliter interdictus nihilominus assistit, non est necesse ut expellatur, nec, si sepultus est, oportet ut cadaver amoveatur[41].

Q. 573. *Quinam sint effectus interdicti?*

R. 1. Effectus interdicti *localis* sunt:

a) Prohibitio exercendi in loco interdicto quodlibet divinum officium vel sacrum ritum. Sunt tamen nonnullae exceptiones:

α) Interdictum locale (sive generale sive particulare) non vetat morientibus sacramenta et sacramentalia ministrare[42].

β) In die Nativitatis Domini, Paschatis, Pentecostes, SS. Corporis Christi, B. Mariae Virginis in coelum assumptae interdictum locale

[37] c. 985, n. 7. [38] c. 2340, § 1. [39] c. 2268, § 2.
[40] c. 2269, § 1. [41] c. 2277. [42] c. 2270, § 1.

suspenditur, et prohibetur tantum collatio ordinum et sollemnis nuptiarum benedictio[43].

γ) Permittitur clericis, durante interdicto locali generali (nisi aliud expresse caveatur, et dummodo ipsi ne sint personaliter interdicti), omnia divina officia et sacros ritus in quacumque ecclesia aut oratorio *privatim* obire, ianuis clausis, voce submissa et campanis non pulsatis[44].

δ) In ecclesia cathedrali, ecclesiis paroecialibus vel in ecclesia, quae unica est in oppido (in iisque solis), permittuntur unius Missae celebratio, asservatio ss. Sacramenti, administratio baptismatis, Eucharistiae, poenitentiae, assistentia matrimonii (exclusa benedictione nuptiali), mortuorum exsequiae (vetita tamen quavis sollemnitate), benedictio aquae baptismalis et sacrorum oleorum, praedicatio verbi Dei. In his tamen sacris functionibus prohibentur cantus et pompa in sacra supellectili et sonitus campanarum, organorum aliorumve instrumentorum musicalium; sacrum autem Viaticum ad infirmos privatim deferatur[45].

b) In interdicto locali *particulari*, si interdictum est altare vel sacellum alicuius ecclesiae, nullum sacrum officium seu sacer ritus in iisdem celebretur; si interdictum est coemeterium, fidelium quidem cadavera ibidem sepeliri possunt, sed sine ullo ecclesiastico ritu; si interdicta est ecclesia vel oratorium, distinctione opus est: si est ecclesia capitularis nec interdictum est ipsum capitulum, possunt ibi quidem divina officia celebrari, sed privatim et ianuis clausis. Ordinarie tamen tunc praecipitur, ut Missa conventualis et horae canonicae celebrentur in alia ecclesia vel oratorio. Si ecclesia est *paroecialis*, permittuntur celebratio unius Missae aliaque sub δ) indicata. Sed etiam tunc ordinarie per interdicti decretum alia ecclesia substituitur[46]. — Interdicta civitate, interdicta quoque manent loca accessoria etiam *exempta* et ipsa ecclesia cathedralis; interdicta ecclesia, interdicta sunt sacella contigua, non vero coemeterium; interdicto sacello, non est interdicta integra ecclesia, ut patet; nec, interdicto coemeterio, interdicta est ecclesia ipsi contigua, sed interdicta sunt oratoria in coemeterio erecta[47].

2. Effectus interdicti *personalis* sunt:

Personaliter interdicti a) nequeunt divina officia celebrare iisve (excepta praedicatione verbi Dei) assistere; *passive* autem assistentes non est necesse ut expellantur; sed ab assistentia *activa*, quae aliquam secum fert participationem in divinis officiis celebrandis, repellantur interdicti post latam sententiam condemnatoriam vel declaratoriam, aut alioquin notorie interdicti. b) Prohibentur sacramenta et sacramentalia ministrare, conficere et recipere, nisi in casibus, quibus hoc licet excommunicatis, ut supra q. 571 a) dictum est. c) Prohibentur iure eligendi, praesentandi, nominandi; nequeunt consequi dignitates, officia, beneficia, pensiones ecclesiasticas aliudve munus in Ecclesia; promoveri ad ss. ordines; valent tamen hac in re eaedem restrictiones, quae supra q. 571 e) de excommunicatis dictae sunt. d) Carent sepultura ecclesiastica, si sunt interdicti per sententiam condemnatoriam vel declaratoriam neque ante mortem signa poenitentiae dederint[48].

[43] c. 2270, § 2. [44] c. 2271, n. 1. [45] Ib. n. 2. [46] c. 2272. [47] c. 2273.

Si communitas seu collegium delictum perpetravit, interdictum ferri potest vel a) in singulas personas delinquentes, vel b) in communitatem, uti talem, vel demum c) in singulas personas delinquentes *et* in communitatem. Si primum, valent effectus interdicti personalis modo enumerati; si secundum, communitas seu collegium nequit ius ullum spirituale exercere, quod secus ei competit; si tertium, effectus interdicti personalis et communitatis cumulantur[49].

Nota. 1. Qui interdicto locali vel interdicto in communitatem seu collegium subest, quin eidem causam dederit, nec alia censura prohibetur, potest, si est rite dispositus, sacramenta suscipere sine absolutione ab interdicto aliave satisfactione[50].

2. In praxi quoad effectus interdicti maxime attendendum est ad ipsum decretum superioris, qui solet in unoquoque casu accurate determinare, quinam actus sint interdicti.

ARTICULUS III.
De suspensione.

Q. 574. *Quid et quotuplex sit suspensio?*

R. 1. „Suspensio est censura, qua clericus officio vel beneficio vel utroque prohibetur.“[51] Suspensio autem aliquando non est censura, sed poena vindicativa, ut iam supra dictum est.

2. Divisiones suspensionis in definitione modo data includuntur; distinguuntur namque suspensio a) ab officio, b) a beneficio, c) ab officio et beneficio. Aliae divisiones quaest. seq. afferentur.

3. Suspensio *generaliter* lata afficit omnia officia vel beneficia, quae clericus habet in dioecesi superioris suspendentis, nisi aliud apparet[52]. Loci autem Ordinarius nequit clericum suspendere a determinato officio, quod in aliena dioecesi reperitur, quia hoc esset iurisdictionem exercere in alieno territorio. Sin autem suspensio latae sententiae a iure communi irrogatur, ea afficit omnia officia vel beneficia, in quacumque dioecesi possidentur[53].

Q. 575. *Quinam sint effectus suspensionis?*

R. 1. Effectus suspensionis *ab officio* sunt varii, prout ipsa suspensio varia est. Sin autem *simpliciter* lata est suspensio ab officio, nulla adiecta limitatione, tunc vetatur omnis actus tam potestatis ordinis et iurisdictionis quam etiam merae administrationis ex officio competentis, excepta administratione bonorum proprii beneficii[54]. Quantum ad varias suspensiones haec breviter notentur:

a) Suspensio *a iurisdictione* generatim pro utroque foro vetat omnem actum potestatis iurisdictionis tam ordinariae quam delegatae. Attamen

[48] c. 2275. [49] c. 2274. [50] c. 2276. [51] c. 2278, § 1.
[52] c. 2281. [53] c. 2282. [54] c. 2279, § 1.

in hoc casu talis actus tunc solummodo est *invalidus,* si lata est sententia condemnatoria vel declaratoria, aut si superior expresse declaravit, se ipsam iurisdictionis potestatem revocare; secus actus est illicitus tantum; immo est licitus, si a fidelibus petitus fuit[55]. Si ergo e. gr. sacerdos suspensus absolvit poenitentem, ordinarie valide et licite agit, si fuit a poenitente requisitus.

b) Suspensio *a divinis* vetat omnem actum potestatis ordinis, quam quis sive per sacram ordinationem sive per privilegium obtinet.

c) Suspensio *ab ordine* varios effectus producit, prout est α) ab ordinibus, quo in casu prohibet omnem actum potestatis ordinis receptae per ordinationem; β) a *sacris* ordinibus; tunc enim prohibetur solum exercitium ordinis sacri; γ) a certo et definito ordine. Taliter suspensus non solum prohibetur istum ordinem exercere, sed etiam conferre aut superiorem ordinem recipere[56].

d) Suspensio a *certo et definito ministerio vel officio* vetat, ut patet, omnem actum talis ministerii vel officii.

e) Suspensio ab *ordine pontificali* prohibet omnem actum potestatis ordinis episcopalis.

f) Suspensio a *pontificalibus* vetat actum pontificalium, qui sc. requirit insignia pontificalia, i. e. mitram et baculum.

2. Effectus suspensionis a *beneficio* est privatio fructuum beneficii, excepta habitatione in aedibus beneficialibus, non autem iuris administrandi bona beneficialia, nisi decretum vel sententia suspensionis ipsam administrandi potestatem suspenso expresse adimat et alii tribuat. Si beneficiarius suspensus nihilominus fructus percipit, debet eos restituere, et ad hanc restitutionem cogi potest canonicis quoque, si opus sit, sanctionibus[57].

3. Effectus *cuiuslibet* suspensionis est, ut suspensus prohibeatur quidem iure eligendi, praesentandi, nominandi, consequendi dignitates, officia, beneficia, pensiones ecclesiasticas aliudve munus in Ecclesia. Actus tamen positus a suspenso non est nullus, nisi fuit suspensus per sententiam declaratoriam aut condemnatoriam. Quodsi haec sententia fuit lata, suspensus nequit praeterea gratiam ullam pontificiam valide consequi, nisi in pontificio rescripto mentio de suspensione fiat. Insuper quilibet suspensus nequit ad alios ordines promoveri[58].

4. Si communitas seu collegium clericorum delictum commisit, suspensio ferri potest vel in singulas personas delinquentes vel in communitatem, uti talem, vel in personas delinquentes *et* communitatem. Tunc valent eadem, quae supra q. 573 dicta sunt de interdicto; sc. si primum, tunc adsunt effectus supra n. 1—3 indicati; si secundum, tunc communitas prohibetur exercitio iurium spiritualium, quae ipsi ut communitati competunt; si tertium, effectus singularum personarum et communitatis cumulantur[59].

[55] c. 2284. [56] c. 2279, § 2. [57] c. 2280.
[58] c. 2283. [59] c. 2285.

TITULUS IX.

De poenis vindicativis.

Praenotamen. Dividitur iste titulus in duo capita: 1. de poenis vindicativis communibus, i. e. de iis, quae possunt ferri tam in clericos quam in laicos; 2. de peculiaribus clericorum poenis vindicativis. — Poenae vindicativae (Sühnestrafen) illae sunt, quae directe ad delicti expiationem tendunt, ita ut earum remissio e cessatione contumaciae delinquentis non pendeat[1]. Ergo in poenis vindicativis primarius finis est reparatio ordinis socialis laesi, secundarius autem finis est emendatio delinquentis. Ab inflictis poenis vindicativis datur appellatio seu recursus *in suspensivo,* nisi aliud in iure expresse caveatur[2], cum tales poenae ordinarie infligantur per veram sententiam iudicialem. Exceptis poenis degradationis, depositionis, privationis officii aut beneficii, et nisi urget necessitas reparandi scandalum, remittitur prudentiae iudicis, *si reus post vitam laudabiliter peractam prima vice deliquit,* poenae inflictae exsecutionem suspendere, ea tamen condicione, ut, si reus intra proximum triennium aliud delictum eiusdem vel alterius generis commiserit, poenam utrique delicto debitam luat[3].

Poena vindicativa finitur aut a) eius expiatione aut b) eius dispensatione a competenti superiore[4]. In casibus *occultis urgentioribus,* si ex observatione poenae vindicativae latae sententiae reus se ipsum proderet cum infamia et scandalo, quilibet confessarius potest in foro sacramentali obligationem servandae poenae suspendere, iniuncto onere recurrendi saltem intra mensem per epistolam et per confessarium, si id fieri potest sine gravi incommodo, reticito nomine, ad S. Poenitentiariam vel ad episcopum facultate praeditum, et standi eius mandatis. Quodsi in aliquo casu extraordinario hic recursus est impossibilis, tunc ipse confessarius potest dispensationem concedere, sicut supra dictum est de absolutione censurarum in casibus urgentioribus[5].

CAPUT I.

De poenis vindicativis communibus.

Q. 576. *Quaenam sint poenae vindicativae communes?*

R. Poenae vindicativae, quae omnes fideles afficere possunt, in Ecclesia praesertim sunt duodecim[6]:

1. Interdictum locale et interdictum in communitatem seu collegium in perpetuum vel ad tempus praefinitum vel ad beneplacitum superioris. Iam supra dictum est, interdictum esse aliquando censuram et in dubio praesumendam esse censuram.

2. Interdictum ab ingressu ecclesiae in perpetuum vel ad tempus praefinitum vel ad beneplacitum superioris.

3. Poenalis translatio vel suppressio sedis episcopalis vel paroecialis. Talis „poenalis suppressio vel translatio sedis episcopalis est

[1] c. 2286. [2] c. 2287.
[3] c. 2288. In modernis codicibus criminalibus simile quid habetur, nempe condicionata gratiatio seu venia (bedingte Begnadigung); vel condicionata condemnatio (bedingte Verurteilung).
[4] c. 2289. [5] c. 2290. [6] c. 2291.

Romano Pontifici reservata; sedis autem paroecialis a locorum Ordinariis decerni nequit nisi cum consilio capituli"[7].

4. Infamia iuris.

5. Privatio sepulturae ecclesiasticae.

6. Privatio sacramentalium.

7. Privatio vel suspensio temporaria pensionis, quae ab Ecclesia solvitur, vel privatio suspensiove alius iuris seu privilegii ecclesiastici.

8. Remotio ab actibus legitimis ecclesiasticis exercendis.

9. Inhabilitas ad gratias ecclesiasticas aut munia in Ecclesia, quae statum clericalem non requirunt, vel ad gradus academicos auctoritate ecclesiastica consequendos. Talem poenam inhabilitatis una S. Sedes potest infligere, si agitur de rebus, ad quas consequendas capacitas iure communi statuitur. Iura iam quaesita non amittuntur ob supervenientem inhabilitatem, nisi huic addatur poena privationis[8].

10. Privatio vel suspensio *ad tempus* muneris, facultatis vel gratiae iam obtentae.

11. Privatio iuris praecedentiae vel vocis activae et passivae vel iuris ferendi titulos honoris, vestem, insignia, quae Ecclesia concessit, e. gr. si quis praelatus domesticus privatur usu vestis praelatitiae.

12. Mulcta pecuniaria. Tales mulctas iure communi inflictas, quarum erogatio non est eodem iure praefinita, aliasque iure particulari statutas vel statuendas Ordinarii locorum erogare debent in pios usus, non vero in commodum mensae episcopalis aut capitularis[9].

Q. 577. *Quid et quotuplex sit infamia, eius effectus, eius cessatio?*

R. 1. Infamia est bonae famae vel existimationis privatio vel saltem imminutio. Hic tantum sermo est de infamia canonica seu ecclesiastica, non autem de infamia *civili*, quae incurritur ex sententia iudicis civilis[10]. Fuerunt quidem nonnulli auctores putantes, illum, qui a iudice civili fuit declaratus infamis, esse quoque infamem in iure ecclesiastico, sed haec sententia iuxta modernam disciplinam non est vera, ut patebit ex definitionibus dandis de infamia iuris et facti. Non quidem negatur, eum, qui est civiliter infamis, esse quandoque etiam canonice infamem, sed hoc aliunde provenit et non ex sola infamia civili.

2. Distinguitur duplex infamia: altera iuris, altera facti. Infamia iuris ea sola est, quae in casibus *iure communi* expressis statuitur. Iamvero iuxta vigentem disciplinam sunt septem casus, in quibus ipso facto, et duo casus, in quibus post sententiam iudicis infamia iuris incurritur.

Ipso facto infames sunt:

a) Qui sectae acatholicae nomen dederunt vel publice adhaeserunt[11].

b) Qui species consecratas abiecit vel ad malum finem abduxit aut retinuit[12].

[7] c. 2292. [8] c. 2296. [9] c. 2297.
[10] Verlust der bürgerlichen Ehrenrechte. [11] c. 2314, § 1, n. 3. [12] c. 2320.

c) Qui cadavera vel sepulcra mortuorum violavit[13].

d) Qui violentas manus iniecit in Summum Pontificem, Cardinalem vel Legatum[14].

e) Duellantes eorumque patrini[15].

f) Bigami[16].

g) Laici legitime damnati ob delicta contra sextum praeceptum cum minoribus infra aetatem 16 annorum commissa, vel ob stuprum, sodomiam, incestum, lenocinium[17].

Infames declarandi sunt:

a) Apostatae a fide, haeretici, schismatici, nisi moniti resipuerint[18]; qui, si insuper sectae acatholicae nomen dederint vel publice adhaeserint, sunt ipso facto infames, ut supra dictum est.

b) Clerici ob eadem delicta contra sextum praeceptum commissa, quae modo de laicis indicata sunt, et insuper propter adulterium et bestialitatem. Incestus tamen limitatur ad consanguineos aut affines primi gradus[19].

Infamia *facti*[20] contrahitur, quando quis ob patratum delictum vel ob pravos mores bonam existimationem apud fideles probos et graves amisit; de quo iudicium spectat ad Ordinarium, e. gr. episcopum vel superiorem maiorem religiosum[21]. Sufficit quidem unum delictum probrosum, dummodo id sit notorium et tam grave, ut iuxta iudicium Ordinarii (non alius hominis) destruat bonam existimationem apud fideles probos et graves.

In antiquo iure infamia aliquando oriebatur *ex officiis probrosis*, e. gr. carnificis, histrionis etc. Iuxta vigentem autem disciplinam infamia oritur *ex solo delicto eoque proprio*. Quare nulla infamia afficit delinquentis consanguineos aut affines[22]. Quamvis parochus possit amoveri, quia eius consanguinei vel familiares cum eo viventes amiserunt bonam existimationem, tamen haec amotio non est proprie effectus infamiae, sed potius inde necessaria est, quia talis parochus non strenue amovit e domo sua tales homines infamatos.

3. **Effectus infamiae iuris** sunt:

a) Irregularitas ex defectu[23].

b) Inhabilitas ad obtinenda beneficia, pensiones, officia, dignitates ecclesiasticas[24].

c) Inhabilitas ad actus legitimos ecclesiasticos, e. gr. ad munus patrini, ad suffragium ferendum in electionibus ecclesiasticis[25].

d) Inhabilitas ad exercitium iuris aut muneris ecclesiastici[26].

e) Prohibitio exercendi ministerium in sacris functionibus[27].

Effectus infamiae facti sunt:

a) Repulsio a suscipiendis ordinibus, dignitatibus, beneficiis, officiis ecclesiasticis.

[13] c. 2328. [14] c. 2343. [15] c. 2351, § 2. [16] c. 2356. [17] c. 2357.
[18] c. 2314, § 1. [19] c. 2359, § 2. [20] Übler Leumund. [21] c. 2293, § 3.
[22] Ib. § 4. [23] c. 984, n. 5. [24] c. 2294. [25] Ib. [26] Ib. [27] Ib.

b) Repulsio ab exercendo sacro ministerio et ab actibus legitimis ecclesiasticis[28].

4. **Cessatio** infamiae *iuris* ex sola dispensatione S. Sedis obtinetur; cessat autem infamia *facti,* quando bona existimatio apud fideles probos et graves, omnibus perpensis adiunctis et praesertim diuturna rei emendatione, fuit recuperata. Iudicium de hac recuperatione pertinet ad Ordinarium, e. gr. ad episcopum vel superiorem religiosum maiorem. Quaenam sit *diuturna* emendatio, utrum e. gr. sufficiat triennalis, ut voluerunt nonnulli antiqui, relinquitur prudenti iudicio Ordinarii[29].

CAPUT II.

De peculiaribus clericorum poenis vindicativis.

Q. 578. *Quaenam sint poenae vindicativae clericis peculiares?*

R. Sunt item duodecim sicuti poenae vindicativae laicis et clericis communes, ita ut laicus duodecim, clericus autem viginti quattuor poenis vindicativis plecti possit:

1. „Prohibitio exercendi sacrum ministerium praeterquam in certa ecclesia."[30]

2. „Suspensio in perpetuum vel ad tempus praefinitum vel ad beneplacitum superioris." Supra dictum est, suspensionem aliquando esse non poenam vindicativam, sed censuram.

3. „Translatio poenalis ab officio vel beneficio obtento ad inferius" (officium vel beneficium).

4. „Privatio alicuius iuris cum beneficio vel officio coniuncti", e. gr. percipiendi nonnullos reditus beneficiales.

5. „Inhabilitas ad omnes vel ad aliquot dignitates, officia, beneficia, aliave munera propria clericorum."

6. „Privatio poenalis beneficii vel officii cum vel sine pensione." Si clericus beneficium *inamovibile* obtinet, eodem in poenam privari potest solum in casibus iure expressis; si amovibile, etiam ob alias rationabiles causas; nequit autem clericus privari beneficio aut pensione, cuius titulo ordinatus fuit, nisi aliunde eius honestae sustentationi provideatur. Solummodo per poenam depositionis vel degradationis clericus potest privari omnibus reditibus clericalibus, ut quaest. seq. dicetur[31]. Clerici obtinentes beneficia, officia, dignitates possunt etiam aliquo tantum ministerio cum iisdem coniuncto, e. gr. ministerio praedicandi, confessiones audiendi etc., prohiberi ad certum tempus.

7. „Prohibitio commorandi in certo loco vel territorio."

8. „Praescriptio commorandi in certo loco vel territorio." Ordinarius nequit praescribere, ut clericus in certo loco extra fines suae dioecesis commoretur, nisi accedat consensus Ordinarii illius loci, vel nisi agitur de domo poenitentiae seu emendationis clericis non solum dioecesanis, sed etiam extraneis destinata; aut de domo religiosa

[28] c. 2294. [29] c. 2295. [30] c. 2298. [31] c. 2299, § 1 3.

exempta, superiore eiusdem consentiente[32]. Tam praescriptio quam prohibitio certo in loco commorandi et collocatio in domo poenitentiae aut in domo religiosa, praesertim si diu duraturae sunt, imponantur tantum in casibus gravibus, in quibus, prudenti Ordinarii iudicio, eae poenae necessariae sunt ad clerici emendationem aut scandali reparationem[33].

9. „Privatio ad tempus habitus ecclesiastici." Si clericus gravia scandala praebet, e. gr. publica et iterata ebrietate, et monitus non resipiscit, nec scandalum potest aliter removeri, potest interim privari iure deferendi habitum ecclesiasticum; quae privatio, dum perdurat, secum fert prohibitionem exercendi ministeria quaevis ecclesiastica et privationem privilegiorum ecclesiasticorum[34]. Ergo talis clericus nequit Missam dicere, ne privatim quidem.

10. „Depositio."

11. „Privatio perpetua habitus ecclesiastici", quae solet esse coniuncta cum depositione.

12. „Degradatio."[35]

Q. 579. *Quid specialiter notandum sit de poena vindicativa depositionis?*

R. 1. Depositio (quae antiquitus non distinguebatur a degradatione) est poena vindicativa, qua clericus non solum privatur omnibus officiis, pensionibus, beneficiis ecclesiasticis, sed etiam declaratur inhabilis ad ea in posterum obtinenda. Quamvis clericus ordinatus sit titulo beneficii, nihilominus illud amittit depositione; sed in hoc casu, si vere indigeat, Ordinarius pro sua caritate ei providere curet, ne cum dedecore status clericalis mendicare cogatur[36]. Clericus depositus manet clericus ac proinde retinet privilegia clericalia, e. gr. canonis, fori etc., sed etiam tenetur adimplere obligationes clericales, e. gr. coelibatus, officii divini. Solummodo si clericus depositus non dat emendationis signa et praesertim si scandalum dare pergit monitusque non resipiscit, Ordinarius potest eum perpetuo privare iure deferendi habitum ecclesiasticum. Quae quidem privatio secum fert privationem quoque privilegiorum clericalium, et Ordinarius tali delinquenti obstinato nullam sustentationem caritativam praebeat[37].

2. Poena depositionis infligi nequit nisi a) a tribunali collegiali quinque iudicum[38], b) in casibus iure expressis[39].

Tales casus seu delicta iuxta vigentem disciplinam sunt *decem;* sc. clericus deponi potest:

a) si est haereticus, schismaticus, apostata a fide et post iteratam monitionem non resipuit[40];

b) si species consecratas abiecit vel ad malum finem abduxit aut retinuit[41];

c) si non sacerdos simulavit celebrationem Missae aut sacramentalem confessionem excepit[42];

[32] c. 2301. [33] c. 2302. [34] c. 2300. [35] c. 2298.
[36] c. 2303, § 1 2. [37] c. 2304. [38] c. 1576, § 1, n. 2. [39] c. 2303, § 3.
[40] c. 2314, § 1, n. 2. [41] c. 2320. [42] c. 2322, n. 1.

d) si cadavera aut sepulcra mortuorum violavit[43];

e) si procuravit abortum[44];

f) si legitime damnatus fuit ob raptum impuberum alterutrius sexus, ob venditionem hominis in servitutem vel alium malum finem, ob usuram, rapinam, furtum qualificatum vel non qualificatum in re notabili, ob incendium vel malitiosam ac valde notabilem rerum destructionem, ob gravem mutilationem vel vulnerationem vel violentiam[45];

g) si delictum commisit contra sextum praeceptum cum minoribus infra 16 annorum aetatem, aut adulterium, stuprum, bestialitatem, sodomiam, lenocinium, et incestum cum consanguineis aut affinibus in primo gradu[46];

h) si beneficium, officium vel dignitatem ecclesiasticam propria auctoritate occupavit vel ad ea electus, praesentatus, nominatus in eorundem possessionem vel regimen aut administrationem sese ingessit, antequam necessarias litteras confirmationis vel institutionis accepit easque illis ostendit, quibus de iure debet[47];

i) si in detinendo officio, beneficio, dignitate, non obstante legitima privatione aut remotione, persistit aut, ne ea dimittat, moras illegitime nectit[48].

In istis decem delictis sic dicta correptio iudicialis locum habere nequit[49].

3. Poena depositionis remitti nequit ab Ordinario[50], sed a sola S. Sede. Quare vetus controversia, utrum Ordinarius possit hanc poenam legitime latam remittere, nunc in sensu negativo definita est.

Q. 580. *Quid specialiter notandum sit de poena vindicativa degradationis?*

R. 1. Degradatio est gravissima omnium poenarum vindicativarum et in se continet praeter depositionem, perpetuam privationem habitus ecclesiastici et reductionem clerici ad statum laicalem[51], quin tamen talis clericus degradatus, si fuit in ordinibus maioribus constitutus, liberetur a coelibatu et obligatione recitandi divinum officium. Degradatio altera est *verbalis* seu edictalis, quae sola sententia iudiciali tribunalis quinque iudicum irrogatur, ita tamen ut omnes suos effectus iuridicos statim habeat sine ulla exsecutione; alia est *realis*, si servantur sollemnia et vere terribilia praescripta in Pontificali Romano[52]. Hodie degradatio realis vix umquam usuvenit.

2. Poena degradationis nequit infligi nisi propter sex casus in iure expressos.

Clericus degradari potest:

a) si iam depositus et habitu clericali privatus grave adhuc scandalum *per annum* praebere pergit[53];

b) si sectae acatholicae *publice* adhaesit et monitus non resipuit[54];

c) si violentas manus iniecit in Summum Pontificem[55];

d) si legitime damnatus est propter homicidium[56];

e) si specialiter grave crimen sollicitationis commisit[57];

[43] c. 2328. [44] c. 2350, § 1. [45] c. 2354, § 2. [46] c. 2359, § 2. [47] c. 2394, n. 2. [48] c. 2401. [49] c. 1948, n. 1. [50] c. 2237, § 1, n. 3. [51] c. 2305, § 1. [52] Ib. § 3. [53] Ib. § 2. [54] c. 2314, § 1, n. 3. [55] c. 2343, § 1, n. 3. [56] c. 2354, § 2. [57] c. 2368, § 1.

f) si in sacris constitutus matrimonium contrahere praesumpsit et monitus non resipuit[58].

In istis sex casibus correptio iudicialis locum habere nequit[59].

3. Poena degradationis remitti nequit ab Ordinario[60], sed a sola S. Sede. Antiquis temporibus clericus degradatus solebat tradi brachio saeculari, sed hodie id est vix possibile.

TITULUS X.

De remediis poenalibus et poenitentiis.

Iste titulus subdividitur in duo capita: 1. de remediis poenalibus; 2. de poenitentiis.

CAPUT I.

De remediis poenalibus.

Q. 581. *Quid et quot sint remedia poenalia iuxta vigentem Ecclesiae disciplinam?*

R. 1. Dum censurae sunt poenae medicinales sanantes delictum iam commissum, remedia poenalia sunt poenae medicinales praesertim *praeventivae*, quia sc. inserviunt ad delicta praecavenda vel saltem ad efficiendum, ne tam gravia delicta accidant, quibus applicandae sunt censurae aut poenae vindicativae. Ista remedia praeventiva merito vocantur *poenalia*, quia revera aliquam saltem poenalitatem continent, in quantum diminuunt honorem eius, contra quem adhibentur. Nequit autem poenalitas infligi, nisi praecesserit aliqua saltem culpa, quae tamen non attingit ad gravitatem delicti puniendi veris poenis ecclesiasticis.

2. Enumerantur quattuor remedia poenalia, sc. monitio, correptio, praeceptum, vigilantia, de quibus in quaest. seq.

Q. 582. *Quomodo sint applicanda remedia poenalia?*

R. 1. **Monitio**[61] alia est paterna, alia canonica. Monitio paterna subdividitur in publicam et secretam. Monitio autem canonica est idem quod praeceptum. Quid sint singula, statim dicetur.

a) Monitio *paterna* datur ab Ordinario (sive per se sive per interpositam personam) ei, qui versatur in proxima occasione delictum committendi, vel ei, in quem ex inquisitione peracta gravis suspicio cadit delicti commissi[62]; e. gr. talis monitio datur clerico, qui frequentat personas suspectas, vel in quem gravis suspicio cecidit, eum deliquisse contra decorum clericale.

b) Monitio canonica *publica* fieri debet vel coram notario aut duobus testibus vel per epistolam, ita tamen ut de receptione et tenore epistolae ex aliquo documento constet[63]. Monitio autem *secreta* fit quidem sine

[58] c. 2388, § 1. [59] c. 1948, n. 1. [60] c. 2237, § 1, n. 3. [61] Mahnung. [62] c. 2307. [63] c. 2309, § 2.

testibus, sed tamen de ea facta constare debet ex aliquo documento in secreto archivo Curiae servando[64]. Ratio est, quia in casu, quo talis monitio incassum facta fuerit, debet aliquo modo de ea constare. Monitio fieri potest semel vel pluries pro superioris arbitrio et prudentia[65].

2. **Correptio**[66] est vituperatio facta ei, ex cuius conversatione scandalum vel gravis ordinis perturbatio oritur[67]. Potest fieri secreto vel publice, et tunc observanda sunt ea, quae supra de monitione secreta aut publica dicta sunt. Correptio autem publica fieri tantum potest adversus reum de delicto *convictum* vel *confessum*. Haec correptio publica est vel iudicialis, si fit a iudice pro tribunali sedente, et tunc aut habetur loco poenae, aut fit ad augendam poenam, praecipue si agitur de recidivo; vel est extraiudicialis, si fit ab Ordinario ante processum criminalem[68]. Frequentior est correptio extraiudicialis.

3. **Praeceptum** seu monitio canonica iam propius accedit ad proceduram criminalem et est mandatum a competenti superiore aut iudice ecclesiastico datum, quo (monitionibus et correptionibus incassum factis, vel, si ex iisdem effectus sperare non licet) accurate indicatur, quid agere quidve evitare debeat praeventus cum poenae comminatione in casu transgressionis[69]. Sic e. gr. dantur praecepta „de non alloquendo, de non frequentando, de non retinendo". Praeceptum debet legitime intimari praevento atque determinare tempus, intra quod illud est exsecutioni mandandum; videtur subditum ubique obligare ideoque etiam extra territorium praecipientis. Nihilominus iudicialiter urgeri nequit atque cessat resoluto iure praecipientis, nisi est impositum aut coram duobus testibus oraliter aut per legitimum documentum[70].

4. **Vigilantia**[71] imponitur ei, qui versatur in periculo relabendi in idem crimen ac proinde praecipue adhibetur in recidivos[72].

CAPUT II.

De poenitentiis.

Q. 583. *Quid et quales sint poenitentiae canonicae?*

R. 1. Poenitentiae canonicae sunt opera poenalia inflicta in foro externo, ut delinquens vel veram poenam canonicam effugiat vel poenae contractae absolutionem aut dispensationem recipiat[73]. Cum hae poenitentiae in foro externo infligantur, numquam ob delictum aut transgressionem occultam imponantur[74]; quare valde distinguuntur a poenitentia sacramentali. Poenitentiae canonicae vel praecedunt vel sequuntur sententiam iudicialem. In primo casu sunt potius remedia poenalia. Non tam secundum quantitatem delicti quam secundum poenitentis contritionem moderandae sunt poenitentiae, pensatis qualitatibus personarum et delictorum adiunctis[75].

[64] c. 2309, § 5. [65] Ib. § 6. [66] Rüge. [67] c. 2308. [68] c. 2309, § 3 4. [69] c. 2310. [70] c. 24. [71] Überwachung. [72] c. 2311. [73] c. 2312, § 1. [74] Ib. § 2. [75] Ib. § 3.

2. Praecipuae poenitentiae sunt praecepta:
a) recitandi determinatas preces, e. gr. cotidie Rosarium;
b) peragendi piam aliquam peregrinationem vel alia pietatis opera;
c) servandi peculiare ieiunium;
d) erogandi eleemosynas in pios usus;
e) peragendi exercitia spiritualia in pia aut religiosa domo per aliquot dies. Haec poenitentia solet esse valde efficax.

3. Aliquando Ordinarius addere potest poenitentias poenali remedio monitionis et correptionis[76]. Immo hoc ordinarie fit.

PARS III.

De poenis in singula delicta.

Praenotamen. Postquam generalis disputatio de delictis et poenis absoluta est, iam in specie est disserendum, quomodo nonnulla graviora crimina in iure ecclesiastico puniantur. Quare haec tertia pars est quasi codex criminalis ecclesiasticus et dividitur in duas partes: in prima parte enumerantur delicta laicis et clericis communia[1]. In titulo XVI, canon 2375 tractat quidem de delicto, quod solum a laicis committitur, attamen reliqui omnes canones eiusdem tituli et omnium sequentium agunt de delictis peculiaribus clericorum; quare a titulo XVI—XIX habetur altera pars codicis criminalis ecclesiastici. Cum iam in diversis locis sermo fuerit de poenis delictorum, hanc tertiam partem libri quinti Codicis nonnisi breviter transcurrimus.

TITULUS XI.

De delictis contra fidem et unitatem Ecclesiae.

Q. 584. *Quaenam sint delicta contra fidem et unitatem Ecclesiae?*

R. Contra unitatem Ecclesiae est schisma, contra fidem autem peccant (directe vel indirecte) a) haeretici et apostatae; b) qui sunt suspecti de haeresi eamque quoquo modo iuvant; c) qui pertinaciter docent vel defendunt doctrinam, quae quidem a S. Sede vel a Concilio generali damnata fuit, sed non ut formaliter haeretica; d) qui edunt aut legunt aut retinent illegitime libros haereticos; e) qui matrimonium mixtum illegitime ineunt.

Q. 585. *Quaenam sint poenae in apostatas, haereticos, schismaticos?*

R. 1. Apostata est catholicus, qui a fide christiana totaliter recedit; haereticus, qui nomen christianum retinens pertinaciter aliquam ex veritatibus fide divina et catholica credendis denegat aut de ea dubitat; schismaticus, qui renuit subesse Romano Pontifici aut communicare cum membris Ecclesiae ei subiectis[2].

2. Poenae contra istos latae sunt:

a) Excommunicatio ipso facto incurrenda, cuius absolutio *in foro conscientiae* est speciali modo S. Sedi reservata. Si tamen ista delicta

[76] c. 2313. [1] Tit. XI—XVI. [2] c. 1325, § 2.

ad *forum externum* Ordinarii loci quovis modo deducta sunt (etiam per voluntariam confessionem), idem Ordinarius, non vero Vicarius generalis sine mandato speciali, resipiscentem, praevia abiuratione iuridice peracta aliisque servatis de iure servandis, sua auctoritate ordinaria in foro externo absolvere potest; ita vero absolutus potest deinde a peccato absolvi a quolibet confessario in foro conscientiae. Abiuratio autem habetur iuridice peracta, cum fit coram ipso Ordinario loci vel eius delegato et saltem duobus testibus [3]. Haec omnia praecipue notanda sunt in haereticorum neo-conversorum receptione in gremium Ecclesiae.

b) Nisi moniti resipuerint, priventur beneficio, dignitate, pensione, officio aliove munere, si quod in Ecclesia habeant, infames declarentur, et clerici, iterata monitione, deponantur.

c) Si sectae acatholicae nomen dederint vel publice adhaeserint, ipso facto infames sunt, et clerici, monitione incassum praemissa, degradentur [4]. Cum igitur apostatae, haeretici, schismatici ipso facto sint infames vel saltem infames declarandi sint, incurrunt quoque omnes poenas latas contra infames [5], e. gr. irregularitatem, inhabilitatem ad beneficia, ad actus legitimos etc. — Religiosus apostata a fide eo ipso est dimissus a religione [6].

Scholion. De apostasia ab ordine et a religione. Praeter apostasiam a fide datur apostasia ab ordine et apostasia a religione. *Apostasia ab ordine sacro* est defectio clerici in ordine sacro constituti illegitime facta praesertim per attentationem matrimonii. Dicitur: apostasia ab ordine *sacro;* nam iuxta vigentem disciplinam clericus minorum ordinum non committit delictum ecclesiasticum, si ad statum laicalem redit et matrimonium contrahit. Clericus in ordine sacro constitutus, qui matrimonium (etiam civile) attentat, incurrit in excommunicationem latae sententiae S. Sedi simpliciter reservatam; immo si monitus, tempore ab Ordinario pro adiunctorum diversitate praefinito, non resipuerit, degradetur [7]. — *Apostasia a religione* est totalis et illegitimus recessus a statu religioso factus cum animo non redeundi. Talis religiosus apostata ipso iure incurrit in excommunicationem proprio superiori maiori vel, si religio est laicalis aut non exempta, Ordinario loci, in quo commoratur, reservatam, ab actibus legitimis est exclusus, privilegiis omnibus suae religionis privatus et, si redierit, perpetuo caret voce activa et passiva, ac praeterea aliis poenis pro gravitate culpae a superioribus puniri debet ad normam constitutionum [8]. Malitiosus animus non redeundi vel se subtrahendi religiosae oboedientiae iure praesumitur, si religiosus *intra mensem* nec reversus fuit nec superiori animum redeundi manifestavit [9].

Q. 586. *Quinam censeantur suspecti de haeresi et quasnam poenas incurrant?*

R. 1. Suspectus de haeresi is est, qui commisit aliquod delictum, quod inducit fundatam suspicionem haereseos; e. gr. qui quoquo modo haereseos propagationem scienter et sponte iuvat, aut qui communicat in divinis cum haereticis [10]; qui iniit matrimonium cum pacto educandi acatholice prolem aut qui reapse ita educat prolem [11]; qui appellavit a mandatis Romani Pontificis ad Concilium generale [12]; qui obdurato animo per annum insorduit in censura excommunicationis [13].

[3] c. 2314, § 2. [4] Ib. § 1. [5] Cf. supra q. 577. [6] c. 646.
[7] c. 2388, § 1. [8] c. 2385. [9] c. 644, § 2.

2. „Suspectus de haeresi, qui monitus causam suspicionis non removet, actibus legitimis prohibeatur, et clericus praeterea, repetita inutiliter monitione, suspendatur a divinis. Quodsi intra sex menses a contracta poena completos suspectus de haeresi sese non emendavit, habeatur tamquam haereticus, haereticorum poenis obnoxius", de quibus quaest. praec. dictum est [14].

Q. 587. *Quaenam poenae infligantur iis, qui pertinaciter docent propositiones damnatas?*

R. 1. Complures propositiones diversis temporibus damnatae sunt a Summis Pontificibus aut a Conciliis generalibus, sed non eodem modo censuratae sunt. Sic nonnullae propositiones proscriptae sunt ut haereticae, haeresi proximae, erroneae, temerariae, piarum aurium offensivae etc. [15]

2. Qui pertinaciter docet aut defendit propositionem damnatam ut haereticam, profecto est haereticus atque obnoxius poenis haereticorum. Qui vero pertinaciter docet vel defendit (sive publice sive privatim) doctrinam, quae ab Apostolica Sede aut a Concilio generali damnata fuit sine censura haereseos, graviter peccat, arceatur a ministerio praedicationis verbi Dei audiendive sacramentales confessiones et a quolibet docendi munere, salvis aliis poenis, quas sententia damnationis forte statuerit, vel quas Ordinarius, post monitionem, necessarias ad reparandum scandalum duxerit [16]. — Poena excommunicationis, quam tulit Bulla „Apostolicae Sedis" contra defendentes vel docentes propositiones ab Apostolica Sede damnatas etc., sublata est.

Q. 588. *Quaenam sint poenae latae in eos, qui edunt, legunt aut retinent nonnullos libros?*

R. 1. Cum supra libr, III, tit. XXIII in longum et latum dictum sit de censura et prohibitione librorum, hic solummodo poenae iuris communis indicantur.

2. „In excommunicationem S. Sedi specialiter reservatam ipso facto incurrunt, opere publici iuris facto, editores librorum apostatarum, haereticorum et schismaticorum, qui apostasiam, haeresim, schisma propugnant, itemque eosdem libros aliosve per apostolicas litteras nominatim prohibitos defendentes aut scienter sine debita licentia legentes vel retinentes." [17] Haec igitur excommunicatio ferit 1) *Editores,* i. e. auctorem et editorem; non vero operarios, qui adiuvant ad impressionem, quippe qui non sint proprie editores. Ergo vetus controversia, quinam operarii imprimentes cadant sub hac censura,

[10] c. 2316. [11] c. 2319, § 2. [12] c. 2332. [13] c. 2340, § 1.
[14] c. 2315. [15] Cf. nostrum Man. theol. mor. I 518.
[16] c. 2317. [17] c. 2318, § 1.

nunc finita est. 2) *Defendentes,* i. e. qui propugnant, non autem qui solum referunt doctrinam falsam in libro contentam. 3) *Scienter sine debita licentia legentes vel retinentes.* Dicitur: scienter; ergo quamvis non excuset ignorantia affectata, excusat tamen quaelibet imputabilitatis imminutio sive ex parte intellectus sive ex parte voluntatis [18]. Dicitur: sine debita licentia. Licentiam legendi et retinendi libros tales concedere possunt non solum S. Sedes, sed etiam aliquando Ordinarii (episcopi, superiores religiosi) [19]. Libri, qui sub hac censura prohibentur, sunt a) ii, qui apostasiam, haeresim, schisma non solum continent, sed propugnant, i. e. rationibus conantur probare; b) libri, qui per apostolicas litteras, i. e. per Breve, Encyclicam, non autem per simplex decretum S. Officii, nominatim prohibiti sunt. Satis pauci sunt huiusmodi libri, qui inveniuntur in Indice librorum prohibitorum cruce (†) signati.

Retinentes censentur ii, qui proprio nomine ut bibliopolae aliique homines privati, non autem qui alieno nomine retinent, ut custodes bibliothecarum publicarum.

3. „Auctores et editores, qui sine debita licentia SS. Scripturarum libros vel earum adnotationes aut commentarios imprimendos curant, incidunt ipso facto in excommunicationem nemini reservatam.“ [20] Licentiam debitam ad edendos huiusmodi libros ordinarie valet concedere Ordinarius loci (vel auctoris, vel editoris, vel impressoris) [21]. Si tamen agitur de editione versionis SS. Scripturarum in linguam vernaculam (sine adnotationibus), requiritur licentia S. Sedis [22].

Q. 589. *Quaenam poenae infligantur iis, qui illegitime ineunt matrimonium mixtum?*

R. „Subsunt excommunicationi latae sententiae Ordinario reservatae catholici,

1. qui matrimonium ineunt coram ministro acatholico, uti sacris addicto;

2. qui matrimonio uniuntur cum pacto explicito vel implicito, ut omnis vel aliqua proles educetur extra catholicam Ecclesiam;

3. qui scienter liberos suos acatholicis ministris baptizandos offerre praesumunt;

4. parentes vel parentum locum tenentes, qui liberos in religione acatholica educandos vel instituendos scienter tradunt.“ [23]

In praxi saepe occurrunt insimul omnes quattuor casus, ac proinde tunc adest quoque quadruplex excommunicatio, cuius mentio facienda est in petitione absolutionis.

Ii, qui delicta sub n. 2—4 commiserunt, praeterea sunt suspecti de haeresi ac proinde incurrunt poenas, quae supra q. 586 indicatae sunt. Hinc e. gr. pater, qui matrimonium mixtum iniit et filios suos tradidit in religione acatholica educandos, non solum incurrit ex-

[18] c. 2229, § 2. [19] c. 1402. [20] c. 2318, § 2.
[21] c. 1385, § 2. [22] c. 1391. [23] c. 2319.

communicationes Ordinario reservatas, sed etiam, cum habeatur tamquam haereticus, excommunicationem speciali modo S. Sedi reservatam. Quomodo reconciliatio talis poenitentis, qui ordinarie etiam in foro externo gravis scandali est reus, facienda sit, solet a singulis Ordinariis locorum statutis determinari.

TITULUS XII.

De delictis contra religionem.

Q. 590. *Quaenam sint delicta contra religionem, quae poenis ecclesiasticis plectuntur?*

R. Delicta contra religionem poenis ecclesiasticis coercenda sunt sacrilegium (personale, reale, locale), blasphemia, periurium, superstitio, simonia. Attamen de nonnullis istorum delictorum, e. gr. de sacrilegio personali, de simonia etc., in aliis titulis tractabitur.

Q. 591. *Quaenam sint poenae latae in sacrilegos?*

R. 1. Quamvis in aliis quoque titulis poenae contra sacrilegos indicentur, ut iam dictum est, tamen claritatis causa hic uno conspectu afferimus poenas ecclesiasticas, quibus puniuntur diversa sacrilegia. Sacrilegium est violatio rei sacrae, formaliter ut est sacra, et distinguitur triplex: personale, reale, locale, prout aut persona sacra aut res sacra aut locus sacer violatur [24].

2. Sacrilegium reale committitur a) res sacras indigne tractando; b) bona sacra usurpando. Inter res sacras primum locum obtinent Missae sacrificium, sacramenta, quorum indigna tractatio est gravissimum sacrilegium.

Poenae ecclesiasticae contra **sacrilegia realia:**

a) „Qui species consecratas abiecerit vel ad malum finem abduxerit aut retinuerit, est suspectus de haeresi; incurrit in excommunicationem latae sententiae specialissimo modo Sedi Apostolicae reservatam; est ipso facto infamis, et clericus est praeterea deponendus.“ [25]

b) „Sacerdos, qui praesumpserit Missam eodem die iterare vel eam celebrare non ieiunus, suspendatur a Missae celebratione ad tempus ab Ordinario secundum diversa rerum adiuncta praefiniendum.“ [26] Latius scripsimus de binatione atque de causis excusantibus a ieiunio eucharistico in nostro Man. theol. mor. III, n. 201 sqq. et n. 286 sqq.

c) „Qui ad ordinem sacerdotalem non promotus Missae celebrationem simulaverit aut sacramentalem confessionem exceperit, excommunicationem ipso facto contrahit speciali modo Sedi Apostolicae reservatam; et insuper laicus quidem privetur pensione aut munere, si quod habeat in Ecclesia, aliisque poenis pro gravitate culpae puniatur; clericus vero deponatur.“ [27]

[24] Cf. nostrum Man. theol. mor. II 537 sqq.
[25] c. 2320. [26] c. 2321. [27] c. 2322.

d) Qui ex stipendiis Missarum illegitimum lucrum ceperint, ab Ordinario pro gravitate culpae puniantur, non exclusa, si res ferat, suspensione aut privatione beneficii vel officii ecclesiastici vel, si de laicis agitur, excommunicatione [28]. Abusus in stipendiis Missarum hucusque puniebantur diversis poenis latae sententiae; nunc vero omnes poenae sunt ferendae sententiae.

Post sacramenta enumerantur aliae res sacrae, quarum violatio sequentibus poenis coercetur:

a) „Qui falsas reliquias conficit aut scienter vendit, distribuit vel publicae fidelium venerationi exponit, ipso facto excommunicationem Ordinario reservatam contrahit." [29]

b) „Quaestum facientes ex indulgentiis plectuntur ipso facto excommunicatione S. Sedi simpliciter reservata." [30]

c) Bona ecclesiastica usurpare aut in proprios usus convertere praesumentes, aut impedientes, ne eorum fructus ab iis, ad quos iure pertinent, percipiantur, excommunicationi tamdiu subiacent, usquedum bona ipsa integre restituerint, praedictum impedimentum removerint ac deinde a S. Sede absolutionem impetraverint [31]. Utrum hac censura puniantur etiam ii, qui bona ecclesiastica iam usurpata a civitate emunt vel conducunt, controvertitur. Usurpantes vel detinentes per se vel per alios bona aut iura *ad Ecclesiam Romanam* pertinentia, subiaceant excommunicationi latae sententiae speciali modo S. Sedi reservatae, et si clerici fuerint, praeterea dignitatibus, beneficiis, officiis, pensionibus priventur atque inhabiles ad eadem declarentur [32].

3. *Poenae ecclesiasticae contra* **sacrilegia localia:**

a) Ecclesiae vel coemeterii violatores (per homicidium, per iniuriosam et gravem sanguinis effusionem, per impios et sordidos usus, per sepulturam infidelis excommunicati post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam) interdicto ab ingressu ecclesiae aliisque congruis poenis ab Ordinario pro gravitate delicti puniantur [33].

b) Qui cadavera vel sepulcra mortuorum ad furtum vel alium malum finem violaverit, interdicto personali puniatur, sit ipso facto infamis, et clericus praeterea deponatur [34]. Cum iste canon habeatur, ubi tractatur de delictis contra religionem, videtur esse intelligendus de cadaveribus et sepulcris in loco *sacro* exsistentibus.

4. *Poenae ecclesiasticae contra* **sacrilegia personalia:** Sacrilegium personale committitur laesione privilegii canonis, fori, immunitatis et deinde actu luxurioso cum persona voto publico castitatis ligata.

a) Laesio privilegii *canonis*, i. e. per violentiam realem commissam in clericum aut religiosum, inducit has poenas:

Qui violentas manus iniecit:

[28] c. 2324. [29] c. 2326. [30] c. 2327. [31] c. 2346.
[32] c. 2345. [33] c. 2329. [34] c. 2328.

α) in personam Romani Pontificis, contrahit excommunicationem latae sententiae S. Sedi specialissimo modo reservatam et est ipso facto vitandus; est ipso iure infamis et, si est clericus, est degradandus;

β) in personam Cardinalis vel Legati Romani Pontificis, contrahit excommunicationem latae sententiae S. Sedi speciali modo reservatam; est ipso iure infamis; privetur beneficiis, officiis, dignitatibus, pensionibus et quolibet munere, si quod in Ecclesia habeat;

γ) in personam Patriarchae, archiepiscopi, episcopi (etiam titularis tantum), contrahit excommunicationem latae sententiae S. Sedi speciali modo reservatam;

δ) in personam aliorum clericorum vel utriusque sexus religiosorum, subiaceat ipso facto excommunicationi reservatae Ordinario proprio (episcopo vel superiori maiori religioso), qui praeterea aliis poenis, si res ferat, pro suo prudenti arbitrio eum puniat [35].

b) Laesio privilegii *fori* inducit has poenas ecclesiasticas:

Qui ausus fuerit sine venia S. Sedis ad iudicem laicum trahere aliquem ex Cardinalibus vel Legatis Sedis Apostolicae vel officialibus maioribus Romanae Curiae (ob negotia ad eorum munus pertinentia) vel Ordinarium proprium, contrahit ipso facto excommunicationem S. Sedi speciali modo reservatam; si alium episcopum etiam mere titularem aut Abbatem vel Praelatum nullius vel aliquem ex supremis religionum iuris pontificii superioribus, excommunicationem latae sententiae S. Sedi simpliciter reservatam; demum si, non obtenta ab Ordinario loci licentia, aliam personam privilegio fori fruentem: clericus quidem incurrit ipso facto in suspensionem ab officio reservatam Ordinario, laicus autem congruis poenis pro gravitate culpae ab Ordinario proprio puniatur [36]. Cf. quae supra q. 63 (3) dicta sunt de venia necessaria.

c) Laesio privilegii *immunitatis* non inducit speciales poenas ecclesiasticas.

d) Laesio *castitatis* in clericis et religiosis his poenis plectitur:

α) Clerici in sacris (sive saeculares sive religiosi) concubinarii, monitione inutiliter praemissa, cogantur ab illicito contubernio recedere et scandalum reparare suspensione a divinis, privatione fructuum officii, beneficii, dignitatis [37].

β) Si iidem admiserint delictum contra sextum decalogi praeceptum cum minoribus infra aetatem 16 annorum, vel adulterium, stuprum, bestialitatem, sodomiam, lenocinium, incestum cum consanguineis aut affinibus in primo gradu exercuerint, suspendantur, infames declarentur, quolibet officio, beneficio, dignitate, munere, si quod habeant, priventur et in casibus gravioribus deponantur [38].

γ) Si aliter contra sextum decalogi praeceptum deliquerint, congruis poenis secundum casus gravitatem coerceantur, non excepta officii vel beneficii privatione, maxime si curam animarum gerant [39].

[35] c. 2343. [36] c. 2341. [37] c. 2359, § 1. [38] Ib. § 2. [39] Ib. § 3.

δ) Clerici in sacris constituti vel regulares aut moniales post votum sollemne castitatis itemque omnes cum aliqua ex praedictis personis matrimonium etiam civiliter tantum contrahere praesumentes incurrunt in excommunicationem latae sententiae Sedi Apostolicae simpliciter reservatam; clerici praeterea, si moniti, tempore ab Ordinario pro adiunctorum diversitate praefinito, non resipuerint, degradentur[40]. Quodsi sunt professi votorum simplicium perpetuorum tam in Ordinibus quam in Congregationibus religiosis, omnes, ut supra, excommunicatio tenet latae sententiae Ordinario reservata[41].

Q. 592. *Quaenam sint poenae latae in reos blasphemiae, periurii, superstitionis, simoniae?*

R. 1. „Qui blasphemaverit vel periurium extra iudicium commiserit, prudenti Ordinarii arbitrio puniatur, maxime clericus[42]. Qui autem in iudicio periurium fecit puniri debet ad normam c. 1743, § 3; est semper testis suspectus neque ad officium periti assumi potest[43]. Non vero incurrit infamiam, ut statuit antiquum ius.

2. Qui superstitionem exercuerit, e. gr. divinatione, sortilegio etc., pro gravitate culpae ab Ordinario puniatur, salvis poenis iure statutis contra aliquos actus superstitiosos[44].

3. Perpetrantes simoniam in quibuslibet officiis, beneficiis aut dignitatibus ecclesiasticis, a) incurrunt in excommunicationem latae sententiae S. Sedi simpliciter reservatam; b) ipso facto privati in perpetuum manent iure eligendi, praesentandi, nominandi, si quod habeant; c) si clerici sunt, praeterea suspendantur[45]; d) omnis contractus simoniacus omnisque provisio simoniaca officiorum, beneficiorum, dignitatum est ipso facto nulla, atque ante quamlibet iudicis sententiam res simoniace data et accepta restitui debet, si id est possibile[46]; e) omnes, qui per simoniam ad ordines scienter promoverint aut promoti fuerint aut alia sacramenta ministraverint vel receperint, sunt suspecti de haeresi; clerici praeterea suspensionem incurrunt S. Sedi reservatam[47]. — Simonia propter ingressum in religionem iam non punitur poenis ecclesiasticis.

TITULUS XIII.

De delictis contra auctoritates, personas, res ecclesiasticas.

Praenotamen. Cum in nonnullis delictis contra personas et res ecclesiasticas committatur verum sacrilegium, recolenda sunt ea, quae supra q. 591 dicta sunt de poenis in sacrilegos, et notanter de sacrilegio personali per laesionem privilegii canonis. Personae autem ecclesiasticae non solum laedi possunt violentiis realibus, sed etiam aliis iniuriis. In hoc titulo est propterea adhuc unus canon, sc. 2344, quo statuuntur poenae contra huiusmodi iniurias, sc.: „Qui Romanum Pontificem, Cardinalem, Legatum Romani Pontificis, S. Congregationes Romanas, Tribunalia Sedis Apostolicae eorumque officiales maiores, proprium Ordinarium publicis ephemeridibus, concionibus, libellis sive directe sive indirecte iniuriis affecerit, aut simultates vel odia contra eorundem acta, decreta, decisiones, sententias excitaverit, ab Ordinario non solum ad instantiam partis, sed etiam ex officio adigatur, per censuras quoque, ad satisfactionem praestandam, aliisve congruis poenis vel poenitentiis, pro gravitate culpae et scandali reparatione, puniatur." — Omnes reliqui canones continent poenas infligendas propter delicta in auctoritatem, i. e. gubernationem ecclesiasticam et in res ecclesiasticas, ac proinde tota materia huius tituli duabus quaestionibus potest pertractari, sc. 1. quomodo puniantur delicta contra auctoritatem ecclesiasticam; 2. quomodo puniantur delicta contra res ecclesiasticas.

[40] c. 2388, § 1. [41] Ib. § 2. [42] c. 2323. [43] c. 1757, § 2, n. 1; c. 1795, § 2.
[44] c. 2325. [45] c. 2392. [46] c. 729. [47] c. 2371.

Q. 593. *Quomodo puniantur delicta contra auctoritatem seu gubernationem ecclesiasticam?*

R. 1. Delicta commissa in electione Summi Pontificis puniantur iuxta statuta Constitutionis Pii X „Vacante Sede Apostolica" d. 25 Dec. 1904. Quae quidem Constitutio integra habetur in fine Codicis iur. can.

2. „Qui Romano Pontifici vel proprio Ordinario aliquid legitime praecipienti vel prohibenti pertinaciter non obtemperant, congruis poenis, censuris non exclusis, pro gravitate culpae puniantur."[48] Ergo e. gr. episcopus potest poena suspensionis punire sacerdotem subditum, qui recusat oboedientiam canonicam. „*Conspirantes* contra auctoritatem Romani Pontificis eiusve Legati vel proprii Ordinarii aut contra eorum legitima mandata itemque subditos ad inoboedientiam erga eosdem provocantes, censuris aliisve poenis coerceantur; et dignitatibus, beneficiis aliisve muneribus, si sunt clerici; voce vero activa et passiva atque officio, si religiosi, priventur."[49]

3. „Omnes et singuli (cuiuscumque status, gradus seu condicionis etiam regalis, episcopalis vel cardinalitiae fuerint) a legibus, decretis, mandatis Romani Pontificis pro tempore exsistentis ad universale Concilium appellantes sunt suspecti de haeresi et ipso facto contrahunt excommunicationem S. Sedi speciali modo reservatam; Universitates vero, Collegia, Capitula aliaeve personae morales, quocumque nomine nuncupentur, interdictum speciali modo S. Sedi pariter reservatum incurrunt."[50] Quae quidem poenae iam latae sunt a Pio II Const. „Exsecrabilis" d. 18 Ian. 1459.

4. „Recurrentes ad laicam potestatem ad impediendas litteras vel acta quaelibet a S. Sede vel ab eiusdem Legatis profecta, eorumve promulgationem vel exsecutionem directe vel indirecte prohibentes, aut eorum causa sive eos, ad quos pertinent litterae vel acta, sive alios laedentes vel perterrefacientes, ipso facto subiaceant excommunicationi S. Sedi speciali modo reservatae."[51]

5. Item excommunicationi latae sententiae specialiter S. Sedi reservatae subiacent: a) qui leges, mandata vel decreta contra libertatem

[48] c. 2331, § 1. [49] Ib. § 2. [50] c. 2332. [51] c. 2333.

aut iura Ecclesiae edunt; b) qui impediunt directe vel indirecte exercitium iurisdictionis ecclesiasticae sive interni sive externi fori, ad hoc recurrentes cum effectu ad quamlibet laicalem potestatem[52]. Hanc excommunicationem incurrunt e. gr. auctoritates civiles, quae ferunt leges Ecclesiae iniuriosas; item qui recurrunt cum effectu ad quamlibet laicalem potestatem, ne parochus possit administrare sacramenta paroecianis. — „Si parochus, ad impediendum exercitium ecclesiasticae iurisdictionis (e. gr. ad eius amotionem a paroecia impediendam), ausus fuerit turbas ciere, publicas pro se subscriptiones promovere, populum sermonibus aut scriptis excitare aliaque similia agere, pro gravitate culpae secundum prudens Ordinarii iudicium puniatur, non exclusa, si res ferat, suspensione. Eodem modo puniat Ordinarius sacerdotem, qui multitudinem quoquo modo excitat ad impediendum ingressum in paroeciam sacerdotis legitime nominati in parochum aut oeconomum."[53] (Salutaria profecto sunt ista statuta!)

6. „Nomen dantes sectae massonicae aliisve eiusdem generis associationibus, quae contra Ecclesiam vel legitimas civiles potestates machinantur, contrahunt ipso facto excommunicationem S. Sedi simpliciter reservatam."[54]

Haec censura ante novum Codicem latius se extendit cum quantum ad sectas tum quantum ad personas. Iuxta vigentem disciplinam nemo incurrit hanc censuram, nisi qui fit membrum sectae massonicae aut alterius similis associationis, quae hostiliter machinatur contra Ecclesiam aut legitimam potestatem civilem. — Clerici et religiosi nomen dantes sectae massonicae aliisque similibus associationibus denuntiari debent S. Congregationi S. Officii[55]. Clerici, qui aliquod delictum sub n. 5 et 6 enumeratum commiserunt, *insuper* puniuntur poena suspensionis vel privationis ipsius beneficii, officii, dignitatis, pensionis aut muneris, si qua forte in Ecclesia habeant; religiosi autem privatione officii et vocis activae et passivae aliisque poenis ad normam constitutionum puniantur[56].

7. „Absolvere praesumentes sine debita facultate ab excommunicatione latae sententiae specialissimo vel speciali modo S. Sedi reservata incurrunt ipso facto in excommunicationem S. Sedi simpliciter reservatam."[57] Requiritur igitur *praesumptio*, ac proinde excusat quaelibet ignorantia, excepta ignorantia affectata.

8. „Impendentes quodvis auxilium vel favorem excommunicato vitando in delicto, propter quod excommunicatus fuit; itemque clerici scienter et sponte in divinis cum eodem communicantes et ipsum in divinis officiis recipientes ipso facto incurrunt in excommunicationem S. Sedi simpliciter reservatam."[58] Cum excommunicati vitandi sint hodie rarissimi, iste casus vix accidere potest. — „Scienter celebrantes vel celebrari facientes divina in locis interdictis vel admittentes ad

[52] c. 2334. Si talis recursus quidem factus est, sed remansit sine effectu quaesito, excommunicatio haec non incurritur; possunt tamen speciales poenae imponi. Pontif. Com. d. 26 Iul. 1926 (Acta Ap. Sed. XVIII 394).
[53] c. 2337. [54] c. 2335. [55] c. 2336, § 2.
[56] Ib. § 1. [57] c. 2338, § 1. [58] Ib. § 2.

celebranda officia divina per censuram vetita clericos excommunicatos, interdictos, suspensos post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam interdictum ab ingressu ecclesiae ipso iure contrahunt, donec arbitrio eius, cuius sententiam contempserunt, congruenter satisfecerint."[59] — „Qui causam dederunt interdicto locali aut interdicto in communitatem seu collegium sunt ipso facto personaliter interdicti."[60]

9. „Qui ausi fuerint mandare seu cogere tradi ecclesiasticae sepulturae infideles, apostatas a fide vel haereticos, schismaticos aliosve sive excommunicatos sive interdictos, contrahunt excommunicationem latae sententiae nemini reservatam; sponte vero sepulturam iisdem donantes interdictum ab ingressu ecclesiae Ordinario reservatum."[61]

10. „Si quis, obdurato animo, *per annum* insorduerit in censura excommunicationis (i. e. certo cognoscens se excommunicatum esse), est de haeresi suspectus. Si clericus in censura suspensionis *per semestre* perseveraverit, graviter moneatur; et si, exacto a monitione mense, a contumacia non recesserit, privetur beneficiis aut officiis, si qua in Ecclesia forte habeat."[62]

11. „Plectuntur ipso facto excommunicatione S. Sedi simpliciter reservata:

a) Clausuram monialium violantes, cuiuscumque generis aut conditionis vel sexus sint, in earum monasteria sine legitima licentia ingrediendo, pariterque eos introducentes vel admittentes; quodsi clerici sunt, praeterea suspendantur per tempus pro gravitate culpae ab Ordinario definiendum.

b) Mulieres violantes regularium virorum clausuram et superiores aliique, quicumque ii sint, eas cuiuscumque aetatis introducentes vel admittentes; et praeterea religiosi introducentes vel admittentes priventur officio, si quod habent, et voce activa et passiva.

c) Moniales e clausura illegitime exeuntes."[63] — Oportet notare violatores clausurae alicuius congregationis religiosae a iure communi non puniri; aliter aliquando est de iure particulari. Supra q. 227 sq. latius egimus de clausura eiusque violatione.

Q. 594. *Quomodo puniantur delicta, quae laedunt Ecclesiae statuta de bonis materialibus?*

R. 1. Iam supra q. 591 sermo fuit de sacrilega usurpatione bonorum ecclesiasticorum eiusque poenis. Praeter usurpantes puniuntur quoque illegitime alienantes et aliter delinquentes contra statuta. Qui legatum vel donationem ad causas pias sive actu inter vivos sive testamento (etiam per fiduciam), obtinuit et implere negligit, ab Ordinario, etiam per censuram, ad id cogatur[64]. Qui recusant prae-

[59] c. 2338, § 3. [60] Ib. § 4. [61] c. 2339. [62] c. 2340. [63] c. 2342.
[64] c. 2348. Videtur hic agi de actibus etiam coram lege civili validis vel saltem de iis, qui non sunt declarati invalidi per sententiam iudicis civilis. Secus enim attendendi sunt c. 1513 § 2, et c. 1529

stationes legitime parocho debitas vel taxas dioecesanas, prudenti arbitrio Ordinarii puniantur, donec satisfecerint[65].

2. Alienatio bonorum sumitur in latissimo sensu pro quolibet contractu, quo bona ecclesiastica fiunt alia. Quaenam requirantur ad legitimam alienationem bonorum ecclesiasticorum, dictum est supra q. 196 et 452, ubi etiam explicatae sunt omnes poenae latae contra illegitime alienantes.

TITULUS XIV.

De delictis contra vitam, libertatem, proprietatem, bonam famam, bonos mores.

Q. 595. *Quomodo puniantur delicta contra vitam humanam?*

R. 1. Delicta contra vitam sunt: procuratio abortus, suicidium, homicidium, duellum.

2. „Procurantes abortum, matre non excepta, incurrunt, effectu secuto, in excommunicationem latae sententiae Ordinario reservatam; et si sunt clerici, praeterea deponantur."[1] Insuper procurantes abortum atque cooperantes sunt irregulares ex delicto[2]. Dispensatio huius irregularitatis est reservata S. Sedi. De abortu latius scripsimus in nostro Man. theol. mor. II, n. 137.

3. „Qui in se ipsos manus intulerint, si quidem mors secuta est, sepultura ecclesiastica priventur (nisi ante mortem dederint poenitentiae signa); secus, arceantur ab actibus legitimis ecclesiasticis et, si sint clerici, suspendantur ad tempus ab Ordinario definiendum et a beneficiis aut officiis curam animarum interni vel externi fori adnexam habentibus removeantur."[3]

4. Laicus, qui fuit legitime damnatus ob delictum homicidii, gravis mutilationis vel vulnerationis, ipso iure exclusus habeatur ab actibus legitimis ecclesiasticis et a quolibet munere, si quod in Ecclesia habeat, firmo onere reparandi damna. Clericus vero, qui idem crimen commisit, a tribunali ecclesiastico puniatur, pro diversa reatus gravitate, poenitentiis, censuris, privatione officii ac beneficii, dignitatis et, si res ferat, etiam depositione; immo, si clericus est reus homicidii culpabilis, degradetur[4].

5. „Duellum perpetrantes aut simpliciter ad illud provocantes vel ipsum acceptantes vel quamlibet operam aut favorem praebentes necnon de industria spectantes illudque permittentes vel, quantum in ipsis est, non prohibentes, cuiuscumque dignitatis sint, subsunt ipso facto excommunicationi S. Sedi simpliciter reservatae. Ipsi vero duellantes, et qui eorum patrini vocantur, sunt praeterea ipso facto infames."[5] Qui moriuntur ex vulnere in duello accepto, privantur sepultura ecclesiastica, *nisi ante mortem signa poenitentiae dederint*[6]. Iisdem poenis plectuntur sic dictae „mensurae studentium"[7].

---

[65] c. 2349. [1] c. 2350, § 1. [2] c. 985, n. 4.
[3] c. 2350, § 2. [4] c. 2354. [5] c. 2351.

Q. 596. *Quomodo puniantur delicta commissa contra libertatem humanam?*

R. 1. „Excommunicatione nemini reservata ipso facto plectuntur omnes, qualibet etiam dignitate fulgentes, qui quoquo modo cogunt sive virum ad statum clericalem amplectendum, sive virum aut mulierem ad religionem ingrediendam vel ad emittendam religiosam professionem (tam sollemnem quam simplicem, tam perpetuam quam temporariam)."[8]

2. „Qui intuitu matrimonii vel explendae libidinis causa mulierem nolentem rapuit vi aut dolo vel mulierem minoris aetatis consentientem quidem, sed insciis vel contradicentibus parentibus aut tutoribus, ipso iure exclusus habeatur ab actibus legitimis ecclesiasticis et insuper aliis poenis pro gravitate culpae plectatur."[9].

3. Poenae, quae in quaest. praec. sub n. 4 indicatae sunt, incurruntur quoque ab iis, qui legitime damnati fuerunt ob raptum impuberum alterutrius sexus, ob venditionem hominis in servitutem vel in alium malum finem, ob gravem violentiam in proximum[10].

Q. 597. *Quomodo puniantur delicta commissa in proprietatem et bonam famam proximi?*

R. 1. Laicus et clericus, qui legitime damnati fuerint ob delictum usurae, rapinae, furti qualificati vel non qualificati in re valde notabili, incendii vel malitiosae ac valde notabilis rerum destructionis, non solum debent reparare damna causata, sed etiam ipso iure exclusi habeantur ab actibus legitimis ecclesiasticis; clericus insuper puniatur, pro diversa reatus gravitate, poenitentiis, censuris, immo et depositione[11].

2. „Si quis non re, sed verbis vel scriptis vel alia quavis ratione iniuriam cuiquam irrogavit vel eius bonam famam laesit, non solum potest cogi ad debitam satisfactionem praestandam damnaque reparanda, sed praeterea congruis poenis ac poenitentiis puniri, non exclusa, si de clericis agatur et casus ferat, suspensione aut remotione ab officio et beneficio."[12]

Q. 598. *Quomodo puniantur delicta contra bonos mores, i. e. contra sextum praeceptum?*

R. 1. *Bigami,* i. e. qui, obstante coniugali vinculo, aliud matrimonium, etsi tantum civile, ut aiunt, attentaverunt, sunt ipso facto infames; et si spreta Ordinarii monitione, in illicito contubernio persistunt, pro diversa reatus gravitate excommunicentur vel personali interdicto plectantur[13].

---

[6] c. 1240, § 1, n. 4.
[7] S. C. C. d. 20 Iun. 1925 (Acta Ap. Sed. XVIII 137).
[8] c. 2352. [9] c. 2353. [10] c. 2354.
[11] Ib. [12] c. 2355. [13] c. 2356.

2. *Laici* legitime damnati ob delicta contra sextum cum minoribus infra aetatem 16 annorum commissa, vel ob stuprum, i. e. violentam oppressionem mulieris, ob sodomiam, incestum, lenocinium, ipso facto infames sunt, praeter alias poenas, quas Ordinarius infligendas iudicaverit. — Qui publicum adulterium commiserunt, vel in concubinatu publice vivunt, vel ob alia delicta contra sextum legitime damnati fuerunt, excludantur ab actibus legitimis ecclesiasticis, donec signa verae resipiscentiae dederint[14]. Clerici in *minoribus* ordinibus constituti, qui rei sunt alicuius publici delicti contra sextum, ordinarie puniantur dimissione e statu clericali et insuper iisdem poenis, quae pro laicis supra statutae sunt[15].

3. *Clerici in sacris ordinibus constituti* (sive saeculares sive religiosi) concubinarii, monitione inutiliter praemissa, cogantur ab illicito contubernio recedere et scandalum reparare suspensione a divinis, privatione fructuum officii, beneficii, dignitatis[16]. Ceterum tales clerici solent eo ipso relinquere sua officia vel spernere aut saltem eludere omnes monitiones Ecclesiae.

Si delictum admiserint contra sextum cum minoribus infra aetatem 16 annorum, vel adulterium, stuprum, bestialitatem, sodomiam, lenocinium, incestum cum consanguineis aut affinibus in primo gradu exercuerint, suspendantur, infames declarentur, quolibet officio, beneficio, dignitate, munere, si quod habeant, priventur et in casibus gravioribus deponantur. — Si aliter contra sextum deliquerint, congruis poenis secundum casus gravitatem coerceantur, non excepta officii vel beneficii privatione, maxime si curam animarum gerant[17].

TITULUS XV.

De crimine falsi.

Q. 599. *Quaenam sint poenae in diversa crimina falsi?*

R. 1. Crimen falsi, universim spectatum, est dolosa veritatis immutatio in damnum alterius facta, vel adhuc brevius: mendacium damnosum deliberatum. Quare ad crimen falsi requiruntur tria: mendacium, dolus, damnum. Non omnia mendacia etiam graviter damnosa plectuntur poenis ecclesiasticis, sed tantum sequentia:

2. „Omnes fabricatores vel falsarii litterarum, decretorum vel rescriptorum *Sedis Apostolicae*, vel iisdem litteris, decretis vel rescriptis scienter utentes incurrunt ipso facto in excommunicationem speciali modo S. Sedi reservatam. Clerici autem tale delictum committentes aliis poenis praeterea coerceantur, quae usque ad privationem beneficii, officii, dignitatis et pensionis ecclesiasticae extendi possunt; religiosi autem priventur omnibus officiis, quae in religione habent, et voce activa et passiva, praeter alias poenas in propriis cuiusque constitutionibus statutas.“[18]

[14] c. 2357. [15] c. 2358. [16] c. 2359, § 1. [17] Ib. § 2 3. [18] c. 2360.

3. „Si quis in precibus ad rescriptum a Sede Apostolica vel a loci Ordinario impetrandum fraude vel dolo verum reticuerit aut falsum exposuerit“, rescriptum est aliquando irritum, ut dictum est supra q. 32; semper autem is, qui hoc modo egit, „potest a suo Ordinario pro culpae gravitate puniri.“[19]

4. Litterarum vel actorum *ecclesiasticorum* (non a S. Sede emanatorum) tam publicorum quam privatorum fabricatores vel falsarii vel huiusmodi documentis scienter utentes pro gravitate delicti coerceantur; is autem, qui ex officio tenetur huiusmodi litteras vel acta conficere, conscribere aut conservare eaque praesumpsit falsificare, adulterare, suo officio privetur aliisque gravibus poenis ab Ordinario pro gravitate culpae puniatur[20].

5. „Si quis per se ipsum vel per alios confessarium de sollicitationis crimine apud superiores falso denuntiaverit, ipso facto incurrit in excommunicationem speciali modo S. Sedi reservatam, a qua nequit ullo in casu absolvi, nisi falsam denuntiationem formaliter retractaverit et damna, si qua inde secuta sint, pro viribus reparaverit, imposita insuper gravi et diuturna poenitentia.“[21]

Ergo absolutio ab hac censura non conceditur nisi expleta duplici condicione modo indicata. Si excommunicatio haec non incurritur, eo quod delinquens eam penitus ignoravit, nihilominus adest peccatum ratione sui reservatum S. Sedi[22].

TITULUS XVI.

De delictis in administratione vel susceptione ordinum aliorumque sacramentorum.

Q. 600. *Quomodo puniantur delicta commissa in administratione sacramentorum?*

R. 1. Generatim statuitur: „Minister, qui ausus fuerit sacramenta administrare illis, qui iure sive divino sive ecclesiastico eadem recipere prohibentur, suspendatur ab administrandis sacramentis per tempus prudenti Ordinarii arbitrio definiendum aliisque poenis pro gravitate culpae puniatur, firmis peculiaribus poenis in aliqua huius generis delicta iure statutis“[23], e. gr. in absolutione proprii complicis.

2. Pro illicita administratione baptismi, Eucharistiae, extremae unctionis nulla specialis poena ecclesiastica est statuta.

3. „Presbyter, qui nec a iure (ut apud Orientales) nec ex Romani Pontificis concessione facultatem habens sacramentum *confirmationis* ministrare ausus fuerit, suspendatur; si vero facultatis sibi factae limites praetergredi praesumpserit, eadem facultate eo ipso privatus exsistat.“[24]

4. Complures poenae infliguntur iis, qui illegitime administrant sacramentum *poenitentiae*, sc.:

[19] c. 2361. [20] c. 2362. [21] c. 2363.
[22] c. 894. [23] c. 2364. [24] c. 2365.

a) „Sacerdos, qui sine necessaria iurisdictione praesumpserit sacramentales confessiones audire, est ipso facto suspensus a divinis; qui vero a peccatis reservatis absolvere praesumpserit, ipso facto suspensus est ab audiendis confessionibus."[25] Cum dicatur „praesumpserit", quaelibet imputabilitatis imminutio sive ex parte intellectus (e. gr. ignorantia, inadvertentia) sive ex parte voluntatis (metus) excusat ab hac poena; non tamen excusat ignorantia affectata.

b) „Absolvens vel fingens absolvere complicem in peccato turpi, incurrit ipso facto in excommunicationem specialissimo modo S. Sedi reservatam; idque etiam in articulo mortis, si alius sacerdos, licet non approbatus ad confessiones, sine gravi aliqua exoritura infamia et scandalo, potest excipere morientis confessionem, excepto casu, quo moribundus recusat alii confiteri."[26] Eandem excommunicationem non effugit absolvens vel fingens absolvere complicem, qui peccatum quidem complicitatis, a quo nondum est absolutus, non confitetur, sed ideo ita se gerit, quia ad id a complice-confessario sive directe sive indirecte inductus est.

c) „Qui sollicitationis crimen commisit, suspendatur a celebratione Missae et ab audiendis sacramentalibus confessionibus, vel etiam pro delicti gravitate inhabilis ad ipsas excipiendas declaretur, privetur omnibus beneficiis, dignitatibus, voce activa et passiva, et inhabilis ad ea omnia declaretur, et in casibus gravioribus degradationi quoque subiciatur. Fidelis vero, qui scienter omiserit eum, a quo sollicitatus fuerit, intra mensem denuntiare, incurrit in excommunicationem latae sententiae nemini reservatam; et non est absolvendus, nisi postquam obligationi satisfecit aut se satisfacturum serio promisit."[27] Obligatio denuntiandi confessarium sollicitantem videtur ex novo iure Codicis incumbere soli poenitenti sollicitato.

d) Confessarius, qui sigillum sacramentale *directe* violare praesumpserit, incurrit in excommunicationem specialissimo modo S. Sedi reservatam; qui vero *indirecte* tantum, obnoxius est iisdem poenis, quibus plectitur confessarius sollicitans, et quae indicatae sunt supra sub c). Cum obligatio servandi sacramentale sigillum liget quoque interpretem aliosque omnes, ad quos notitia confessionis quoquo modo pervenit, ii quoque, qui temere violaverint hoc sigillum, pro reatus gravitate plectantur salutari poena, quae potest esse etiam excommunicatio[28].

5. Poenae latae in eos, qui deliquerint circa **sacramentum ordinis**, sunt sequentes:

a) *De consecratione episcopi sine mandato apostolico.* „Episcopus aliquem consecrans in episcopum; pariter episcopi vel, loco episcoporum,

[25] c. 2366.
[26] c. 2367. De hac materia latius egi in Man. theol. mor. III 454 sqq.
[27] c. 2368. De hac materia latius egi in Man. theol. mor. III 460 sqq.
[28] c. 2369.

presbyteri assistentes (et qui consecrationem recipit) sine apostolico mandato, ipso iure suspensi sunt, donec S. Sedes eos dispensaverit."[29]

b) *De simonia patrata in sacramentis administrandis vel recipiendis.* „Omnes, etiam episcopali dignitate aucti, qui per simoniam ad ordines scienter promoverint (vel promoti fuerint, aut alia sacramenta ministraverint vel receperint), sunt suspecti de haeresi; clerici praeterea suspensionem incurrunt S. Sedi reservatam."[30]

c) *De illicita collatione ordinum.* In suspensionem per annum ab ordinum collatione S. Sedi reservatam ipso facto incurrunt:

α) qui alienum subditum sine Ordinarii proprii litteris dimissoriis ordinaverint;

β) qui subditum proprium, qui alibi tanto tempore (per trimestre vel semestre) moratus est, ut canonicum impedimentum contrahere potuerit, illegitime ordinaverint;

γ) qui aliquem ad ordines maiores sine titulo canonico sustentationis promoverint;

δ) qui, salvo legitimo privilegio, religiosum, ad familiam pertinentem, quae est extra territorium ipsius ordinantis, promoverint, etiam cum litteris dimissorialibus proprii superioris, nisi legitime probatum fuerit, aut episcopum dioecesanum licentiam dedisse, aut eum esse diversi ritus, aut eum esse absentem, aut ordinationem ibi non habere locum proximo legitimo tempore, aut denique dioecesim vacare et administratorem dioecesis vacantis carere episcopali charactere[31].

Q. 601. *Quomodo puniantur delicta commissa in receptione sacramentorum?*

R. 1. Qui *per simoniam* aliquod sacramentum receperunt, sunt suspecti de haeresi; clerici praeterea suspensionem incurrunt S. Sedi reservatam[32] ut iam dictum est supra.

2. „Suspensionem a divinis S. Sedi reservatam ipso facto contrahunt, qui recipere ordines praesumunt ab excommunicato vel suspenso vel interdicto post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam, aut a notorio apostata, haeretico, schismatico; qui vero *bona fide* a quopiam eorum est ordinatus, exercitio careat ordinis sic recepti, donec dispensetur."[33]

3. Qui recepit consecrationem episcopalem ab aliquo episcopo, qui non habuit mandatum apostolicum, ipso iure suspensus est[34], ut iam dictum est supra.

4. „Qui sine litteris vel cum litteris dimissoriis falsis, vel ante canonicam aetatem, vel per saltum ad ordines malitiose accesserit, est ipso facto a recepto ordine suspensus; qui autem sine litteris testimonialibus vel detentus aliqua censura, irregularitate aliove impedimento, gravibus poenis secundum rerum adiuncta puniatur."[35]

[29] c. 2370. [30] c. 2371. [31] c. 2373. [32] c. 2371.
[33] c. 2372. [34] c. 2370. [35] c. 2374.

5. „Catholici, qui matrimonium mixtum, etsi validum, sine Ecclesiae dispensatione inire ausi fuerint, ipso facto ab actibus legitimis ecclesiasticis et sacramentalibus exclusi manent, donec ab Ordinario dispensationem obtinuerint.“ [36]

TITULUS XVII.

De delictis contra obligationes proprias status clericalis vel religiosi.

Praenotamen. Obligationes distinguuntur: 1. omnibus clericis et religiosis communes; 2. nonnullis clericis particulares; 3. religiosis particulares. Quare hic titulus convenienter dividitur in tres quaestiones iuxta obligationes modo indicatas.

Q. 602. *Quomodo puniantur delicta contra obligationes communes?*

R. 1. *De omissione examinis annualis.* Sacerdotes, qui neque ab Ordinario dispensati neque legitimo impedimento detenti examen singulis annis saltem per triennium peragendum facere renuerint, ab Ordinario congruis poenis ad illud cogantur[37].

2. *De neglectu conferentiarum.* Sacerdotes contumaciter non assistentes conferentiis quotannis saepius habendis, Ordinarius pro suo prudenti arbitrio puniat; quodsi fuerint religiosi confessarii curam animarum non gerentes, eos ab audiendis saecularium confessionibus suspendat[38].

3. *De neglectu rituum et caeremoniarum.* Clerici maiores, qui in sacro ministerio ritus et caeremonias ab Ecclesia praescriptas graviter negligunt et moniti sese non emendaverunt, suspendantur pro diversa reatus gravitate[39].

4. *De neglectu habitus et tonsurae clericalis.* Clerici habitum ecclesiasticum et tonsuram clericalem non gestantes graviter moneantur; transacto inutiliter mense a monitione, clerici minores ipso iure e statu clericali decidunt; clerici autem maiores amittunt sua officia absque ulla declaratione atque ab ordinibus receptis suspendantur; immo si ad vitae genus a statu clericali alienum notorie transierint nec, rursus moniti, resipuerint, post tres menses ab hac ultima monitione deponantur[40].

5. *De prohibita mercatura.* Clerici vel religiosi mercaturam vel negotiationem illicitam per se aut per alios exercentes congruis poenis pro gravitate culpae ab Ordinario coerceantur[41].

6. *De violato coelibatu.* Clerici in sacris constituti vel regulares seu moniales post votum sollemne castitatis, itemque omnes cum aliqua ex praedictis personis matrimonium etiam civiliter tantum contrahere praesumentes incurrunt in excommunicationem latae sententiae S. Sedi

[36] c. 2375. [37] c. 2376. [38] c. 2377.
[39] c. 2378. [40] c. 2379. [41] c. 2380.

simpliciter reservatam; clerici praeterea, si moniti, tempore ab Ordinario pro adiunctorum diversitate praefinito, non resipuerint, degradentur; statim autem amittunt absque ulla declaratione omnia officia ecclesiastica. — Religiosi professi a votis simplicibus perpetuis idem delictum perpetrantes atque eorum compartes incurrunt excommunicationem Ordinario reservatam[42].

Q. 603. *Quomodo puniantur delicta nonnullis clericis particularia?*

R. 1. *De violata lege residentiae.* Obligationem *residentiae* (ortam ex officio, beneficio, dignitate) illegitime laedentes:

a) eo ipso idque etiam *ante sententiam declaratoriam* privantur omnibus fructibus sui beneficii vel officii pro rata illegitimae absentiae eosque tradere debent Ordinario, qui ecclesiae vel alicui pio loco vel pauperibus distribuat. Quamvis S. Congregatio Conc. d. 10 Iulii 1920[43] statuerit, ut haec restitutio facienda sit „etiam in casu non-residentiae non graviter culpabilis vel tantum materialiter et non formaliter culpabilis et non notoriae“, tamen cum haec privatio videatur esse poena et nulla poena ecclesiastica incurratur, si probatur defuisse gravem culpam[44], probabiliter beneficiarius non tenetur sub gravi reddere fructus perceptos, si eius non-residentia non fuit graviter culpabilis e. gr. propter parvitatem temporis, i. e. duorum vel trium dierum.

b) officio, beneficio, dignitate priventur iuxta superius q. 157 dicta, ubi sermo fuit de modo procedendi contra clericos non-residentes[45].

2. *De neglectis officiis parochi.* Parochus, qui graviter neglexit sacramentorum administrationem, infirmorum assistentiam, puerorum populique institutionem, concionem diebus dominicis ceterisque festis, custodiam ecclesiae paroecialis, ss. Eucharistiae, sacrorum oleorum, moneatur et corripiatur ab Ordinario. Quodsi monitio et correptio in irritum cesserint, talis parochus amoveatur[46]. Parochus, qui paroeciales libros, e. gr. baptismorum, matrimoniorum etc., diligenter non conscripsit aut servavit, a proprio Ordinario pro gravitate culpae puniatur[46a].

3. *De neglectis officiis canonici theologi et poenitentiarii. Canonicum theologum et poenitentiarium* in suis muneribus obeundis negligentes episcopus gradatim compellat monitionibus, comminatione poenarum, subtractione portionis fructuum iis assignandae, qui illorum vices suppleant; et, perdurante per integrum annum negligentia post monitionem, suspensione a beneficio plectat; negligentia vero producta per aliud semestre, ipso beneficio privet[47].

Q. 604. *Quomodo puniantur delicta religiosis peculiaria?*

R. 1. Religiosus publice apostata a fide vel qui fugam arripuit cum muliere, aut religiosa quae cum viro, vel attentantes matrimonium etiam solum civile ipso facto habendi sunt tamquam legitime dimissi e religione[48].

[42] c. 2388. [43] Acta Ap. Sed. XII 364. [44] c. 2218, § 2.
[45] c. 2381. [46] c. 2382. [46a] c. 2383. [47] c. 2384. [48] c. 646.

2. Religiosus apostata a religione ipso iure incurrit in excommunicationem, proprio superiori maiori vel, si religio est laicalis aut non exempta, Ordinario loci, in quo commoratur, reservatam; ab actibus legitimis ecclesiasticis est exclusus, privilegiis omnibus suae religionis privatus; et, si redierit, perpetuo caret voce activa et passiva, ac praeterea aliis poenis pro gravitate culpae a superioribus puniri debet ad normam constitutionum [49]. Quinam sit apostata a religione, supra q. 255 dictum est.

3. Religiosus fugitivus ipso facto incurrit in privationem officii, si quod in religione habeat, et in suspensionem proprio superiori maiori reservatam, si est in sacris; cum autem redierit, puniatur secundum constitutiones, et, si constitutiones nihil de hoc caveant, superior maior pro gravitate culpae poenas infligat [50]. Quinam sit fugitivus, dictum est supra q. 256.

4. Religiosus clericus, cuius professio ob admissum ab ipso dolum nulla fuit declarata, si est in minoribus ordinibus constitutus, e statu clericali eiciatur; si in maioribus, ipso facto suspensus manet, donec S. Sedi aliter visum fuerit [51].

5. Religiosi legem vitae communis constitutionibus praescriptae in re notabili violantes graviter moneantur et, emendatione non secuta, puniantur etiam privatione vocis activae et passivae et, si superiores sunt, etiam privatione officii [52].

TITULUS XVIII.

De delictis in collatione, susceptione, dimissione dignitatum, officiorum, beneficiorum ecclesiasticorum.

Q. 605. *Quomodo puniantur abusus in collatione, susceptione, dimissione officiorum ecclesiasticorum?*

R. 1. Maximus abusus hac in re est *simonia*. De poenis simoniacorum supra dictum est q. 592.

2. *Libertatem* electionum ecclesiasticarum quovis modo per se vel per alios impedientes vel electores aut electum, peracta canonica electione, propter eam quoquo modo gravantes, pro modo culpae puniantur. Quodsi electioni a collegio clericorum vel religiosorum peragendae laici vel saecularis potestas sese illegitime, contra libertatem canonicam, immiscere praesumpserint, electores, qui hanc immixtionem sollicitaverint vel sponte admiserint, ipso facto privati sunt pro ea vice iure eligendi; qui vero suae electioni taliter factae scienter consenserit, fit ad officium vel beneficium, de quo agitur, ipso facto inhabilis [53]. — Collegium, quod indignum scienter elegit, ipso facto privatur pro ea vice iure ad novam electionem procedendi. Singuli vero electores, qui sub-

[49] c. 2385. [50] c. 2386. [51] c. 2387.
[52] c. 2389. [53] 2390.

stantialem electionis formam scienter non servaverunt, possunt pro gravitate culpae ab Ordinario (episcopo vel superiore maiore religioso) puniri. Clerici vel laici, qui indignum scienter praesentaverunt vel nominaverunt, iure praesentandi vel nominandi ipso facto pro ea vice careant [54]. — Omnes, qui iure eligendi, praesentandi vel nominandi legitime fruuntur, si, neglecta auctoritate illius, cui confirmatio vel institutio competit, officium, beneficium aut dignitatem ecclesiasticam conferre praesumpserint, suo iure pro ea vice ipso facto privati manent [55].

3. *Susceptio* officii, beneficii, dignitatis ecclesiasticae est illegitima et punitur, si quis propria auctoritate occupavit ea vel, ad ea electus, praesentatus, in eorundem possessionem vel regimen seu administrationem sese ingessit, antequam necessarias litteras confirmationis vel institutionis acceperit easque illis ostenderit, quibus de iure debet. Talis autem usurpator sit ipso iure ad eadem inhabilis et praeterea ab Ordinario pro gravitate culpae puniatur. Insuper per suspensionem, privationem beneficii,officii, dignitatis antea obtentae et, si res ferat, etiam per depositionem cogatur a beneficii, officii, dignitatis occupatione eorumque regimine et administratione statim, monitione praemissa, recedere. Capitula vero, conventus aliique omnes, ad quos spectat, huiusmodi electos, praesentatos vel nominatos ante litterarum exhibitionem admittentes, ipso facto a iure eligendi, nominandi vel praesentandi suspensi maneant ad beneplacitum S. Sedis [56]. — Qui scienter acceptat collationem officii, beneficii vel dignitatis de iure *non vacantis* et patitur, se in eius possessionem immitti, sit ipso facto inhabilis ad illa postea assequenda aliisque poenis pro modo culpae puniatur [57]. Clericus, qui assecutus pacificam possessionem officii vel beneficii cum priore *incompatibilis* prius quoque retinere praesumpserit, utroque privatus ipso iure exsistat [58].

4. Si quis ad dignitatem cardinalitiam promotus recusaverit emittere iusiurandum, se intra annum (nisi legitimo detineatur impedimento) aditurum esse Summum Pontificem, ipso facto privatus perpetuo maneat cardinalitia dignitate [59].

5. Si quis ad episcopatum promotus intra tres menses consecrationem suscipere neglexerit, fructus non facit suos, fabricae ecclesiae cathedralis applicandos; et, si postea in eadem negligentia per totidem menses perstiterit, episcopatu privatus ipso iure manet [60]. Abbas vel Praelatus nullius, qui negligit intra tres menses benedictionem praescriptam recipere, est ipso facto a iurisdictione suspensus [61].

6. Qui praescriptam fidei professionem sine iusto impedimento emittere negligit, moneatur, praefinito quoque congruo termino; quo transacto, contumax etiam per privationem officii, beneficii, digni-

[54] c. 2391. [55] c. 2393. [56] c. 2394.
[57] c. 2395. [58] c. 2396. [59] c. 2397.
[60] c. 2398. [61] c. 2402.

tatis, muneris puniatur; nec interim beneficii, officii, dignitatis, muneris fructus facit suos [62].

7. Clerici maiores munus a proprio Ordinario sibi commissum, sine eiusdem Ordinarii licentia, deserere praesumentes, suspendantur a divinis ad tempus ab Ordinario secundum diversos casus praefiniendum [63].

Si autem quis in detinendo officio, beneficio, dignitate, non obstante legitima privatione aut remotione, persistit aut, ne ea dimittat, moras illegitime nectit, ea, praemissa monitione, deserere cogatur per suspensionem a divinis aliasve poenas, depositione, si res ferat, non exclusa [64].

Clericus, qui in manus laicorum officium, beneficium aut dignitatem ecclesiasticam resignare praesumpserit, ipso facto in suspensionem a divinis incurrit [65].

TITULUS XIX.

De abusu potestatis vel officii ecclesiastici.

Praenotamen. Abusus potestatis vel officii ecclesiastici fieri potest multis modis, ac de nonnullis abusibus, e. gr. de sollicitatione ad turpia, de simoniaca collatione officiorum, iam sermo fuit. Ut per se patet, omnes abusus potestatis ecclesiasticae coercendi et, si casus ferat, prudenti arbitrio legitimi superioris puniendi sunt pro gravitate culpae [66]; sed in hoc titulo specialiter tractatur de abusibus occurrentibus in curiis ecclesiasticis et in superioribus religiosis. Hic titulus in iure Decretalium inscribebatur: „De excessibus praelatorum“.

Q. 606. *Quomodo puniantur nonnulli abusus occurrentes in curia ecclesiastica?*

R. 1. Vicarius capitularis aliive omnes tam de capitulo quam extranei, qui documentum quodlibet ad curiam episcopalem pertinens (sive per se sive per alium) subtraxerint vel destruxerint vel celaverint vel substantialiter immutaverint, incurrunt ipso facto in excommunicationem S. Sedi simpliciter reservatam, et ab Ordinario etiam privatione officii, beneficii plecti possunt [67].

2. Quicumque officio tenetur acta vel documenta seu libros curiarum ecclesiasticarum vel libros paroeciales conficere, conscribere aut conservare, si ea falsare, adulterare, destruere vel occultare praesumpserit, suo officio privetur aliisve gravibus poenis ab Ordinario pro modo culpae puniatur. Qui vero acta, documenta vel libros hos legitime petenti exscribere, transmittere seu exhibere dolose detrectaverit aliove quovis modo officium suum prodiderit, privatione officii vel suspensione ab eodem et mulcta ad arbitrium Ordinarii pro gravitate causae puniri potest [68]. — Hic sane agitur etiam de abusibus circa libros paroeciales, sed, cum authenticum exemplar ipsorum ex-

[62] c. 2403. [63] c. 2399. [64] c. 2401. [65] c. 2400.
[66] c. 2404. [67] c. 2405. [68] c. 2406.

eunte quovis anno ad curiam episcopalem mittendum sit [69], tales abusus tangunt indirecte ipsam curiam episcopalem.

3. Qui curiae officiales seu administros quosvis ecclesiasticos, iudices, advocatos vel procuratores donis aut pollicitationibus ad actionem vel omissionem officio suo contrariam inducere tentaverit, congrua poena plectatur et ad reparanda damna, si qua illata sint, compellatur [70].

4. Taxas consuetas et legitime approbatas augentes aut ultra eas aliquid exigentes gravi mulcta pecuniaria coerceantur, et recidivi ab officio suspendantur vel removeantur pro culpae gravitate, praeter obligationem restituendi, quod iniuste perceperunt [71].

5. Vicarius capitularis concedens illegitime litteras dimissorias pro ordinatione ipso facto subiacet suspensioni a divinis [72]. Quandonam Vicarius capitularis possit legitime concedere litteras dimissorias, dictum est supra q. 148, 10 [73].

Q. 607. *Quomodo puniantur nonnulli abusus potestatis commissi a superioribus religiosis?*

R. 1. Superiores religiosi, qui illegitime subditos suos ad episcopum alienum ordinandos remittere praesumpserint, ipso facto suspensi sunt per mensem a Missae celebratione [74]. Quandonam superiores religiosi possint legitime subditos ordinandos mittere ad alienum episcopum, statuitur c. 965 sqq. [75]

2. Superiores religiosi, qui candidatum iuridice non idoneum aut sine requisitis litteris testimonialibus ad novitiatum receperint vel ad professionem admiserint, pro gravitate culpae puniantur, non exclusa officii privatione [76].

3. Religiosarum etiam exemptarum antistitae pro gravitate culpae, non exclusa, si res ferat, officii privatione, ab Ordinario loci puniantur:

a) si dotes puellarum receptarum quoquo modo impendere praesumpserint ante mortem sororis;

b) si omiserint Ordinarium loci certiorem facere de proxima alicuius admissione ad novitiatum vel ad professionem [77].

4. Antistitae, quae post indictam visitationem religiosas in aliam domum, visitatore non consentiente, transtulerint, itemque religiosae omnes (sive antistitae sive subditae), quae per se vel per alios, directe vel indirecte religiosas induxerint, ut interrogatae a visitatore taceant vel veritatem quoquo modo dissimulent aut non sincere exponant, vel iisdem ob responsa, quae visitatori dederint, molestiam sub quovis praetextu attulerint, inhabiles ad officia assumenda, quae aliarum regimen secum ferunt, a visitatore declarentur et antistitae

[69] c. 470, § 3. [70] c. 2407. [71] c. 2408. [72] c. 2409.
[73] c. 958, § 1, n. 3. [74] c. 2410. [75] Cf. supra q. 246.
[76] c. 2411. [77] c. 2412.

officio, quo funguntur, priventur. Prorsus idem valet quoque in virorum religionibus[78].

5. Antistita, quae statuta de confessariis religiosarum violaverit illegitime minuendo libertatem confitendi, a loci Ordinario moneatur; si iterum deliquerit, ab eodem officii privatione puniatur, ilico tamen certiore facta S. Congregatione de Religiosis[79]. Supra q. 189 late egimus de libertate confitendi concessa religiosis utriusque sexus.

Nota. Quae in hac quaestione dicta sunt de superioribus religiosis, valent quoque generaliter de superioribus societatum clericalium sine votis[80].

[78] c. 2413. [79] c. 2414. [80] Act. Ap. Sed. X (1918) 347.

Appendix I.

Brevis conspectus censurarum hodie vigentium.

Cum in praxi multum intersit, ut censurae latae sententiae cognoscantur, hic in brevi conspectu proponimus excommunicationes, suspensiones, interdicta, quae hodie vigent.

Excommunicationes latae sententiae hodie vigentes distinguuntur in quinque categorias, secundum quod earum absolutio reservata est 1. specialissimo modo S. Sedi; 2. speciali modo S. Sedi; 3. simplici modo S. Sedi; 4. Ordinariis; 5. nemini.

I. *Excommunicationes* **specialissimo modo** *reservatae S. Sedi* sunt *quattuor* (praeter eas, quae a] infliguntur violantibus secretum S. Officii aut S. Congregationis Consist. in electione episcopi; b] quae incurruntur propter abusus commissos in electione Romani Pontificis). Excommunicantur hoc modo:

1. qui species consecratas abiecerunt aut ad malum finem abduxerunt vel retinuerunt[1]; e. gr. fures tabernaculum effringentes et hostias dispergentes;

2. qui violentas manus iniecerunt in personam Romani Pontificis[2];

3. qui absolverunt vel finxerunt absolvere complicem in peccato turpi[3];

4. confessarius, qui praesumpsit directe violare sigillum sacramentale[4].

II. *Excommunicationes* **speciali modo** *reservatae S. Sedi* sunt *undecim* latae contra eos:

1. qui sunt a christiana fide apostatae, haeretici, schismatici[5];

2. qui sunt editores librorum apostatarum, haereticorum, schismaticorum apostasiam, haeresim, schisma propugnantium; item qui eosdem libros aliosve per apostolicas litteras nominatim prohibitos defendunt aut scienter sine debita licentia legunt vel retinent[6];

3. qui appellant a mandatis Romani Pontificis ad universale Concilium[7];

4. qui recurrunt ad laicam potestatem ad impediendas litteras vel acta S. Sedis[8];

5. qui leges, mandata vel decreta contra libertatem aut iura Ecclesiae edunt; qui impediunt directe vel indirecte exercitium iurisdictionis ecclesiasticae ad hoc recurrentes ad quamlibet laicalem potestatem[9];

[1] c. 2320. [2] c. 2343. [3] c. 2367. [4] c. 2369. [5] c. 2314, § 1 et 2. [6] c. 2318, § 1. [7] c. 2332. [8] c. 2333. [9] c. 2334.

6. qui sine venia S. Sedis ausi sunt ad iudicem laicum trahere aliquem Cardinalem vel Legatum vel Officialem maiorem Curiae Romanae vel Ordinarium *proprium*[10];

7. qui violentas manus iniecerunt in personam Cardinalis, Legati papalis, Patriarchae, archiepiscopi, episcopi[11];

8. qui falsificant litteras vel acta S. Sedis vel qui iisdem falsificatis scienter utuntur[12];

9. qui usurpant vel detinent bona aut iura ad ecclesiam Romanam pertinentia[13];

10. qui ad ordinem sacerdotalem non promoti simulant celebrationem Missae aut excipiunt confessionem sacramentalem[14];

11. qui calumniose denuntiant confessarium de sollicitatione ad turpia[15].

III. *Excommunicationes* **simplici modo** *reservatae S. Sedi* sunt item *undecim.* Excommunicantur enim

1. qui quaestum faciunt ex indulgentiis[16];

2. qui simoniam committunt in quibuslibet officiis, beneficiis aut dignitatibus ecclesiasticis[17];

3. clerici in sacris constituti vel regulares aut moniales post votum sollemne castitatis, itemque omnes cum aliqua ex praedictis personis matrimonium etiam civiliter tantum contrahere praesumentes[18]; cf. infra IV, 6;

4. duellum perpetrantes, provocantes, acceptantes, permittentes, de industria spectantes, adiuvantes[19];

5. nomen dantes sectae massonicae aliisque eiusdem generis associationibus, quae contra Ecclesiam vel legitimas civiles potestates machinantur[20];

6. clausuram monialium violantes; item mulieres violantes regularium virorum clausuram et quicumque eas introducunt vel admittunt[21];

7. qui bona ecclesiastica usurpare praesumunt[22];

8. qui impendunt auxilium vel favorem excommunicato vitando in delicto, propter quod excommunicatus fuit; item clerici, qui scienter et sponte in divinis cum eodem communicant et ipsum in divinis officiis recipiunt[23];

9. absolvere praesumentes sine debita facultate ab excommunicatione latae sententiae specialissimo vel speciali modo reservata Sedi Apostolicae[24];

10. qui ausi sunt (sine praevia legitima venia) ad iudicem laicum trahere episcopum (non proprium Ordinarium) vel abbatem, vel praelatum nullius, vel superiorem supremum in religionibus iuris pontificii[25];

11. omnes, qui documentum quodlibet ad curiam episcopalem pertinens subtraxerunt vel destruxerunt vel celaverunt vel substantialiter mutaverunt[26].

---

[10] c. 2341. [11] c. 2343, § 2 et 3. [12] c. 2360, § 1. [13] c. 2345.
[14] c. 2322. [15] c. 2363. [16] c. 2327. [17] c. 2392. [18] c. 2388, § 1.
[19] c. 2351, § 1. [20] c. 2335. [21] c. 2342. [22] c. 2346.
[23] c. 2338, § 2. [24] c. 2338, § 1. [25] c. 2341. [26] c. 2405.

IV. *Excommunicationes* **Ordinariis** *reservatae* sunt *sex* vel novem, cum prima harum excommunicationum sit quadruplex, latae contra eos:

1. qui matrimonium ineunt coram ministro acatholico, vel qui uniuntur matrimonio cum pacto, ut proles educetur extra Ecclesiam catholicam, vel qui scienter liberos suos ministris acatholicis baptizandos offerre praesumunt, vel parentes parentumve locum tenentes, qui liberos in religione acatholica educandos vel instituendos scienter tradunt[27];

2. qui falsas reliquias conficiunt aut scienter vendunt, distribuunt vel publicae fidelium venerationi exponunt[28];

3. qui violentas manus iniciunt in personam vel clericorum (non fulgentium dignitate cardinalitia aut episcopali) vel utriusque sexus religiosorum[29];

4. qui procurant abortum effectu secuto, matre non excepta[30];

5. qui sunt apostatae a religione. Quae quidem excommunicatio est reservata proprio superiori maiori vel, si religio sit laicalis aut non exempta, Ordinario loci, in quo apostata commoratur[31];

6. qui sunt professi votorum simplicium perpetuorum (tam in Ordinibus quam in Congregationibus religiosis) itemque omnes, qui cum aliqua ex praedictis personis matrimonium etiam civiliter tantum contrahere praesumunt[32].

V. *Excommunicationes* **nemini** *reservatae* sunt *quinque.* Excommunicantur hoc modo:

1. „qui ausi fuerint mandare seu cogere tradi ecclesiasticae sepulturae infideles, apostatas a fide, vel haereticos, schismaticos aliosve notorios sive excommunicatos sive interdictos“[33];

2. „omnes quovis modo reos (in illegitima alienatione bonorum ecclesiasticorum pretiosorum) sive dando sive recipiendo sive consensum praebendo manet excommunicatio latae sententiae nemini reservata“[34];

3. qui scienter omiserunt confessarium, a quo sollicitati fuerint, intra mensem denuntiare[35];

4. auctores et editores, qui sine debita licentia SS. Scripturarum libros vel earum adnotationes aut commentarios imprimi curant[36];

5. qui quoque modo cogunt sive virum ad statum clericalem amplectendum, sive virum aut mulierem ad religionem ingrediendam vel ad emittendam professionem religiosam[37].

Suspensiones latae sententiae hodie vigentes (sive censurae sive poenae vindicativae) distinguuntur:

1. reservatae Sedi Apostolicae, 2. episcopis, 3. superioribus maioribus religiosis, 4. nemini.

I. *Suspensiones reservatae S. Sedi.*

Hoc modo suspenduntur:

1. qui sine mandato apostolico consecrationem episcopalem conferunt aut recipiunt[38];

---

[27] c. 2319. [28] c. 2326. [29] c. 2343, § 4. [30] c. 2350. [31] c. 2385.
[32] c. 2388, § 2. [33] c. 2339. [34] c. 2347, n. 3. [35] c. 2368, § 2.
[36] c. 2318, § 2. [37] c. 2352. [38] c. 2370.

2. qui conferunt ordines a) sine requisitis litteris dimissorialibus aut testimonialibus; b) sine titulo canonico; c) sine licentiis necessariis in ordinatione religiosorum[39] (sunt suspensi per annum ab ordinum collatione);

3. qui praesumunt recipere ordines ab excommunicato vel suspenso vel interdicto (post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam) aut a notorio apostata, haeretico, schismatico[40];

4. clerici, qui simoniace ordinationem aliave sacramenta conferunt aut recipiunt[41];

5. clericus religiosus constitutus in ordinibus maioribus, a) cuius professio ob admissum ab ipso dolum nulla fuit declarata[42], b) qui fuit e religione dimissus ob nonnulla delicta[43].

II. *Suspensio reservata episcopis* manet

clericum, qui ausus fuit ad iudicem laicum trahere (non obtenta venia ab Ordinario loci) personam ecclesiasticam, quae non fulget dignitate cardinalitia, episcopali, praelatitia maiore[44].

III. *Suspensio reservata superiori maiori religioso* manet

religiosum fugitivum in sacris constitutum[45]. Cf. supra IV, 5.

IV. *Suspensiones reservatae nemini.*

Hoc modo suspenduntur:

1. sacerdos, qui sine debita iurisdictione praesumpsit audire confessiones aut absolvere a peccatis reservatis[46];

2. qui malitiose recipiunt ordines sine litteris vel cum falsis litteris dimissoriis vel ante canonicam aetatem vel per saltum[47];

3. clericus, qui in manus laicorum praesumpsit resignare officium, beneficium aut dignitatem ecclesiasticam[48];

4. abbas vel praelatus nullius, qui cessante legitimo impedimento intra tres menses a receptis litteris apostolicis non recepit benedictionem, est ipso facto suspensus a iurisdictione[49];

5. vicarius capitularis illegitime concedens litteras dimissorias pro ordinatione[50];

6. superiores religiosi, qui illegitime subditos suos ad episcopum alienum ordinandos remittere praesumpserint, ipso facto suspensi sunt per mensem a Missae celebratione[51].

Interdicta hodie vigentia sunt *quattuor,* quorum duo priora iam inveniuntur in Bulla „Apostolicae Sedis", sc. interdicuntur:

1. Universitates, Collegia, Capitula aliaeve personae morales, quae appellant ad universale Concilium contra decretum Rom. Pontificis[52];

2. scienter celebrantes vel celebrari facientes divina in locis interdictis vel admittentes ad celebranda officia divina per censuram vetita clericos excommunicatos, interdictos, suspensos post sententiam[53];

---

[39] c. 2373. [40] c. 2372. [41] c. 2371. [42] c. 2387.
[43] c. 671. [44] c. 2341. [45] c. 2386. [46] c. 2366.
[47] c. 2374. [48] c. 2400. [49] c. 2402. [50] c. 2409.
[51] c. 2410. [52] c. 2332. [53] c. 2338, § 3.

3. qui causam dederunt interdicto locali aut interdicto in communitatem aut collegium[54];

4. qui sponte dant sepulturam ecclesiasticam infidelibus, apostatis a fide, haereticis, schismaticis aliisve sive excommunicatis sive interdictis[55].

Appendix II.

Modus practicus tractandi res in Curia Romana et nonnulla formularia.

Cum scopus principalis Manualis nostri sit servire usui practico, cumque constet experientia quamplurimos clericos laborare magnis difficultatibus, quando debent tractare aliquam rem sive causam in Curia Romana, sequentes normae nonnullis erunt forsan pergratae. Casus autem difficiliores et rariores non tangimus, quia hoc longum est, et insuper in istis casibus recurrendum est ad aliquem procuratorem approbatum, vel etiam ad aliquem advocatum in Curia Romana legitime recognitum. Nomina et habitationes istorum Officialium habentur in libris „Annuario pontificio" vel in „Annuaire pontifical" (ed. a Battandier), qui quotannis publici iuris fiunt. Sicuti enim nemo potest tractare res graviores in tribunalibus civilibus sine adiutorio advocati, ita pariter est in Curia Romana. Immo etiam in rebus non ita gravibus, e. gr. in petitionibus facultatum et indultorum, res solet citius et facilius procedere, si proponatur ope alicuius procuratoris seu agentis romani. Taxa solvenda istis procuratoribus seu agentibus non est magna. Etenim pro rescriptis maioribus solvuntur 10 franci, pro minoribus vero 6 franci; immo si petentes sunt pauperes (ut clerici religiosi), hae summae ad dimidiam partem rediguntur aut omnino condonantur, salvis tamen expensis pro tabellariis (vulgo „Porto")[56]. Ceterum „in omni rescripto, indulto, dispensatione ab ipso Officio indicabitur non modo taxatio Sanctae Sedi solvenda et remuneratio agenti debita, sed etiam pecuniae summa, cuius repetendae ius habet dioecesana vel religiosa curia pro exsecutione rescriptorum, si haec necessaria sit"[57].

Praeter procuratores seu agentes publicos et a Curia Romana approbatos, de quibus modo dictum est, quilibet potest pro suis *privatis* negotiis tractandis in Curia Romana *„deputare quemlibet suae fiduciae virum dummodo catholicum, integra fama et ad Officium, in quo agenda sit res, minime pertinentem"*[58]. Ergo numquam aliquis officialis alicuius Congregationis vel Tribunalis vel Officii potest deputari agens vel procurator pro negotiis tractandis in eadem Congregatione vel Tribunali, in quo ipse laborat. Nihil autem obstat, quominus officialis unius Congregationis sit procurator seu agens in alia Congregatione. E. gr. administer Congregationis Religiosorum nequit deputari agens seu procurator in eadem Congregatione Religiosorum; minime autem prohibetur, ne iste administer sit agens seu procurator in Congregatione de disciplina Sacramentorum vel in Congregatione Concilii etc. —

---

[54] c. 2338, § 4. [55] c. 2339.

[56] Ordo servandus in ss. Congregationibus, Tribunalibus, Officiis Romanae Curiae. Normae communes c. 11, n. 2 et 13 (Acta Ap. Sed. I 35).

[57] Normae communes c. 11, n. 1. [58] Ib. c. 9, n. 1.

Episcopus potest ipse per se in variis Apostolicae Sedis Officiis negotia libere tractare; quoties autem vult negotia tractare ope alterius, tunc tenetur eligere aliquem virum a Congregatione Consistoriali approbatum tamquam publicum agentem seu procuratorem vel advocatum. Nihil quidem obstat, quominus episcopus procuratorem eligat virum nondum approbatum, sed tunc iste procurator electus tenetur, antequam exerceat mandatum, postulare inscriptionem in albo procuratorum, quod patet in Officio a Secretis Congregationis Consistorialis [59]. — „*Christi fideli cuique patet aditus ad Sanctae Sedis Officia, servata rite forma, quae decet, et facultas est cum iisdem agendi per se de suis negotiis.*“ [60] Abrogatae igitur esse videntur ordinationes quorundam ordinum religiosorum, in quibus vetitum erat sub gravibus poenis, ne subditi aliquod negotium pertractarent in Curia Romana, nisi mediante procuratore generali Ordinis. Nihilominus non tantum valde congruum, verum etiam valde proficuum est, ut subditi religiosi omnia negotia in Curia Romana tractanda prius submittant procuratori generali Ordinis. Etenim Curia Romana non solet subditis religiosis rescriptum mittere, nisi prius procurator generalis aut superior generalis votum aut commendationem dederit [61]. Sunt tamen duae exceptiones: 1. In omnibus ad *forum poenitentiale* pertinentibus confessarius religiosus, quando indiget speciali facultate, adeat directe et non mediante procuratore generali S. Poenitentiariam. Ratio est, quia secus posset adesse periculum laedendi sigillum sacramentale. 2. Quando religiosus impar sustinendi iniustitias vere intolerabiles inflictas a proprio superiore (quod hodie sane rarissime accidit), recursum habet ad S. Congregationem Religiosorum. Valde enim absonum esset, si subditus querelas suas contra proprium superiorem deberet mediante hoc ipso superiore mittere ad auctoritatem maiorem.

Cum episcopis aliquando potestates concedantur in rebus ad forum poenitentiale pertinentibus, confessarii cum religiosi tum saeculares brevius et facilius obtinent facultatem petitam per litteras ad curiam episcopalem missas, *dummodo tamen ne adsit periculum laesionis sigilli sacramentalis.* Quod quidem periculum facile esse potest praesertim in minoribus paroeciis. Exsistente periculo laesionis sigilli petitio dirigenda est ad S. Poenitentiariam (cf. formularia infra posita). Sacerdos saecularis vel religiosus volens porrigere aliquam petitionem ad rem indulgentiarum pertinentem, vel volens obtinere aliquod indultum, e. gr. imponendi diversa scapularia, benedicendi rosaria, numismata, cingula etc. vel legendi libros prohibitos, multo melius hoc facit mediante episcopo vel superiore religioso. Etenim istae gratiae atque indulta non solent concedi nisi praehabita commendatione vel consensu Ordinarii vel superioris religiosi. Cum talium precum habeantur formularia apud Beringer (Die Ablässe), ad illum auctorem notissimum remittimus lectorem.

I. Regulae generales, quae observari debent in litteris porrigendis ad Congregationes, Tribunalia, Officia Curiae Romanae.

Charta, in qua petitio scribitur, non sit *ex palea* confecta, sed adhibeatur charta sic dicta „Palomba“ (quia aquaceo signo columbae figura in illa impressa est) extensionis 210 × 285 mm. In omnibus curiis episcopalibus atque in grandioribus urbibus huiusmodi charta facile inveniri potest. Non tamen stricte praecipitur, ut talis charta adhibeatur, sed id tantum consulitur.

Atramentum debet revera esse atrum seu nigrum et non alterius coloris.

Idiomate latino ut sit conscripta petitio, melius est, licet alia idiomata non prohibeantur. Praesertim admittuntur idiomata italicum, gallicum, germanicum, anglicum, hispanicum, lusitanum.

Forma petitionis haec sit: Beatissime Pater! (quae quidem inceptio solet adhiberi in omnibus petitionibus, quia revera Summus Pontifex gratiam concedit, licet mediantibus Congregationibus Romanis. Unica exceptio est S. Poenitentiaria, ad quam supplices litterae diriguntur cum inceptione: Eminentissime D. Cardinalis!) In ipsa petitione primo debet breviter et clare exponi *species facti.* Deinde subiungitur petitio, et ultimo adduntur rationes, propter quas petitio porrigitur (cf. infra exempla).

Subscriptio debet clare et legibiliter exprimere *cognomen et agnomen* oratoris, sicuti etiam eius officium et domicilium. Romae multum insistitur, ut cognomen plenis characteribus scribatur. Unde non sufficit scribere e. gr.: I. Ariosto, sed scribi debet: Iosephus Ariosto.

Taxae solvendae in omni rescripto, indulto, dispensatione sunt modicae; immo pauperibus partialiter aut totaliter remittuntur, ut iam supra dictum est. Econtra taxae solvendae advocatis et procuratoribus in *causis iudicialibus,* quae coram tribunalibus Rotae et Signaturae Apostolicae tractantur, non ita parvae sunt [62]; pauperibus tamen etiam in istis tribunalibus ius est exemptionis ab expensis iudicialibus et gratuiti patrocinii [63]. Rescripta S. Poenitentiariae et Congregationis de Propaganda Fide semper gratuito conceduntur [64], sed taxae pro agentia semper solvendae sunt.

II. Formularia quaedam ad S. Poenitentiariam.

1. *Absolutio complicis.*

Eminentia Reverendissima!

Titius sacerdos et parochus absolvit (semel, bis, ter ...) complicem in peccato turpi, et quidem extra casum extremae necessitatis. Immo non obstante censura incursa pluries exercuit sacros ordines. Maxime dolens de peccatis commissis et remota omni peccati occasione, humiliter absolutionem ab Eminentia Vestra postulat.

Dignetur Eminentia Vestra Rev^{ma} responsum mittere infrascripto confessario, aut alii confessario ab oratore eligendo.

Köln, Severinstr. 10 (Germania). — Carolus Schmitz, Parochus.

2. *Recursus necessarius ob absolutionem datam in casu urgenti.*

Caius sacerdos et parochus semel absolvit suum complicem in peccato turpi. Cum autem sincerae poenitentiae manifesta signa dederit et in urgenti necessitate Missam celebrandi, ne gravia scandala orirentur, exstiterit, absolvi illum a peccatis et censuris cum onere recurrendi ad S. Poeniten-

[59] Normae communes c. 9, n. 3 et 9; c. 10, n. 4. [60] Ib. c. 10, n. 1.

[61] Hinc statuitur in Codice iur. can. c. 517, § 1: „Quaevis virorum religio iuris pontificii procuratorem generalem habeat, qui, secundum constitutiones designatus, negotia propriae religionis apud S. Sedem pertractet.“

[62] Cf. Lex propria tit. 3, c. 3. [63] Ib. c. 4.

[64] Cf. Normae communes c. 11, n. 15 et Normae pecul. c. 8, n. 3.

tiariam eiusque standi mandatis. Enixe petiit a me, ut vellem hunc recursum pro illo facere, quod quidem misericordia motus hisce facio.

Responsum dignetur mittere Eminentia Vestra Rev[ma] ad infrascriptum confessarium

humillimum servum Em. Vestrae

Fr. Camillum Müller, Ord. Praed.

London N. W. Haverstock Hill, St. Dominic's Priory.
(Inghilterra).

3. *Massonicus reconciliandus.*

Eminentissime D. Cardinalis!

Tullius, laicus, infandae Sectae Massonicae abhinc 40 annis nomen dedit bene cognoscens prohibitiones et poenas ab Ecclesia contra Massonicos latas. Accidit etiam, ut in Massonicorum conventiculis multoties et acriter propugnaret errores contra fidem et bonos mores. Nunc autem iam a pluribus annis amplius nullum commercium cum Secta Massonica habuit, officia ecclesiastica frequentavit et vitam spectabilem duxit, ita ut eius condicio tamquam assecla Sectae Massonicae prorsus ignoretur in loco, ubi habitat. Unum superest, ut Ecclesiae reconcilietur, cuius mandata tam proterve despexit. Proinde maxima ductus poenitentia de commissis peccatis enixe postulat absolutionem a censuris, paratus oboediendi omnibus Ecclesiae mandatis.

Responsum dignetur mittere . . . ut supra.

Omnes fere Congregationes sedem habent in Palazzo della Cancelleria Apostolica; S. Poenitentiaria autem in Palazzo del Sant' Uffizio; ideoque super involucrum petitionis (vulgo „enveloppe") scribi potest hoc vel simili modo (attendendo ad diversas Congregationes vel Tribunalia):

Italia

A Sua Eminenza Reverendissima

il Signor Cardinale Penitenziere Maggiore

Palazzo del Sant' Uffizio

Roma.

III. Formulare litterarum testimonialium et dimissoriarum.

1. *Pro ordinibus maioribus.*

. . . .

Prior provincialis (Praepositus provincialis).

Dilecto nobis in Christo . . . sollemniter professo (qui vota perpetua emisit) et commoranti in domo nostra . . . (archi)dioecesis. . . .

Ut divino cultui et servitio in ecclesiis nostris pro muneris nostri ratione provideamus, tibi, de cuius vita, moribus, aetate legitima, competenti scientia (iuxta can. 976), spiritualibus exercitiis rite peractis ceterisque a iure requisitis pro sacris ordinationibus constat, harum vigore cum salutaris oboedientiae merito mandamus, ut coram . . . te sistas humiliter petens, ut velit tibi conferre s. ordinem . . . atque litteras testimoniales ordinis suscepti.

Datum . . .

Locus sigilli.

Nomen . . .

Nota. 1. Si ordinandus pertinet ad ordinem religiosum, scribendum est: sollemniter professo; sin autem pertinet ad congregationem religiosam, scribere oportet: qui vota perpetua emisit.

2. Si non episcopus loci, sed alius episcopus ordinem collaturus est, in fine addendum est:

Testantibus litteris hisce adiunctis, Reverendissimus (archi)episcopus vel
a) licentiam dedit suscipiendi ordines; vel
b) absens est; vel
c) non est habiturus ordinationes proximo legitimo tempore.

2. *Pro ordinibus minoribus.*

. . . .

Superior provincialis Ordinis (Congregationis) . . .

Dilecto nobis in Christo . . . qui professionem religiosam emisit et commoratur in domo nostra . . . (archi)dioecesis. . . .

Ut divino cultui et servitio in ecclesiis nostris pro muneris nostri ratione provideamus, tibi, de cuius vita, moribus, competenti doctrina (iuxta can. 976), spiritualibus exercitiis rite peractis ceterisque a iure requisitis constat, harum vigore cum salutaris oboedientiae merito mandamus, ut coram . . . te sistas, humiliter petens, ut velit tibi conferre . . . atque litteras testimoniales ordinationis peractae.

Datum . . .

L. S.

Nomen . . .

Attendenda sunt ea, quae supra dicta sunt in Nota 1 et 2.

IV. Brevis explicatio quarundam formularum, quae adhiberi solent in Responsis Sacrarum Congregationum.

1. In responsis *S. Poenitentiariae* ad forum internum pertinentibus solet praescribi: *„Statim hisce litteris laceratis." „Statim"* significat infra tres dies ab executione dispensationis. Minime etiam prohibetur, ne confessarius ad sui instructionem transcribat responsum (omittendo praesertim tempus rescripti accepti) et hoc transcriptum caute custodiat, ita tamen ut nullum periculum laesionis sigilli occurrat.

2. In responsis *aliorum Tribunalium vel Congregationum* solent sequentes formulae adhiberi:

a) In causis litigiosis respondetur non raro hoc modo: affirmative vel negative, subiungitur tamen *„ad mentem", „iuxta modum", „ita tamen"*, quae formulae vel similes significant responsionem esse datam cum aliqua modificatione vel condicione. Haec condicio aliquando reticetur, saepius tamen manifestatur hoc modo: „mens est, ut . . ."

b) *„Lectum“* aut *„Lectum ad instantiam“*, aut *„Relatum“*, aut *„Non expedire“* aut *„Nihil“*, quae formulae omnes significant S. Congregationem nolle dare responsum, aut recusare petitionem propositam.

c) *„Dilata“* aut *„Dilata et coadiuventur probationes“*, aut *„Suppleantur acta iuxta instructionem dandam“*, aut *„Coadiuventur probationes et ad mentem“*, quae omnia significant resolutionem casus differri, usquedum novae probationes allatae fuerint.

d) *„Dilata ad proximam infallanter“*, aut *„Dilata ad primam“*, aut *„Dilata post Aquas“* vel *„post Reges“* vel *„post Agnos“* vel *„post Cineres“* vel *„post Ignem“*, quae quidem significant decisionem differri ad proximam congregationem generalem, vel post Ferias autumnales vel post Epiphaniam vel post Pascha vel post ferias Bachanalium vel post Pentecosten.

e) *„Non proposita“* vel *„Reproponatur cum iisdem“*, quae significant causam esse ex certo motivo non propositam, vel debere iterum cum iisdem probationibus proponi.

f) *„Ad iudices suos“* vel *„Ad Ordinarium, qui utatur iure suo“*. Istae similesque formulae significant causam esse dirimendam a proprio et immediato superiore petentis.

g) *„Dentur decreta . . .“* vel *„Detur decretum . . .“* significant rem iam alias esse decisam.

h) *„In decretis“* vel *„Orator gaudeat impetratis“* significant appellationem ab oratore propositam contra decretum alias latum non admitti, sed standum esse decreto prius dato.

i) *„Nihil transeat.“* Haec formula aliquando etiam adhibetur in Curiis episcopalibus et significat in negotio sive iudiciali sive extraiudiciali non esse ulterius procedendum propter exceptionem interpositam, e. gr.: Factis proclamationibus matrimonialibus aliquis denuntiat impedimentum. Tunc Curia episcopalis dat decretum „Nihil transeat“, praecipiens scilicet, ne matrimonium celebretur, antequam exsistentia impedimenti denuntiati sit verificata.

k) *„In decisis“* vel *„Recedendum a decisis“*. Istae formulae significant responsionem antea datam confirmari vel revocari.

l) *„Affirmative et amplius“* vel *„Negative et amplius“*. Hae formulae notificant praesentem responsionem esse definitivam et amplius non admitti novum recursum vel petitionem.

Si quae aliae formulae sint usitatae in Curia Romana, vel rarius occurrunt, vel facile intelliguntur.

Index alphabeticus rerum.

Numerus indicat quaestionem, numerus et littera uncis inclusa significant partem quaestionis; sin autem indicatur pagina, id specialiter exprimitur.

A.

D.

E.

F.

G.

H.

I.

L.

M.

Q.

R.

S.

T.

U.

V.

Ab eodem auctore:

MANUALE THEOLOGIAE MORALIS

SECUNDUM PRINCIPIA S. THOMAE AQUINATIS IN USUM SCHOLARUM

Editio altera et tertia, aucta et secundum novum Codicem iuris canonici recognita. Tres tomi in 8° mai.

I. (XV et 444 p.) M. 9.—; relig. M. 10.50. II. (X et 538 p.) M. 10.—; relig. M. 11.60
III. (XII et 666 p.) M. 11.50; relig. M. 13.40

Acta Pontificia, Romae:

«Auctor huius operis quam maxime brevitati, perspicuitati, facilitati discipulorum intuitu studet. Per quaestiones ac responsiones procedens, omnia quae studio et communi praxi necessaria sunt, quacumque superfluitate resecata, iuris nostri capita tradit.... *Nil clarius, facilius et discipulorum mentibus aptius dici poterat.* Nil igitur dubitandum quin *Manuale* hoc, suo nomini in cunctis respondens, maximo cum gaudio a discipulis suscipiatur.»

Analecta Ordinis Praedicatorum, Roma:

«... Operis valor duplici praestantiae atque excellentiae fundamento innititur, quod est et clara firmorum de re morali principiorum enucleatio atque expositio et conscia constansque ad doctrinam moralem S. Thomae Aquinatis attentio....»

Le Bulletin thomiste, Paris:

«S'inspirant davantage des exemples et de la méthode du grand maître Divi Thomae, l'auteur entend faire une place plus large aux principes fondamentaux, et surtout aux développements concernant la nature, le perfectionnement moral, le rôle de chaque vertu; et il éclaire de la sorte l'exposé de la malice des péchés contraires qui tendent à la détruire. Le procédé est plus rigoureux, l'exposé toujours net, les notions, quoique sommaires, sont très soigneusement précisées, le plan des traités plus logiquement établi; et malgré que l'on vise à la brièveté, l'abondance des matières est fort suffisante, la doctrine solide et complète. Ajoutons que le style est très clair et très facile, l'impression soignée, de manière que l'ouvrage est d'une parfaite tenue typographique. Toutes ces qualités se retrouvent dans la nouvelle édition; grâce à de légères modifications d'ordre ou d'expression, elle gagne encore en clarté, et elle a été mise en parfaite conformité avec la législation du nouveau Code de droit canonique.»

Revue néo-scolastique, Louvain:

«... Bien des qualités recommandent spécialement ce manuel aux étudiants et même aux professeurs de morale. La langue est claire, les notions sont soigneusement précisées, les principes, nettement exposés, retiennent particulièrement l'attention....»

Theol.-prakt. Quartalschrift, Linz:

«... An Reichhaltigkeit und Vollständigkeit, an Verläßlichkeit und Klarheit wird dieses Handbuch von keinem andern übertroffen. In der Behandlung strittiger Fragen und in der Kritik verschiedener Ansichten wahrt sich der Autor ein maßvolles, selbständiges Urteil. Die Druckausstattung ist durch exakte Übersichtlichkeit ausgezeichnet.»

Civiltà cattolica, Roma:

«Il faut bien reconnaître que ce livre se place d'emblée parmi les meilleurs ouvrages similaires. Sur les questions sociales en particulier l'auteur apporte la lumière des principes. Il en résout les difficultés d'une façon claire et de nature à pacifier les esprits.»

Razón y Fe, Madrid:

«Esta obra forma un buen *complemento de Teología Moral,* claro, ordenado, conciso y que al mismo tiempo contiene todas las cuestiones necesarias para la práctica ordinaria.»

De Studiën, Nijmegen:

«... Dit ,handboek' der moraal geeft de Thomistische leer met getrouwheid weer. Het soo hoog verheven gezag van den H. Alphonsus wordt nergens uit het oog verloren, maar geheel het werk door naar waarde gehuldigd....»